SILVA LOCORVM, QVI FREQVENTER IN CONCIONIBVS OCcurrere ſolent, omnibus diuini verbi concionatoribus: cum primis vtilis & neceſſaria. In qua multa tum ex veterum Patrum ſententijs collecta, tum opera & ſtudio autoris animaduerſa traduntur: quæ ad hoc munus exequendum vehementer conducant.

AVTORE ET COLLECTOre R. P. F. Ludouico Granateñ. ſacræ Theologiæ profeſſore. Monacho Dominicano.

Omnis ſcriba doctus in regnum cœlorum, ſimilis eſt homini patri familias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. *Matth.* 13.



CVM PRIVILEGIO.

SALMANTICAE.

Apud hæredes Matthiæ Gaſtij. Anno 1586.

QVAE IN HOC volumine continentur.

PRIMA Claßis locorum communium, qui à Deo opt. Max. incipiens, loca deinde ad diuerſa genera perſonarum & ſtatuum pertinentia complectitur.

Secunda Claßis, in qua de virtutibus, & vitijs oppoſitis agitur.

Tertia Claßis, in qua de Beatitudinibus & donis, & ſacramentis aliquot, deque quatuor nouißimis, & alijs nonnullis diſſeritur.

Omnia Romanæ eccleſiæ iudicio ſubmiſſa ſunto.

TASSA.

YO Pedro çapata del Marmol Secretario del Conſejo de ſu Mageſtad, doy fe, q̃ los Señores del dicho Conſejo de pedimiento y ſupplicacion de Fray Luys de Granada, taſſaron vn libro, intitulado ***Silua locorum***, que con licẽcia de ſu Mageſtad imprimio, a tres marauedis y medio cada pliego en papel, y al dicho precio, y no mas mandaron q̃ ſe venda, y que primero que ſe venda ningun libro, ſe imprima eſta taſſa en la primera hoja de cada volumen, y para que dello conſte de pedimiento del dicho Fray Luys de Granada, y mandamiento de los dichos Señores, di la preſente firmada de mi nombre: en la Villa de Madrid a diez y nueue dias del mes de Nouiembre, de mil y quinientos y ochenta y cinco Años.

Pedro çapata del Marmol.

EL REY.

POr quanto por parte de vos Fray Luys de Granada de la orden de ſancto Domingo nos fue fecha relacion que vos auiades compueſto vn libro intitulado Silua Locorum Comunium, ſuplicãdonos os concedieſſemos licencia para lo poder imprimir, e preuilegio por el tiempo que fueſſemos ſeruidos, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro cõſejo y como por ſu mandado ſe hizieron las diligencias que la pragmatica por nos hecha ſobre la impreſsiõ de los libros diſpone fue acordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula para vos en la dicha razon, y nos touimos lo por bien, y por la preſſente por os hazer bien y merced os damos licencia, y facultad para que por tiempo de diez años primeros ſiguientes que corran, y ſe quẽten deſde el dia de la fecha deſta nueſtra cedula, vos o la perſona que vueſtro poder ouiere, podays imprimir e vender el dicho libro que de ſuſo ſe haze mencion. Y por la preſente damos licencia y facultad a qualquier impreſſor deſtos nueſtros Reynos que vos nombraredes para que por eſta vez lo pueda imprimir con q̃ deſpues de impreſſo, antes que ſe venda lo traygays al nueſtro cõſejo juntamente con el original que en el ſe vio, que va rubricado y firmado alcabo de Pedro Zapata del Marmol nueſtro ſcriuano de camara de los que en el nueſtro conſejo reſiden, para que ſe corrija con el, y ſe os taſſe el precio que por cada volumen ouieredes de hauer. Y mandamos que durante el dicho tiempo perſona alguna ſin vueſtra licencia no lo pueda imprimir ni vender ſopena que el que lo imprimiere, o vendiere aya perdido y pierda todos y qualeſquier libros, moldes, y a parejos que del dicho libro tuuiere, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere, la qual dicha pena ſea la tercia parte para el juez que lo ſentenciare, y la otra tercia parte para la perſona que lo denunciare, y la otra tertia parte para nueſtra camara, y mandamos a los del nueſtro conſejo preſidentes y oydores de las nueſtras audiencias, alcaldes, alguaziles de la nueſtra caſa, corte y chancillerias, y a todos los Corregidores, Aſiſtẽte, Go

uerna

uernadores, Alcaldes mayores, y ordinarios, y otros juezes, e justicias qualesquier de todas las ciudades, villas, y lugares de los nuestros Reynos y señorios, ansi a los que agora son como a los que seran de aqui a delante, que vos guarden e cumplã esta nuestra cedula, y merced, que ansi vos hazemos y contra el tenor y forma della, ni de lo en ella cõtenido no vayã ni passen, ni cõsientã yr ni passar por alguna manera sopena de la nuestra merced y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Fecha en Madrid a. 28. dias del mes de Henero de mil y quinientos y ochenta y quatro años.

YO EL REY.

Por mandado de su Magestad.

Antonio de Erasso.

ERRATA.

PAg.9.verſ.riã.eius expectata,leg.eius diu expectata.p.71.ver.angelis.eadẽ.l.'eãdẽ. p.78. ver.initũ.habeat.l habet.p.140.ver.nemo.ipſo.l.ipſi.p.143.ver.ſurripuit.l.ſurripit.ver. Si. magna.l.magnæ.p.144 ver.fructus.eccleſiæ.l.Eccleſia.p.148.ver.Saluatoris, manere.l. monere.p 153.ver.ſtus.gaudio.l.gaudeo.p.156.ver.res.factu.l.faſtu.p.157.ver.ſic. eccleſiaſtici.l. eccleſiaſtico.p.158. ver.& neglecto.l.neglecti.p.182.ver.proiſus hominum.l.hominẽ.p. 195. ver reguis.l.regius.p.227.ver.celebrare.poſsint.l.poſſunt.p 242.ver.vnde homicida.l.homicidia.p.259.ver.ribus.conſcientia.l.conſcientiæ.p.286.ver.quis ani l animam.p.310.ver. Latro.queque.l.quemque.p.313.ver.in.ſupra.l.ſupra.c.27.p.346.ver ſe.lib.4 l.libro.4.de conſolatione.p.351.ver.meni melorem.l.meliorem.& ver.hoc.domo.l.dono.p.373.ver.rint.miſericordibus.l.immiſericordibus.p.384.ver.Multorum.ſequares.l.ſequaris.p.388.ver.moniã. acerbum.l.acerbam.p.444 ver.minum percatur.l precatur.p.484.ver.abſci.diuinæ.l. diuiui.p.539.ver.& confugiens.l.confugit.p.564.ver.eis,ribelem.l.rebellem.p.570.ver. auxilio. iaciebant.l.iacebant.p.571.ver.tet.etio.l.otio p.575.ver.vnuſquiſquam.l.vnuſquiſq;. p.620. ver.Cum.lactitantes.l latitantes.p.639.ver.panem.otioſam l.otioſa.p 650.ver.nempe.lib.c. 29.l.lib 5.c.29.p.652.ver.plendidi.l.ſplendidi.p.659.ver teſt.fruſtr l.fruſtra.p.664.ver. eleuatio.cupiditatis.l.cupiditates.p 693.verſ.ſapientia.l.ſapiẽti.p.695.ver.Vccli.l.Eccli.& ver. cap.22.l.cap.24.p.708.ver.tis.ſiue.l.ſine.p.711.ver.Cæma.l. cæna.p.713.ver. ſabi.ſtupula.l. ſtipula.p.722.ver.tertia,pomittunt.l.promittunt.p.738.ver.flus.l.dus.pa.758.verſ.ro.diutijs repletur.l.diuitijs,atq; delitijs repletur.p.764.ver.tate eandem.l.eadem.p.780.ver. Apoſt. reconcilias.l.reconcilians.p.786.ver.9.illud.l.9.ſuper illud p.802.ver.carne.aliũ.l. aliud.p. 836.ver.anima.l.animas.p.852.ver.demonum.cum in ipſis ignem.l.cum ipſis in ignem.p. 865.ver.vit ſi.l.vitæ.p.880.ver.nihi.l.nihil.p.883.ver.pera.coruibus.l.cornibus.p.884.ver. ris hic.l.hinc.

CORNELIVS BONARDVS Typographus, Aloisij Granatensis studiosis S. P. D.

QVVM Gregorij XIII. Pontificis Max. literæ, quibus ille pater beatissimus Aloisium nostrũ Granatensem dulcissimis verbis alloquitur, in manus meas peruenissent: ingrati hominis officium fore sum arbitratus, si ipsius studiosos, quos plurimos esse scio, tantæ lætitiæ fraudatos gloria relinquerem. Scio me autori, cuius & ingenium, & auræ popularis ἀδοξίαν probè noui, rem non admodum gratam facturum: sed pluris mihi fuit bonorum multorum gratiã demereri; quàm amico, cui multum debeo, in re præsertim non magni momenti, minus gratum facere. Valete.

DILECTO FILIO ALOISIO GRANATENſi ordinis Prædicatorum Gregorius Papa XIII.

DILECTE fili ſalutem & Apoſtolicã benedictionem. Diuturnus atque aſsiduus labor tuus in hominibus tum à vitijs deterrendis tum ad vitæ perfectionem vocandis fuit ſemper nobis gratiſsimus: jis vero ipſis, qui ſuę cæterorumque ſalutis, & Dei gloriæ deſiderio tenentur fructuoſiſsimus iucundiſsimuſque. Multas olim conciones habuiſti, libros præſtanti doctrina, & pietate refertos edidiſti, idem quotidie facis nec vnquam ceſſas præſens atque abſens quam plurimos potes Chriſto acquirere. Gaudemus iſto, tum aliorum, tum tuo ipſius tam præſtanti bono, & fructu. Quot enim ex concionibus, ſcriptiſque tuis profecerunt (profeciſſe autem permultos quotidieque proficere certum eſt) totidem Chriſto filios genuiſti, longeque illos maiori beneficio affeciſti, quam ſi cæcis aſpectum, aut mortuis à Deo vitam impetraſſes: Præſtat enim multo ſempiternam illam lucem, & vitam beatiſsimam (quo ad mortalibus datum eſt) noſſe, & pie ſancteque viuentem, ad eam aſpirare, quam mortali hac vita & luce frui omni cum terrenarum rerum affluentia & voluptate: Tibi vero ipſi quam multas à Deo coronas comparaſti, dum omni cum charitate in eo ſtudio

verſa-

versaris, quod constat esse longe maximum. Perge igitur vt facis, in istam curam toto pectore incumbere, quæque habes inchoata (habere enim te nonnulla accepimus) perficere & proferre ad ægrorum salutem, debilium confirmationem, valentium & robustorum lætitiam, vtriusque tum militantis tum triumphantis Ecclesiæ gloriam. Dat. Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXI. Iulij. M. DLXXXII. Pontificatus nostri anno vndecimo.

Ant. Buccipalulius.

SANCTISSIMO PATRI GREGORIO XIII. Pontifici Maximo pedum oscula beatorum.

QVAMQVAM audaciæ atque adeo temeritatis cuiusdam esse videatur pauperculum & rudem monachum in extremis Hispaniæ oris constitutum Sanctitati tuæ literas dare, & hoc quidquid est operis nomini tuo consecrare, tamen cum videam quanta pietate & magnificentia omnium bonarum, salutariumq; disciplinarum studia prouehere, totque vbique terrarum collegia ad fidei alumnos literis & moribus informandos erigere curet, & (quod ad me attinet) literis etiam suis me ornare, studia mea probare, & ad ea, quæ in manibus haberem in lucem edenda hortari dignata fuerit, animũ resumpsi, & hoc paruo munusculo grati animi mei officium testatum esse volui: vt illi potissimum dicaretur, cuius authoritate & imperio in lucem editur. In eo vero velut siluam quandam, certo tamen ordine digestum diuini verbi declamatoribus proposui, vt ex ea quidquid instituto suo aptius videretur, eligere possent. In vnoquoque autem loco, primum quidem selectas Patrum sententias collocaui, deinde quæ ipse vel ex sacris literis, vel assidua

me-

meditationẽ animaduerterã subieci. His multa additurus nisi mortalitatis meæ & ingrauescentis ætatis metu dum alia parantur, hic ipsa quæ paraueram intercidere[n]t perpetua obliuione sepelirentur. Suscipiat ergo Sanctitas vestra hoc quicquid est operis qua fronte clarissimi etiam principes parua suorum ciuium munuscula excipere solẽt, non oblatæ rei pretium, sed animi studium & voluntatis propensionem considerantes. Dominus Iesus Sanctitatem vestram nobis ac toto orbi Christiano quam diutissime seruet incolumem.

F. LVDOVICVS GRANATENSIS ADMODUM Illustri D.D. Antonio Zapata Canonico Toletano & Inquisitori apostolico meritissimo, Candidoque lectori. S.

QVANTA sit dignitas, admodũ Illustris Dñe amiceque lector, eorũ quibus diuini verbi cura cõmissa est, cum multis alijs argumentis, tũ eorum dignitate, qui huic officio à Deo præfecti fuere, colligi facile poterit. In hoc enim ordine primi fuere Prophetæ, qui spiritu Dei afflati, hanc prouintiã susceperunt. Non enim (vt
2.Pet.2. Petrus Apost. ait) voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancta Dei homines. Sed longe maius est, quod ipse quoque Prophetarum & Angelorum Dominus hoc post illos docendi officium minime recusauit. Cœlestis enim pater qui per prophetas olim fuerat loquutus, est
Heb. 1. & loquutus nobis in filio, de quo sic Ioelis. 2. legimus. Filij Sion læ tamini in Domino Deo vestro, qui dedit vobis doctorem iustitię: Esaias quoque, Erunt inquit, oculi tui videntes præceptorem tuũ,
Esai. 30. & aures tuæ audient vocem post tergum monentis, Hæc est via, &c. Denique Saluator ipse, Ego inquit in hoc natus sum, & ad
Ioan. 16. hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Cum vero is à nobis in cœlum assumptus fuisset, vicarios pro se Apostolos Spiritu sancto plenos instituit, quibus hoc officium delegauit: Qui etiam vt ad hoc munus pro dignitate exequendũ expeditiores essent, pauperum & viduarum curam à se in alios reijcientes, sibi ipsis orationis officium, & verbi Dei ministerium desumpserunt. Hos deinde sequuti sunt sancti Pontifices, qui eorum vestigijs insistentes, in Concilio Cartagineñ. 4. statue-

runt

runt, vt Episcopus pauperum & viduarum curam per Archipresbyterum, vel Archidiaconum administraret, ipse vero ab hac cura solutus, lectioni, orationi, & verbi ministerio intentus esset. Hinc illa orientalis Ecclesiæ diu retenta consuetudo, vt præsente Episcopo, nemini ad populum verba facere liceret. Processu vero temporis, cæteris quoque inferioris ordinis ministris hæc eadem cura commissa est, ne numerosa fidelium plebs hoc diuini verbi pabulo destitueretur. Quid enim nos magis ad pietatem & iustitiam, quàm hoc ipsum Dei verbum excitare queat? Hoc namque fidelis anima in spirituali vita alitur & vegetatur, hoc mentis acies illuminatur, hoc ad amorem Dei incalescit, hoc ad virtutis studium & peccati odium incitatur, hoc in recte viuendi proposito confirmatur, hoc mortis rationisque reddendæ illata mentione, compungitur, hoc sanctorum desideriorum flamma excitatur, ac postremo nostri pectoris duritia, velut spirituali quodam malleo frangitur. *Hiere.* 23.
Hinc illud Hieremiæ, Nunquid non verba mea ignis (dicit Dominus) & quasi malleus conterens petram? Ex his igitur apparet quam ingens fructus in Ecclesia, ex assidua verbi Dei tractatione consequatur. Recte igitur Salomon, Vbi inquit, non sunt boues, præsepe vacuum est: vbi autem plurimæ sunt segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis. Quibus verbis quid ex copia vel inopia doctrinæ consequatur, breui allegoria declarauit.

Cũ hæc igitur omnia beatissimus pater noster Dominicus probe teneret, animarũque iacturam ob huius cœlestis pabuli inopiã amarissime defleret, diuini honoris & fraternæ salutis zelo æstuãs multis precibus primum quidem à Domino, deinde ab eius in terris Vicario, vt prædicatorũ ordo institueretur impetrauit: cuius præcipuũ munus & officium esset, illud implere quod per Hieremiam Dominus polliceretur, cũ ait, Dabo vobis pastores iuxta cor meũ, & pascent vos scientia & doctrina. Ego igitur Patris huius sanctissimi indignus filius, atque instituti eius alumnus, nolui ab hoc instituto ita degenerare, vt nõ pro tenuitate mea aliquid efficerẽ, quod vel me, vel alios in hoc charitatis officio iuuaret. Itaq; post sacræ Theologiæ studia, lectioni me sanctorũ patrum, sacrorũque Bibliorũ studio addixi. Intelligebã enim verũ esse quod D. *Hiere.* 3.

Hiero-

Hiero. Hieronymus Nepotiano scribit, sermonem videlicet presbyteri Scripturarũ sale cõdiendũ esse. Quicquid vero in vtraque lectione notatu dignum occurrisset, literis consignabam, quæ postea in communes locos suo ordine reponerem, quo facilius, cum esset opus, inuenirem. Hæc enim cura ac diligentia à doctissimis viris (qui de ratione studij præcepta dederunt) plurimum commendatur, & à multis (quod ex eorum scriptis colligere licet) factitatum est.

Quin & scripta eorum qui selectas à Patribus sententias collegerunt, nequaquam negligendas putaui. Ex quorũ sententijs quę præstantissima visa sunt, in aluearium nostrum congessi. Quę bona fide reddidi, quamuis præposito autoris nomine & libro, non semper capitum numerum in eis deprehendi.

Hoc igitur licet exiguũ mun⁹ cãdidus Lector accipiet, vel hoc nomine, quod ea quæ afferimus (nisi me fallit anim⁹) selecta sunt. Hoc enim mihi studiũ fuit, vt nihil quod merito reijciendũ esset, adducerẽ. Nõ enim laboraui ambitu dicendi multa, sed selecta: vel certe nõ penitus contẽnenda. Et quidẽ si spes longioris vitæ subesset, darẽ operã, vt plures ex sanctis Patribus sententias colligerem, vt hoc opus absolutius prodiret & cumulatius: metu tamen mortalitatis meæ vlterius progredi non sum ausus, nedũ alia persequor, interceptus morte (quæ senibus velut in limine est) & illa non assequerer, & hæc ipsa, qualiacũque sunt, interciderent. Hęc autem poterit studiosus Lector locupletare, & his multa addere.

Aristo. Hac enim ratione Aristoteles facile esse ait artes & scientias absoluere, dum his quæ alij inuenerunt, alia adijciuntur.

Ex Philosophis quoque Ethnicis nonnulla quæ graues sententias continent (præsertim ex Marco Tullio, quem supra omnem ingenij aleam positum esse Plinius ait) suis in locis adieci.

August. Hæc enim Diuus Augustinus in libro de Doctrina Christiana, ab illis tanquam ab iniustis possessoribus sumenda, & ad institutum nostrum accommodanda monet. Senecæ autem & Plutarchi sententias (qui in hoc genere doctrinæ præstantissimi fuere) omnino prætermisi, propterea quod eas simul & insignia quædã Apophthegmata, edito libello, hoc eodem locorum ordine (quatenus licuit) retẽto, studiosis communicaui, vt ijs quibus minus otij suppetit, multa legendi laborem adimerem.

Collectanẽorũ nomine inscripto.

Nec

Nec hac suppellectili contẽtus, quicquid mihi aliud etiã agẽti siue ex sacris literis, siue aliũde animaduersione dignũ sese offerebat, scripto committebã. Quod quidẽ ab initio studiorũ meorum mihi moris fuit: sæpe enim sponte oblata, quàm studio quæsita vel gratiora sunt, vel interdum meliora. Horum itaque nihil perire passus sum.

Cęterũ quod ad locorũ ordinẽ & dispositionẽ attinet, totũ hoc opus in tres Classes partitus sum. In quarũ prima eos locos qui ad varios status, variaque personarũ genera spectãt, collocaui à Deo Opt. Max. exordiũ capiens. In secunda vero de virtutibus & vitijs quæ illis aduersantur, agitur. Tertia vero alios quosdam locos superioribus dissimiles complectitur, qui ad superiorum ordinem ob rerum dissimilitudinem reuocari commode non potuerunt.

Nonnulli autẽ eorum qui sententias à Patribus collectas in ordinem redegerunt, literarum Alphabeti ordinem propter inueniendi facilitatem sequuti sunt. Nos etiã hanc commoditatem minime aspernandam duximus: sed ad hoc tamen index locorũ, qui eodem Alphabeti ordine digestus est, satis superque erit. Commodior autem ad docendi rationẽ ordo visus est, quem D. Thomas in summa Theologiæ, ac præcipue in. 2. 2. sequutus fuit: in quo post generis tractationem, eius species aut partes collocat: & vbi de virtutibus differuit, vitia quoque virtutibus opposita subijcit, & ea item quæ his similia atque affinia sunt. Nota sunt enim in scholis axiomata illa. Similium idem esse indicium, & contrariorum eandẽ esse disciplinam, &, quę generibus conueniunt, eadem speciebus conuenire. Sic autẽ fit, vt latissimus ad dicendũ campus concionatori pateat. Vt si quæ mala ex stupro, & adulterio, vel incestu sequantur, amplificare velit, ea etiam mala quæ ex impudicitia sequuntur, his adiungere poterit. Quin etiam si ad supremũ genus, hoc est peccatum, ascendere voluerit, mala omnia quæ ex mortifero peccato prodeunt, his annectere valebit. Sic etiam contra ambitionem, aut arrogantiam, aut inanẽ gloriam dicturus, mala quæ superbia secum affert, his etiam adiungere poterit. Eadẽ ratione si castitatis virtutẽ laudare velit, impudicitiæ mala poterit commemorare, à quibus nos pudicitia liberat. Ad hunc etiã modum humilitatem laudaturus, superbiæ damna & incommoda referre, aut exagerare poterit, à quibus nos humilitatis virtus immu-

nes

nes conſeruat. Hæc de operis huius diſpoſitionē atque ordine dicenda putaui.

Hæc igitur cum initio vni mihi deſtinaſſem, nec in lucem edere in animum induxiſſem, ratus tamē quod vtile mihi fuiſſet, alijs fortaſſe profuturum, ſimul & amicorum hortatu incitatus, alijs etiam, quibus non tantum otij ſuppetit, communicanda curaui. Non ſolas autem ſanctorum Patrum ſententias, ſed multa etiam poſt eas ex noſtro, licet tenui peculio (quod nemo hactenus in hoc genere commentationis fecit) in medium attulimus, & collectoris nomine præpoſito, & tranſuerſa virgula, ab alijs diſtinximus, quæ qualia ſint, prudens Lector cum in alijs locis, tum præcipue in ijs, in quibus de diuina prouidentia agitur, de affectuum moderatione atque natura, de virtute & ijs quæ virtuti adiuncta ſunt, de peccato & peccati pœna, ac de tentationibus quæ ad peccatum inſtigant, de fide, ſpe, & charitate, de oratione & meditatione, de abſtinentia, de tribulationum fructu, de fortunæ inconſtantia, de ſui ipſius cognitione & amore, de mundi contemptu, de vita & morte, ac poſtremo de fœlicitate, & vltimo fine humanæ vitæ, cæteriſque nonnullis animaduertere poterit. In his enim locis qui frequentius in concionibus tractantur, plura congerenda eſſe duxi. Quæ tamen omnia quam breuiſsime attigimus, amplificandis ac dilatandi rationem concionatoris ingenio relinquentes, ne opus hoc noſtrum longius protenderetur.

Huic autem operi Syluæ nomen indidi, quia licet Sanctorum Patrum ſententiæ ſuo ordine digeſtæ ſint, ea tamen quæ nos ex noſtro (vt dixi) peculio congeſsimus, tumultuariè ſine vllo certo ordine pro vt occurrebant, coaceruauimus, vt ex eis ſtudioſus cōcionator, velut ex Sylua quadam, quæ inſtituto ſuo magis opportuna fuerint, eligat.

In hoc igitur viridario poterit is expatiari, & flores carpere, quibus conciones ſuas ornare, & locupletare valeat. Nec cōcionatores modo, ſed omnes etiā qui pie in Chriſto viuere volūt, multas & graues Sanctorū Patrū ſentētias in hoc opere deprehendēt, quæ ad vitā rectè inſtituendā moreſq; componendos, plurimum conducant, ſi eo tamen conſilio & mente legant, vt nō modo quę alijs, ſed etiā quæ ſibi ipſis profutura ſunt, annotare ſtudeant. Nec enim gallinam imitari debent, quę repertá grana pullis offert, ipſa

ieiuna

ieiuna manẽs,ſed cæteras animãtes, quæ vbi ſe ipſas pauerint, ꝙ ex alimẽto ſibi neceſſario ſupereſt, in lactis alimoniam ad pullos ſuos alẽdos cõuertũt. Sic enim ſtudioſus cõcionator illud Apoſtoli præceptũ implebit, quod is Timot. præſcribit: Attẽde tibi & doctrinæ inſta in illis: hoc enim faciẽs, & te ipſum ſaluũ facies, & eos qui te audiũt. Verè enim cũ ad populũ verba faciet, vberius & ardẽtius ea dicet, quę is in ſe ipſum quodãmodo trãsformauerit. Hęc enim non quaſi aliunde aſcita, ſed velut domi ſuæ nata, acrius & aptius pronũtiabit. Quam rem me non fruſtra monuiſſe prudens concionator intelliget. I. *Tim.* 4.

Cæterũ quoniã res omnes tã quæ natura, quã quæ arte conſtãt, ex materia & forma cõpoſitæ ſunt (quorũ forma lõge præſtantior quã materia eſt) materiã quidẽ dicendi hi loci, & quicũque his ſimiles fuerint, præſtabunt. Adieci tamẽ animum, vt non modo ad rationẽ inueniendi, ſed etiã eloquẽdi (quod ad formæ naturã ſpectat) aliquid afferrẽ. Conſtat enim omnes antiquos Patres, Cyprianũ, Ambroſiũ, Chryſoſtom. Baſiliũ, Gregoriũ, Naziãzenũ, & Niſſenũ, cæteroſque eius ætatis clariſsimos Patres, eloquentiſsimos fuiſſe, & nõnullos etiã eorũ, vt ex hiſtorijs colligimus, Rethoricæ artis profeſſores extitiſſe: eoſque in cõcionibus ſuis huius quoq; artis miniſterio adiutos fuiſſe: quod ex eorum ſcriptis facile conſtat. Quamuis enim quidã naturæ beneficio, ſine arte inſtructiſsimi ad dicendũ ſint, hi tamẽ rari admodũ ſunt: atque (vt Quintiliani verbis vtar) hi naturæ ſuæ pauciſsimos imitatores habent, negligentiæ, quam plurimos. Noſtro igitur iſti labori dẽt veniam, qui nihil credimus eſſe perfectum, niſi vbi natura, cura iuuatur. Hæc ille. Quid autẽ frequentius in Philoſophorum ſcholis decantatur, quã arte perfici naturã? Nã & ruſtici in cauſa ſua acriter argumẽtari, & ex alijs alia cõcludere ſolẽt: & tamẽ ars argumẽtandi ab ijſdẽ Philoſophis excogitata eſt, qua id quod natura duce præſtare poſſumus, exactius & accuratius efficeremus. Vnde interrogat⁹ princeps Grecę facũdię Demoſthenes, qua ratione ad tantũ eloquẽtiæ faſtigiũ perueniſſet, Plus, inquit, olei quã vini inſumẽdo. De ipſo nãque traditũ eſt, quod antelucanis vigilijs omnes ciuitatis ſuæ artifices præueniret. Sciebat enim verũ eſſe quod vulgo dici ſolet, Poetam quidem naſci, Oratorem autem fieri.

Quæ cum ita eſſe certo ſcirem, ad promouẽda etiam in hac parte contionatorum ſtudia animum appuli, diuina magis ope,

& iuuandi amore incensus, quam viribus ingenij fretus. Itaque ex Rethoricæ artis præceptis (quam adolescens attingeram) prætermissis ijs quæ ad forenses causas spectant, ea omnia quæ ad cōcionandi rationem profutura visa sunt, elegi, & sanctorum Patrū exemplis illustraui, eaque sex libris Ecclesiasticæ Rethoricæ, siue de concionandi ratione nomine insignitis; superioribus annis in lucem edidi, D. Augustini exemplo confirmatus, qui in. 4. de doctrina Christiana libro, multa ex hac arte (quam ipse ante conuersionem suam profitebatur) cōcionatoribus profutura desumpsit. *August.* Quæ si summus hic vir plenius absoluere voluisset, frustra hic noster labor esset susceptus.

Et quoniam Demosthenes ille (cuius paulo ante mentionem feci) summam oratoris facultatem in pronunciatione, hoc est, in gestu & vocis figura varie rebus quæ dicuntur accomodanda, & flectanda sitam esse dixit, nos hanc præcipue partem in sexto eius operis libro copiose, multis etiam propositis exemplis illustrauimus, quod hanc facultatem plurimis concionatorum deesse, intelleximus, sine qua cætera quæ dicuntur, quamuis selectissima sint, languent tamen & frigent. Homines enim, præsentim rudes & illiterati, res ita concipiunt, vt dicuntur & pronunciantur. Quæ enim acriter dicuntur, acres etiam affectus excitant; quæ remisse & languide, languidos & remissos. Hæc idcirco à me hoc loco dicta sunt admodū Illustris Domine, vt huius nostri libelli vel vtilitas, vel necessitas studiosis cōcionatoribus non ignota esset. Faxit autē Christus Dominus, vt hi nostri labores atque vigiliæ, quas propter eius gloriam & fraternæ salutis amorem suscepimus, & studiosis concionatoribus & pijs omnibus vtiles sint ac salutares.

PRIMA CLASSIS LOCORVM COMMVNIVM, quæ à Deo Opt. Max. incipiens, loca deinde ad diuerſa genera perſonarum, & ſtatuum pertinentia, complectitur.

DEVS.

DIVINÆ virtutis opera tunc facundius *Gregor.*
loquimur, cùm obſtupeſcẽdo reticemus:
Laudatque homo idoneè tacendo, quod
idoneè non valet comprehendere. Vnde Pſal. Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius. *Pſal. 150.*
Ille hoc facit, qui ſe ſuccumbere in eius laudibus conſiderat. Ideo Iob quæ dicendo explere non potuit, facundius reticendo diffiniuit. Gregor. lib. 9. Moral.

Qui in factis Dei rationem non inuenit, in infirmitate ſua inuenit, cur rationem non inueniat. Greg. vbi ſupra. c. 11.

Tunc verè aliquid de Deo cognoſcimus, cum aliquid de illo cognoſci non poſſe ſentimus. Greg. lib. 5. Mor.

Exercet Deus latitudinem amando: longitudinem, tolerando: celſitudinem, vota noſtra & intelligentiam ſuperando: profunditatem, intima iudicando. Greg. lib. 10. cap. 11.

Qui de æterno loqueris, penſa: quia temporalis es: qui de Dei ſapientia diſputas, penſa: quia conſilium eius ignoras. Gregor. lib. 12. cap. 15.

Omne, quod de Deo dicitur, eò ipſo indignum eſt, quo dici potuit: eius enim laudi non ſufficit obſtupeſcens conſciẽtia, quo modo ergo ſufficiet loquens lingua? Greg. 20. Mora. c. 25.

Dùm mens in altum ducitur, ſubleuata videt in Deo, quòd nõ poteſt penetrare, quod videt. Ideò Ezechiel tandem fluuium nõ *Ezec. 47.*

poteſt tranſuadare. Gregor. 22. Moral. cap. 22.

Melius de Deo dicimus, ſi ſub conſiderationis eius formidine admirando tacemus. Greg. 27. Mor. c. 26.

Iob. 21. Gregor. ſuper illud Iob. Quis eſt omnipotens, vt ſeruiamus ei, ſic ait: Mens hominis malè exterius fuſa, ſic in rebus corporeis ſparſa eſt, vt nec ad ſemetipſam intus redeat, nec eum, qui eſt inuiſibilis, cogitare ſufficiat. Vnde carnales viri iuſſa ſpiritalia cõtemnentes, Deum, quem corporaliter non vident, quandoq́ue ad hoc perueniunt, vt etiam non eſſe ſuſpicentur. Vnde nunc dicitur. Quis eſt omnipotens, vt ſeruiamus ei? Eſſe enim (ſicut dictum eſt) non credunt, quem corporaliter non intuentur. Qui ſi authorem omnium Deum humiliter quærerent: id, quod non videtur, ea re quæ videtur, eſſe melius in ſemetipſis inuenirent. Ipſi quippè ex anima inuiſibili, & corpore viſibili ſubſiſtunt: & ſi hoc ab eis quod non videtur abſtrahitur, illicò corruit quod videtur. Et patent quidem carnis oculi: ſed videre quicquam, vel ſentire non poſſunt: ſenſus enim viſionis perijt: quia abſceſsit ille inuiſibilis ſpiritus, qui per eius reſpicere feneſtras ſolebat. Quia ergo rebus viſibilibus inuiſibilia præſtantiora ſunt, carnales quiq́ue ex ſemet ipſis penſare debuerunt: atque per hanc (vt ita dixerim) ſcalam conſiderationis tendere in Deum: quia eo eſt, quo inuiſibilis permanet: & eo ſummus permanet, quo comprehendi nequaquàm poteſt. Mor. lib. 15.

Auguſt. Et audiui ſicut auditur in corde, & non erat prorſus vnde dubitarem, faciliusq́ue dubitarem viuere me, quàm non eſſe veritatem, quæ per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicitur. Auguſtin. confeſ. lib. 7.

Quiſquis cognoſcit te, diligit te, obliuiſcitur ſe, amat te, pluſquàm ſe, relinquit ſe, & venit ad te, vt gaudeat de te. Auguſt. In Medita.

Deus eſt in ſemetipſo, ſicut α, &, ω, In mundo, ſicut rector, & author. In Angelis, ſapor, & decor: In Eccleſia, ſicut pater familias in domo. In anima, ſicut ſpõſus in thalamo. In iuſtis, ſicut adiutor, & protector. In reprobis ſicut pauor & horror. Auguſ. ſuper illo. Pater noſter, qui es in cœlis, &c.

Hierony. Muta animalia, & ferarum greges ductores ſequuntur ſuos. Singuli Eccleſiarũ Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, & omnis ordo

eccleſia-

ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator, & in domo vnus Dñs, & in quouis grãdi exercitu vnius signũ spectatur. Est ergò vnus in mũdo Deus. In Epist. ad Rust. monach.

Sosthenes præcipuus inter Philosophos formã veri Dei negat conspici posse, & Angelos sedi eius dicit assistere. In quo & Plato pari ratione consentit, & vnũ Deum seruans, cæteros Angelos, & Dæmones dicit. Hermes quoque Trimegistus vnũ Deũ loquitur: eumq; incõprehensibilem, atque inæstimabilẽ confitetur. Vnus igitur omnium Dominus Deus: neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cùm sola omnẽ teneat potestatem. Ad diuinũ imperium etiã de terrenis mutuemur exẽplum. Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cœpit hospitium. Põpeius, & Cæsar affines fuerunt, nec tamẽ necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec tu hic de homine mireris, cùm in hoc omnis natura consentiat. Rex vnus est apibus, dux vnus est in gregibus, & in armentis rector vnus, multò magis mundi vnus est rector, qui vniuersa quæcunque sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute cõsummat. Hic enim videri nõ potest, visu clarior est: nec cõprehendi, tactu purior est: nec ęstimari, sensu maior est. Et ideò sic Deum dignè æstimamus, dùm inæstimabilẽ dicimus. In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrãdus est pectore. Nec nomẽ Dei quæras: Deus nomẽ est illi. Illic vocabulis opus est, vbi proprijs appellationũ insignibus multitudo dirimẽda est. Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est. Cyprian. Quod Idola non sint Dij. *Cypria.*

Est trinitas creatrix Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: ex qua cecidit creata trinitas, memoria, ratio, & volũtas. Et est trinitas, per quã cecidit: videlicet per suggestionẽ, delectationẽ, consensum. Et est trinitas, in quã cecidit, videlicet impotẽtia, cæcitas, immũditia. Est trinitas, per quã resurgit, fides, spes, charitas: quæ trimẽbres habẽt subdiuisiones. Est enim fides pręceptorũ, signorũ, promissorũ. Est & spes veniæ, gratiæ, gloriæ. Et est charitas de corde puro, & cõscientia bona, & fide nõ ficta. In sermo. paruis. serm. 1. *Bernar.*

Caligo diuina, idest, lux inaccessibilis, in qua Deus habitat, ad eam accedit, eaque absorbetur, quisquis Deum videre meruit: eoque ipso, quod non videt, nec cognoscit, familiarius coniungitur ei, qui omnem cognitionem transcendit. De cœlesti Hierar. *Dionys.*

Si quis conſpicatus Deum, intellexerit, quod vidit, non ipſum eſt conſpicatus, ſed eius aliquid. Perfecta enim ipſius ignoratio, eius vera cognitio eſt: quia ipſe ſuprà omnem mentem, & ſubſtātiam noſcitur. Idem Epiſt. 1.

Omnia Deus ſibi ſimilia pro cuiuſque captu euadere cupit, ſuiſque cōmunicare muneribus. Idem. Epiſt. 8.

De Deo & affirmationes, & negationes veræ ſunt: quia affirmationes negationibus non contrariantur. Eſt enim Deus ſuprà omnem ablationem, & poſitionem. Idem de myſti. The. c. 1.

Arcanum diuinitatis, quod omnes intellectus tranſcendit, ſacris animi venerationibus, & ineffabili, & caſto honoremus ſilentio. Ibidem.

Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile? Hoc eſt mirabile nomen, quod eſt ſine nomine: quod omne nomen exuperat. Ibidem.

Omnium cauſæ, quæ eſt ſuprà omnia, & priuatio nominis congruet, & omnium ſubſiſtentium nomina. Ibidem.

Siue hoc occultum Deo appellemus, ſiue ſubſtantiam, ſiue lucem, & . ĩ. non aliud intelligimus, quam ex eo in nos emanantes participationes, quibus aſſumamur in Deum, & quę nobis vel ſubſtantiam, vel vitam, vel ſapientiam largiantur. Idem ca. 2.

Quia Deus eſt ſubſtantiale bonum, in omnia, quæ ſunt, prætendit bonitatem, ſicut Sol ſtatim lucem in omnibus. Ibidem. c. 4.

Bonum, quibus ſe inſinuauerit perfectè, facit perfecta, quæ verò ipſum minus participant, imperfecta ſunt. Ibidem.

Iſta eſt excellens magnitudo virtutis boni, quod ſuam priuationem ſuſtentat: & quæ illi repugnant, ipſius virtute, & ſunt, & repugnare poſſunt. Ibidem.

Solenne eſt Deum dicere inuiſibilē, cùm ſit lux clariſsima, eũ, qui multis inſignitur nominibus dicere ineffabilem. Attribuunt ergo ei priuationes, vt habituum excellentiam demonſtrent. Idem. c. 6.

Qui de Deo dicere pergit, dicet quidem aliquid de rebus ſuis, non autem de ipſo. Ibid. c. 7.

Cicero. Ea eſt Dei vita, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius cogitari poteſt: nihil enim agit, nullis occupationibus eſt implicatus, nulla opera molitur, ſua potētia, & virtute gaudet: habet

habet exploratum fore,ſe ſemper tum in maximis,tum in æternis voluptatibus.Hæc Epicurus apud Cice.lib.1. de natu. Deorum.

In mundo Deus eſt aliquis,qui regit,qui gubernat:qui curſum aſtrorum,qui mutationes temporum,rerum viciſsitudines, ordineſque conſeruat,terras,& maria contemplans, hominum commoda,vitaſque tuetur.Ibid.

Quis eſt tam vecors, qui cùm ſuſpexerit in cœlum , Deos eſſe non ſentiat,& ea,quę tanta mente fiunt,vt vix quiſquàm arte vlla ordinem rerum,atque viciſsitudinem perſequi poſsit , caſu fieri putet?Idem.de Rep.aruſp.

Firmiſsimũ hoc adferri videtur,cur Deos eſſe credamus:quod nulla gens tam fera,nemo omnium tam ſit immanis,cuius mentẽ non imbuerit Deorum opinio.Idem.1.Tuſcul.

Deus ipſe, qui intelligitur à nobis,alio modo intelligi non poteſt , niſi mens ſoluta quædam,& libera,& ſegregata ab omni cõcretione mortali:omnia ſentiens,& mouens,ipſaque prædita motu ſempiterno.Ibid.

Homini timidè de poteſtate Deorum & pauca dicenda ſunt. Idem.Pro lege Manil.

Vt hominum membra nulla cõtentione,mente ipſa,atque voluntate mouentur:ſic numine Deorum omnia finguntur , mouentur,atque mutantur.Idem.3.de Nat.Deor.

Illud modo videto,vt Deum noris,& ſi ignores, & locum , & faciem:ſic animum tibi tuum notum eſſe oportet,& ſi ignores,& locum,& formam.Idem.1. Tuſcul.

Dei ſapientia.

CVM à Deo non credimus nos videri,in Sole clauſos oculos retinemus,illum à nobis abſcondimus,non nos illi.Gregor.25.Mor.cap.5. *Gregor.*

Sic greſſus meos,ſemitaſque conſideras, & die, noctuque ſuper cuſtodiá meam vigilas,omnes ſemitas meas diligenter notás: ſpeculator perpetuus,veluti ſi totius creaturæ tuæ, cœli , & terræ oblitus,tantum me ſolum cõſideres,& nihil ſit tibi curæ de alijs. Nec enim tibi creſcit lux incommutabilis viſionis tuæ , ſi tantùm vnum aſpicias,neq; minuitur,ſi innumera videas,& diuerſa.Quia *Auguſt.*

ſicut vno totum ſimul perfectè conſideras, ſic ſingula, quælibet, licet diuerſa, perfectè ſimul, totaque totus conſpicit viſus tuus. Sic igitur ſuper cuſtodiã meam ſtas, ſicut ſi omnium oblitus ſis, & mihi ſoli intendere velis. Semper quippè te præſentem exhibes, ſemper te paratum offers, ſi me paratum inuenis. Quocunque iero, tu me DOMINE nõ deſeris, niſi prior ego te deſeram. Aug. in Medi.

COLLECTOR. ¶ Infernus, & perditio corã Dño: quãtò magis corda filiorũ hominũ? Itẽ, Omnes viæ hominũ patẽt oculis eius, ſpirituũ põderator

Prou. 15. eſt Dñs. Huc pertinet & illud, Nõ dicas, à Deo abſcondar, & ex

Prou. 16. ſummo quis mei memorabitur: in populo magno non agnoſcar,

Eccl. 16. quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura? Ecce cœlũ, & cœli cœlorum, abyſſus, & vniuerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu illius cõmouebuntur. Et in omnibus his inſenſatũ eſt cor, & omne cor intelligitur ab illo, & vias illius, quis intelliget?

Eccl. 17. Viæ illorũ coram illo ſunt ſemper, & non ſunt abſcõſæ ab oculis illius. Et omnia opera illorũ velut Sol in cõſpectu Dei: & oculi eius ſine intermiſsione inſpiciẽtes in omnibus vijs illorũ: & om-

Pſal. 89. nes iniquitates eorum in cõſpectu Dei. Simile eſt & illud. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſeculum noſtrum. i. i. v. t.

Eccl. 42. Cognouit Dñs omnẽ ſcientiam, & reſpexit in ſinum æui. Non præterit illũ omnis cogitatus, & nõ abſcondit ſe ab illo vllus ſermo. Eccl. 42. Quod verò appellat ſinum æui, ſignificat totã æternitatẽ, velut exiguũ quendam ſinum eſſe in oculis Dei: imo verò non ſinum modo, ſed indiuiſibile punctũ: in quo nil anterius, aut

Eccl. 23. poſterius, ſed omnia præſentia ſunt. Item, Oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſole, circunſpicientes in omnibus vijs hominum, & profundum abyſsi, & corda hominum intuentes vſque ad abſconditas partes, vide locum inſignem Eccl. 23.

Sapientiam Dei omnia peruidentem, & in intimos animæ re-

Pſal. 138. ceſſus penetrantem, prædicat Propheta Pſal. 138. cùm ait, Intellexiſti cogitationes meas de longè, ſemitam meam, & funiculum, ſiue accubationẽ inueſtigaſti: Et omnes vias meas præuidiſti: quia non eſt ſermo in lingua mea (videlicet quem tu non videas, ante etiam, quàm ego illum enuntiem) &c. quæ ſequuntur. Hæc omnia timorem Domini, & peccati odium nobis incutiunt, cùm in conſpectu Domini omnia videntis, delinquamus.

Dei

Dei bonitas, & misericordia.

QVid est dicere seruo, dimitte me, vt irascar, nisi deprecandi ausum præbere? ac si dicat, Pensa quãtũ apud me valeas, & cognosce, ꝙ obtinere poteris, qđ exoras. Greg. in mor. lib. 9. c. 11. *Gregor.* *Exod.* 32.

Sancti, qui iræ Dei obuiant, ab ipso accipiunt, vt contra eũ opponantur, & contra ipsum se cùm illo erigunt: eosque diuina vis sibi secum opponit. Fouet enim eos intus gratia irascentis, vt aduersus iram sæuientis exteriùs, obtineant. Greg. vbi sup. c. 12. *Ti.* 5.

Ineffabili desiderio teneor, cùm audio, Bonus Dominus: consideratisque & collustratis quæ forinsecus video (quoniam ab ipso sunt omnia) etiam cùm mihi hæc placent, ad illum redeo, à quo sum, vt intelligam, quoniam bonus est Dominus. Aug. sup. Psal. *August.*

Ipse quippe Dñs noster Iesus Christus dixit. Nemo bonus nisi solus Deus. Nonne stimulauit nos ad inquirendum, & ad distinguendum quid sit bonum ab alio bono bonum, & bonũ in seipso bonũ? Quàm ergo bonũ est, à quo sunt omnia bona? omnino nullum inuenies bonum, quod non ab illo sit bonum. Aug. vbi sup. *Marc.* 18.

Augus. super illud Psal. 58. Deus meus, misericordia mea, sic ait, Nõ inuenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deũ suũ, nisi misericordiã suã. O nomẽ, sub quo nemini desperãdũ est. Deus meus inquit misericordia mea. Quid est misericordia mea? Si dicas, salus mea intelligo, quia dat salutem: si dicas refugiũ meũ, intelligo, quia cõfugis ad Deũ: si dicas fortitudo mea, intelligo, quia dat mihi fortitudinẽ. Misericordia mea quid est? Totũ quicquid sum de misericordia tua est. Sed promerui te, inuocãdo te. Vt essem, quid feci? Vt essem, qui te inuocarẽ, quid egi? Si eñ egi aliq̇d vt essem, iã erã antè, quã essem. Porrò si omnino nihil erã, antè quã essem, nihil ꝓmerui vt essem. Fecisti vt essẽ, & nõ tu fecisti, vt bonus essẽ? Dedisti mihi vt sim, & potuit aliꝰ mihi dare, vt bonꝰ sim? Si tu mihi dedisti, vt sim, & alius mihi dedit, vt bonus sim, melior est ille, qui mihi dedit, vt bonꝰ sim, q̃ ille, qui mihi dedit, vt sim. Aug. Psal. 58. *Psal.* 58.

Ite, proferte stolam primã. Nõ dixit, vnde venis? vbi fuisti? vbi sunt, quæ tulisti? quarè tantam gloriam in turpitudinem cõmutasti? Sed proferte stolam primam, & induite illum. Videtis quia delicta non videt vis amoris, tardam misericordiam Pater nescit, delicta qui discutit, prodit. In ser. de fil. prodi. *Pet. Ra.* *Luc.* 15.

Cecidit super collum eius,& osculatus est eum. Sic pater iudicat,sic emendat,sic peccanti filio dat oscula non flagella : Delicta non videt vis amoris, & ideò pater peccata filij redimit osculo, clausit amplexu.Et infrà.Et date annulum in manu eius. Paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinũ restituat & honorem.Et date calciamenta in pedibus eius. Quam pauper redijt,qui ditatus abscessit?& de tota substantia calciamẽta in pedibus non reportat.Idem.Ibid.

Diony. Corpus quidam qui volebat peccatores quosdam à Deo puniri,vidit in visione Iesum dicentem sibi illos manu tenens. Iam percute aduersum me.Paratus sum enim iterum pro saluandis hominibus pati. Epist.8.

Clemen. Alexan. Vlcisci non desiderabit,qui pro ijs,qui nobis faciunt iniuriam, orare docuit.Pedag.lib.1.c.8.

Liberalis est,& magnificus qui(quod maximum est)suam nobis animam dedit:maximeq; est benignus, qui frater voluit esse, cum Dominus esset.Idem.c.9.

Climac⁹. Quoties pro peccatis nostris mœremus,& tristes sumus,præceptum Domini ad Petrum reuocare non desinamus. *Matt.* 18. Ignoscendi scilicet septuagies septies peccanti. Quod enim alteri mandauit, ipse profectò multò magis implebit.Gradu.26. de Discretione.

COLLE. ¶Quàm longo tempore,quot annis opus est,vt veniam ab homine,quem læseris,consequaris,& concessa venia,vix ille te vnquã æquis oculis aspicit.Iam verò maritus,si adulteræ vxori veniam concedat,vix vnquam illatam iniuriam ab animo deponit. At Deus ergà Dauidem adulterium homicidio cumulantem, vbi ex animo illum pœnituit,ita se erga illum, & posteros eius propter illum gessit,ac si nihil penitus admisisset. Quid iam de Manasse
4.Re. 21. dicam,qui sanguine Prophetarum Hierusalem repleuit vsque ad os?propter cuius impietatem Hierusalem euersa est? Cui Dominus non solum(vbi vere illum pœnituit)veniam,& libertatẽ contulit,sed etiam regnum,quod amiserat,donauit.Quid hac lenitate mirabilius?

Non modo huius mundi mirabile opificium diuinæ bonitatis velut speculum quoddam est,sed multò etiam magis ipsa lex,quę est à Deo lata.Quale enim illud pectus est, vndè hæc verba pro-

dierunt?

dierunt? Quod vni ex minimis his fratribus meis fecistis, mihi fecistis? Et illa, Hæc requies mea, reficite lassum, & hoc meum refrigerium? Rursumque illa. Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies? Quid enim clementius, quid benignius? Quid ipse misericordiarum pater faciet: qui mihi vt hoc facerem imperauit? *Matt.* 25. *Isai.* 28. *Matt.* 18.

Humanæ conditionis miseriam, Dauid allegat, vt misericordiã Dñi impetret, cùm ait, Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum, &c. Hac ratione Dominum clementer se cum hominibus agere declarat Eccles. 18. his verbis, Vidit præsumptionem cordis eorũ, quia mala est, & subuersionem illorum, quoniam nequã est: ideò adimpleuit propitiationem suam in illis, & ostendit eis viã æquitatis. Miseratio hominis ad proximum suum: misericordia autem Dei ad omnem carnem. *Psal.* 50. *Eccl.* 18.

Cùm semper & vbique grata sit hominibus misericordia Dei: tum illa gratissima est, quæ diu expectata ac desiderata venit. Vndè est illud Eccl. 35. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis. Ideò nõ mirum, si aliquando diu dominus differat precantium vota, vt sit eis eius misericordia gratior, materiamque illis vberioris lætitiæ tribuat. Talis enim illa fuit, de qua Psalmographus ait, Expectans expectaui Dominum, &c. Et immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro, id est, nouam mihi lætandi, & laudandi materiam, misericordia eius expectata tribuit. *Eccl.* 35. *Psal.* 39.

Misericordia Dei in hoc maximè elucet, quòd singularẽ quãdã humiliũ, pauperũ, & eorũ, qui tribulationibus premũtur, curam, & prouidẽtiã gerat. Id infinitis penè scripturæ locis significatur. Hinc enim illa verba Psal. 9. Et factus est Dñs refugiũ pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Itẽ, vidẽs vidi afflictionẽ populi mei, qui est in Ægypto, & gemitũ eorũ audiui, propter duritiã eorũ, qui præsunt operibus, &c. Exod. 3. Darius verò Rex apud Danielẽ in omnibus regni sui finibus prædicari mãdauit, vt colerent omnes Deũ Danielis, quod ipse esset liberator, ac Saluator: quodq; ipse liberasset Danielẽ de lacu Leonum. Idem etiã apud Esai. gloriatur dicẽs Deus iustus, & saluans, non est præter me. Cõuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ. Item. Psalm. 67. Deus noster Deus saluos faciẽdi, & Domini Domini exitus mortis, hoc *Psal.* 9. *Exod.* 3. *Daniel.* 6. *Isai.* 45. *Psal.* 67.

tis, hoc est, qui à faucibus mortis homines eripere solet.

Magnoperè Dei nostri bonitatem, & misericordiã cõmendat, quod tantam in scripturis sanctis pupillorũ, viduarum, aduenarũ, & pauperũ curã se habere testetur. Hinc & Deute. 24. quatuor
Deut. 24. in locis eiusdẽ capitis, pupillorũ, aduenarũ, & viduarũ curã cõmẽdat. Pretium verò mercenarij eadẽ die reddi iubet. Ne (inquit) clamet contrà te ad Dñm, & reputetur tibi in peccatum. Iam verò in scripturis Prophetarũ, quã acriter in eos inuehitur, qui pauperes & pupillos opprimunt, quã acerba illis supplicia cõminatur?

Quantò latius pateat misericordia Domini, quàm ira, declarãt
Psal. 29. illa Prophetæ verba: Quoniam ira in indignatione eius, &c. Quæ Hiero. ex Hebr. vertit hoc modo. Quoniam ad momentum est ira eius, & vita in repropitiatione eius. Quo significare videtur, iram Dei aduersus pios breuissimam existere: beneuolentiam vero esse diuturnam, nempè æqualem vitæ.

Psal. 67. Pro eo, quòd nos legimus, turbabũtur à facie eius patris orphanorum &c. Hiero. ex Hebr. vertit, Exultate coram eo patre orphanorum &c. Verè enim exultandũ, quòd talem Deum habeamus, qui hoc sibi præcipuè nomen vendicauit. Pater orphanorũ, & iudex viduarum. Vera enim magnitudo & iustitia: in supplicibus tuendis, & conseruandis, & à potentiorum iniuria liberandis, sita
Iob. 29. est. Vndè est illud Iob. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius excutiebam prædam. De bonitate, & benignitate Dei illi potissimum iudicare debent, qui eam in se frequenter experti sunt, eiusque sensum intra se perceperunt. De his namque scriptũ est.
Psal. 72. Quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde! Est enim Deus (vt August. ait) purgatæ mentis sapientia. Alias quippe palato nõ sano pœna est panis, &c. Hinc est, quòd hi præcipuè ad diuinæ bonitatis laudes inuitantur, qui beneficijs Dei eruditi, eius bonitatẽ, & misericordiam experti sunt, dicente Propheta. Confitemini
Psal. 117. Domino quoniam bonus quoniam in seculũ. m. e. Dicant qui redempti sunt, à Domino, quos redemit de manu inimici, &c. Isti ergo ad diuinas laudes prædicandas idonei sunt.

Si quis diligenter omnia Domini præcepta consideret, inueniet planè non minus illa ad hominis pacem & incolumitatem, quàm ad Dei gloriam pertinere. Sic enim diuina bonitas rerum ordinem instituit, vt gloriam suam cum nostra salute coniunxerit,

rit, quemadmodum eleganter Eucherius in epistola ad Valeria- *Euche.*
num probat. Quod cùm ita sit, dubitari meritò potest, cuius rei gratia Deo magis obstricti simus, an propter præmia, quæ cultoribus legum suarum constituit, an propter ipsas leges quas tulit. Vnde in Canticis, pro eo quod nos legimus surge, propera amica *Cant. 2.* mea, & veni. Alij ex Hebræo vertunt, Surgito tibi amica mea, & formosa mea, & ito tibi &c. Quod quanuis Hebrææ linguæ idiotismus sit, nihilominus tamen hoc verbo admonemur operá omnem, quam in diuinorum mandatorum obseruatione, ponimus, non in vllum Dei commodum (qui bonorum nostrorum non eget) sed in nostrum redundare. Quod si his adiungas, gratiæ ipsius munus esse, quòd eius præceptis obtemperemus, inuenies illum, cum merita nostra præmiat, conferre nobis gratiam pro gratia. Vndè est illud Augustini. 9. confessionum lib. Quisquis *August.* tibi enumerat vera merita sua, quid enumerat, nisi munera tua? Ioseph fratribus suis in Egyptum profectis, non modo frumentum, quod quærebant, dedit, sed pecuniam etiam qua frumentum emere debebant, in ore saccorum concludi iussit. Sic Dominus IESVS, verus secundum carnis susceptionem frater noster, & fœlicitatem ac saturitatem æternam, quam homines quærunt confert, & gratiam, item qua illam comparare debeant. Itaque adepta sempiterna pacis fœlicitate, cùm Prophe- *Esai. 26.* ta dicemus, Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra opinatus es in nobis.

Amor Dei erga nos.

PErsuadendum erat homini, quantùm nos dilexerit Deus & *August.* quales: quantum, ne desperemus: quales, ne superbiremus. Aug. de Trini.

Certè admonet membra sua, vt sursum corda habeant. Audiát ergo & faciant: leuent ad cœlum, quod male est in terra: ibi enim non putrescit cor, si eleuetur ad Deum. Frumentum si haberes in inferioribus, nè putresceret, leuares ad superiora. Frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere? stans in terra, in cœlo es, si diligas Deum. Non enim sic leuatur cor, quo modo corpus. Corpus vt leuetur, locum mutat,

cor

cor vt eleuetur, voluntatem mutat. Idem. Aug. sup. Psal. 85.

Chrysolo. Surgam, & ibo ad patrem meum. Iacebat, qui dixit, Surgam, intellexit lapsum, sensit ruinam, iacere se turpis luxuriæ respexit in *Luc. 15.* lubrico: & ideo exclamat, Surgam, & ibo ad patrem meum. Qua spe? qua fiducia? illa qua pater est. Ego perdidi, quod erat filij, ille, quod patris est, non amisit. Apud patrem non intercedit extraneus: intus est in patris pectore ipse, qui interuenit, & exorat affectus. Vrgentur patris viscera, iterum filium genitura per veniam. Ibo ad patrem reus: sed pater viso filio cooperit mox reatum, dissimulat iudicem, qui magis vult implere genitorem, & sentẽtiam citò vertit, in veniam, qui redire cupit filium, nõ perire. Chrysol. in serm. 2. de filio prodigo.

Diony. Christus à se auersos & resilientes amatorie sequitur: contenditque, & deprecatur, ne se deserant, quos tanta vi amoris exquirit. Quid quod venire differẽtes benignissime tolerat, promissionibus leuat, blanditijs demulcet? Diony. Epist. 8.

Audebimus & hoc pro veritate dicere, quod ipse quoq; Deus pro magnitudine amoris extra se sit prouidens creaturis, & amore mulcetur, & ex supremo suo statu ad hoc se demittit, vt inter *Exod. 20.* omnia sit: quare & zelotes dicitur, vt vehemens ad ea, quæ sunt amanda, prorsusque ipsius est, vt sit amabile, & amor. Idem. Ibidem.

Deus aliquando dicitur amor, aliquando amabilis: amabilis, quia sui ipsius & sibi ipsi prouocator est, & motor: amor autem, quia mouet, & prouehit ad se. Dion. de di. nom.

Dei beneficia.

August. GRatiæ tuæ deputo, & misericordiæ tuæ Domine, quod peccata mea, tanquàm glaciem soluisti: gratiæ tuę deputo, & quæcunque non feci mala. Aug. in confess.

Nemo est donis Dei beatus, qui donanti extiterit ingratus. Idẽ August. de viduit.

Omnia peccata sic habenda sunt, tanquàm dimittantur, à quibus Deus custodit, ne comittantur. Noli modicum diligere, quasi à quo modicum dimissum est, sed potius multum dilige, à quo tibi multum tributum est. Si enim diligit, cui donatũ est, ne redde-

ret: quantò magis debet diligere, cui donatum est vt haberet? Nam quisquis abinitio pudicus permanet, ab illo regitur: & quisquis ab impudico pudicus factus est, ab illo corrigitur: & quisquis vsque in finem impudicus est, ab illo deseritur. Hæc autem ille occulto iudicio facere potest, iniquo non potest, & fortasse ideò latet, vt plus timeatur, & minus superbiatur. Idem ad quandam Virginem.

Idem super illud, Repleatur os meum laude tota die &c. Quid est tota die? Sine intermisione. In prosperis, quia consolaris: in aduersis, quia corrigis. Antequàm essem, quia fecisti. Cùm essem quia salutē dedisti: cū peccassem, quia ignouisti: cùm conuersus essem, quia adiuuisti: cùm perseuerassem, quia coronasti: ita planè repleatur os meum laude, vt hymno dicam, gloriam tuam tota die. Idem Aug. *Psal. 70.*

Intellige illius esse totum, cuius cœlo tegeris, cuius terræ gremio sustineris, cuius aëre pasceris, & vitalis auræ participatione vegetaris, cuius luce ac famulo Sole perfrueris, cuius tibi dies ad iucunditatem, nox obsequitur ad quietem: qui post tanta seipsum tibi dedit, quando tam caro pretio te redemit: qui talia procurauit seruo, qualia parabit victa peccati labe, iam libero? qui tanta iacenti contulit, quanta conferet resurgenti? Eusebi. Emiss. hom. 1. de Symbolo. *Euseb. Emissen.*

Qui ideò colitur, vt misereatur, iam misertus est, vt coleretur. Ab eo ergo facti, atque reparati, nunc impensius exultemus in beneficijs suis: quia meliores sunt dies illi, quibus liberamur, quàm illi, quibus in vitæ huius pericula nascendo producimur. Et ideò legimus: quia melior est misericordia tua super vitas. Meliores enim sunt dies, quibus ad æternam vitam renascimur quàm illi, quibus in hæc tempora iam procreamur. Siquidem maiora sunt dona gratiæ, quàm naturæ. Idem hom. 8. de Pascha. *Psal. 62.*

Quanto maiora beneficia sunt hominibus constituta, tantò grauiora peccantibus iudicia. Idem sup. Matth.

Commoda quibus vtimur lucem qua fruimur, spiritum, quem ducimus, à Deo nobis dari, & impartiri videmus. Cicero pro Rosc. Amerino. *Cicero.*

Dei

Dei prouidentia.

Gregor. Iob.2. GRegor.super illud,Animam eius serua,sic ait.Electũ suum Dominus custodiendo deserit,& deserendo custodit: alia prodit,alia protegit: vt sic & seruus humilis proficiat, & hostis succumbat.Idem ergo in manu Dei est,& Diaboli. Grego. lib.:.cap.2.

Sic Deus intendit singulis,ac si vacet à cunctis: & sic omnibus simul intendit,ac si vacet à singulis.Grego.25.Mora.c.19.

Euseb. Emiss. Quantò persecutor in necem confitentis immanior,tãtò Deus in remuneratione perseuerãtis est ditior: qui nouit de impiorum criminibus merita augere iustorum. Sicut enim improbi malè vtuntur bonis Dei:ita Deus bene vtitur malis operibus iniquorũ. Bonum opus Dei est oculus: & tamen indignis concupiscentijs maculatur aspectus.Euseb.homil.4.de Epiphania.

Saluia. Contra eos,qui ex afflictione iustorum in hoc seculo prouidẽtiam Dei tollunt,sic Saluianus ait.Non possunt iusti falso iudicio esse miseri,qui sua conscientia sunt beati.Nemo enim alieno sensu miser est,sed suo.Graues enim,aut leues huius mundi casus animus tolerantis facit. Nam sicut nihil est tam leue, quod ei graue non sit,qui inuitus faciat:ita nihil est tam graue,quod non ei, qui id libenter exequitur,leue esse videatur, nisi fortè antiquis illis priscę virtutis viris,Fabijs,Fabricijs,Cincinnatis,&c. graue fuisse putamus,quod pauperes erant,qui diuites esse nolebant.Itẽ nulli beatiores sunt,quàm qui hoc sunt,quod volunt: volunt autem in hoc mundo Sancti viri afflictiones pati, vt cum Christo iugiter delectentur in gloria:ergo &c.Solent tamen esse nonnulli,qui turpia,atque obscœna sectantes,& si iuxta opinionem suã beati sint, quia quod volunt,adipiscuntur,re tamen ipsa beati nõ sunt, quia quod volunt,nolle debuerunt. Iusti verò hoc cunctis beatiores sunt,quia & habent,quod volunt, & quod volunt, velle meritò debuerũt.Quæres autem qua de causa Sancti viri,& infirmi sunt, & volunt esse?Quia nimirum si fortes fuerint, sancti esse vix possent.Earum enim rerum vsum respuunt,per quas alij fortes fiunt: Ob id certè,vt quoniam caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem,lęta exultet anima corpore effœto,quasi aduersario subiugato.Saluianus contra gentes.

Quam ob causam mala in hoc mundo Deus fieri permittat, nolo à me requiras: homo sum, non intelligo, secreta Dei inuestigare non valeo, & ideò etiam tentare formido: quia & hoc ipsum genus sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias, quàm sinaris. Sufficit tibi, quòd Deus, cuncta à se agi, atque dispensari testatur. Et sicut plus est Deus, quàm omnis humana ratio: sic mihi plus videri debet, quòd à Deo cuncta agi cognosco. Idem. Ibidem.

Non solum homines. Sed etiam apes, atque formicæ quascunque res faciunt, & antè quàm faciant, meditantur, & postquàm fecerint, non negligunt: sed diligentissimè curant, tractantq;. Quis ergò tam furiosus, vt cùm Dominum creatorem omnium non neget, gubernatorem neget? & cùm autorem esse fateatur, dicat negligere quæ fecit? Idem. Ibid.

Percussit Dominus populum pro errore vituli. Cùm omnis populus reus fuerit, cur non est in omnes missa damnatio? Quia. s. pius, & misericors Dominus partem percussit sententiæ suæ gladio, vt partem corrigeret exemplo, monstraretque omnibus & in coercendo censuram, & in indulgendo pietatem. Censura fuit, quod castigauit, pietas, quòd pepercit. Saluian. Ibidem. *Exod.*

Absurdum est, quod quidam dicunt, oportuisse nos etiam inuitos ad virtutem duci: nam prouidentia, vt cuiusque naturæ est seruatrix, ita prouidet omnibus, & singulis, vt ipsorum natura capit: & pro modo cuiusque prouidentissimas bonitates impartit. Diony. de di. no. cap. 4. *Diony.*

Quod Deus odit, existere non vult. Ea ergò quæ sunt, diligit. Diligit igitur hominem. Quod autem amat aliquis, ei vult prodesse. Deus igitur prodest: imo quia bonus est, ideo prodest. Bonum enim nihil aliud facit, nisi id, quod prodest: Non est autem aliud sua sponte prodesse, quam esse de homine solicitum. Deus ergo hominis curam gerit, & de eo solicitus est. Pedag. lib. 1. c. 8. *Clemens Alexan.*

Siluescit vitis, nisi putetur, ita & homo: eorum autem, qui peccant increpatio, habet scopum salutem, Deo se concinnè applicãte pro cuiusque moribus. Ibidem.

Omnibus viribus diuinum verbum vtens, omnibus sapientiæ machinis conseruare homines aggressus est: admonens, increpãs, minans, sanans, promittens, multis frænis appetitiones nostras alligans. Ibidem. c. 9.

Exod.8. Dic Pharaoni, vt dimittat: ego ſcio, quod non dimittet. Vtrunque apertè oſtendit: & præſciuiſſe futurum, & eius benignitate libero animi arbitrio largiri occaſionem pœnitentiæ. Ibidem. c. 9.

Hoc eſt maximum, & maximè regium Dei opus, humanam ſeruare naturam. Ibidem. c. 12.

Cicero. Sit hoc à principio perſuaſum hominibus, dominos eſſe ac moderatores Deos: eaque quæ gerantur, eorum geri ditione, atque numine, eoſque optimè de genere hominum mereri: & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate, colat religionem intueri, piorumque, & impiorum habere rationem. Cice. 2. de leg.

Deorum prouidentia mundus adminiſtratur ijdemque conſulunt rebus humanis: nec ſolùm vniuerſis, verum etiam ſingulis, de Diuina.

Nihil in ſimplici genere omni ex parte perfectum atque beatũ natura expoliuit, tanquam cæteris non ſit habitura, quod largiatur, ſi vni omnia conceſſerit. Idem de Inuent.

Melius accurantur quæ conſilio geruntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. Domus ea quæ ratione regitur omnibus inſtructior eſt rebus, & apparatior, quàm ea quæ temerè & nullo conſilio adminiſtratur. Exercitus is, cui præpoſitus eſt ſapiens, & callidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is qui ſtultitia & temeritate alicuius adminiſtratur. Eadem nauigij ratio eſt. Nam nauis optimè curſum conficit ea, quæ ſcientiſſimo gubernatore vtitur. Nihil autem omnium rerum melius quã mundum adminiſtratur. Nam & ſignorum ortus, & obitus definitum quendam ordinem ſeruant, & annuæ commutationes, non modo quadam ex neceſſitate ſemper eodem modo fiunt: verùm ad vtilitates quoque rerum omnium ſunt accommodatæ, & diurnæ nocturnæque viciſſitudines, nulla in re vnquàm mutatę, quicquam nocuerunt. Quæ ſigno ſunt omnia, non mediocri quodam conſilio naturam mundi adminiſtrari. Quòd ſi melius geruntur ea, quæ conſilio, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur: nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus adminiſtratur: conſilio igitur mundus adminiſtratur. Cicer. libro. 1. de Inuentio.

Neq; bono quicquã mali euenire poteſt, nec viuo, nec mortuo: neque

neque vnquam eius res à Dijs immortalibus negligentur. Idem 5. Tuscul.

Vt nec domus nec Respublica ratione quadam & disciplina designata videtur, si in ea nec rectè factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis: sic diuina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum & malorum. Idem. 3. de Nat. Deor.

¶ Cur tot tantisque miserijs etiam pòst baptismi lauacrum, & regenerationem Deus homines agitari permisit? Nimirum, quia hoc ad eius gloriam illustrandam maximè pertinebat. Quemadmodum enim prudentis medici peritia ibi maximè declaratur, vbi varijs morbis homines infestantur, ita miseriarum, & peccatorum multitudo clementissimi Dei nostri misericordiam, liberalitatem, longanimitatem, & patientiam maxime declarat. Cuius rei gratia Apostolus ait, iustitiam Dei iniquitate nostra commendari, & veritatem eius in mendacio nostro ad ipsius gloriam abūdare. Beata Elisabeth Regis Panoniæ filia Xenodochium instituit, in quo ipsa saniosis etiam vlceribus propria manu seruiebat, & medicamenta vlceribus admouebat. Sicut igitur ægrotantium cura insignem huius sanctæ fœminæ pietatem declarauit, quæ sine illis occulta foret: ita totus hic mundus peccatis, & ærumnis plenus, velut amplum quoddam vlcerosorum hominum Xenodochium est, quod immensam Dei nostri bonitatem, misericordiam, prouidentiam, atque patientiam prædicat. Propter quod terram omnem misericordia Dei esse plenam Propheta confitetur. Vides igitur omnia mundi mala diuinæ gloriæ illustrandæ, ac patefaciendæ militare? Quia verò omnia ad Dei gloriam declarandam condita sunt: ideò optime eo modo instituta sunt, quo ad eius gloriam illustrandam maximè deseruiunt: cùm vnaquæque res ex fine suo æstimanda sit. Nec calamitates solum, sed ipsa etiá peccata diuinæ gloriæ prædicandæ seruiunt, dum & peccatores misericorditer ad pœnitentiam expectat, & perseuerantes in sceleribus suis punit. Cum enim solus homo inter cætera animantia sponte sua aduersus communem Dominum delinquat, & iustitiæ leges violet, & societatis humanæ iura dissoluat iustum est vt solus ipse sentiat pœnas, qui solus culpas admittere non veretur.

COLLE.

Psal. 32.

Nonnulla sunt quæ in specie aduersus diuinam prouidentiam
Psal. 72. pugnare videntur, quale est illud, ex Psal. Mei autem pene moti sunt pedes.p.e.s.g.m.quia zelaui super iniquos &c. Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias,&c. Et il-
Hier. 12. lud Hiere. Quare via impiorum prosperatur? &c. Et illud quod
Malac. 3. improbi apud Malach. dicunt. Vanus est qui seruit Deo &c. vi-
Abac. 1. de locum. Et illud item ex Abachuch, Quare taces impio conculcante iustiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, & quasi volatilia non habentia ducem. Est enim admiratione dignum, quòd cum ad diuinæ prouidentiæ curam spectet, res omnes in fines suos dirigere, innumeræ tamē in orbe nationes sunt, quas Dominus in tetris infidelitatis tenebris tot annos sine vlla veræ religionis notitia vitam agere permittit. Qua de causa multi de vera religione & diuina prouidentia dubitant: In quo crimine sunt homines, quos modo vulgus Atheistas, hoc est, sine Deo, vocat. Aduersus autem hanc perfidiam omnia Prophetarum vaticinia de Christo militant: quæ quidem multo ante prædicta, tamen impleta videmus. Item variæ terrarum vastationes, quas Prophetæ perdixerunt, vt Babylonis, Niniue, Tyri, Ægypti, & multæ aliæ: quas sub oneris nomine Esaias prædicit. Adde quod in nonnullis numerus etiam annorum subputa-
Esai. 7. tur, vt cum Esai. ait. Et adhuc sexaginta quinque anni sunt, &
Genes. 15. Effrain non erit populus. Et afflictioni filiorum Israel in Ægypto, assignatur Dominus quadringentos annos. Et vastationi sanctæ ciuitatis & sanctuarij, designantur anni hebdomadarum
Dan. 9. Danielis, hoc est. 490. anni. quo tempore ciuitas vastata est. Cum igitur prouidentiæ opus sit, punire impios, & hoc adeò aperte nobis constet, cùm videamus impleta ea quæ à Prophetis prædicta sunt, & eo ipso tépore quo prædicta fuere, nemo, nec infidelis quidē, qui hoc animaduerterit, prouidétiam negare merito poterit, cū futurorum prædictio solius Dei opus sit. Hoc igitur mihi certo certius constat: Cur autē Deus tot barbaras nationes infidelitatis tenebris obrui patiatur, nō est meū diiudicare,
Rom. 11. sed cum Apostolo clamare, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, &c.

Miraris Deum omnia in omnibus operari, & vltimos rerum effectus immediatè per se contingere, cum tàm multiplices

causæ

causæ mediæ intercedant: desines tamen mirari, si consideres omnia latissimæ arboris folia vsque ad extremum eius ramusculum (qui per tot interualla à radice distat) virtutem tamen, & pulchritudinem, ac fœcunditatem ab ea tot ramis interuenientibus trahere. Ad hunc ergo modum omnes piorum omnium gemitus, omnes pietatis affectus, & sancta desideria, à diuina gratia prouenire cognosce, & pro eis semper gratias age, propheticum illum more in ore semper habens, Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. *Esai. 26.*

Quid miramur Deum vbique locorum adesse præsentem, & per omnes rerum naturas cómeantem, & omnia prouidentem, cum videamus solis radios, atque virtutem omnia, quæ in cœlo, terra marique sunt, vsque ad intimos terræ sinus penetrare: nihilque in hac tanta rerum vniuersitate esse, quò non virtus eius pertingat: Si ergo tam latè patet finita virtus creaturæ, quid de infinita, & immensa illa natura iudicandum est?

Pondus, & statera iudicia Domini, & opera eius, omnes lapides sacculi. Hoc est ea etiam, quæ humano iudicio temerè fieri videntur, non temere, sed summa ratione & consilio fiunt. *Prou. 11.* Sic sagittam illam in incertum iactam, quæ casu percussisse dicitur regem Israel, inter pulmonem & stomachum, non casu, sed voluntate, & consilio Dei præcedente missam fuisse Micheæ visio satis declarat. *3. Reg. 22.*

Lege totum hoc caput: in eo quippe mira ratione atque figura declaratur, omnia quæ in hoc mundo casu fieri iudicio nostro videntur, non casu, sed Dei consilio & prouidentia geri. Eandem etiam prouidentiam designant illa Prophetæ verba, Inclinauit cœlos & descendit. Verbo enim, Descendi, inferarum rerum curam & prouidentiam ostendit. Idem etiam insinuant quæ sequuntur. Et ascendit super Cherubin, & volauit, volauit super pennas ventorum. *Psal. 17.* Quæ verba incredibilem diuinæ mentis pernicitatem indicant: hoc est, vim omnia penetrantem, vim vbique præsentem, & omnia cœlo, terra, marique perlustrantem, atque regentem.

Diuina sapientia nec omnia scelera, quæ in hoc mundo fiunt, punit, nec omnia rursus impunita relinquit. Si enim nulla puniret,

nullam esse hominis prouidentiam crederent, si vero in omnia animaduerteret, nihil post hanc vitam vel præmij, vel supplicij superesse crederent. Nunc autem dum quædam punit, prouidentiam suam ostendit, dum verò quædam impunita relinquit, ad futuræ vitæ supplicia se ea reseruare demonstrat. Eodem consilio pios homines aliquando ab instantibus periculis eripit, aliquando impiorum furori vexandos, & coronandos maiori indulgentia permittit. Sic enim tres pueros ab incendio Babylonis eripuit. Septem verò fratres Machabæos crudelissimè ab Antiocho excarnificari sustinuit. Propter illud Apostolus ait. Sancti per fidem vicerunt regna, &c. quæ sequuntur. Propter hoc autem subdit, Alij distenti sunt non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem.

Hebr. 11.

De prouidentia Dei & improborum prosperitate (quæ prouidentiam tollere quibusdam visa est) latè differitur. Psal. 72. cuius initium est, Quàm bonus Israel Deus! Ait enim. Mei autem penè moti sunt pedes, &c. Et infrà, Et dixerunt, Quomodo scit Deus? & si est scientia in excelso? Eccè ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias &c. Cui simile est illud Hieremiæ, Iustus quidem tu es Domine si disputem tecum, verùmtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur &c? Quibus tamen idem Propheta respondet, dum fragilitatem, breuitatem, superbiam, celeremque finem mundanæ gloriæ describit. Ait namque, In labore hominũ nõ sunt &c. Sequitur deinde, Ideo tenuit eos superbia, &c. quæ sequuntur. Pauloque inferius, in nouissima eorũ oculos conijciens ait, Verùmtamẽ propter dolos posuisti eis &c. Quæ omnia Hieron. sic vertit ex Heb. Verùmtamen in lubrico posuisti eos, deiecisti eos ad interitum. Quomodò vastati sunt? subito defecerunt, consumpti sunt, quasi non sint, quasi somnium euigilantis, Domine in ciuitate tua imagines eorum ad nihilum rediges. Imaginem appellat dignitatem, memoriam, & nominis claritatem: quibus rebus isti innitebantur, cùm tamen eæ res nihil aliud essent, nisi vmbra quædam, & imago vana. Sic enim alibi dixit, Verùmtamen in imagine pertransit homo, idest, velut vmbra quædam & inanis imago vita transit. Et Apostolus. Præterit, inquit, figura huius mundi.

Psal. 72. *Hiere.* 12. *Psal.* 72. *Psal.* 38. *Ad cor.* 7

Frustra homines Deo reluctante ad opes, dignitatem & gloriã niti,

niti, canit ille Psalmus, Nisi Dominus ædificauerit domum &c. sic & ille, Quia nec ab Oriente, nec ab Occidente, nec à desertis montibus (hoc est à meridie. Subaudiendum autem est, venit exaltatio) quoniam Deus iudex est: hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini &c. Sensus est, Deum esse qui opes & potentiam &c. pro voto suo hominibus impertiatur. Quocirca frustra quæritur in terris dignitas & potentia: quarum rerum dispensatio pertinet ad solum Deum, qui æquissimus iudex est, & vnicuique vel pœnas, vel præmia constituit, pro eo ac quisque se gerit. Hoc est enim quod ait, calicem in manu Domini inclinari, modo in hanc partem, modo in illam. *Psal. 126.* *Psal. 74.*

Qualis sit quam Deus gerit piorum, atque impiorum prouidentia breuiter exponit. 1. Psalm. his verbis, de viro namque pio ait, Et erit tanquàm lignum, quod plantatum est, &c. quæ sequuntur: & folium eius non defluet. Cui simile est & illud, Capilli capitis vestri omnes. n. s. Item illud Hierem. Benedictus vir, qui sperat in Domino, & erit Dominus fiducia eius: Et erit tanquam lignum, &c. Contra verò, de impijs dicitur, Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proijcit ventus. Eos quippè Deus pro eo, ac eorum impietas meretur cupiditatum suarum, atque fluctuantis seculi libidini voluendos, atque versandos permittit. Ea enim mensura illos metitur, quam ipse per Oseam significat. Oblita es Dei tui: obliuiscar & ego filiorum tuorum. Item, Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, &c. Et ego prouocabo eos, in eo, qui non est populus. Hoc est, sicut ipsi alium Deum, me neglecto coluerunt: ita, ego neglectis ipsis, alieni populi fœlicitate torquebo eos, vt videlicet se cæteris nationibus inferiores videant, & videndo contabescant, &c. Hinc & illud Zachar. 11. Non pascam vos: quod moritur, moriatur: & quod occiditur, occidatur: &c. Ad hoc verò significandum Oseæ præcipitur, vt natum sibi filium appellet, Non populus meus vos. Itaque nihil mirum, si impijs grauissima & corporis, & animæ incommoda contingant: & repentina morte, vel vi, vel morbo, vel casu aliquo de medio tollantur. Quàm multos enim quotidiè in rixa ferro transuerberatos, subitò occubuisse, & mox vitam cum morte commutasse videmus? *Psal. 1.* *Matt. 10.* *Hiere. 17.* *Osea. 4.* *Zach. 11.*

Familiare est impijs quò liberius, & iucundius peccent, diui-
Ezech. 8. nam prouidentiam impugnare. Dicunt enim apud Ezechielem,
Psal. 72. Non videt Dominus, & dereliquit Dominus terram. Item, Et di
xerunt, Quomodo scit Deus? & si est scientia in excelso? Et ite-
rum, Dixit enim in corde suo (scilicet impius) oblitus est Deus:
Psal. 9. auertit faciem suam ne. v. i. Et infra. Propter quid irritauit im-
pius Deum? dixit enim in corde suo, non requiret. Non enim
audent impij hoc ore proferre: quod gentes etiam immanes con
fitētur: sed prauitate vitæ hoc testātur: hoc est, sic se in vita gerūt,
ac si nullam esse prouidentiam, nullumque bonorum, & malo-
Hiere. 4. rum delectum crederent. Vndè est illud Hierem. Vsquequo
lugebit terra, &c. quoniam dixerunt, Non videbit nouißsima no-
Psal. 93. stra. Item Psalm. 93. Et dixerunt, non videbit Dominus, nec
intelliget Deus Iacob. Intelligite insipientes in populo, &c. quæ
sequuntur.

Psal. 76. Pro eo, quod nos legimus, Quis sicut Deus noster, qui &c. &
humilia respicit in cœlo, & in terra. Alius vertit. Quis sicut Deus
noster: qui in altis habitat, & demittit se, vt omnia respiciat in
Luc. 12. cœlo, & in terra. Cui cohæret illa Saluatoris sententia, Nonnè
quinque passeres veneunt dipondio? &c. Est ergo sensus, Quan-
uis maiestas Dei res omnes in immensum excellat, nihil est ta-
men in vniuerso tam paruum, & humile, quò se non demit-
tat prouidentia eius. Quod cùm ita sit, vitam sic colere debe-
mus, tanquam ille nostris cogitationibus, verbis, & actionibus
intersit.

Sæpe res magni momenti Dominus ex fortuitis quibusdam,
& accidentarijs occasionibus ortum ducere vult. Quid enim (si
humano more loquamur) magis fortuitum esse potuit, quàm
Gene. 27. quod Rebecca Iacob, filio ait, Audiui patrem tuum loquentem
cùm Esau fratre tuo, & dicentem ei, Affer mihi de venatione
tua, &c. Casu enim quodam hoc audire potuit: vndè tamen præ-
latio Iacob, & summa illa benedictio (per quam vniuersæ cog-
nationes terræ benedicendæ erant) orta fuit. Rachel verò pro-
pter sublatas mandragoras noctem viri, sorori Liæ tradidit: in
qua dedit Dominus illi conceptum, peperitque Isachar: ex quo
duodecim millia electorum signata in Apoc. leguntur: qui modo
diuinæ pulchritudinis visione sine fine fruuntur.

Qualem

Qualem Dominus Ecclesiæ suæ prouidentiam gerat, ducatus ille, qui Numer.9. latè describitur (quomodo Dominus in colum- *Nume.9.* na ignis & nubis populum suum ad promissam terram pergentem, antecedebat) miro modo declarat. Illa enim columna, & tempus ingrediendi, & quiescendi: & iter, per quod ingredi, & locum, in quo castra metari deberent, apertissimè ostendebat. Itaque nihil erat, cur in his omnibus soliciti essent, cum pro eis Dominus solicitus esset: Nihil item quod eos angeret, si vel diutius in eodem loco persisterent, seu velocius properarent: quanuis enim tarditatis, aut velocitatis causas ignorarent, certò tamen se errare non posse credebant, cum ductorem haberent Deum: cuius occulta quidem decreta atque iudicia, nunquàm tamen aut fallacia, aut iniusta sunt. Cùm ergo non minorem nunc Dominus Ecclesiæ suæ, quàm tunc synagogæ, prouidentiam gerat, (quandoquidem à nobis abiens dixit, Ecce ego vo- *Matt.28.* biscum sum omnibus diebus us.a.con.s.) certum est omnia, quæ in Ecclesia fiunt, aut contingunt, ad electorum salutem aut dispo nente, aut permittente Deo prouenire. Notum Domino à seculo est opus suum. Quare nemo, aut angi, aut diuinæ misericordiæ diffidere debet, cùm varias Ecclesiæ calamitates videt. Non enim abiecit curam nostri Dominus, nec dormit, qui custodit Israel: quanuis interdum dormire nobis videatur.

De diuina prouidentia extat insignis locus Origenis in lib. Numer. in quo late exponit, quomodo Deus ex malis bona elicere soleat. Eius hæc verba sunt, Nos interim dicimus dispensatione quadam, & sapientia Dei ita omnia in hoc mundo esse disposita, vt nihil prorsus otiosum sit apud Deum, etiam si malum illud sit. Sed hoc planius explicemus. Malitiam Deus non fecit, tamen cùm ab illis inuentam possit prohibere, non prohibet, sed cùm ipsis, à quibus habetur, vtitur ea ad necessarias causas. Per eos enim, in quibus est malitia, claros, & probatos efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Nam si perimeretur malitia, non esset vtique, qui contrairet virtutibus. Virtus autem, si nihil haberet contrarium, non clarescerer, nec splēdidior & examinatior fieret. Non probata autem nec examinata virtus, nec virtus est. Sed hæc si dicantur sine diuinorum verborum testimo pijs, exquisita magis, & humana arte composita, quàm vera

& indubitata videbuntur. Requiramus ergo an huiusmodi sensus diuina volumina contineant. Veniamus ad Ioseph. Tolle malitiam fratrum eius, tolle inuidiam, tolle omne parricidale commentum, quo sæuierunt in fratrem, quousque venderent eum. Si hæc auferas, vide quantam simul peremeris dispensationem Dei. Simul enim abstuleris cuncta illa, quæ apud Ægyptum per Ioseph pro salute omnium gesta sunt. Non fuisset interpretatio somnij Pharaonis, nemo frumenta congregasset in Ægypto, nemo necessitatem famis sapienti prouisione curasset, perijsset Ægyptus, perijssent & finitimæ regiones fame, interijsset etiam ipse Israel, & semen eius quærens panem. Quod si etiam noui testamenti cupis hæc testimonijs confirmari, si auferas malitiam Iudæ, abstuleris pariter crucem Christi, & passionem eius, &c. quæ sequuntur vsque ad resurrectionem Christi. Item, nisi essent Dæmones, non esset certamen, neque victoria, neque corona. Si non fuissent tyranni, neque Christi martyres extitissent. Ex quibus omnibus liquet, Deum nō solùm bonis, sed etiam malis ad bonum vti solere. Et hoc verè mirabile est, quòd vasa contumeliæ Deo ad bonum opus deseruiant. In magna enim huius mundi domo non sunt tantummodo vasa aurea, &c. Sic etiam in vrbibus abiectissimi homines ad obeunda quædam deterrima, & purgandas sordes deputantur: sine quorum ministerio sordida ciuitas esset. Hæc omnia Orig. vbi sup.

Diuinæ prouidentiæ modus est, vt paulatim, & per incrementa temporum res ad destinatos fines perducat. Sic enim Dauidem ad regni fastigium extulit, quem mille modis primùm vexari passus est: Deinde eo in Hebron regnante, longa inter domum eius, & Saulis fit concertatio. Dauide indies proficiente, & Saulis domo deficiente. Hoc etiam modo Ecclesiam & Christi regnum (cuius hoc typum gerebat) paulatim dilatauit, & auxit. Eadem etiam prouidentia non modo rectè factis, sed peccatis etiam hominum ad ea, quæ destinauit, vti solet. Sic indiscreta obiurgatione Isboseth, & stupro Abner vsus est, vt quod promiserat Dauidi regnum, traderet. Latronum quoque crudeli parricidio vsus est, qui Isboseth occiderunt, ad eius regnum euertendum, & Dauidis stabiliendum.

Dei

Dei prouidentia specialis erga pios.

CVM omnia sanctarum scripturarum volumina spem nostram & dilectionẽ in Deum vehementer accendāt, magnumque nobis in calamitate positis solatium præstent, tum ea qua pijs hominibus non ad futuram vitam modo, sed ad præsentem etiam promittuntur, hoc ipsum maxime efficiunt. Quocirca boni consulet pius lector quòd longiores paulò in hac parte fuerimus: varia scripturarum loca, & diuina & promissa congerentes, quæ nobis velut obsides quidam diuinæ miserationis & protectionis sint. COLLE.

Deus noster Deus saluos faciendi &c. Et, Deus iustus, & saluans non est præter me. Et in Epistola Hieremiæ insultat aliarum nationum Dijs, quòd hominem à morte non liberent, neque infirmum à potentiori eripiant, neque viduæ misereantur, neque orphanis benefaciant. Denique appellatur Deus salutarium nostrorum: qui videlicet non vnam, sed multiplices nobis salutes largitur. Ex quo apparet ad illum nobis in omni pressura confugiendum esse. Si enim suppellectili aliqua indigentes, ad eius rei artifices pergere solemus: quid aliud cum salutis egentes simus, facere debemus, quàm ad eum confugere, qui salutis autor & velut artifex est? *Psal. 67.*

Paternam curam, & prouidentiam Dei erga seruos suos testantur illa Domini verba, Non vocaberis vltrà derelicta, neque terra tua vocabitur amplius desolata, sed vocaberis, voluntas mea in ea, &c. Hoc est, quod alibi dixit, Vt sit ibi anima mea, & cor meum cunctis diebus. Et in Canti. Vinea mea coram me est. Et, En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestram, prospiciens per cancellos. Et, Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, &c. Et, Hæc dicit qui habet septem stellas in dextera sua, & ambulat in medio septem cādelabrorum aureorum. Denique hoc est, quod ait, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. v. a. c. s. *Isai. 62.* *Cant. 8.* *Cant. 2.* *Cant. 6.* *Matt. 28.*

Specialis cura, & prouidentia Dei, cum ex multis alijs, tùm præcipuè ex patris nomine (quod in euangelicis, & propheticis etiam literis frequentissimum est) facile colligitur. Sic enim apud

Isai. 64. Esaiam legimus, Et nunc Domine, pater noster es tu, & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos. Quam quidem dignitatem vnigenitus Dei filius nobis contulit, & promeruit: de quo scriptũ *Ioan. 1.* est, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Patris autem opera sunt, filium diligere, monere, castigare, necessaria illi prouidere, languentem curare, dubitanti consulere, ab hostibus defendere, & hæreditatem suam illi relinquere. Hæc igitur omnia cœlestis ille pater, ijs cumulatissimè præstat, quos in filios adoptauit. Non enim nomine tenus, sed beneuolentia, & prouidentia, sic omnes carnis patres superat, vt eius filius di *Matt. 23.* cat, Patrem nolite vocare super terram: vnus enim Pater vester est &c. Quid igitur hoc patrimonio dignius, quid pretiosius?

Ioan. 14. Non turbetur cor vestrum, nec formidet. Quare? Quia vado, & venio ad vos, quia non vos relinquam orphanos. Ex hac igitur paterna Dei cura & prouidentia sequitur admiranda ista securi- *Psal. 26.* tas, qua fultus Propheta dicebat, Dominus illuminatio mea, &c. *Psal. 45.* Et, Deus noster, refugium, & virtus, &c. Et, Tu autem Domine *Psal. 3.* susceptor meus es, &c. ideò non timebo millia populi circundan- *Psal. 3.* tis me. Ex hac verò securitate pax illa consequitur. De qua paulo ante idem Dominus dixerat, Pacem relinquo vobis, pacem meã *Ioan. 14.* do vobis, Non quomodo mundus dat. e. d. v. Est enim hæc pax, quæ exuperat omnem sensum.

Mirè describit Eccl. 34. paternam Dei curam & prouidentiam *Eccl. 34.* erga pios omnes. Ad quem (inquit) respicit? & quis est fortitudo eius? Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, vmbraculum meridianum deprecatio offensionis, adiutorium casus, exaltans animam, illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. Quid his quæso maius, quid diuinius? fœlices, qui sub tali vmbraculo ac tutella degunt. Quid enim illis vel nocere, vel deesse poterit?

Psal. 56. Pro eo, quod nos legimus, Anima mea in medio catulorum Leonum dormiui conturbatus. Hierony. ex Hebr. vertit, Anima mea in medio Leonum dormiuit ferocientium. Hoc præstitit ad verbum Daniel. Sed in spiritu tamen hoc ipsum præstant viri sancti, qui inter Dæmonum & cupiditatum assultus positi, in pace dormiunt, & requiescunt: illius ope freti, qui ait, Cùm transie-

ris

ris per aquas tecum ero, & flumina non operient te; in igne non
combureris.

Qualis sit paterna cura & prouidentia, quam Deus gerit electo
rum suorum, quamque præclara, & multa bona sint, quæ illis in
hoc etiam exilio positis largiatur, omnes ferè sacrarum literarum
paginæ prædicant. Hoc autem argumentum latè tractatur in Psal
mo, Noli emulari, &c. Et, Benedicam Dominum in omni tem- *Psal.36.*
pore, &c. vt paulo post indicabimus. Item in Psalmo. Qui habi- *Psal.90.*
tat in adiutorio, &c. Et, Leuaui oculos meos in montes, &c. Iam *Psal.120.*
verò totus ille Psalmus, Dominus regit me, Quot verba, tot ha- *Psal.22.*
bet diuinæ miserationis promissa pijs hominibus exhibenda: quē
quoniam in enarratione eius Euangelij (cuius initium est, Ego *Ioan.10.*
sum pastor bonus) explanauimus hoc in loco supersedebimus.
Huc pertinet & illud, Pater meus, & mater mea dereliquerunt *Psal.26.*
me, Dominus autem assumpsit me. Cui simile est & illud Esaiæ. *Isai. 49.*
Quæ mulier obliuisci potest infantem suum, vt non misereatur
filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar
tui. Ecce enim in manibus meis descripsi te. Quibus verbis quid
dulcius? quid amantius? quid mirabilius? Quamobrem meri- *Matt.23.*
tò Dominus ait, Patrem nolite vocare super terram, &c. Huc ac- *Psal.33.*
cedit & illud, Immittit Angelus Domini in circuitu timentium
eum. Pro quo D. Hieronymus ex Hæbræo vertit. Circundat
Angelus Domini in gyro timentes eum. Alij autem vertunt, Ca-
strametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum. Quod *4.Reg.6.*
ita esse Helisæus trepidanti puero suo apertissimè ostendit, cùm
ab exercitu Syriæ domus eius obsideretur. Quid ergo mirum,
si Ecclesia fortis esse dicitur, vt castrorum acies ordinata? Hinc
& illud. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Hæc
autem fortitudo ex præsentia Dei animam inhabitantis manat:
de qua Psalmus, Me (inquit) propter innocentiam suscepisti, &c. *Psal 40.*
Pro quo Hieronymus ex Hæbræo vertit. Ego autem in simpli-
citate mea adiutus sum à te, & statues me antè faciem tuam in per
petuum. Hoc est autem, quod Solomon in oratione sua petebat,
vt essent oculi Dei intenti super domū illam die, ac nocte. Quid
ergo fœlicius, quàm tales supra se oculos vigilantes habere? His *Leuit. 26.*
enim oculis aspici, beari est. Vndè est illud; Respiciam vos &
crescere faciam.

Quod Dominus singularem piorum prouidentiam in eorum
Psal. 26. tribulatione gerat, declarant illa verba Psalmi. 26. Abscondit me in tabernaculo suo in die malorum, protexit me in abscondito
Psal. 30. tabernaculi sui: in petra exaltauit me. Item illa, Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Benedictus Dominus, qui mirabilem fecit misericordiam suam mihi in ciuitate munita: Hoc est, perinde salutem meam tutatus est, ac si mœnibus, & firmissimo præsidio septus essem. Denique huius rei gratia pios homines Asaph. Psalmo. 81. absconditos appellat. Pro
Psal. 82. eo enim, quod nos legimus, Cogitauerũt aduersus sanctos tuos, alij ex Hebræo vertunt, Cogitauerũt aduersus absconditos tuos. Vnde interpres quidam super hoc versu, Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, sic ait: Hac elegantissima allegoria exprimit vir sanctus, quantæ curæ sit Deo piorum salus, quamque securi, & ab omni periculo tuti sint, quicunque se, ac sua omnia tutelæ ac misericordiæ ipsius cõmiserunt. Est autem sumpta hæc orationis exornatio ex similitudine regis, qui eum, quem securissimum velit esse, ab impetu & insidijs inimicorum in suum cubiculum recipiat: vt non solùm parietes regij, sed etiam oculi regis salutem ipsius custodiant. Qua quidem tutela nihil securius, aut amantius excogitari potest. Hinc sæpè videmus homines pios nulla vi, aut vexatione improborum, à rectitudine mentis suæ depelli posse.

Eo vsque paterna cura & prouidentia Dei erga suos pertingit, vt non modò orantes exaudiat, sed illud etiam impleat,
Isai. 65. quod ipse per Esaiam pollicetur, Et erit, antequam clament, exaudiam: adhuc illis loquentibus audiam. Huc pertinet & illud,
Psal. 58. Deus meus, misericordia eius præueniet me. Quod quidèm non ad solam exauditionem, sed ad multorum periculorum salutarem
Luc. 22. præuentionem referendum est: Quale est illud, Symon, eccè Sathanas expetiuit vos. v. c. s. t. ego autem rogaui pro te, vt non d. f. t.

Psal. 67. Pro eo, quod nos legimus, Si dormiatis inter medios cleros, alius vertit, Si dormiatis inter ollas, pennæ columbæ, &c. Quem versum sic interpretatur. Sæpè iam diximus, linguam Hæbræam admodum concisam esse, & orationibus imperfectis abundare:

cuiusmodi

cuiusmodi est versiculus iste, qui hanc sententiam continet. Si tã atri, & sordidi sitis, quàm ij, qui iacent inter ollas fuliginosas, polliceor tamen, vos in posterum fore tam nitidos, & cãdidos, vt alis columbæ argenteis, & instar auri fulgentibus vos comparare possitis, idest, Sic habetote, vos deposito luctu, & mœrore omni, post hac lętos, & fortunatos fore: Vt enim color ater luctum, & calamitatem: sic albus lætitiam, & res secundas significat. His igitur verbis certissimam Domini opem pijs hominibus in maxima calamitate positis, pollicetur. Quod cùm pius quisque sibi persuasum habeat, pertinacissimè Dei auxilium in tribulatione sperat, clamans cùm Beato Iob, Etiam si occiderit me, sperabo in eum. Item Psalm. 70. Ego autem semper sperabo, & adijciam super omnem laudem tuam. Huius autem spei officium simul & fructum ostendit idem Vates, cum ait, In terra deserta inuia, & inaquosa, sicut in sancto, siue sanctuario apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Itaque vir sanctus sic se Deo in inculta illa solitudine præsentem exhibebat, ac si in templo, & in sanctuario eius esset. Ibique virtutem, & gloriam, hoc est, potentiam, & misericordiam Dei contemplabatur, qui exulem, profugum, & rerum omnium egentem, cœlestibus donis ita reficiebat, ac si rerum omnium compos esset: quod quidem indicat, cùm subdit, Quoniam melior est misericordia tua super vitas: hoc est super omnes huius vitæ opes, & facultates.

Iob. 13.
Psal. 70.
Psal. 62.

Quàm pia illa Dei nostri prouidentia, quam Propheta designauit in toto Psalmo. 90. Scapulis (inquit) suis obumbrabit tibi, & s. p. e. sp. Ciconiæ (quæ mira charitate pullos suos prosequuntur) Sole feruente, protensis alis, & scapulis, pullos tegunt, nè æstu teneri adhuc, & implumes torreantur. Hoc idem fecit Dominus IESVS, qui totum diuini furoris æstum in se recepit, vt nos ab eo liberaret. Quod quidem Propheta insinuauit, cùm illum scapulis suis nos texisse, & obumbrasse ait. Sequitur deinde, Non timebis à timore nocturno: hoc est, ab omni tentatione principis tenebrarum. Propter hos autem timores nocturnos (quo tempore pertrãseunt omnes bestiæ Syluæ, & catuli Leonum rugientes, & quærẽtes quem deuorent) sexaginta illi fortes gladios habent super fœmora sua positos. Sequitur, A sagitta volante in die, à negotio perambulãte in tenebris. Acriter aduersus infirma corda pugnat

Psal. 90.

dies.

dies proſperitatis,nox autem aduerſitatis tempora deſignant: illa eleuat,iſta deijcit: per illam à recta via declinamus à dextris: per hanc à ſiniſtris. Ab vtroque autem periculo Dominus eos liberat, qui ſe totos ad illius præſidium contulerunt, nè vel ſecundis rebus efferantur, vel aduerſis deijciantur. Liberat item ab incurſu, & Dæmonio meridiano:quando videlicet Dæmon ſe in lucis angelum transformat,& vitium virtutis imagine celat. Sequitur deinde.Quoniam angelis ſuis mandauit de te, vt cuſt. &c. in manibus portabunt te,&c. Hinc quidam ex ſanctis Patribus.Nimis (inquit) ſuauiter equitat,quem gratia Dei portat. Hac cura,& prouidentia quid poteſt cogitari firmius ? quid amantius? quid honorificentius ? Sed adhuc maius eſt, quod per Hieremiam idem Dominus pollicetur, cùm ait, Ego quaſi nutritius Effraim portabam eos in brachijs meis, & ipſi non intellexerunt, quòd curarem eos.Sequitur deinde,ſuper Aſpidem,& Baſiliſcum,&c.Quibus verbis atrociſsima pericula deſignat, à quibus Dominus electos ſuos potenti virtute liberat.Sic Apoſtolus, de ore Leonis liberatum ſe eſſe teſtatur, Leonis nomine Neronem intelligens. Quin & Daniel à leonibus liberatus, Deo gratias agit: Et illa item ſancta anima, quæ Domino confitetur, ſe à rugientibus præparatis ad eſcam, & de portis tribulationum ereptam, &c. Denique ait. Longitudine dierum replebo eum, & o.i.ſ.m. Hæc omnia promiſſa ad eum pertinent, qui habitat in adiutorio altiſsimi,hoc eſt,qui ſpem omnem ſalutis non in ſe, aut humanis præſidijs, ſed in vno Deo collocauit,ſeque totum illius miſericordiæ, & paternæ prouidentiæ cõmiſit. Eſt autem elegantiſsima metaphora inhabitandi verbo poſita. Domos enim homines fabricant, in quibus requieſcant, ſeque ab omni cœli intemperie, hoc eſt, à frigore, æſtu, imbribus, & ventis tueantur. Ad hunc ergo modum vir iuſtus Deum ipſum in domicilium eligit, in quo habitet, hoc eſt, in quo requieſcat, atque ab omnibus huius vitæ periculis ſe tutum incolumemque conſeruet. Idem autem præſidium pollicetur per Iſaiam, cùm ait, Tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu,& in abſcõſionem à turbine, & à pluuia. Vndè pro eo,quod nos legimus, In adiutorio altiſsimi,&c. Hieronymus ex Hebr.vertit, qui habitat in abſcondito altiſsimi, in vmbraculo omnipotentis commorabitur.

Oſeæ. 11.

Ad Timo. 2.4.

Daniel. 6.

Eccl. 51.

Iſai. 4.

morabitur. Alij verò transtulerunt, In latibulo altissimi, quòd idem est, sed appositè tamen magis respondet habitandi verbo, quod præcesserit.

Pro eo, quod nos legimus, Montes in circuitu eius, Hieronymus vertit, Hierusalem montes habet in circuitu suo, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc, & vsque in sæculum. Simile est illud Zacha. Ego Dominus ero eis murus, ignis in circuitu. Quibus verbis magnum pijs solatium, magna tutela, & securitas promissa est. *Psal. 124.* *Zach. 2.*

Quanta vero sit hæc piorum hominum fœlicitas & securitas declarant illa sponsæ verba, Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Læuæ quippe nomine, bona gratiæ, dextræ verò futura gloriæ bona accipimus. Paterna ergò Dei prouidentia in præsenti quidem vita pios omnes bonis gratiæ, tâquàm supposita capiti eorum læua sustentat, fulcit, & molliter, ac blandè fouet, dulciterque velut in sinu, atque brachio suo accubare facit: quos tandem bonis gloriæ, velut dextera sua complectitur, & in æternitatis gremio delicijs omnibus pascit. Bona autē gratiæ sunt fructus illi spiritus, quos Apostolus enumerat, charitas, pax, gaudium in Spiritu sancto, & his similia: quibus pij homines in hoc exilio, & fulciuntur, nè cadant: & reficiuntur, nè illicita concupiscant. Bona porrò gloriæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. *Cant. 2.* *Galat. 5.*

Qua cura & vigilantia pios omnes Dominus seruet, ac tueatur, declarant illa verba Cant. 4. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Hortum autem appellat animam iusti: quoniam ea velut paradisus deliciarum veri Salomonis est; cuius delitiæ sunt esse cum filijs hominum. Conclusum autem dicit hunc hortum, propter iugem suam & Angelorum custodiam: quibus vndique septus est. Quod etiam Dæmon testatur: cum de beato Iob ait, Nonnè tu vallasti eum, & omnem domum eius? *Canti. 4.* *Iob. 1.*

Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Hanc sentētiam eisdem ferè verbis sponsa repetit Cant. 1. & 5. & 7. Qua facile colligitur, talem cuiusque Dominum curam gerere, qualē ipse erga eius præcepta seruanda gerit. Itaque si tu in hac vna re, quæ ad te pertinet solicitus es, firmiter quoq; spera Deum ipsum tui tuarumque rerum solicitam curam gerere. Vera est enim illa sententia *Cant. 5.*

dicentis,

dicentis, Cum sancto sanctus eris, &c. Recte ergo dicitur, Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Sic enim pijs hominibus Dominus intendit, quasi singulis. Hoc autem Abrahæ, & filijs eius
Gene. 17. pollicitus est, cum ait, Et statuam pactum meum inter me, & te: & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus & seminis tui post te. In quibus verbis audis fœdus æternum, non solum cum Abraham, sed etiam cum semine eius: hoc est, cum sectatoribus fidei & obedientiæ eius. Sicut autem Abraham huius promissionis velut obses fuit (cui à Domino dictum est: vt adducat Dominus propter Abraham omnia quę locutus est ad eum) ita promissionum, quæ nobis factæ sunt, fidei iussor & obses Christus Dominus est: per quem habemus accessum ad patrem &c. & per quem is maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per illum efficiamur diuinæ consortes naturæ.

Gene. 15. Ait Dominus ad Abraham, Noli timere Abraham: ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Duo hęc Abrahæ omnibusque sectatoribus eius præmia magnificentissima promittuntur: alterum ad hanc vitam, alterum ad futuram. Huius enim vitæ præmium est, Ego protector tuus. Quo protectore, quid homini ad salutem deesse potest? Alterius autem vitæ præmium est, Merces tua, magna nimis. Non enim dixi Iacob, Frustrà quærite me: Mensuram enim bonam, & confertam, &c. Hæc verò prouidentia eo vsque pertingit, vt non pios solùm singulari quodã auxilio tueatur, sed omnia etiam, quæ aliqua ratione ad eos pertinent. Sic an-
Gene. 16. gelus Domini Agar vxoris Abrahæ curam gessit, quando à domina sua fugiens, errabat in solitudine Bersabee. Quo in loco Dominus vagientis pueri vocem exaudisse dicitur: non vtique eius merito (quod nullum erat) sed eius, cuius filius erat, nempè Abrahæ. Sic etiam eiusdem serui orationem exaudiuit: quando in Mesopotamiam perrexit, vt indè vxorem filio domini sui acciperet. Sic impium Labam opibus auxit propter generum Iacob, qui eius greges pascebat. Quod apertè intellexit vterque. Alter enim ait.
Gene. 30. Benedixitque tibi Dominus ad introitum meum: alter verò, Ex-
Gene. 27. perimento, ait, didici, quòd benedixerit mihi Dominus propter te. Idem quoque Dominus Ioseph intellexit, cùm captiuus in Æ-
Gene. 39. gypto seruiret. De quo dicitur. Optimè enim nouerat Dominum esse cum eo, & omnia opera eius ab eo dirigi. Hoc est autẽ, quod

Dominus

Dominus Abrahę pollicitus eſt,cùm ait:quando poſt promiſſam illi benedictionem ſubdit etiam,Benedicam benedicentibus tibi,& maledicam.m.t.Hinc illa cura nepotis Iacob.Perſequentem enim Laban per viſum nocte,Dominus compeſcuit dicens,Caue, nè loquaris quicquam aſperè contra Iacob.Hoc autem quid aliud eſt,niſi vt pupillam oculi cuſtodire pios? Quid ergo hac paterna cura,& prouidentia dulcius?quid amantius?Fœlices profecto pij omnes,qui ſic à Deo cuſtodiuntur.Hanc eandem prouidentiam, & declarant,& pollicentur illa Domini verba,Si audieritis vocem meam,& cuſtodieritis pactum meum,eritis mihi in peculium de cunctis populis terræ:mea eſt enim omnis terra.Dauid autem ait. Beata gens,cuius eſt Dominus Deus eorum:populus quem elegit Dominus in hæreditatem ſibi.Plus tamen aliquid in peculio,quã in hæreditate deſignari videtur:hæreditas enim poteſt eſſe diuitum:peculium autem ferè pauperum eſt : qui cùm nihil habeant aliud,quo vitam tueantur,omnem operam ſuam in illo excollendo ponunt.Similem ergo curam,& prouidentiam,Dominus obedientibus pollicetur.

Gene. 12. *Gene. 31.* *Exod. 19.* *Pſal. 32.*

Vbi tabernaculum perfectum fuit, nubes Domini incubabat per diem tabernaculo,& ignis in nocte.Hoc modo Dominus populo ſuo dux erat itineris vtroque tempore. Quæ omnia prouidentiam Dei facilè declarant.Sed illud tamen quod incubare dicitur tabernaculo,metaphora eſt ab auibus ſumpta,quæ ouis incubant,& calore ſuo fouentes,ex ouis pullos educunt. Quod quidem diuini ſpiritus officium eſt,qui fotu,& calore dilectionis ſuę ex hominibus Angelos,& ex carnalibus ſpirituales efficit. Omne enim agens ſibi ſimile agit.

Exod. 40.

Si qualis ſit quam Deus gerit,piorum, & impiorum prouidentia,ſcire cupis,lege aureum caput Leuit.26.in quo admiranda bona,quæ pijs Dominus largitur,& horrenda ſupplicia, quæ impijs minatur deprehendes.Summa autem donorum,quæ pijs propoſita ſunt,ijs verbis continetur, Ambulabo inter vos, & ero veſter Deus,voſque eritis populus meus.Ex hac autem Domini præſentia conſequitur ſuauiſsima illa pax,de qua ibidem dicitur,Abſque pauore habitabitis in terra veſtra,dabo pacem in finibus veſtris. Dormietis,& non erit,qui exterreat vos. Obſerua autem,quomodo hæc verba cum illis cohæreant,quibus Dominus apud Ioannẽ

Leui. 26.

Ioan. 14. discipulos consolatur, cùm ait, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Non turbetur cor vestrũ, neque formidet: audistis, quia ego dixi vobis, vado, & venio ad vos. Hoc quid aliud est, quã quod antea dixerat, Ambulabo inter vos, &c. Sicut autem pijs pacem & securitatem pollicetur: ita cõtra impijs metum, terroremque minatur. Vnde post alias impiorum calamitates addit, Et qui *Leuit.* 26. de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum, & terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium: cadent nullo persequente.

Quanta sit seruorum Dei dignitas, qualemque Dominus eorũ curam gerat, declarant opera illa miranda, quæ is propter salutem populi sui in Ægypto edidit: atque illud in primis, quod Propheta iure miratur, cum ait, Viã fecisti in mari equis tuis, in luto aqua- *Abac.* 3. rum multarum: audiui, & conturbatus est venter meus, &c. Qua de re sic Origenes hom. 5. super Exod. eleganter ait. Iubetur Moyses virga percutere mare, vt ingredienti populo Dei dehiscat, & cedat, ac voluntati diuini elementorum famulentur obsequia: & aquæ, quæ timebantur, dextra, læuaque murus effectæ, nõ solùm perniciẽ nesciãt, sed & munimen exhibeãt. Cogitur ergo fluctus in cumulũ, & vnda in semetipsam repressa curuatur: soliditatẽ recipit liquor, & solùm maris arescit in puluerẽ, vt sicca planta populus Dei transiret. Bonitatẽ Dei: creatoris intellige: Si voluntati eius obtẽperes, si legem eius sequaris, ipse tibi elementa etiã contra sui naturam seruire cõpellit. Audiui à maioribus traditũ, quod in ista digresśione maris singulis quibusq; tribubus Israel, singulæ aqua- *Psal.* 135. rũ diuisiones factæ sint: idque ostendi ex eo, quod in Psalmis scriptum est, Qui diuisit mare rubrum in diuisiones. Hæc ille.

Qualem Dñs piorum, & improborũ prouidentiam gerat, breui- *Deut.* 7. ter Moses Deut. 7. his verbis declarat, Et scies: quia Dominus Deus tuus ipse est, Deus fortis, & fidelis custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & his, qui custodiunt præcepta eius in mille generationes: & reddens odiẽtibus se statim: ita vt disperdat eos, & vltrà non differat, protinus eis restituẽs quod merẽtur. Quod autẽ in mille generationes Dñs hãc misericordiam custodiat, vel hoc argumento probari potest, quod ex terra filiorum Esau, vel vnius pedis vestigiũ se daturum negauit: nec ex terra item filiorum Amon, & Moab, quod hanc filijs Loth tradiderit possidẽdã,

qui

qui quadringentis,& eo amplius annis è vita decesserant: quãuis & impij,& idolorũ cultores posteri eorũ essent. Nec hoc contentus, ipse etiã pro illis pugnauit,& fortissimos gigantes ab his regionibus propter illos expugnauit, atque deleuit. Huius enim rei gratia gigantium mentio fit, vt per hoc liqueat, victoriam nõ humanæ virtutis, sed cœlestis auxilij fuisse. Hanc autem perennem erga pios misericordiam canit etiam beata Virgo, cum ait, Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. *Lucæ. 1.*

Dei iustitia.

GRegorius super illud Apoc. Sed habeo aduersum te pauca, sic ait: Bona quidem memorat, sed mala resecanda, sine pœnitentia, non relaxat. 21. Mor. c. 4. *Gregor.*

Qui benignè hominem condidit, nequaquam iniustè cruciari permittit: nec sinit neglectè perire, quod est, qui hoc etiam, quod non fuit, creauit, vt esset. Gregor. 26. Mor. cap. 10.

¶ Magnitudinem diuini furoris declarant illa verba Psal. 17. Cõmota est,& contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt,& commota sunt, quoniam iratus est eis. Ascendit fumus in ira eius,& ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo. Simile item & illud: Ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram, cùm germine suo,&c. quæ sequũtur. Quale vero illud: Inebriabo sagittas meas sanguine,& gladius meus deuorabit carnes? Quid enim horribilius, quã inebriari sagittas sanguine?& carnes à gladio deuorari? COLLE. *Psal. 71.* *Deut. 32.*

Vbi nos legimus, Miserator,& misericors Dñs, patiẽs,&. m. m. Alij verterunt, clemens,& miserator Dominus, tardus ad iram,& multum misericors. Cui consentit & illud, Altissimus est, patiens redditor. Lento enim gradu ad vindictã diuini numinis ira procedit, tarditatemque supplicij grauitate cõpensat. Vtrumque autem insinuare illa verba videntur, quibus frequenter Dominus in Prophetis vtitur, Eccè furor meus conflatur super hũc locum, &c. Conflandi enim verbum, tùm lentitudinem, tùm magnitudinem diuinæ seueritatis ostendit: quæ instar torrentis obstructi, quò diutius sistitur, eò maiori postmodum impetu rapitur. *Psal. 102.* *Eccl. 5.* *Hiere. 7.*

Iustitiam Domini cùm misericordia semper esse coniunctam declarat ipse Leuit.26. cùm post varias calamitates, quas in improbos immissurum se esse testatur, tandem ait, Attamen etiam cùm essem in terra hostili non penitus abieci eos, neque sic despexi, vt consumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum, & recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra Ægypti in conspectu gẽtium, vt essem Deus eorum.

Leui.26.

Diuinæ iustitiæ seueritatem declarant illa Iosue nouissima verba, quæ ad populum locutus est, Deus sanctus, & fortis est, nec ignoscet sceleribus vestris, atque peccatis, hoc est, nihil inultũ abire sinet. Hoc planè vir sanctus longa experientia eruditus, dicere potuit: qui toties sæuientem Domini iram aduersus populum in deserto vidit. Nam & populum pro peccato vituli in deserto percussit, & in sepulchris concupiscentiæ incendio peremit: & post seditionem Core quatuordecim millia, & septingentos homines interfecit: & ignitos serpentes in populum misit, & quadraginta annis illum per desertum errare voluit: quoniã de eius præsidio, & prouidentia diffisus fuit: & victorem populum ob vnius Achã noxam hostibus terga dare coegit. Denique post seditionem Core, totus populus ad Mosem ait, Ecce consumpti sumus, omnes perimus: quicunque ad tabernaculum Domini accedit, moritur. Nunquid vsque ad internecionem delendi sumus? Harum rerum consideratio magnum pijs mentibus incutere timorem debet. Hic enim timor facit homines solicite ambulare cùm Deo.

Iosue.24.

Exod.32.

Num.17.

Dominus, ait Moses, zelotes nomen eius, Deus æmulator, siue vt alij verterunt, zelans. Vide (ait hoc in loco Origenes) benignitatem Dei: quomodo, vt nos doceat, & perfectos faciat, ipse fragilitatem humanorum nõ recusat affectuum. Videamus ergo quid est hoc, quod dicit, Quia Deus zelans ego sum, &c. Ideò zelans dicitur Dominus: quia animam sibi mancipatam, & charitate desponsatam, non patitur Dæmonibus admisceri: sed flagellis retrahit, atque castigat, quod ex eius immenso in animas amore nascitur. Quemadmodum enim si quis meretricem videat omnibus prostitutam, non irascitur: si verò vxorem, aut filiam viderit, meretricantem furore succenditur: ita sanè Dominus, si viderit animã Dæmonibus prostitutã, & habere plurimos amatores, ità vt intret

Exod.34.

ad eam,

ad eam, modo quidem spiritus fornicationis, illo vero discedēte, intret spiritus auaritiæ, post hunc veniat superbiæ, spiritus inde iræ, inde inuidiæ, &c. non perinde curat. Dicit enim, Auferetur zelus meus à te, & nō irascar amplius. Si verò legitimo coniuncta sit viro, illi viro, cuius matrimonio animam Paulus coniungit, & sociat, si cū adulteris misceatur, excitatur super eam zelus viri, & coniugij defendit castitatem. ¶ Porrò autem si adhuc post flagella viderit consuetudine peccandi temerantē iura cōiugij, addit ei libellū repudij, & dimittit eam, dicens. Vbi est libellus repudij matris vestræ, quo dimisi eam? Quibus etiam addit & dicit, Ecce peccatis vestris venundati estis, & propter iniquitates vestras dimisi matrē vestrā. ¶ Ex quibus apertè colligitur, flagella, & correptiones Dñi, amoris eius erga nos, & veluti zelotypiæ cuiusdā signū esse: impunitatē vero reprobationis. Pro illo enim dicitur, Flagellat omnē filium, quem recipit. Propter aliud vero per Ezechielē ait, Auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius. *Ezec. 16.* *Hebr. 12.*

Dei iustitiam tēperari misericordiæ lenitate, de illa Sap. 12. verba. Tu autē dominator virtutis cū trāquillitate iudicas, & cū magna reuerentia (siue vt alij verterunt) moderatione disponis nos. Si enim inimicos seruorū tuorū, & debitos morti cū tāta cruciasti attētione, dās tempus, & locū, per quæ mutari possent à malitia, &c. *Sapien. 12.*

Dei iudicia.

Licet occultū sit, cùm bonis male euenit, & cùm malis bene: occultius est, cùm bonis bene, & cùm malis malè. Gregor. in mor. lib. 5. c. 1. *Gregor.*

Super illud, Circundedit eum tenebris, &c. Tenebris homo circundatur, qui quanuis cœlesti desiderio ferueat, quid de se dispositum sit, ignorat. Greg. vbi suprà. c. 14.

Sæpe, vnde nos Deus æstimatur deserere, inde recipit, & vnde recipere, inde relinquit. Greg. vbi sup. c. 5.

Super illud, Effundit despectionem super principes, & eos, qui oppresi fuerāt, releuat. Hoc magna Dei dispēsatione agitur: vt in hac vita omnia sint incerta. Nullus ergo superbiat propter primū: nullus desperet propter secundum. Greg. vbi sup. li. 11. c. 10. *Iob. 12.*

Super illud, Posuit tenebras latibulū suū. Quia videt omnia, & ipse in cōsilijs nō videtur. Reuelat profunda de tenebris, cū aperta sen- *Psal. 17.*

ta sentẽtia indicat, quid de vno quoq; sentiat. Greg. vbi sup. c. 12.

Iusti cũ cõtra desiderium quodlibet agi cõspiciunt, ad occulta Dei iudicia recurrũt, vt in eis videãt quod inordinatũ intus nõ disponitur, qđ inordinatũ foris currere videt. Gre. vbi sup. li. 16. c. 14

Iudicia Dei quanta obscuritate nequeunt conspici, tanta humilitate debent venerari. Greg. 27. Mor. c. 2.

COLLE. ¶Si seruus fidelissimus, qui nunquã, neque in mẽdacio, neq; in delicto aliquo deprehẽsus est, aliquid fecisse dicatur, de quo dubitari posit rectè, an secus factũ fuerit, qui eius fidẽ spectatissimã habet, delatoribus minimè credit: itaque innocẽter trãsacta vita, illũ ab omni criminis suspicione liberat. cũ ergo opera Dei quæ quotidie cernimus, perfectissima in suo quæque genere sint (eiusque rei tot testes habeamus, quot in mundo creaturas videmus) consequens est, vt ea etiam, quorum rationem & causam ignoramus, iustissima esse credamus: neque huius rei causas in hac vita quæramus, cùm & hæc, & multa alia futuræ fœlicitati reseruentur, quam in hoc seculo præuenire, & ante capere fas non est.

Iudiciorũ Dei abyssum multã declarat primum ruina Saulis, cuius duo prima peccata venia digna videbantur. Prius enim fuit, qp magna oppressus angustia Dñm sacrificijs placare ante Samuelis aduẽtũ voluit: posterius verò, quod Agag regi miserrimo, & fortunis omnib⁹ euerso, pepercit, & pinguiora pecora reseruauit. quãto vero grauiora commisit Dauid, tot à Dño beneficijs cumulatus, & miraculis in fide cõfirmatus? & is tamẽ &c. Mirabilis quoq; ruina Solomonis: nec vllis verbis pro dignitate explicãda. Mirabilis pugna filiorũ Israel cõtra filios Bẽiamin: quæ in libro Iudicum describitur, in qua multi iustissimã causam habẽtes, & belli duce Dño designato, à paucissimis, eisdẽque sceleratissimis, iterũ, atque iterũ, fusi, fugatique sunt, multis eorũ millibus trucidatis. Mirabile itẽ est Prophetã à Dño cõtra Hieroboam missum, & ab altero Propheta deceptũ, à leone interẽptũ fuisse: deceptorẽ autem integrũ illęsumque perstitisse. His adde, si libet Iosiæ regis sanctissimi immaturã mortẽ, & toties deploratũ ab Hiere. interitũ. Quis igitur, cũ hæc cogitat, nõ exclamet, o altitudo diuitiarum sapiẽtiæ, & sciẽtiæ Dei, quã incomprehensibilia sunt iudicia eius, &c. David

Rom. 11. quoque, Iudicia (inquit) Dei, abyssus multa: Quis enim cognouit

Psal. 35.

sensum

sensum Domini?&c. Propter vnius Achor transgressionem, popu lus punitus est. Propter elationem Dauidis populum numerari præcipientis, in vniuersum regnum grauissima pestis immissa est intacto eo, propter quem plaga Dei in populo grassabatur.

Prædestinatio, & reprobatio.

OBtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata nõ fuerãt: sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt ea precibus obtineãt. Nã ipsa quoque perẽnis regni prędestinatio, ita est ab omnipotẽti Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniãt: quaten' postulãdo mereãtur accipere, q̃d eis omnipotẽs Deus ante secula disposuit donare. Greg. Dial. li. 2. *Gregor.*

Prædestinatio est, diuinæ voluntatis per gratiam electio. Prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi. Aug. lib. de Præd. Sanctorum. *August.*

Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt: sic Deus præscientia sua non cogit faciẽda, quæ sunt futura. Aug. vbi sup.

Omnes, qui terrena sapiũt nõ quæ Iesu Christi, omnes qui fœlicitatẽ terrenã Deo præferunt, ad illam vnã ciuitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia mystica, & habet regem Diabolum. Omnes autẽ, qui ea quæ sursum sunt, sapiunt, qui cœlestia meditãtur, qui cum solicitudine in seculo viuunt, ne Deũ offendãt, qui cauẽt peccare, quos peccãtes nõ pudet cõfiteri, humiles, mites, sancti, iusti, pij, boni, omnes ad vnam ciuitatem pertinẽt, Hierusalem, quæ regem habet Christum. Aug. de duabus mysticis ciuitatibus.

¶Inter omnia reprobationis, & obdurationis signa, duo mihi pręcipua videntur: facilitas lætaliter sine vllo doloris sensũ peccandi (quod Salomon appellat, pedes veloces ad currẽdum in malum) alterum animabus proximorum offendiculo fuisse, ac ruinæ. Exigere enim æquitas diuinæ iustitiæ videtur, vt pereat, qui alios perire fecit: vt eadem videlicet à Domino mensura metiatur &c. COLLI.

Præcipuum prædestinationis signum est, bona vita, diuque retenta innocentia. Si Rex ingens aliquod palatium sibi struat, & cedros in silua, lapides, lignaq; ad id cõportari iubeat, quisquis

ibidẽ dolata ligna intuetur, facile colliget ea ad fabricã illã parata esse: quod nõ itẽ de alijs lignis nõdũ excisis, aut dolatis, cõijci poterit, cũ nihil in eis appareat propter quod merito de illis hoc existimari queat. Idẽ etiam de pijs & improbis hominibus (quod ad prædestinationẽ & reprobationẽ attinet) conijci poterit: quãuis se
Rom. 8. cus aliquãdo cõtingat. Hoc autẽ innuũt illa Apostoli verba, quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, illos & iustificauit, &c. Cæterũ de his, quos nõdũ vocauit, neque iustificauit, meritò dubitari potest, ad quã sortẽ pertineãt: cum secundũ præsentem iustitiam in reproborum numero collocati sint.

Prædestinatio, cæteraque diuina decreta nõ excludũt humana opera, atque cõsilia. Promiserat Dñs nauiganti Paulo, omnes, qui cũ eo adnauigabant, incolumes euasuros: & tamẽ cũ metu impẽ-
Acto. 27. dẽtis mortis nautæ nauẽ deserere cœpissent, clamauit idẽ Apostolus. Nisi ij in naui mãserint, vos salui esse nõ potestis. Vides igitur nautarũ ministerijs opus fuisse, vt diuina ꝓmissio adimpleretur?

Eccl. 33. Diuinã electionem & prædestinationẽ Eccl. 33. designauit his verbis: Omnes homines ex solo, & ex terra vnde creatus est Adã. Ex ipsis benedixit, & exaltauit: & ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit: & ex ipsis maledixit, & humiliauit, & cõuertit illos à separatione ipsorũ. Hoc est, (vt alia trãslatio habet) & euertit eos à suis sedibus. Quasi lutum in manu figuli plasmare illud, & disponere. Omnes viæ eius secundum dispositionem eius, sic homo in manu illius qui se fecit, & reddit illi secundum iudicium suum. Hæc ille.

Sicut electis omnia cooperãtur in bonum, etiã ipsa peccata (vt Aug. ait) dũ eorum occasione cautiores, humilioresq; euadũt: ita
Psal. 68. cõtra, reprobis omnia cooperantur in malũ. Hinc illud, fiat mẽsa eorũ corã ipsis in laqueum, &c. Mensa enim, quæ alimẽta cõtinet animarum scriptura sacra est, vnde tamen, & superbi, & hæretici, & cupiditatibus suis seruientes alimenta mortis colligere solent.

Gene. 25. Quãuis numerosa posteritas Abrahæ, & filio eius Isaac à Dño promissa esset, Rebeccę tamẽ sterilitas oratione Isaac sublata fuit: vt intelligas illa etiã ipsa, quæ Dñs ab æterno decreuit, partim piorum orationibus, partim bonorum operũ meritis implenda esse.

Ad iustificationis, & prædestinationis beneficiũ referũtur ver-
Deute. 4. ba illa quæ Deute. 4. Moses populo dixit, De cœlo te fecit audire vocẽ suã, vt doceret te, & in terra ostendit tibi ignẽ suũ maximũ:

quia

quia dilexit patres tuos & semen eorum, post eos. Et infra. c. 7. Te elegit Dn̄s Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terrā. Nō quia cunctas gētes numero vincebatis vobis iunctus est Dn̄s, & elegit vos (cū omnibus sitis populis pauciores) sed quia dilexit vos Dn̄s, & custodiuit iuramētū, quod iurauit patribus vestris. Nō igitur elegit, quod sciret eos diuina gratia melius vsuros: cùm infrà de illis dicat, cū durissimæ ceruicis sis populus. Et. c. 9. Memēto, & ne obliuiscaris, quomodo ad iracundiā prouocaueris Deū in solitudine: & ex eo die, quo egressus es ex Ægypto, semper aduersus Dn̄m cōtēdisti. Et infra. c. 10. Cōtēpsistis imperium Dn̄i Dei vestri, neque vocē eius audire voluistis: sed semper fuistis rebelles à die quo nosse vos cepi. Et Psal. 49. secundū Hiero. versionē ex Heb. ait Dn̄s, Quadraginta annis displicuit mihi generatio illa, & dixi, populus errās corde est: &c. Isti igitur oblata gratia vti noluerūt. ¶ Cōtra vero in Euāgelio Dn̄s ait, Væ tibi corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent. Sciebat ergo Dn̄s hos melius vsuros gratia: quā tamen illis non exhibuit: vt appareat diuinam electionem ex diuina voluntate, non ex meritorum præuisione pendere. Neque enim hic populus rectè vsus est gratia: cui tamen impensa est: & ille rectè vsurus fuisset, cui tamen tributa non est. Quo in loco exclamare cum Apostolo libet, O altitudo diuitiarum, &c.

Deut. 7. *Deut. 9.* *Deute. 10.* *Psal. 49.* *Matth. 11.* *Rom. 11.*

Quod diuina prędestinatio non excludit hominis industriam, probant, cùm alia multa, tum Dauidis exēplum, qui accepta æterni regni promissione, Dn̄m orat, vt impleat, quod promisit his verbis, Nunc ergo Dn̄e, verbum quod locutus es super seruum tuum, & super domum eius, suscita in sempiternum, &c. quæ sequūtur. 2. Reg. 7. Ideo Petrus Apostolus nos iubet satagere, vt per opera certam faciamus vocationem nostram.

Reg. 2. c. 7. *2. Pet. 1.*

Quantum sit diuinæ electionis beneficium, hoc exēplo vtcūq; licebit conijcere. Fingamus regē aliquem expugnata rebelli ciuitate, centum captiuos cœpisse: è quibus nonaginta iussit interfici, decē verò reliquos magnis muneribus donatos, sibi assidere iussit. Quātum decē isti suo regi, si modo grati sint, se debere fatebūtur? Nunc vero totā generis humani velut massam considera. Ex hac autē videbis maximā partē infidelitatis tenebris opertam, ad

 æternam

æternam mortem parari. Ex fidelibus autem maximã quoque partem perire: cùm arcta sit via, &c. &, Multi sint vocati, pauci vero electi. Quale ergò beneficium erit, inter tot perditorũ millia, inter paucissimos illos numerari, quibus hæc sors fœlicissima cōtigit? O verè beati Dñe, quos elegisti, & assumpsisti vt inhabitarent in atrijs tuis. *Psal. 44.*

Spiritus sanctus.

Gregor. PОrro ad faciendũ bonũ, quid in nobis bonus spiritus operatur. Profectò monet, mouet, & docet, monet memoriã, mouet volũtatẽ, & docet rationẽ, nec minimã paleã intra cordis quod possidet habitaculũ, patitur residere. Sed statim igne subtilissimæ circunspectionis, & compũctionis exurit, spiritus dulcis, & suauis. Greg. in mora.

Habitare in corpore animã probat vitales sensus corporis: habitare in anima spiritũ, probat vita spiritualis. Illud ex visu & auditu dignoscitur: istud ex charitate, & humilitate, cæterisque virtutibus. Greg. vbi sup.

Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit, quia omnes quos repleuit ardentes pariter, & loquentes fecit. Grego. in hom. Si quis diligit me. Ioan. 14.

Idcircò Spiritus sanctus in igne, & colũba nobis mõstratus est: quia omnes, quos implet, & simplices vt colũbas, & ardẽtes facit: simplices, puritate, & ardẽtes æmulatione. Nequaquã ergo Spiritu sancto plenus est, qui aut in trãquillitate feruorẽ æmulationis deserit, aut rursus in æmulationis ardore, virtutem mansuetudinis amittit. Greg. vbi sup.

In terra datur spiritus, vt diligatur proximus: è cœlo datur spiritus, vt diligatur Deus. Sicut ergo vna est charitas, & duo præcepta, ita vnus spiritus, & duo bona. Gre. hom. 13.

COLLE. ¶ Quoniã alias de Spũs sancti gratia paulò fusius differimus, hoc modo dicimus, humanę naturę morbũ esse, ꝙ caro quidẽ in sua regione posita, cõtra spiritum fortis est: spiritus verò, qui in hac vita peregrinatur, aduersus illã debilis & infirmus existit: ideoq; ab ea potẽter lacessitus tãdẽ succũbit. Huius autẽ morbi remediũ erat, vt spiritui robur adderetur, carni verò detraheretur. Hoc igitur

præci-

præcipuũ diuini Spũs mun⁹ existit, qui ob eã maxime causam sub imagine vehemẽtis flat⁹ hominibus datus est: quia vim, & impetũ addẽs spiritui, detraxit carni, atq; sic tãdẽ illã in seruitutẽ spũs redegit. Cuius rei figura præcesʃit, cũ Deus Sarę, ac Abrahę nomina mutauit: nomẽ enim Abrã produxit in Abrahã, Sarai verò cõtraxit in Sarã. Quo significatur, diuinæ gratiæ virtute mulieris, hoc est, carnis vires diminutas, viri autẽ, hoc est spiritus nostri esse auctas & roboratas. *Gene. 17.*

Christus.

REdẽptor noster hõ nascẽdo, vitul⁹ moriẽdo, leo, resurgẽdo, & ad cœlos ascẽdẽdo aquila fact⁹ est. Gre. hom. 4. sup Ezec. *Gregor.*

Christ⁹ moriẽdo, docuit mortẽ nõ metui, resurgẽdo q̃ vita cõsidere ascẽdẽdo, q̃ cęlestis patris hęreditate gloriari. Gre. 27. mo. c. 11

Quid est Iesus, nisi Saluator? Ergo propter temetipsum esto mihi Iesus. Noli Dñe, noli sic attendere malum meum, vt obliuiscaris bonum tuũ, o bone Dñe, si ego commisi, vnde me dãnare potes, tu non amisisti, vnde me saluare soles. Aug. in Medit. *August.*

Si vobis ex terrena fragilitate viluistis, ex pretio vestro vos appendite. Aug. super Psalmum. 32.

Scio dñe mi, quia ex hoc q̃d me fecisti, debeo tibi me ipsum: & quia redemisti, & ꝑ me homo fact⁹ es, deberẽ tibi plusquã me, si haberẽ: quãto tu maior es, ꝑ quo dedisti te ipsum. Aug. in Med.

Non eum de cœlo ad terram merita nostra, sed peccata traxerunt. August. super Ioan.

Omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est: si febrib⁹ æstuas, fons est: si grauaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortẽ times, vita est: si cœlũ desideras, via est; si tenebras fugis, lux est: si cibũ quæris, alimẽtũ est. Gustate igitur, & videte, quoniã Dñs suauis est, Ambr. de Virgini. *Ambro.*

Est inter oleũ, & nomẽ Iesus similitudo in quibusdã qualitatibus olei: q̃d lucet, quod pascit, q̃d vngit, fouet ignẽ, nutrit carnẽ, lenit dolorẽ, lux, cib⁹, medicina. Hęc oĩa nobis est Iesus. Ber. sup. Cãt. *Bernar.*

Nunquid Adam plus potuit in malo, quàm Christus in bono? Si ex Deo nati & in Christo electi sumus, quæ nam iustitia est, vt plus noceat humana atque terrena, quàm valeat diuina atque cœlestis generatio? Bernar. de noua militia.

Clemens Alexan. Verbũ vitã præbuit, vt opifex, bene viuere docuit, vt magiſter: vt ſemp̱ viuere ſuppeditaret, vt De⁹. clem. Alex. in exhor. ad Gẽt.

Chryſoſt. Nunquid etiam ſi per ſingulos dies moreremur, pro eo qui ita nos dilexit, meritum exoluerimus? imo ne minimam meriti partẽ reponeremus. chryſoſt.

Euſeb. Emiſſen. Tu ſeruaſti vinum bonum, tanquã ſi diceret, Meliora ſunt Dñe gratiæ inſtituta, quã legis. Lex peccatores, ad tẽpus vtili hircorũ, & vitulorũ cruore mundauit: tu Dñe ſeruaſti nobis vinũ bonum, ideſt, in extremo ſeculo fudiſti pro nobis ſanguinẽ tuũ. Lex intro miſit in terrã repromiſsionis, anguſtis limitibus terminatã: tu Dñe amplos paradyſi ſinus pandis: tu inæſtimabile præparas regnum: tu introducis in cœlum: Lex cultores ſuos per mediũ maris rubri, natura rerum ſtupẽte perduxit: Videamus quanto plus eſt, quod præſtat gratia. Qui in chriſto (inquit) ſunt, reſurgunt primi: & tũc ſimul rapiemur obuiam chriſto in aera, &c. Hom. 2. de Epiph. *1. Theſſ. 4*

Nouit quanti ei conſtiterit homo ſuus: non ergo nobis viles ſimus, qui tam pretioſi Deo fuimus: nihil ille à nobis abiectum, nihil mediocre ſuſcipit: vult cõſentire cũ generoſitate pretij dignitatẽ redẽpti: tale cõuerſationis noſtræ expectat meritũ, quod ſanguinis ſui poſsit valere cõmercium. Idem in Hom. de Symbolo.

Quid te ò homo erubeſcendis cupiditatibus exhonoras? Nobilem vult eſſe vitam tuam, qui tibi cõmiſit imaginem ſuã. Quam pretioſus ſis, ſi factori fortè non credis, interroga redemptorem. Idem. Hom. 2. de Symbolo.

Proſpiciens ex alto Deus, in quo eſſemus genere debitores, iuxta qualitatẽ captiuitatis reparauit munus redemptionis, ideſt, vt pro debita morte offerret indebitam: quia nec nos habebamus vnde viueremus, nec ille vnde moreretur. Idem. Hom. 4. de Paſcha.

Opus eſt, vt ita elaboremus, ne quod ille elaborauit, nos iterũ polluamus: ne ſcindamus vulnera, quæ ille ſanauit, ne quod ſemel in nobis diluit vnda baptiſmi, rurſum excoquere neceſſe habeat ignis inferni. Idem. ibidem. Hom. 7.

Agnoſcat homo, quantùm valeat, & quantum debeat: & dum pretium ſuum cogitat, vilis eſſe ſibi deſinat. cuſtodiamus ergo ſolicite, quod tanti ſudoris cõmercio chriſtus redemit. Reus itaque erit non parui pretij, ſed ſanguinis chriſti: ſanguine & paſsione eius mundatus. Idem. Hom. de beato latrone.

¶Talis

¶ Talis nobis decebat, vt esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & ex.c.F. De cuius sanctitatis præstantia sponsa in Cant. ait. Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Solus enim ille malo comparatur, cuius fructus gratissimus est: cæteri verò mortales syluarum ligna sunt, quæ aut nullum, aut acerbissimum fructum ferunt, quo non homines, sed porci pascuntur. Quo igitur consilio ab hac iniuria vindicabimur? Nimirum si in illum inseramur. Sic enim syluestres & steriles arbores in frugiferas commutantur. Decerpamus igitur à Christo spiritum eius, & amputatis cupiditatum nostrarum syluestribus ramis, mentibus illum nostris inseramus: & sic fructus, & vbertatis eius consortes erimus. Hoc autem modo charitas nos vnit & inserit Christo: & pinguedinis eius, atque vbertatis participes facit. COL. I. E. Cant. 20.

Christus summa legis est, & Euangelij, quia in eo maximè & facienda, & speranda cognoscimus. Lex autem facere, Euangeliũ verò præcipuè sperare docet. Ad fugam enim peccati (in quo legis summa sita est) quid magis iuuat, quàm videre Christum propter delenda peccata morientem? At si peccasti vnde ad spem remissionis magis poteris accendi? Vbi enim plus diuina bonitas, charitas, & misericordia fulgent? At hæretici recentiores, alterum sine altero, hoc est, posterius, sine priori contemplantur vt liberius peccent, cùm vtrumque esset pariter considerandum: illud nè pecces, hoc nè desperes. Itaque hæretici velut dimidiatum Christum, non totum intuentur, sicut illi, qui misericordiam Dei sine iustitia considerant, vt sine formidine peccent.

Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Christus enim mediator Dei, & hominum, sicut se Deo pro nobis obtulit in sacrificiũ, ita se nobis proposuit in exẽplum. Quò fit vt illis potissimum eius prosit sacrificium, qui eius imitari nituntur exemplum. Ideò enim mediator Dei & hominũ dicitur, quia sicut Deum placauit sacrificio, ita hominem ad virtutem obligauit exemplo: vtrumque enim eius sanguis efficit. Hinc Diuus Augustinus ait, Poculum salutis nostræ, quod ex diuina virtute, & humana infirmitate confectum fuit, quanuis ex se habeat, vt omnibus prosit, non tamen prodest, nisi bibatur.

tur. Hæc ille. Bibitur autem poculum hoc fide, dilectione, & imitatione.

Summa fœlicitatis nostræ est diuinæ similitudinis participatio: ad quam perueniemus, cùm Deū coràm intuebimur. Si ergo similis Deo fieri cupis, vidēdo Deū sicuti est, da operā (inquit Ber.) vt similis ei fias, vidēdo eū, sicut pro te fact' est, ac ita per imitatione sacræ humanitatis, ad similitudinē venies summæ diuinitatis.

Cant. 5. Pro eo, quod nos Cant. 5. legimus. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus, alij verterunt. Sub signis habens exercitum decem milliū, Alij. Vexillarius in decem millibus. Et quidem dilecti candor, eius puritatem, ruber autem color, eius passiones atque mirabilem patientiam designat. Sic enim Angeli

Isai. 63. apud Esai. quærunt, Quare rubrum est indumentum tuum? &c. Harum virtutum gerit Christus vexillum inter decem mille, hoc est, inter fideles omnes, vt in illum omnes aspiciant, illum sequantur, illum imitentur. Illum enim Pater posuit, non solùm propitiatorem, sed etiam ducem, atque pastorem, & Christiani populi vexilliferum. Vexillum autem, crux eius est: cuius virtute, & imitatione electi omnes salutem consequuntur. Quisquis igitur in delicijs vitam agit, hoc vexillum minimè sequi conuincitur, à quo quidem non recedunt, qui carnem suam crucifixerūt cum vitijs, & concupiscentijs: Quod faciebat ille, qui dicebat, Castigo cor-

1. Cor. 9. pus meum, &c. Hic enim ducis sui vestigijs ingrediebatur: sicut

1. Cor. 11. ipse ait, Imitatores mei estote: sicut & ego Christi.

Dominus Iesus, qui vel vna sanguinis sui stilla, redimere mūdū potuisset, tot contumeliarum, & opprobriorum ludibria perpeti voluit, vt nulla nobis calamitas euenire posset, quæ nō proprium illic solatium, & medicamentum inueniret. Impegit tibi quis alapam? ille prius non vnam, sed multas sustinuit. Ludibrio haberis? Ille prius. Stultus existimaris? Ille prius. Ab amico proderis? Ille prior. Falso accusaris? ille prior. Sic de alijs.

Nonne hæc oportuit pati Christum, &c. Omniū electorū ordines tibi ante oculos propone, Prophetas, Apostolos, Martyres, cō-

Apoca. fessores, & inter hos, Monachos, & Anachoritas, Virgines, cæterosque electos, quos Ioannes in Apoc. similiter interficiēdos ait, siue propter fidei confessionem, siue propter carnis mortificationem. Omnes hi ex hoc fonte biberūt, hoc exemplo roborati sunt,

hoc

hoc vexillum sequuti. In cruce igitur positus Dominus pios omnes confortat exemplo, adiuuat suffragio, docet magisterio, roborat merito, redimit sanguis sui pretio, volūtatemque accēdit hoc summo beneficio, & maximo suæ charitatis indicio.

Fidēti, ac bono animo nos esse oportet, cū Christū in cruce pēdētē, ante Patris æterni cōspectū, tāquā verū, & gratissimū sacrificiū, & fidelē aduocatū obtulimus. Sic enim legimus: Sicut frigus niuis in die messis, sic legatus fidelis ei, qui misit illū, animam eius requiescere facit. Hac nos fiducia Ioānes cōsolatur, cum ait, Hæc scribo vobis, vt nō peccetis. Quod si quis peccauerit, aduocatū habemus apud patrē, &c. Hic autē legatus Christus est de quo Propheta, auditum audiuimus à Domino & legatū ad gētes misit. *Ioan.2.*

Cum subuerteret Dominus ciuitatē Sodomorum, recordatus est Abrahæ, & liberauit Loth de subuersione vrbium. Vides igitur hoc loco pietatem Domini, qui amicorum suorū merito aliorū curat salutem? Si hoc igitur meritis Abrahæ impēsum est, quid de Christi meritis polliceri sibi possunt omnes, qui diligūt & credunt in eum, seque illius tutelæ, & præsidio commiserunt? *Gene.19.*

Miro modo scala ea, quam Iacob in somnijs vidit Christi Domini virtutem, & officium designat. Ipse est enim scala, quæ altera sui parte cœlum, altera terram contingit. Vt qui duas naturas infinite distantes in se vno copulauerit. Ipse est scala, per quā terrenis hominibus, quibus terrestris paradisus negata fuerat, in cœlū conscendere datur: ipse est scala, per quam ad Dei cognitionē assurgimus. Vnde ipse se & viā, & ostium, & lucē appellat. Deus eñ, qui dixit, de tenebris splendescere lumen suū, ipse illuxit, &c. Gradus autem scalæ huius varia sunt mysteria vitæ christi, per quos, qui ascendunt, ad Dominum, cui scalæ innixus est, perueniunt. *Gene.28.* *2. Cor. 4.*

Ex duobus hircis qui pro peccato Leuit. 16. offerri præcipiebātur, alter quidem mactabatur: alter vero viuus relinquebatur, supra cuius caput vtranque manum sacerdos ponebat, & confitebatur omnes iniquitates filiorū Israel, & vniuersa delicta ac peccata eorum: quæ imprecabatur capiti eius: emittebatque illū per hominē paratū in desertū. Itaq; portabat hircus omnes iniquitates eorū in terrā solitariā, & in deserto relinquebatur. Quis infidelium nō hoc expiationis genus irrideret? Sed eo tamen apertè Dominus salutis nostræ beneficium, & saluatoris munus adumbrari voluit.

De ipso

Isai.53. De ipso namque scriptum est, Dominus posuit in eo, iniquitates
1. Pet. 2. omnium nostrum. Et illud item, Qui peccata nostra in corpore suo portauit super lignum. Huius autem rei gratia innocens Do-
Psal. 39. minus personam peccatoris sustinens ait, Circundederunt me mala quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem. Hoc est, tam multæ sunt, vt numerare non possim. Iniquitates suas mitissimus agnus appellat, quas ipse pro nobis diluendas accepit.

Olim Dominus in lege animalium sacrificia pro peccatorum expiatione singulari misericordiæ suæ priuilegio exigebat. Quia enim (vt D. Bonauentura ait) lætale peccatum capitali sententia plectendum erat, pius iudex mortem hominis, animalis morte commutauit. Quid ergo Domino seruatori debemus, qui non alieno sed proprio sanguine peccata nostra expiare, & pro eo animali seipsum hostiam immolare dignatus est?

Pro eo, quod nos legimus, Apprehēdite disciplinam, plerique
Psal. 2. ex Hebræo vertunt: Osculamini filium, ne quando irascatur &c. Quibus verbis singularis quidam erga salutis nostræ vindicem ac parentem amoris affectus osculi nomine exigitur: hoc enim salu-
Ioan. 14. tis nostræ initium ac fundamentum est, Iuxta illud: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei
Ioan. 16. me ipsum. Item illud, Ipse enim pater amat vos: quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui.

Humanæ conditionis vilitas redemptionis nostræ beneficium
Psal. 8. vehementer amplificat. Propter hoc enim Vates regius admirabundus exclamabat: Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum? Quem versum glossa quædam eleganter exponit his verbis, Cum Domine incredibilem magnificētiam tuam considero, & mecum ipse diligentius etiam ac etiam cogito, omnium rerum Dominum & effectorem Deum nostræ libertatis causa formam & conditionem serui suscepisse: & vt nobis immortalitatem suam impertiret, mortalitatem nostram induisse: & post maximos labores & ærumnas acerbissima morte vitam profudisse, vt nos æuo beatissimo, ac sempiterno frueremur: hæc ego cum animo meo sæpe multumque reputans, tantorum meritorum excellentia stupefactus, exclamo: Domine, quid est homo, quod saluti eius tanta benignitate consulis & prouidés? quis

inquam

inquam homo est, quod eum pestifero morbo laborantẽ inuisis, & eius vulnera tuis vulneribus sanes?

Beneficij redemptionis magnitudinem insinuat illa Prophetæ exclamatio, atque optatio, Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel. Huc pertinet & illud, In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut cõsolati vel vt alij vertunt, sicut somniantes. Hoc est, tanta lætitia exultauimus, vt præ gaudij magnitudine, somniare nos putaremus. Subditque Propheta, in eandem sententiam, Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra &c. *Psal.* 12. *Psal.* 125.

Oleum effusum nomen tuum ait sponsa: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Præcipua vnguentorum omnium materia oleum est. Olei vero nomine atque natura singulares fructus, & beneficia redemptionis Christi sponsa appositissime declarat. Oleum enim exhilarat faciem, sicut in Psal. legimus, vt exhilaret faciẽ in oleo: vires item corporis firmat, quod athletæ ostẽdunt, dum luctaturi corpus vngunt. Oleum item fouendis & curandis vulneribus cõfert. Quod indicat Samaritanus ille, qui vinum, & oleum sauciati vulneribus infudit. Huic igitur oleo sponsa nomen sponsi sui, hoc est, sponsum ipsum comparat: quoniam ea, quæ in corporibus oleum, ipse inuisibiliter impiorum mentibus operatur. Primùm enim, exhilarat mentis faciem, tam gratissimi, iucundissimique nominis memoria. Confirmat deinde & corroborat interiores animæ vires, vt ad functiones suas, ritè peragendas sufficiat. Porrò lassis, & defatigatis in via Dei, nihil potest adhiberi tam efficax ad resumendas vires, ad currendam viam mandatorum, ad peragenda opera Dei, ad prælianda prælia Domini, quàm oleum istud nominis Christi. Postremò, quis potest esse languentis animæ morbus tàm grauis, quod vulnus tàm exitiale, cui non hoc oleo super infuso medeatur? Siquidem & semi viuos curare valet, atque pristinæ valetudinis robur restituere. Præter hæc autem, notum est oleum luminis fomentum esse, Christus autem mundo in densissimis agenti tenebris lucem prætulit. Ab hoc enim Christi officio Ioannes Euangelium suum exorsus est cùm ait, Vita erat lux hominum, &c. Et populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, &c. Omnia igitur hæc dona vnum redemptionis *Cant.* 1. *Psal.* 103. *Luc.* 10.

D Christi

christi beneficium complectitur: de cuius plenitudine nos omnes accepimus, qui nobis omnia factus est. Quod verò christum comparat oleo, siue vnguento, aut balsamo, non simpliciter, sed effuso (quod magnam ex se tunc fundit odoris suauitaté) summã christi Domini dulcedinem, iucunditatem, & benignitatem designat, quæ piarum mentium sensum mire afficit. Horum auté tantorum beneficiorum consideratio miros excitat amores in christum, quod quidem apertè indicat Sponsa cùm subdit, Ideo adolescentulæ dilexerunt te. Hoc est, non solum perfectorum animæ, sed illæ etiam, quæ in virtute adolescere incipiunt, dum hęc tanta dona considerant, in amorem tui exardescunt. quòd si alij simili beneficio, & pretio redempti non faciunt, nihil mirum est: quia soli inquit recti te diligunt, non improbi.

Cant. 1.

Cant. 8. Sub arbore mala suscitaui te, ibi subacta est genitrix tua, &c. Hoc est autem, quod gratulabundis Ecclésia vocibus canit cum ait. Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret, &c. ¶Quoniam vero beneficium hoc longißimo interuallo cætera superat beneficia: idcirco debitam à nobis Dominus gratitudinem exigit, cùm subdit, Pone me quasi signaculum super cor tuum, & super brachium tuum. Hoc est, da operam, vt in corde tuo, velut sigillo quodam, paßionis & crucis meæ effigies impressa sit: nec intus solùm in corde, sed in brachio etiam, hoc est, in totius vitæ institutione. Sic enim gestabat eum, qui dicebat, Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto. Et, christo confixus sum cruci. Et, Adimpleo quæ desunt paßionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est, Ecclesia. Paßiones autem christi appellat membrorum suorum paßiones: quemadmodum is insinuauit, cùm ad persequentem membra sua, Saulum dixit, Saule, Saule, quid me persequeris? ¶Sequitur deinde: quia fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Sensus est, Ideò cordi, & corpori tuo tanquam sigillum imprimi à te exigo, quoniam dilectio, qua me pro hoc tanto beneficio prosequi debes, morti & inferno similis futura est. Hoc est, talis ac tãta esse debet, vt morti, & inferno comparetur. Mors enim insensibilem hominem ad omnes huius mundi affectus, ad omniaque tum aduersa, tum prospera reddit. Talis autem debet esse in christum charitas quæ

Galat. 6. *Galat.* 2. *Coloß.* 1. *Acto.* 22. *Cant.* 8.

quæ efficiat, vt nos mortui simus mundo, viuentes autem Deo. ¶Infernus porrò inexorabilis est: qui quæ semel arripuerit, nunquàm reddit. Talem diuinæ gloriæ zelum à nobis Dominus iure suo exigit: qui nullis vel mundi huius, vel hostis antiqui machinis, possit nos ab eius amore diuellere. Talem porro zelum, talemque dilectionis vim ostendit Apostolus, cùm ait. Quis nos separabit à charitate christi? Tribulatio, an angustia, an periculum, an gladius? certus sum, &c. quæ sequuntur: quæ mirè hunc charitatis, & æmulationis affectum exprimunt: quem protinus Sponsa explicat, cum subdit. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina non operient eam. Hoc quis non videt perfectissimè in martyribus impletum? O nos miseros, quos ab hac dilectione toties leuissima rerum momenta diuellunt, à qua nec tota inferorum potentia separare debuisset. *Roma. 8.*

constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt suggeret mel de petra &c. Quod Iudæis olim carnaliter concessum est, hoc spiritualiter pijs hominibus in noua lege conceditur. quid enim (vt Richardus ait) excelsa terra, nisi spiritualis vita est? Qui sunt fructus agrorum, nisi sensus, atque sententiæ sacrorum librorum? quos comedimus, cùm eorum lectione, vel meditatione mentem pascimus, & oblectamus? Quid verò petra, nisi christus, ex cuius vitæ, mortisque meditatione oleum dilectionis, & mel diuinæ dulcedinis contemplando sugimus? charitas enim christi vrget nos, & amore suo nostrum in se amorem accendit. *Deute. 32.*

Quomodo summus Pontifex noster medium se inter nos, & offensum Patrem obiecerit, & iram eius meritis suis placauerit appositissimè. Numer. 16. adumbratur: cùm post interitum Datan & Abiron ira Domini in populum immisso incendio sçuire incipiente, Aaron thuribulo assumpto, incendium extinxerit. Quem locum eleganter, & copiose, vt Origenes tractat his pene verbis. Hic primo, si videtur, historiæ ipsius imaginem describamus, vt cum rei gestæ species apparuerit, tunc demum si quid est in hoc loco mysticum, requiramus. Intellige ergo populum illum Israel in castris per ordinem tribuum familiarumque dispositũ, virtutẽ verò quandam à Deo missam non sparsim, sed ex prima aliqua parte cœpisse populum morte vastare, & procedẽtẽ per ordinem *Num. 16.*

mortis ſtragem conſidera.Poſt hæc pontificem indutũ veſte pon tificali procedere,& portantem batillum,atque ignem cũ thure, tendere ad illum locum,quo per Angelum vaſtantem mors illata peruenerat. Intuere ſtantem pontificem, & obiectione quadam ſui,viuentes à mortuis dirimentem,virtutem verò repropitiationis eius erubuiſſe Angelum vaſtatorem,& in hoc mortem quidẽ finitam,vitam verò reparatam.Si intellexiſti hiſtoriæ ordinem,& oculis(vt ita dicam)cernere potuiſti pontificem ſtãtem medium inter viuos,& mortuos,aſcende nunc ad verbi huius celſiora faſtigia,& vide,quomodo verus pontifex Ieſus Chriſtus aſſumpto batillo carnis humanæ,& ſuper poſito igne altaris,anima ſine dubio illa magnifica cum qua natus eſt in carne,deſtruxit eum qui mortis habebat imperium.

Solent vxores,quarum viri ab inimicis ferro trucidati ſunt,ſanguinolentas eorum veſtes adſeruare, & adultis iam liberis oſtendere,vt eos ad ſanguinis paterni vindictam ſumendam acuãt. At nos diſsimili ratione vnigeniti filij Dei ſanguinem Deo patri offerimus,quo illum non ad vindictam,ſed ad clementiam peccatoribus,hoc eſt,filij eius interfectoribus exhibẽdam,excitemus.Ideo enim ſanguis Chriſti melius clamare dicitur,quàm ſanguis Abel.

Chriſti incarnatio & natiuitas.

Auguſt. MEdiator inter Deum & homines,oportebat, vt haberet aliquod ſimile Deo , aliquid ſimile hominibus , ne in vtroque hominibus ſimilis,lõge eſſet à Deo,aut in vtroque Deo ſimilis,longe eſſet ab hominibus,atque ita mediator nõ eſſet.Auguſt.confeſſ.lib.10.

Non iam deſperandum eſt participatione verbi fieri poſſe homines filios Dei:quando filius Dei participatione carnis factus eſt filius hominis.Auguſt.de Gratia no. teſt.

Illuminamini modò fratres habentes colyrium fidei.Præceſsit enim ſaliua eius cum terra,vnde inungeretur , qui cœcus eſt natus,& nos de Adam cœci nati ſumus,illo illuminante,opus habemus.Miſcuit ſaliuam cum terra. Verbum enim caro factum eſt, & habitauit in nobis.Auguſt.ſuper Ioan.tracta.24. *Ioan. 9.*

Si di-

Si dixisset tibi Dominus Deus tuus, Ego sum veritas, & vita, tu desiderans veritatem, concupiscens vitam, viam, qua ad hæc peruenire posses, profecto quæreres, & diceres tibi, Magna res veritas, magna vita: si esset quomodo illuc perueniret anima mea. Quæris qua? Audi eum dicentem primo, Ego sum via. Ante quã diceret quo, præmisit quà, Ego sum, inquit, via. Primò dixit, qua venias, posteà dixit, quo venias. Ego sum via, ego sum veritas. Ipse manens apud patrem, veritas, & vita est: induens se carne, factus est via. Non tibi dicetur, Labora, quærendo viam, vt peruenias ad veritatem, & vitam: non, inquam, hoc tibi dicitur. Ergo piger surge via ipsa ad te venit, & te de somno dormientem excitauit (si tamen excitauit) surge, & ambula. August. super Ioann. tracta. 24. *Ioan.* 14.

Non sero est impletum, quod semper est creditum: nec minus adepti sunt, qui in illud crediderunt promissum, quàm qui susceperunt donatum. Leo Papa in ser. *Leo Papa.*

Videns Deus homines omnino carnales effectos, tantum eis dulcedinis in carne exhibuit, vt durissimi cordis sit, quisquis eum toto affectu non diligit. in ser. *Bernar.*

Quanti te fecit Deus, ex his quæ pro te factus est, agnosce: vt appareat tibi benignitas eius in humanitate. Quanto enim minorem se fecit in humilitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior. Aduerte homo, quia limus es: & non sis superbus: & quia Deo iunctus es, non sis ingratus. Idem ser. 22.

Magno consilio factum est, vt post hominis casum non ilicò Dei filius mitteretur. Reliquit enim Deus, primum hominem in libertate sua, in lege naturali: vt sic vires naturæ suæ cognosceret: vbi cùm deficeret legem accepit: Qua data, inualuit morbus, non legis vitio, sed naturæ: & ita cognita sua infirmitate clamaret ad medicum, & diceret, Exurge Domine, adiuua nos. Idem in Meditatio.

Quãdo audis Deum ex homine natum esse, & maiestatem sub fragilitate latuisse, virginem prole ditatam, nec tamen virginitatem fuisse solutam, non se obijciat sensibus tuis nouitas operis. Nec dicas, illud fieri non potest: quia qui te magna credere iussit, omnipotens est. Diuinis rebus admiratio adhibenda est, non *Euseb. Emiss.*

credulitas abneganda. In omnipotente te credere confirmas: sed si de factis eius dubitas, imbecillitatem omnipotentis, accusas. Euseb. Emiss. hom. 2. de Symbolo.

Ambros. Me illius infantis Christi vagientis abluunt fletus, illæ lachrymæ mea delicta lauerunt. Plus igitur Domine Iesu debeo iniurijs tuis quibus redemptus sum, quàm operibus tuis, quibus creatus sum.

Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. Ambrosi. super Lucam.

Euseb. Emisse. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Natus est nobis, qui sibi erat. Datus est ergo ex diuinitate, natus ex virgine. Natus, qui sentiret occasum, datus, qui nesciret exordium. Natus, qui & matre esset iunior: datus, quo nec pater esset antiquior. Natus, qui moreretur: datus, ex quo vita nasceretur. Ac sic qui erat, datus est, qui non erat natus est. Illic dominatur, hic humiliatur: sibi regnat, & mihi militat. Euseb. Emiss. de Natiuit. Domini hom. 1.

Loquitur de Incarnatione. Quid hic rationem quærimus? quid intellectum fatigamus humanum? Generationem eius quis enarrabit? quid nouitatem stupemus, vbi cernimus maiestatem? Et mox substantia operis sola fuit potentia conditoris. Secundum hanc ergo potentiam credamus Dominum nostrum absque vllo sexus initio, ex sola fœmina virum creasse, quem scimus inter ipsa initia generis humani ex solo viro fœminam condidisse. Idem ibidem.

COLLE. ¶ Quemadmodum cum vere nouo ad nos redit Sol, omnia virere incipiunt, terra parturit, arbores frondibus vestiuntur: & tota terræ facies innouatur ac reuirescit: ita adueniente ad nos per incarnationem Sole iustitiæ Christo, tota mundi facies spiritualiter innouata est. Surgunt virginum chori, monachorum cœtus, exercitus martyrum, confessorum, & pontificum ordo, ac denique illud impletum est, quod Propheta vaticinatur. Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi liliũ. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci. *Isai. 32.*

Nos

Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis &c. Christum Dei virtutem & sapientiam. Ex his patet sacram Christi humanitatem conuenienter per nubem illam designari, quæ in mari rubro ab Ægyptijs filios Israel diuidebat: quæ is quidem lucida, illis autem erat tenebrosa. Vnde enim hæretici omnium penè errorum suorum ansam, nisi ab hoc mysterio arripuerunt? Hinc Arrij, hinc Sabellij, hinc Ebionitæ, hinc cæteræ pestes ortæ sunt, cum tamen hoc mysterium pijs omnibus lucis, & vitæ fundamentum sit. *1. Cor. 1.*

Christus Dominus in Canticis, flos campi appellatur, partim, quia sine personarum acceptione, omnibus eum carpere volentibus in commune propositus est (quod hortorum flores nó habent) partim, quia solo cœlestis spiritus influxu, sine vlla humani cultus opera in castissimis Virginis visceribus, velut in campo quodam satus, & altus est. Florem autem eum esse Esaias quoque docet, cùm ait, Egredietur virga. d. r. I. & flos de radice. e. a. & cætera. *Cant. 2.* *Isai. 11.*

Dignitas diuinæ legis, & dominicæ incarnationis beneficium colligitur ex illis Mosis verbis Deuteronomij. 4. vbi ait. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die, quo creauit Dominus hominem super terram, à summo cœlo vsque ad summum eius: si facta est huiuscemodi res aliquando, aut vnquàm cognitum est, vt audiret populus vocem Domini Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, & vidisti. Si ergo adeò magnum fuit, Deum, per Angelum loqui de medio ignis, quid ipsum Dei verbum, ac verum Deum in assumpto homine toties inter discipulos consedentem, eosque cœlestibus disciplinis imbuentem cernere? Hoc est enim, quod Apostolus ad Hæbros amplificauit, cùm ait, Multifarie, multisque modis olim Deus loquens, & cætera. Et iterum. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & cætera. *Deute. 4.* *Exod. 3.* *Hebr. 1.*

¶ Iam verò si adeo magnum fuisse, Moses ait, tanta Ægyptiorum strage populum suum à Domino liberari: quid tot doloribus, cruciatibus, ac denique mortis supplicio nos à Diaboli seruitute liberasse?

Nimis nos suspicimus (ait Seneca) si digni nobis videmur, propter quos hæc tanta (.s. corpora cœlestia) moueantur. Suas ista leges habent, quibus diuina exercentur. Qui indignum hominem credebat, cui cælestia corpora famularentur, quid faceret, si non Solem, & astra, sed rerum omnium conditorem Deum in humanæ salutis ministrum seipsum dedisse, & hominum pedes lauisse, & inter latrones pependisse crederet?

Annuntio vobis gaudium magnũ, quia vere magnum Dei beneficium nobis impensum est. Quo tamen beneficio nondum affecti sunt, qui se ad illud nondum parauerunt. Quibus dici potest, nondum venisse Christum: quia nondum eius aduentus salutaris illis fuit. Si enim excellens aliquis medicus in vrbem venisset, quidam autem ægroti ad eum propter inertiam venire recusassent, merito dici posset, illum ad istos non venisse, quando nihil aduentus eius illis præstitit.

Dominicæ natiuitatis fructus est, vt dum visibiliter Deũ cognoscimus, per hũc in inuisibilium amore rapiamur. Cuius autem fœlicitatis sit hæc ipsa cognitio, declarant dulcissima illa verba *Sapien.* 15 Sapien. 15. Nosse enim te, consummata iustitia est: & scire iustitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis. Hinc apud Æthiopes, qui sub pretioso Ioanne degunt, præcipuum omnium festorum anni esse dicitur, Epiphania: quo die se Deus, humano generi, hoc est, Iudæis, & gentibus cognoscendum præbuit. Hoc enim omnium aliorum beneficiorum principium fuit.

Christi paßio.

Gregor. CVM posset nobis etiam non moriendo succurrere, voluit, tamen hominibus moriendo subuenire: quia nos videlicet minus amasset, nec vim suæ dilectionis nobis ostenderet nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. Gregor. lib. mor.

Tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, quãto pro hominibus indigna suscepit. Greg. in Epistol.

Galat. 6. Quod Paulus nec mundi gloriam quærebat, nec à mundi gloria ipse quærebatur: & se mundo, & mundum sibi crucifixum,

esse

esse gloriabatur. Grego. in mora.

Crux à cruciatu dicitur: & duobus modis crucem Domini baiulamus, cùm aut per abstinentiam carnem affligimus, aut per compassionem proximi, necessitatem illius nostram putamus. Greg. in hom.

Cùm vitijs, & concupiscentijs carnem crucifigimus, sic gulam restinguere debemus, vt iam de mundi gloria nil quæramus. Nam qui corpus macerat, sed honoribus anhelat, crucem carni intulit, sed mundo per concupiscentiam peius viuit. Gregor. in moral. *Galat. 5.*

Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate: hæc in statera vestri cordis appendite, vt totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fuit fixus in cruce. August. lib. de Virginitate. *August.*

Magna est miseria, superbus homo, sed maior misericordia, humilis Deus. Idem de cate. rudi.

Omnis creatura compatitur Christo morienti. Sol obscuratur, terra mouetur, petræ scinduntur, velum templi diuiditur, sepulchra aperiuntur: solus miser homo non compatitur, pro quo solo christus patitur. Hiero. super Matthæ. *Hierony.*

Autor pietatis in cruce pendens testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens: Apostolis persecutionem, Iudæis corpus, patri spiritum, Virgini paranymphū, latroni paradysum, peccatori infernum, Christianis pœnitentibus crucem. Ambro. in serm. *Ambro.*

Ego fratres ab ineunte mea conuersione pro aceruo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, fasciculum hunc colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei. Primum scilicet infantilium illarum necessitatum: deinde laborum, quos pertulit in prædicando: fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum, in colloquendo: postremo periculorum in falsis fratribus, conuitiorum, sputorum, colaphorum, subsannatio- *Bernar.*

num, exprobrationum, clauorum, horumque similium. Bernard. super Canti.

Ioan. 19. Sitio (inquit Dominus) Domine quid sitis? Ergo ne te plus cruciat sitis, quàm crux? De cruce siles, & de siti clamas? sitio. quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium, plus animarum vestrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenet. Idem in floribus.

In passione Domini, tria specialiter conuenit intueri, opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. Idem in Sermone.

Vide nunc opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: flagellis cæsus, spinis coronatus, clauis confossus, affixus patibulo, opprobrijs saturatus: omnium tamen dolorum immemor ait. Pater ignosce illis. Idem, ibidem.

Quid tam efficax ad curandum conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm vulnerum Christi sedula meditatio? Idem super Cant.

O bone Iesu, quid tibi est? Mori nos debuimus, & tu soluis? nos peccauimus, & tu luis? opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo. Idem in sermo.

Nonnè satis propter te vulneratus sum? Nunquid non pro iniquitate tua afflictus sum? Cur addis afflictionem afflicto? Magis aggrauāt me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei. Idem, ibidem.

O homo vide, quæ pro te patior. Non est dolor sicut is quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas quibus afficior: vide clauos quibus confodior. Cumque tantus sit dolor exterior, interior est plāctus grauior, cùm te tàm ingratū experior. Idem in persona Domini, in sermone.

Circumire possum Domine cœlum, & terram, mare, & aridam, & nusquam te inueniam, nisi in cruce: ibi pascis, ibi cubas in meridie. Crux enim tua fides est: cuius latitudo, charitas, longitudo, longanimitas, altitudo, spes, profundum, timor. In hac cruce te inuenit, quicunque te inuenit. In hac cruce anima suspenditur à terra, & dulcia poma de ligno vitæ decerpit. Bernar. in flori.

Væ portantibus crucem, non sicut Saluator suam, sed sicut ille Cyreneus alienam. Væ cytharædis, cytharizantibus, non vt illi de Apocalypsi in cytharis suis, sed vt hypocritæ in alienis. Idem in Apolog. De his loquitur, qui imponunt alijs onera grauia digito autem suo.

Neminem audiamus fratres, non carnem, & sanguinem, non spiritum quemlibet descensum à cruce suadentem: persistamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur, aliorum manibus, non nostra leuitate. Idem, in sermo.

Euseb. Emissen. Improbam dexteram vetitæ arbori importunus homo iniecit: extendamus pro illo innocentes in cruce manus. Per lignum pœna est contracta, per lignum culpa redimatur. Sed prohibiti gustus malè blanda suauitate deceptus est: expietur delectationis esca, aceti, & fellis iniuria. Sed superbiæ culpa, qua præceptum soluit, qua in ambitum diuinitatis exarsit, obnoxius est homo: sed diuinitas nostra humiliet se pro superbo: tradat se ipsa maiestas pro crimine maiestatis. Sed mortis reus est: hoc reddi conuenit, quod debetur: mortalis est assumenda conditio, & mors est offerenda pro mortuo: & ne sit, quod Diabolus captiuo suo per arborem decepto, vltra possit obijcere, ipse nunc sacras damnandus extendat manus in arborem vitæ, vt duplici beneficio hominem nostrum sanguis crucifixi, & scelus crucifigentis absoluat: passio nostra dum illum damnat, hunc redimat. Eusebius Emissenus homil. II. de Pascha.

Diony. Creatura Dei in ipsius veræ lucis occubitu lucere non potuit. Dionysius de cœlesti Hierarchia, qui etiam in Epistola ad Polycarpum septima, Ecclypsim quæ fuit in passione Christi, in argumentum fidei nostræ contra Appollophanem adducit.

COLLE. *4. Reg. 2.* ¶Helisei caluitium pueri Bethel irriserunt, & duo vrsi de saltu ex eis, quadraginta duos lacerauerunt: & puerilis stultitia Iudæorum in Caluariæ loco Christum crucifixum irrisit, sed quadragesimosecundo anno post ascensionem eius, duo vrsi Vespasianus,

ſianus,& Titus de ſaltu gentium egreſsi,illuſores iſtos ſæuiſsime laniauerunt.

Ex amariſsimis chriſti paſsionibus maximam diſtillari dul-
Cant. 1. cedinem declarant illa verba Sponſæ, Faſciculus mirrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Mirrham enim amariſsimam ſimul & ſuauiſsimi odoris eſſe conſtat. Sic paſsio Domini illi quidem amariſsima, nobis autem ſuauiſſima eſt: ideoque inter vbera noſtra commorari debet. Quod faciunt, qui pio ac deuoto affectu eam perpetuo recolunt, & meditantur. Hinc illud, Dulce lignum, dulces clauos, &c.

Pro eo quod in Canticis Sponſa de Sponſo ſuo loquens ait,
Cant. 2. Ordinauit in me charitatem, alij verterunt, cuius vexillum erga me eſt dilectio. Quo ſignificat ineffabilem, & ſuper eminentem ſcientiæ charitatem chriſti in cauſa fuiſſe, vt illum relictis omnibus ſponſa ſequeretur. Sicut enim duces erecto vexillo, trahunt poſt ſe milites, ita ſponſus ſponſam immenſa erga illam charitate in cruce potiſsimum oſtenſa, eam poſt ſe trahit: cæteris nanque beneficijs nos ad ſui amorem chriſtus incitauit, mortis tamen beneficio compulit. Hoc eſt enim, quod idem
Ioan. 12. Saluator ait. Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me
2. Cor. 5. ipſum. Et Apoſtolus charitas, ait, chriſti vrget nos.

Qui diligenter, & piè in humanitatis dominicæ myſterijs contemplandis verſantur, ijdem diuinitatis quoque eius delicijs mirificè paſcuntur. Via enim, & veluti ſcala ad diuinitatis gloriam contemplandam, humanitas chriſti eſt, ipſo dicen-
Ioan. 14. te, Ego ſum via, veritas, & vita. Hoc autem innuere in canticis
Cant. 2. Sponſa videtur, cùm ait, Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Læua enim, humanitas, dextera, diuinitas chriſti eſt. Eum enim, qui in humanitatis læua capite ſuperpoſito requieſcit (dùm omnia ſacræ humanitatis myſteria pia cogitatione reuoluit) illum diuinitatis dextera molli ſinu fouet, & amplectitur, & cœleſtibus delicijs paſcit.

Canti. 2. Pro eo, quod nos legimus Canti. 2. Columba mea, in foraminibus petræ, alij verterunt, O columba mea in cauernis petræ, in receſſu ſcalarum. Vox eſt Dei patris declarantis gratiſsimam ſibi eſſe Sponſam, quæ in vulneribus Chriſti aſsidua cogitatione commo-

commoratur. Christus etiam sub typo scalæ Iacob ostensus est: quia per illum ascensum habemus ad patrem: cùm ille sit via, quæ nos in diuinæ bonitatis, & charitatis cognitionem, & amorem du cit. Ad hoc ipsum nos Sponsa sub Salomonis persona loquens in uitat, cùm ait, Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonē in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsatio nis eius, & in die lætitiæ cordis sui. Hæc autem desponsatio, & in incarnatione celebrata fuit, assumpta humana natura: & in passio ne, vbi è latere dormientis Christi defluxit Ecclesia. Hic autem dies lætitiæ cordis eius dies dicitur, propter flagrantissimum pas sionis desiderium, quod præcesserat. De quo Lucæ. 12. ait. Baptis mo habeo baptizari, &c. Desiderium autem si compleatur, oble ctat animum. Ad hoc etiam nos idem Sponsus excitat, cùm ad Sponsam Canti. 7. ait, Caput tuum, sicut Carmelus. Caput nostrū christus Carmelo comparatur: qui est pinguissimus, & amœnissi mus mons, lætissimumque gregibus pabulum prębet. Quod au tem aliud pinguius, aut lætius animarum pabulum est, quàm stu diosa vitæ, atque doctrina Domini Saluatoris cōtemplatio? In hoc igitur pinguissimo, & amænissimo monte, rationales oues pascū tur, & adolescunt, hoc est, miros in virtute progressus faciunt. In hoc autem monte Cecilia Virgo pascebatur quæ Euangeliū chri sti gestabat in pectore: & non diebus, nec noctibus à colloquijs diuinis, & oratione cessabat.

Galat. 3.

Luc. 12.

Cant. 7.

De Iuda filio pater ait, Lauabit in vino stolam suam, & in san guine vuæ amictum suum. Iudas Christus, vinum sanguis eius, sto la, Ecclesia est. Hanc ergo sanguine suo lauat ille, de quo scriptū est, Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris. i. s. s.

Gene. 14.

Quod serpens Moysi magorum serpentes deuorauit, hoc aper tè significat, quòd Christus Dominus serpentis, hoc est, peccatoris imaginem sumens, de peccato damnauit peccatum, sceleraque nostra omnia deuorauit & sustulit.

Apoc. 1.
Nume. 12.

Christi resurrectio & nostra.

SVnt nonnulli considerantes quod spiritus à carne soluitur, quod caro in putredinem vertitur, quod putredo in puluerē redigitur, quod puluis sic in elementis soluitur, vt nequaquā ab

Gregor.

ab humanis oculis videatur, resurrectionem fieri posse desperât: & dum arida ossa respiciunt, hæc vestiri carnibus rursum, & ad vitam viridescere posse diffidunt: Qui si resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerant. Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Nam per momenta temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere, à fructuum prolatione post largitionem cessare: & ecce subito quasi ex arescenti ligno, velut quadam resurrectione veniente, videmus folia erumpere, fructus grandescere, & totam arborem rediuiuo decore vestiri. Gregor. in Moral. super illud, credo quod Redemptor meus viuit, &c. consideremus (ait ibidem) paruum cuiuslibet arboris semen, quod in terram iacitur, vt arbor ex illo producatur, & comprehendamus si possumus, vbi in illa tanta paruitate seminis, tam immensa arbor latuit, quæ ex illo processit? vbi lignum? vbi cortex? vbi viriditas foliorum? vbi vbertas fructuum? Nunquid in semine tale aliquid videbatur, cum in terra iaceretur? Quid ergo mirum si tenuissimum puluerem à nostris oculis in elementa redactum, cum vult Deus in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat? Greg. vbi suprà.

Euseb. Emissen. Ecce contra leges suas hodie de inferis vita processit, & per vias quæ reditum non habebant, inuita morte remeauit. Quinimo mors ipsa in sua regione captiua, expauit subito talem mortuum: & quæ debitorem suum putabat, creditorem atque exactorum esse cognouit. *Gene. 39.* Legimus beatum Ioseph carcerem in quẽ ipse missus fuerat, in potestate habuisse, ex eo etiam alios liberasse. Ecce Ioseph noster non solum quo inferni carcere conclusus fuerat non tenetur, sed etiam aliorum per eum mortis claustra laxâtur. *4. Reg. 2.* Legimus beatum Heliam curru igneo cum corpore ad superna præreptum: hæc omnia implêtur in Christo. Ecce iterum Helias noster igneo diuinitatis vehiculo corporeus ascendit ad cœlum. Legimus beatum Heliseum postquam sepultus fuerat, tactu sui corporis suscitasse defunctum. Ecce iterum Heliseus noster, mortuis salutem sua morte largitur, & vitam sepultus operatur. Euseb. Emiss. hom. 7. de Pascha.

Præfert clauorum confixione corpus insertum, & lanceæ illisione

sione confossum. Quid hoc est? Expoliata est fragilitas, exinanita mortalitas, sola in cicatricibus permanent reuerenda testimonia passionis. Nimirum illud solum vnde resurrectio erat credenda, non abstulit. Ibidem hom.10.

Si resurrectio non est, nec Deus est, nec prouidentia est: tunc casu omnia feruntur & aguntur. Videmus enim plurimos iustos esurientes, & iniuriam patientes: peccatores autem & iniustos in diuitijs & in omni voluptate abundantes. Sed quis vnquam hoc iusti iudicij, vel sapientis prouidentiæ opus bene sentiens, suspicabitur? Erit ergo resurrectio: iustus enim Deus est, & his qui confidunt in eum mercedis retributor. Damasce. lib.4. *Damasc.*

Chrysos. super illud Matth.22. Qui dicunt nō esse resurrectionem &c. sic ait, In omni re, aut actu, virtus agendi spes est futuri. Qui enim arat, arat vt metat: qui pugnat, pugnat vt vincat: & post pauca. Tolle ergo spem resurrectionis, & resoluta est obseruantia omnis pietatis. *Chrysost.*

¶ Qui manducat meam carnem &c. ego resuscitabo eum in nouissimo die. Quænam horum verborum consequentia est? Nimirum illud innuere voluit, quod quemadmodum carnis Christi singulare priuilegium erat, quod non esset visura corruptionem, sed esset statim à morte excitanda: ita qui eius carnis & sanguinis participes efficerentur, simili quoque priuilegio suo modo gauderent: hoc est, vt non perpetuo in corruptione versarentur, sed in nouissimo tandem die ab eo excitarentur. Eandem quoque dignitatem alio nomine assequuntur electi, quòd videlicet templa fuerint ac domicilia Spiritus sancti, qui hoc honore afficit templa sua, vt nunquam sub mortis imperio perpetuò detineantur. Hinc Apostolus, Si spiritus Christi habitat in vobis, qui resuscitauit Iesum à mortuis, resuscitabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Tertia quoque causa resurrectionis est, quòd ad iustitiam Dei spectat, vt piorum caro quæ laborum, ieiuniorum, & vigiliarum socia fuit, sit etiam & consolationis ac mercedis particeps. *COLL.B.* *Roma. 6.*

Salutis humanæ fundamentum constat esse cognitionem, & fidem in Christum, Apostolo dicente, Vt cognoscam illum, & virtutem resurrectionis eius. Virtus porro resurrectionis eius, *Philip.3.*

anima-

animarum nostrarum resurrectione perspicitur. Vt enim idem Apostolus ait, mortuus est Christus propter peccata nostra, & *Roma. 4.* resurrexit propter iustificationem nostram. Quam sit vero admi rabilis animarum resurrectio, declarat idem, cum in Epistola ad *Philip. 3.* Philippen. hoc potissimum precatur, vt agnoscamus quæ sit magnitudo virtutis eius in nobis qui credidimus, secundum operationem virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitãs illum à mortuis. In quibus verbis iustificationis nostræ beneficium in eo amplificat, quod videlicet similis potentia requiratur ad animam à peccato ad iustitiam excitandam, sicut ad corpus à morte in vitam reuocandum. Præterea sicut solius diuinæ virtutis fuit corpus christi ad vitam excitare: ita eiusdem potentiæ fuit ea vita donare, in qua nullum deinde ius mors haberet. Hæc autem duplex gratia per ipsam christi resurrectionem piorum mentibus concessa est, vt & à morte ad vitam excitentur, & in ipsa vita conseruentur.

Psal. 117. In hac die canit Ecclesia, Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Verba hæc, sunt populi gratulantis, dum Dauid regiam dignitatem accepit. Sed eisdem verbis gratulatur longè maiore gaudio Ecclesia piorum, christi ad vitam redeũti, & imperium cœlitum atque hominum à patre accipienti: Nullus enim alius dies vnquam ita lætus, pulcher, sanctus, & salutaris generi hominum illuxit. Hoc die tyrannis acerbissima diaboli euersa, peccatum sublatum, mors extincta, lachrymæ miserorum absterfæ, iustitiaque, & vita sempiterna in vniuersas terrarum oras introducta est.

Gen. 49. Recubans (ait sanctus Patriarcha Iudæ filio) accubuisti vt leo, & quasi catulus leonis. Quis suscitabit eum? His verbis Dominus Iesus, qui ex Iuda originem duxit, figuratur. An non dormiuit vt leo, quando per mortem suam destruxit eum qui mortis habebat imperium? qui portas æreas confregit? & inferos spoliauit? vbi & ligauit insaciabilem homicidam? Accubuit etiam vt catulus leonis, de quo physiologi aiũt, quod tres à natiuitate dies noctesque dormiat, & acri ac vehementi patris rugitu excitetur. Quæ res mirè quadrat dominicæ resurrectionis mysterio.

Virga Aaron cùm germinat, & frondescit, & flores, ac deinde fructus emittit, satis euidens futuræ resurrectionis indicium & argu-

argumentum est. Hæc enim quatuor significasse Apostolus videtur cum ait, Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, &c. 1. Cor. 15.

Christus Rex, & sacerdos.

QVomodo nos amasti pater bone, qui filio tuo vnico non pepercisti, sed pro nobis impijs tradidisti? Quomodo nos amasti, pro quibus ille, qui non rapinam arbitratus est, esse æqualis tibi, factus est subditus vsque ad mortem crucis, vnus ille inter mortuos liber, potestatem habens ponēdi animam suam, & potestatem habens iterum sumendi eam: pro nobis tibi victor, & victima: pro nobis sacerdos & sacrificium, & ideo sacerdos, quia sacrificium: faciens tibi nos de seruis filios? Merito mihi spes valida in illo est, quod sanabis omnes languores meos per eū qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, alioquin desperarem. Aug. Confes. lib. 10. August.

¶ Christus sacerdos & aduocatus noster apud Deum Patrem pro nobis semper interpellat: dum sacram illam humanitatem propter illius gloriam & nostram salutem assumptam, & cicatrices vulnerum oculis eius repræsentat. Ea enim sunt huius mundi scelera, vt nisi talem aduocatum haberemus, iam dudum forsitā nouo alio diluuio scelerum pœnas penderemus. Respicit tamen pater arcum suum in nubibus cœli, hoc est, filium in cruce extēsum, vt non iterum inducat aquas diluuij super terram. Quia cor calidissimum membrum est, pulmonem natura velut flabrum quoddam iuxta apposuit: cuius perpetuo afflatu refrigeraretur: sed multo magis sceleribus nostris prouocatum æstruat cor illius qui dixit, Ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Et rursum, Ignis accensus est in corde meo, & super vos ardebit. Quamobrem magnopere natura humana Christo aduocato egebat, qui apud patrem assistens, ignem hunc sacratissimæ humanitatis suæ obiectu, velut flabro quodam temperaret. Propter quod merito in litteris sanctis propitiatorium vocatur: alioqui ea sunt hominum flagitia, vt nisi ipse pro nobis intercederet, iam dudum fortasse hoc incendio & igne mundus arsisset. COLL. Deut. 32. Hiere. 17.

Quod christus Dominus sit rex simul & sacerdos docet insignis ille versiculus, Iurauit Dominus, & nõ pœnitebit eũ, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Vt enim Melchisedech regnũ administrabat, & sacerdotium: ita christus Dñs & pontifex est & rex. Sacerdotis autem proprium est, primum religione sancta, & scientia rerum salutarium populum imbuere: deinde peccata illius donis & sacrificijs expiare, tũ Deũ pro salute, & incolumitate eiusdẽ continẽter deprecari. Ad regẽ autẽ pertinet ea gubernãdi ratio, quæ legibus atq; armis salutẽ & pacẽ eorũ tueatur, & conseruet, qui se ac sua omnia in tutelam ipsius tradidere. Hæc autẽ officia, & munera sunt Christi ita propria, vt in eo solo ex cunctis sacerdotibus & regibus qui vnquã optimi fuerũt, perspecta, & omnibus suis numeris, & partibus expleta reperiatur. Ille enim primus mysteria maxima rerum sanctißimarũ nobis aperuit, & cognitionẽ, ac cultum veri Dei per vniuersas terrarum oras longè lateq; propagauit, ille peccata nostra sacrificio sui corporis, & purißimi sanguinis effusione expiauit, ille sedens ad dexterã Patris ab illo pacẽ & veniam, & omnia bona, nobis precari nũquã intermittit. Idem suo spiritu nos amãtißime regit & gubernat, mentẽ, atq; animũ ingenti amore in Deũ, resque diuinas inflãmans. Idẽ vadentes per has vias vitæ difficiles, & periculosas, tuetur ab insidijs & impetu Diaboli, qui nos odio & bello persequitur sempiterno. Idẽ suorũ omniũ cõstãtiã ita corroborat, & cõfirmat, vt nulla vis calamitatũ, aut periculorũ illos de via pietatis depellere poßit. Sed hũc versiculũ magnis mysterijs refertũ, magna verborũ & sententiarũ copia. D. Paul. explanat ad Heb. 5.

Psal. 109.

De resurrectione corporũ nonnulla inuenies infra in titulo de extremo Iudicio, quæ ibidem ab Euseb. Emiss. allegantur.

Beatiß. Virgo Maria.

August.

FOElicior partus spiritualis, quã carnalis. Beatior enim Maria fuit cõcipiendo Christũ fide, quã carne: materna enim propinquitas nihil ei profuisset, nisi fœlicius ipsum fide, quam carne gestasset. Cum ergo Saluator ait, Beati qui audiunt verbum Dei &c. perinde est ac si dicat, Mater mea, quam appellatis fœlicem, ideo foelix est, quia verbum Dei custodiuit, non quia in illa verbum caro factum est. Aug. lib. de Virg.

Quod

Quod natura non habuit, vsus nesciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cœlum, stupet terra, creatura omnis etiã cœlestis miratur: hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nuntiatur. Hiero. in sermo. de assumptio. *Hierony.*

Cæteris Virginibus per partes præstatur gratia, Mariæ verò se totam infundit gratiæ plenitudo, quæ fuit in Christo, quanquam aliter, & aliter: quia in Christo fuit plenitudo gratiæ, tanquàm in homine personaliter diffinito: in Maria verò, vt in templo singulariter consecrato: vel aliter in Christo fuit plenitudo gratiæ, sicut in capite influente, in Maria verò sicut in collo transfundente. Idem.

Non est in mundo locus dignior vtero virginali: in quo Dei filium Maria suscepit, nec in cœlis solio regali, quo Mariam Dei filius sublimauit. Idem.

Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit? Et vt de cæteris eius virtutibus taceam, Virgo erat, nõ solũ corpore, sed etiam mente, corde humilis, verbo grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in cumulo diuitiarum, sed in prece pauperũ spẽ reponens: intenta operi, verecũda sermone, arbitrum mentis non hominẽ, sed Deum quærere: nullũ lædere, omnibus bene velle, maioribus assurgere, æqualibus non inuidere. Talẽ hanc Euangelista monstrauit, talẽ Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer? quæ digna fuit, ex qua Dei filius nasceretur? Ambro. de Virgin. lib. 2. *Ambros.*

Sit nobis tanquàm in imagine descripta vita Mariæ. In qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis: hinc sumatis exempla viuendi, vbi tanquàm in exemplari magisteria expressa sunt probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeamus ostendunt. Talis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium disciplina sit. Idem, ibidem.

Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quàm de Matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris: nec putauit ortus sui fidem, matris iniurijs adstruendam. Seruatur itaque Sanctæ Mariæ, sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas. Oportet enim sanctos, & ab his testimonium habere qui foris sunt, nec decuit sinistra

virginibus opinione viuentibus, velamen excuſationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur. Idem ſuper Lucam libro.2.

Bernar. Quis miſericordiæ tuæ ò benedicta, longitudinem, latitudinẽ, ſublimitatem. & profundum queat inueſtigare? Nam longitudo eius, vſque ad nouiſsimum diem inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoque miſericordia plena ſit omnis terra. Sic etiam ſublimitas eius ciuitatis ſupernæ inuenit reſtaurationem, & profundum eius ſedentibus in tenebris, & in vmbra mortis obtinuit redemptionem. Bernardus in ſermoni,

Euſeb. Emiſſ. Medicum dolorum noſtrorum ſine dolore paris: ſanatorem de prauati ſeculi ac corrupti, ſine vlla pudoris corruptione progeneras. Nec enim decebat, vt qui ad hæc venerat, vt violata in integrũ reſtitueret, aliquid de materna integritate violaret. Euſeb. Emiſſ. de Natiuitate Domini homi.1.

Dionyſ. Cùm ductus fui ad aſpectum Virginis Mariȩ, tantus me immẽſus diuinus ſplendor circumfulſit exterius, & plenius, irradiauit interius, tanta etiam in me omnium odoramentorum ſuperabundauit fragrantia, vt nec corpus infœlix, nec ſpiritus poſſet tantæ fœlicitatis inſignia ſuſtinere. Teſtor Deum, qui aderat in Virgine, ſi tua diuina eloquia me non docuiſſent, hanc Deum verum eſſe credidiſſem: quoniam nulla videri maior eſſe poſſet gloria meritorum. Dionyſius.

COLLẼ. 2. *Re.* 14. ¶ Mulier Tacuites, quæ altero filio, quem mortuum finxerat deflens, alteri à Dauide rege vitam poſtulabat, beatiſsimæ Virginis typum tenet. Ea enim duos habet filios, alterum quidem verum, alterum adoptione filium: nempè chriſtum, & hominem peccatorem. Conſurrexit autem peccator aduerſus iuſtum, & occidit eũ. Peccata enim noſtra chriſtum Dominum eruci adegerunt. Quod pia mater cernens, pro ſuperſtitis & homicidæ filij ſalute cœleſtẽ regem interpellat. Lege hiſtoriam.

Dignitas, & gratia Virginis ex materna dignitate, & propinquitate ad filium Dei (qui fons gratiæ eſt) colligitur, vt D. Tho. philoſophatur. Sicut ergo humanitati Chriſti (quia verbo Dei coniunctiſsima fuit) ſummam, & ſine vlla menſura gratiam, & ſapien-

tiam

tiam tribuimus (hoc enim ad gloriam incarnati Verbi, & assumptæ ab eo humanitatis pertinebat) ita quia post hanc sacram humanitatem nihil Verbo Dei coniunctius, quàm mater fuit, maximam illi gratiam, & sanctitatem meritò tribuimus. Vnde q; Angelus eam plenam gratia describit, plenitudo hæc in ordine ad hanc dignitatẽ accipienda est. Stephanus enim gratia plenus fuit, nimirum ad diaconatus officium, Apostoli verò ad Apostolatus, Christus verò, vt esset caput hominum & mundi Saluator Maria autem vt digna esset mater filij Dei.

Angelus.

Angelis suis mandauit de te, &c. O quantam debet tibi hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, cõferre fiduciam? Pro præsentia, reuerentiam: pro beneuolẽtia, deuotionem: pro custodia, fiduciã. Cautè ergo ambula, vbi sunt Angeli, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Bernar. super Psal. Qui habitat. *Bernar.* *Psal. 90.*

In quouis diuersorio, in quouis angulo reuerentiã exhibe tuo Angelo, nec audeas illo præsente, quod me vidente non auderes. Idem, ibidem.

Si proficiscentes ab vna ciuitate in alteram, indigemus duce: multo magis anima soluens à corpore & migrans ad futuram vitam, ducibus indigebit. Chrysost. *Chrysost.*

Animę per Angelos, veluti per optimos duces, ad bonorũ omniũ principem promoueri possunt. Diony. de di. no. c. 4. *Diony.*

Angelus est imago Dei, manifestatio inuisibilis lucis, speculum purum, lucidissimum, immaculatum. Ibidem.

¶ Singularem prouidentiam, quam Deus electorum suorũ gerit, apertissime declarãt illa Canti. verba, En lectulũ Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenẽtes gladios, & ad bella doctissimi. Vniuscuiusque ensis, &c. Lectulum hunc, in quo Salomon noster quiescit, pij cuiusque mẽtem esse apertissimum est. In illa enim is molliter accubat, & quiescit, cuius deliciæ sunt esse cũ filijs hominum. Qui sint autẽ fortes isti Propheta declarat, cùm ait. Angelis suis Deus mandauit de te, &c. In manibus portabunt te, &c. Quæ sit autẽ horũ fortitudo ostendit alibi, cùm ait, COLL. *Canti. 3.* *Psal. 110.*

ait, Benedicite Dñm omnes Angeli eius potentes virtute, &c. Ho-
4. Reg. 6. rum autem custodiam, ac tutelam in libro Regum Heliseus trepi-
danti famulo ostendit. Huc pertinet & illud, quod infra sub nomi-
Cant. 6. ne Sulamitis de eadem Sponsa dicitur: Quid videbis in Sulamite,
nisi choros castrorum? Quid vero illud Isaiæ, super muros tuos
Isai. 62. Hierusalem constitui custodes, tota die, & nocte non tacebunt.
Quis igitur sub hac tam firma custodia non in pace dormiat, &
requiescat? Fœlix profecto vir pius, qui tali nititur patrocinio.

Officium præsidis, & custodis nostri Angeli, & munus erga il-
Exod. 23. lum nostrum describitur. Exod. 23. his verbis, Ecce ego mitto An-
gelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, &c. quæ sequũ-
Iudit. 13. tur. Ad hoc faciunt & illa Iudith verba, Viuit autem ipse Domi-
nus: quia custodiuit me Angelus eius, & hinc abeuntem, & ibi cõ-
morantem, nec passus est Dñs me ancillam suã coinquinari.

Breuis concio de Angelorum custodia, in qua tamen res nudæ sine amplificatione proponuntur.

VVlgatissima Theologorũ sentẽtia est, Deũ moderari atq; dirigere infima per media. Tria igitur loca in hoc mundo cõtẽplari debemus, videlicet summum, in quo solus Deus est, imũ, in quo homines, & pecora, & omnia hæc inferiora corpora cõmorãtur: & mediũ, in quo tũ corpora cœlestia, tum Angeli sunt. Per corpora autẽ cœlestia summus ille mũdi moderator omnia hæc inferiora corpora auget, atq; cõseruat. Inde enim veniũt pluuiæ, & serenitates, & glacies, & niues, & matutinus ros, & dierũ & noctiũ vicissitudo, & quatuor temporũ anni varietas, ad rerum procreationẽ accõmodata. Cæterũ cũ homo corpore & mẽte cõ-stet, neq; in eius mẽtẽ corpora cœlestia vllã vim habeãt, mẽtes il-las cœlestes ad hominũ mẽtes excolẽdas, multisq; modis ad finẽ
Psal. 8. suũ dirigendas, destinauit. Vnde est illud. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros su.f.i. Satis quidẽ in nos benignitatis suæ diuitias declarauerat, cũ hãc pulcherrimã mũdi fabricã, hoc est cœlũ, tot clarissimis luminaribus distinctũ: terrã, tot frugibus & arboribus ornatã: mare, tot pisciũ generibus refertũ, in solius homi-

num vsum cōdiderat. Cuius beneficij magnitudine Propheta demiratus ait, Dñe quid est homo quod memores eius, aut f.h.q.v.e. *Psal.* 103.
Minuisti eū paulominus ab Angelis, &c. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues &c. nō satis inquā fuit illi bonitati cœlū, & omnia quæ cœli cōplexu cōtinentur, nostris vsibus addixisse, nisi ea etiā quæ supra cælos sunt, hoc est, ipsos Angelos salutis nostræ administros cōstitueret. Cumq; inter Angelos quidā principē locū inter alios teneāt (quales supremæ Hierarchiæ sunt, videlicet Throni, Cherubini, Seraphini, quorū est creatori suo semper assistere, cū inferiores his ad ministeriū destinati sint) vtrique tamen, hoc est, & assistentes, & ministrantes curam nostri gerunt. Vt enim Apostolus ait, omnes sunt administratorij spiritus, in ministeriū *Hebr.* 1.
missi, propter eos qui hęreditatem capiunt salutis.

Quodque magis miremini, nō regnis & nationibus solū, sed singulis quibusque hominibus suus Angelus ad custodiam datur. Sic enim Saluator ait, Videte, ne cōtemnatis vnū ex his pusillis. Dico *Matt.* 18.
enim vobis, quia Angeli eorū semper vidēt.f.p.m.q.i.c.e. Magna plane (ait quidā sanctus) dignitas animarū, vt vna quæq; sub exordio suę natiuitatis Angelū habeat ad custodiā suā deputatū. Addā huic sentētiæ aliquid quo magis miremini: nēpe extitisse Philosophos, qui aliquid huic simile nescio quo spiritu viderint. Qua de re sic ad Lucillū Seneca Epist. 3. Sepone inquit in præsentia quæ *Seneca.*
quibusdā placēt. Vnicuique nostrū pędagogū dari Deū, nō quidē ordinariū, sed hūc inferioris notæ ex horum numero quos Ouidius ait, de plebe Deos. Ita tamē hoc seponas volo, vt memineris maiores nostros, qui crediderūt hoc, Stoicos fuisse. Quos enim isti de plebe Deos, nos Angelos vocamus. His igitur Dñs solicitā nostri curā cōmisit. Porro autē quēadmodū is parētibus, quibus educādorū filiorū curā cōmisit, magnā eorundē dilectionē ingenerauit (quæ vel sola diligēter quæ ad eorū salutē pertinent, curat) sic angelis eadē erga homines charitatē cōtulit. Diligunt enim valde nos, quia hoc illis cōmunis omnium Dñs mādauit, sicut Propheta *Psal.* 90.
ait, Angelis suis Deus mādauit de te, &c. Diligūt enim nos tanquā fratres suos, eiusdēq; parētis filios, ad cuius imaginē vtriq; cōditi sumus. Solus enim Angelus & homo ad imaginē Dei facti esse dicūtur: cū cætera omnia nō Dei imagines, sed vestigia eius esse dicātur. ¶ Diligūt etiā tanquā cōciues suos futuros: per quos ruinas

suas instaurari sperāt. ¶Postremo diligunt nos propter parē cum illis (quod ad finē attinet) dignitatē. Quanuis enim homo naturæ cōditione Angelis inferior sit, finis tamen ad quē cōditus est, dignitate (vt D. Tho. ait) par & æqualis est. Neque enim ad altiorem finē supremus Angelorū, quā infimus homo cōditus est. Nō enim (vt D. Aug. ait) aliunde viuit homo, aliunde Angelus. Vtriusque
Luc. 15. enim vita & beatitudo Deus est. Huius autē amoris indiciū est vehementer eos de cōuersione & pænitentia nostra lætari, Gaudiū est enim Angelis in cælo super vno peccatore pænitentiā agente, quā supra &c. Vnde Ber. lachrymas pænitentiū vinum eorum esse ait. Quin etiā pro beneficijs nobis exhibitis, gratias & laudes cōmuni Dño offerunt. Pro summo enim illo incarnationis Dominicę beneficio, nō quidē illis sed nobis impenso, ipsi priusquam nos
Lucæ. 2. laudes Dño cecinerunt, dicentes, Gloria in altissimis Deo: nobisque deinde gratulātur cū subdūt, Et in terra pax hominibus. b. v. Pacis autē nomine hæbrea lingua, bona omnia designantur.

Sed ipsarū iam officia explicemus. Primū quidem ab omnibus nos visibilium & inuisibilium inimicorum insidijs & periculis li-
Psal. 33. berant, Vnde est illud, Immittit Angelus Dñi in circuitu timētiū eum &c. Pro quo Hier. ex Heb. vertit, castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quid igitur hac custodia firmius? Hinc Eccl. canit, In cōspectu Angelorum nolite timere. Vos enim in cord. vestr. ador. & tim. e. Angelus enim eius vobiscū est. Habes exēplum in Helizei famulo, de quo supra. Secundum officium & id quidē præstantius, nos à peccato quātum in illis est, liberare. Quod S. Iudith, de se cōfitetur cum ait, viuit
Iudit. 13. autem ipse Dñs, quia custodiuit me Angelus eius &c. Iudith. 13. ¶Nec à peccatis solum, sed ab omnibus etiā offendiculis quæ ad peccatum nos impellere possunt, occulta quadā suggestione eri-
Psal. 90. pere nituntur. Hoc est enim quod Psal. ait, In manibus portabunt te, ne. f. o. a. l. p. tuum. Vt enim fratres natu maiores infantulos fratres in vlnis gestant: ita Angeli (quos maiores natu fratres appellare possumus) nos homuntiones, hoc est fraterculos suos in manibus portant, vt ab omnibus nos peccatorum offendiculis eripiāt. ¶Tertio, nō contenti nos à malo liberare (cum necesse sit facere bonum) ad hos nos assidue occultis suggestionibus suis inducere conantur. Quod quidem mira Dei prouidentia fit. Cum enim

antiquus

antiquus ille hostis nos ad malum excitare nõ cesset (circuit enim tanquam leo rugiens, quærens quẽ deuoret) nisi esset qui nos cõ- *1. Pet. 5.*
tra ad bonũ excitaret actũ vtique de nobis esset, qui cõparatione eius velut locustæ sumus. Ad perfectionẽ quippe diuinæ prouidẽtiæ spectat remedia aduersus mala omnia prouidere. Subijciamus vel vnũ huius rei exẽplum. Cõtra venenatos colubros (quorũ in insula orientali nomine Cæilã magna vis & copia est) arborẽ quãdã nasci voluit: cuius vel odor solum, præsentissimũ est aduersus hanc pestẽ remedium. Denique præter vnã mortẽ (ad quã peccati merito dãnati sumus) nihil sine remedio est, quanuis remedia frequenter ignoremus. Nõ enim falso Eccl. ait, Omnia duplicia, vnũ *Eccl. 31.*
cõtra vnum, & nõ fecit quidquã deesse. Quartum cũmune officiũ est pijs hominibus in tribulatione succurrere, cuius rei innumera extant exẽpla. Sic Danieli in lacu leonũ esurienti, mittitur ab Angelo per Abacuch prandium. Item tribus pueris in fornace cõiectis adest Angelus qui excussit flammã ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantẽ. Sic Apostolis in vincula cõiectis, adest Angelus carcerẽ aperiens, præcipiensque vt in tẽplo verbum Dei annunciarent. Sic Paulo & Silæ cesis, & in carcerem cõiectis, portæ carceris (vt creditur Angeli ministerio) apertæ sunt. Sic Angelus Paulũ naufragantẽ bono animo esse iubet, & salutẽ omnibus qui cum eo periclitabãtur, propter eũ pollicetur.
Quid vero de Raphaele Angelo dicam? qui mirabili & verè stu- *Raphael Angelus.*
penda ratione in humana forma apparens, in tam longo itinere filij Tobiæ socius fuit, eumque à deuoratione piscis liberauit, matrimonio collocauit, pecuniam à Gabello recepit, senioremque patrẽ à cęcitate liberauit? Poterit concionator si voluerit, his exẽplis cõmemorandis expatiari, nõ sine fructu & iucunditate auditorum. ¶ Quintũ Angelorũ officiũ est, animas curæ suæ cõmissas, si cũ pietate dormitionẽ acceperũt, vt cõmissum sibi depositum cõmuni Dño præsentare. Sic Lazarũ illum mendicũ in sinu Abra *Luc. 16.*
hæ portauerunt. Sic multorum sanctorũ animas cũ canticis etiam & hymnis in cælũ prosecuti sunt. Iam vero cũ ex hac vita in alteram migrandum, & diuino tribunali assistendũ erit, quã salutare nobis erit, hos noui huius itineris duces, & causæ nostræ patronos habere? Ait enim Apostolus, Satutum est hominibus semel mori, *Hebr. 9.*
& post hoc iudicium. Quo tẽpore de tota æternitate nostra sen-

tentia ferenda eſt. In quo quidé iudicio nihil deeſt eorum quæ in humanis iudicijs videmus. Ibi enim Deus erit iudex, homo, velut reus, Patronus hominis, Angelus, Accuſator vero Dæmon. Angelus ergo noſter ibi quidquid pie & religioſe egerimus, proferet ibi, ſi humiles, ſi patientes, ſi ſobrij, ſi miſericordes, ſi fraternitatis amatores, ſi obedientes fuimus, pro nobis allegabit. Contra vero, ſi magis ſeculo quá Deo viximus, non deerit accuſatori noſtro facundia, qua cauſam noſtrã premat. Inſtabit enim ac dicet, Iuſte iudex ad me hæc anima, nó ad te pertinet, mihi enim inſeruiuit, mihi obtẽperauit, iuxta meam non iuxta tuam voluntatem vitá duxit, leges mũdi, atque placita mea, nó tua ſeruauit. Si ego illi ſuggerebã vt peieraret, vt raperet, vt alienã vxorem cócupiſceret, vt aliorum famę detraheret, vt malediceret, vt cõtumelijs proximos afficeret, vt vindictá de lędente ſumeret, vt in ludo alearum opes omnes inſumeret, dicto citius ſuggeſtionibus meis obtẽperabat. Putas ne iſtam te pro Deo coluiſſe? Deus illi pecunia, Deus honor, Deus voluptas, Deus venter extitit. Iſta omnia ſupra te dilexit, horũ gratia te millies offendit, maluitque te quàm iſtis ſuis delitijs carere. Quocirca ſi tu iudicas orbem terræ inæquitate, reddiſque vnicuique iuxta opera ſua, hanc mihi animam adiudicare debes. Hæc & multa alia accuſator iſte ingeret & inculcabit. cui rei exẽplo erit anachorita quidam, cui in agone mortis cõſtituto (vt Ioã. Climacus refert) Dæmon peccata ſua ingerębat. Qui aliquando quidé aiebat, Mẽtiris, nunquã enim tale quid commiſi. Aliquando auté aiebat, verum quidem eſt, ſed huius rei gratia ieiunaui, & pænitentiá egi. Alias vero reſpódebat. Ita eſt, nec habeo quid dicam, niſi eſſe in Deo miſericordiam. Atque in hæc verba animam efflauit, nullum aliud ſalutis ſuæ ſignum nobis relinquens.

Climac.

Sanctus.

Gregor. IVſtus quiſque per rationem homo, per ſacrificiũ mortificationis ſuæ vitulus, per fortitudiné ſecuritatis ſuæ Leo, per cõtemplationé verò efficitur aquila. Grego. hom. 4. ſuper Ezech.

Quanuis occaſio perſequutionis deeſt, habet tamen, & pax noſtra martyrium ſuum: quia & ſi carnis colla ferro non ſubdimus, ſpirituali tamen gladio deſideria in mente trucidamus. Gregor. vbi ſupra.

Percu-

Percutitur Iob vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticē vt nihil in mente vacet à gloria postquam in corpore nihil vacat à pœna. Grego. 3. Mor. lib. 3. c. 3. *Iob. 2.*

Quod autem iustos comparat Lucifero, ideo est, quia in ipsis cognoscimus Deum, quem non videmus, sicut in Lucifero venturum Solem. Greg. Mor. lib. 10. c. 21.

Nullus sanctus & iustus caret peccato: nec tamen ex hoc desinit esse iustus, vel sanctus, cùm affectu teneat sanctitatem. August. de ecclesia. dog. *August.*

Bonum laudare, non laudato, sed laudantibus prodest. Idem super Ioan.

Nihil solicitius prouidendum est, quàm vt solennem diem nō tam ciborum abundantia, quàm spiritus exultatione celebremus: quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare martyrem, quem scimus Deo placuisse ieiunijs. Hiero. in Epist. *Hiero.*

Tria sunt, quæ in festiuitatibus sanctorum vigilanter considerare debemus, auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostram. Auxilium eius, quia qui potens in terra, potentior est in cælis ante faciem Domini sui. Si enim dum hic adhuc viueret, misertus est peccatoribus, & orauit pro eis: nunc tanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras, & orat pro nobis patrem? quia beata illa patria charitatem eius non mutauit, sed augmentauit: imò potius mouit sibi viscera misericordiæ, cùm ante fontem misericordiæ assistit. Debemus etiam, vitam eius attendere: quia quandiu in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, non declinauit, nec ad dexteram, nec ad sinistram: sed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum, qui dicit, Ego sum via, veritas, & vita. Item diligentiori intuitu confusionem nostram aspiciamus: quia homo ille similis nobis fuit, passibilis, ex eodem luto formatus, ex quo & nos. Quid ergo est, quod non solùm difficile, sed impossibile credimus, vt faciamus opera, quæ fecit, vt sequamur vestigia eius? Bernar. in sermo. *Bernar.*

Quādo boni & sancti tāta hic mala patiūtur, aliquis intra se cogitet, & dicat. certū est rerū Dn̄m nō respicere, quæ nostra sunt, negligere humana, nō curare terrena. O quicunq; ille es, quomodo respicis sanctorū labores, cur nō respicis remunerationes? Ecce *Euseb. Emiss.*

per

per totũ mũdũ in ſanctis Apoſtolis atq; martyribus felicitati aduerſitas viã fecit: ſaluti perditio militauit, & oſtiũ, dũ vitę claudit, gloriæ patefecit: & in Deum fiduciam collocantibus, dum terram inuidet, cælum parauit. Hoc ergo in exemplum patientiæ humano generi prouidẽtia diuina propoſuit. Quæ cum ita ſint, falſo miſer putatur, qui in virtute non læditur. Euſe. Emiſſe. in hom.

Chryſoſt. Quę eſt iſta iuſtitia, ſanctos colere, & ſanctitatẽ cõtemnere. Primus gradus pietatis eſt: ſanctitatem diligere, poſtea ſanctos: quia nõ ſancti ante ſanctitatẽ fuerũt, ſed ſanctitas ante eos. Sine cauſa ergo iuſtos honorat, qui iuſtitiam ſpernit. chryſo. ſup. Mat. c. 24.

Antiſth. Antiſthenes interrogatus, quid feſtum eſſet, dixit: Ingurgitationis occaſio.

COLLE. ¶ Ait Dñs ad amicos Iob, Faciẽ eius ſuſcipiã, vt nõ vobis imputetur ſtultitia. Vides ergo aliorum oratione alios iuuari, atque præcipue ſanctorũ, & propterea & inuocãdos, & deuotè colẽdos eſſe? Sic Dñs in Euangelio, videns eorum fidem, qui paralyticum portabant, ait, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Super quo Ambroſius ait, Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoſcit alijs: & dum alios probat, alijs relaxat errata.

Iob. 42.

Matt. 9.

Pilos barbæ regis, quandiu mento illius adhærent, nemo audet cõtingere: at vbi à tonſore reſecati ſunt, in ſterquiliniũ mittũtur, & pedibus cõculcantur. Sic dum homines per gratiã chriſto vniti ſunt, in magno pretio habẽtur, & ab Angelis honorãtur: at vbi ab eo per peccatum auulſi ſunt, pedibus etiã Dęmonum proterũtur.

4. Re. 13. Pater mi, Pater mi, currus Iſrael & auriga eius, Hoc eſt, (vt gloſſa quædã exponit) qui prece tua inſtar es omniũ curruũ, & equitũ, ad Iſraelitici populi munimẽtum. Certe ex hoc loco intelligitur verũ eſſe, quod in Prouerbijs legimus: In benedictione iuſtorum, exaltabitur ciuitas. Ad hoc itẽ ſpectat, quod legimus in Pſalmo, Et dixit vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet, in confractione in conſpectu eius. Pro confractione autem alij interpretati ſunt, in ruina muri, vt reprimeret impetum eius. Eſt autem eo in loco ſimilitudo ſumpta à viris fortibus, & amore patriæ vehementer incenſis: qui cùm murus tormentis hoſtium, atque machinis deijcitur, ſe ſe in ea parte, quæ ruinis maximè ſtrata eſt, pro muro opponunt, ad hoſtium impetum ſuis corporibus exci-

Prou. 11.

Pſal. 105.

excipiendum:vt cùm certo vitæ periculo perniciem à patriis de-
pellant.Non aliter enim se gessit Moses:nam cùm Iudæorũ pro-
pugnaculum,quod in fidei religione consistebat, eorundem re-
bellione disiectum esset:nihilque impediret,quo minus ira diui-
na in homines omni firmo præsidio nudatos inuaderet, eosque
ad internecionem deleret:Moses studio communis salutis inflã-
matus,se se diuinæ iustitiæ telis obiecit,& exposuit:neque recusa-
uit,quin supplicio suo omnium impietatem lueret. Sic igitur fusis
cùm ardentissima suorum charitate precibus,numinis ipsius impe-
tum repressit.

Exemplorum clarissimorum magna in Ecclesia vis est, quibus
& ad pugnam roboramur,& in aduersis ad patientiam erudimur.
De his autem canti.4.scriptum est,Sicut turris Dauid, quæ æ.e.c. *Cant. 4.*
p.mille clypei pendent ex illa:omnis ar.f. Quid sunt autem cly-
pei,quibus corpus ab hoste tegimus,nisi exempla Sanctorum,qui-
bus nos in aduersis munimus.Rectè enim dictum est, Facta præ-
cedentium pensemus,& grauia non sunt, quæ toleramus. Genti-
les Philosophi vix alios habent,quos sibi ad virtutis exemplũ fre-
quentes proponant,quàm Socratem,& Catonem:paucosque alios
his similes:at nobis infinita passim sanctissimorum Patrum exem
pla occurrũt.Vnde rectè dictũ est.Mille clypei pẽdẽt ex illa,&c.

Vbi nos legimus,comæ eius sicut elatæ palmarum,verbũ pal- *Cant. 5.*
marum,nec in Græco nec in Hebræo reperitur.Græce enim ha-
betur comæ eius elatæ,nigræ quasi coruus. Ex Hebræo vero ad
verbum legitur, Cincini eius crispi siue crispantes : nigri qua-
si coruus. Quod de capillorum Sponsi pulcritudine Sponsa di-
cit,ad sanctos referendum est, quia à Christo capite deriuantur,
& ab eo nutriuntur : quoniam de plenitudine Christi capitis
nostri omnes accipimus gratiam pro gratia. capilli autem crispi
partim virilem fortitudinem, partim eleuationem mentis ad su-
perna designat:quod vtrumque sanctis maximè conuenit, quorũ
vita omnis in expugnanda carne,& eleuanda in Deum mente, cõ-
sumitur.Quod verò nigros capillos esse ait,sanctam piorum tristi
tiam,& humilitatem designare videtur. Cor enim sapientis vbi
tristitia,Et,Beati,qui lugent,quoniam ipsi consolabuntur. Quæ
enim secundum Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabi-
lem,operatur.Hinc D.Hieronymus de se ad Eustochium scribit,
Quo-

Quotidie lachrymæ, quotidie gemitus, &c. Quo etiam nomine turturi fidelis anima comparatur: quæ in continuo gemitu est, gemitumque habeat pro cantu.

Non minorem Deus Ecclesiæ suæ, quàm huius mundi curam habere, sed multo etiam maiorem, certum est. Quamobrem de christo ac beata Virgine, cæterisque sanctis (quorum exemplis, atque doctrinis mundus illuminatur) illa Genesis verba accipienda sunt, Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac no-
Gene. 1. ctem: vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti. Hæc duo luminaria magna ad Christum & beatiss. Virginem referenda sunt. Fecit item & stellas: & posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent super terram,
Matt. 5. & præessent diei, ac nocti. Sanctis quippe viris dictum est, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona,
Philip. 2. & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. De ijsdem quoq; Apostolus ait. Vt sitis sine reprehensione in medio nationis prauæ, atque peruersæ: inter quos lucetis, tanquã luminaria in mũdo. Daniel quoque ait, Qui docti fuerint, fulgebunt tanquã splendor
Dani. 12. firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Quod vero ait quædam luminaria nocti, quædam diei præesse, hoc nimirũ insinuat quosdam sanctorũ innocentiæ, quosdam pœnitentiæ præesse. Dauid namque, & Maria Magdalena, similesque, nocti, id est pœnitẽtibus præsunt: quibus & pœnitentiæ exẽplum, & orationis suffragium, & spei firmamẽtum prębent. cæteri verò sancti, qui innocentiæ virtute excelluerunt, diei, hoc est, innocentiæ studiosis præsunt.

Gene. 6. Vbi ingressi sunt filij Dei ad filias hominũ, orti sunt ab eis viri celebres, atque famosi. quo in loco (vt ea prætermittamus, quæ de hoc congressu varie dicuntur) illud certe intelligimus, præclarã naturæ & ingenij indolem cùm diuina gratia coniunctã, viros parere insignes: qui Eccleliã maximè splendore doctrinæ, & clarissimis ingenij sui monumentis illustrarunt. Quales Aug. Ambr. Hiero. Basilius, Chrysost. D. Thom. cæterique insignes Ecclesiæ doctores fuere: quorũ summum ingenij acumen cùm diuina gratia coniunctum, Ecclesiam mirificè illustrauit: quòd alterutrum alterius auxilio destitutum, minus splendescere potuisset. Hinc

Poetæ

Poetæ olim finxerunt impenetrabilia esse arma illa, quæ Mineruę & Vulcani opera fabricata essent. Quo figmento scientiam virtutis ardori, ac studio copulatam, summos homines efficere, significarunt. Scientiam enim Mineruæ, ignem vero Vulcano gentilitas tribuebat.

Sanctos viros ciuitatibus esse præsidio satis aperte illa Domini promissio declarat, qui eo vsque processit, vt si, vel decem iustos Sodomis inueniret, vniuersis ciuibus parceret. Item cùm Sesach, rex Ægypti cepit Hierusalem, & aurea Salomonis scuta populatus esset, non est permissus à Deo vastare cuncta: quoniam bona inuenta sunt in Iuda: hoc est boni viri, & religionis cultores, quorũ pietati Dñs reliquorũ ciuium salutẽ donauit: quẽadmodũ nauigante Romam Paulo, omnes, qui cum illo nauigabãt, propter illũ seruauit. Sic etiã in libro Numerorum populari seditione orta, ad Mosen & ad Aaron Dñs ait, Recedite de medio huius multitudinis, etiã nũc delebo eos: quasi hoc facere nõ posset, quamdiu duo illi viri iusti in medio rebellis populi erant. Angelus verò Domini Sodomam vastaturus, vrget Loth, vt celeriter inde migret, Quia non potero, inquit, facere quicquam, dum tu in hoc loco moratus fueris. Vide quam reuerentiam Angeli pijs hominibus exhibeant: qui sceleratos, & impios homines vastaturi, nihil audent, quandiu inter illos viri sancti cõmorantur. *Gene. 29. 3 Reg. 14. Num. 16. Gene. 16.*

Armati ascenderunt filij Israel de Ægypto & ossa Ioseph secũ tulere: vt intelligas eos qui ad promissam cœlestis Patriæ hæreditatem pergunt armari protinus aduersus repugnantem mũdum, & insidias Diaboli oportere. Ossa verò Ioseph secùm afferre est, sanctorum hominum memoriam, & virtutum exempla ad mentem reuocare: ac præcipuè verum Ioseph christum seruatorem mundi, in cruce pendentem visione apprehendere, & illud implere, quod à nobis ipse requirit, cum ait. Pone me quasi signaculum super cor tuum, & super brachium tuum. *Exod. 13.*

Ciuitas Segor à Sodomæ incendio propter orationẽ Loth liberata est, quod is, eam sibi ad perfugium elegerit. Ecce enim ait Angelus, in hoc suscepi preces tuas. Hoc exemplo quis non videt, quantum orationes & præsentia iustorum ciuitatibus conferat? *Gene. 19.*

Qua in re potissimum vera sanctitas sita sit, Origenes super illo verbo Leuit. 11. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum (dicit Dominus) *Leui. 11.*

Dominus) declarat his penè verbis, Nomen hoc Sanctus, quid in scripturis diuinis significet, diligentius inquirendum est. In his ergo non solum homines sanctos appellari inuenimus, sed etiam primogenita animantium, quæ Domino consecrantur, & similiter, vestes sanctæ pontificis & vasa sancta, & huiusmodi omnia, quæ in solius Domini ministerium deputata sunt, & ad vsus alienos accommodari non possunt, merito sancta, id est, soli Domino sanctificata, & consecrata dicuntur. His ergo obseruationibus & legibus etiam homo sanctus appellatur. Si quis enim se ipsum deuouerit Deo, si quis nullis se negotijs secularibus implicauerit, nō quærens ea quæ sunt super terram, sed quæ in cœlis sunt, iste merito sanctus appellatur. Donec enim permixtus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, nec vacat soli Deo, nec segregatus à vulgo est, non potest sanctus appellari. Denique & ipse sermo in græca lingua (quod dicitur agios) quasi extra terram esse significat. Quicunque enim se consecrauerit Deo, merito extra terram, extra mundū esse debet: possunt enim & ipsi dicere, super terram ambulantes, conuersationē in cœlis habemus.

Apostolus.

Gregor. SAnson in maxilla asini hostes peremit: sic etiam Christus ruditatem Apostolorum suæ virtutis manu tenens, mundum conuertit. Ipsa verò maxilla in terram proiecta, post modum aquam fudit, quia, & sanctorum corpora sepulta, miraculis claruerunt. Greg. mor. lib. 13. c. 8.

August. Dedit Dominus potestatem Apostolis super naturam, vt eam curarent: super Dæmones, vt eos euerterent: super elementa, vt ipsa immutarent: super mortem, vt eam contemnerent: super Angelos, vt corpus Domini consecrarent. Hæc etiam potestas data est eorum successoribus, secundum illud Apoca. *Apoc. 6.* Hi habent potestatem claudendi cœlum, & conuertendi aquam in sanguinem. Aug. in sermo. de Apostolis.

Bernar. Scimus quòd viri isti nec sibi vixere, nec sibi sunt mortui: sed ei, qui pro ipsis mortuus est: magis autem nobis omnibus propter illum. Pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, & etiam mors ipsa, Ijdem in conuersatione eminentiam, in prædicatione sapientiam,

tiam, in passione sua patientiam, nobis beati Apostoli contulerũt: qui etiam vsque hodie conferre non cessant, misericordia pleni, & sanctarum orationum fructibus. Bernar. in sermone S. Petri, & Pauli.

Basilius tractans illud Matthæi. 5. Vos estis lux mundi, Veniente ait luce diei, ægritudines alleuiantur, homines à somno excitãtur, aues garriunt, bestiæ ad latibula sua fugiunt. Sic luce Apostolorum veniente, mundus fuit ædificatus in credendis, fœcundatus in operibus bonis, alleuiatus peccatis, excitatus à negligentijs, animatus ad contemplationem cœlestium, ereptus à potestate Dæmonum. *Basil.*

Sicuti pauperes cum thesauros regios aspiciunt, suam paupertatem amplius agnoscunt: ita & anima magnificas patrum virtutes relegens, mentem suam amplius humiliat. climacus. Gradu. 15. *Clima.*

O Paule cœli ciuis, Ecclesiarum columna, Angelus terrestris, cœlestis homo. Sicut enim missum in igne ferrum totum profecto ignis efficitur: sic Paulus charitate succensus, totus effectus est charitas. Chrysost. de laudi. Pauli Hom. 1. *Chrysost.*

¶ Frequentissimus ac penè perpetuus operandi modus Deo est, vt per infima atque infirma mundi, ea quæ sunt potẽtissima deijciat. Sic Sanson in mandibula asini Philisteorum agmina fudit. Sic Sangar sexcentos viros interfecit vomere. Sic Dauid funda & baculo Gigantem deiecit. Sic per pedissequos pueros principũ prouinciarum exercitũ Syriæ fugauit. Sic per Gedeonem & tercentos viros Madianitarum vires fregit. Sic per Iudith exercitum Assyriorum profligauit. Denique culicibus, muscis, atque ranis bellum intulit Pharaoni: idemque ne sui dissimilis esset, ad expugnandum vniuersum mundum, & mundi principem Diabolum, piscatoribus vsus est: Quod quidem vates regius significauit, cùm ait, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, &c. Quod proinde est, ac si diceret, Hoc imprimis vim, & salutarem potentiã tuam declarauit, quòd per Apostolos tuos, homines rudes, & indoctos, & simplicibus pueris similes, nomen tuum percunctas nationes fama celebrasti, & asperrimam Diaboli tyrannidem (qui vbique terrarum colebatur) funditus euertisti. COLLE.

Apostolorum dignitatem, & gloriam declarat lapidũ pulchritudo

tudo, quæ templo Domini fundamentum præbuerũt. De quibus 3. Reg. 5. legimus, Præcepitque rex, vt tollerent lapides grãdes, lapides pretiosos in fundamentũ templi, & quadrarẽt eos, quos dolauerunt cementarij Salomonis, & Hiram. Hoc ad spiritualis templi, hoc est Ecclesiæ fabricam spectat. Quis enim ad ædificij fundamentum excultos lapides aptari vidit, cũ ad hoc rudissimi quique eligantur? Quocirca huiusmodi lapidum electio mysterio vacare non potuit.

Martyr.

Gregor. SIcut beatus Cyprianus ait, martyrem non facit pœna, sed causa. Greg. in Regis.

Mori à persequente, martyrium in opere est: ferre vero contumelias, & odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Idem in hom.

Habet pax nostra martyrium suum: quia & si carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria trucidamus. Idem ibidem.

Isidor. Duo sunt genera martyrij: vnum in aperta passione, alterum in occulta animi virtute. Nam multi hostis insidias tolerantes, & cunctis carnalibus desiderijs resistentes, per hoc quod se omnipotenti Deo in corde mactauerunt, & pacis tempore martyres facti sunt, Isidor. in Etymo.

Chrysost. Habet paupertas martyrium suum: & egestas bene tolerata facit martyrium, sed egestas propter christum, non propter necessitatem. Chrysost. in sermo.

Hierony. Non solum effusio sanguinis in confessione martyrium reputatur, sed deuotæ quoque mentis seruitus, quotidianum martyriũ est. Hiero. in vita S. Paulæ.

Hæc est sola digna retributio, cum sanguis sanguine compensatur, & redempti cruore Christi, pro redemptione libenter occũbimus. Idem in Epist.

Bernar. Stat martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore: & rimante latera ferro, non solum fert fortiter, sed alacriter sacrum è carne sua circunspicit ebullire sanguinem. Vbi ergo tũc anima martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu. Bernar. super Canti.

In petra habitans,quid mirum si in modum petrę duruerit?Sed neque hoc mirum,si exul à corpore, dolores nõ sentiat corporis: neque hoc facit stupor,sed amor.Submittitur enim sensus, non amittitur:non deest dolor,sed contemnitur. Idem ibidem.

Est martyrij genus & effusio quædam sanguinis,in quotidiana corporis afflictione:est etiam baptismus aliquis in compunctione cædis & lachrymarum assiduitate:sic quippe infirmis & pusillis corde necesse est,vt quem semel ponere pro Christo non suffi ciunt,saltem mitiori quodam,sed diuturniori martyrio sanguinē fundant.Sic & baptismi sacramentum,quoniam iterari non licet, his qui sæpius in multis offendunt, frequentiore ablutione suppleri.Idem in sermo.

Aliud est martyrio animum deesse,aliud animo defuisse martyrium.Cypria.in serm.de Mortalitate. *Cypria.*

Alij martyres in vinculis carcerum gloriantur,alij cæsi in verberibus gratulantur, alij potestati irreligiosorum desecanda felicium capitum colla cõmittunt:plures in extructos rogos curriũt, & trepidantibus pœnæ ministris in ignem saltu deuotæ festinationis insiliunt:alij in profundum demergendi,non in aquas necaturas,sed in refrigerium æternæ beatitudinis decidunt,toto ipso se corpore Deo hostiam tanquam holocausta præbentes. Hilari. *Hilari.*

Martyres in medium procedentis,se se Christianos esse cõfessi sunt.O beatas linguas,quæ sacram illam vocem emiserunt, quam aer quidem excipiens,sacer est factus:angeli audientes plauserũt: diabolus vero cum dæmonibus magnam accepit plagam, Dominus postremo in cœlo descripsit.Basil. *Basil. Hom.40. militum Martyr.*

Primũ quidē sanctorum mors planctu & lachrymis cohonestabatur:nũc vero moriētibus sanctis exultamus.Tristiũ nanq; post crucē Dñi immutata est natura:iã nõ amplius sanctorũ obitus lamētationibus prosequimur,sed tripudijs circũ ipsorũ sepulcra & veluti choreas ducimus.Et mox,Pericula nõ respicit martyr,coronas respicit,plagas nõ horret,sed præmia munerat. Idem de Barlaam martyre.

Dimicauerunt patres nostri contra asperrimos dolores, nos è contrario dimicemus contra mollissimas voluptates. Vicerunt illi tormenta flammarum,nos vincamus ignea tela vitiorũ. Nam quia esse nouimus sine persecutore bellũ,potest dare Deus & sine *Euseb. Emiss.*

cruore martyrium. Etenim si istos dies natales vocamus, quibus in hanc lucem in delictis & doloribus nascimur ad dolores, quibus in hunc mundum cum fletu infantiæ vagientis ingredimur: iustius ergo isti celebrantur natales, quibus sancti ex corruptibili luce, in nouam illam futuri seculi veniunt claritatem, & filij hominum in adoptionem diuinæ paternitatis ascendunt: & consortes paulo ante mortalium, subito ciues incipiunt esse Angelorum. Euseb. Emiss. in hom. de Natal. S. Genesij.

Discite, inquiunt Martyres ex nobis fidem quærendo acquirere, viuendo excolere, moriendo seruare: discite plus peccatum timere quam gladium, discite propter vitam magis iustitiam amare quam vitam, fidemque & timorem Dei. Quem nos in media belli tribulatione seruauimus, obseruate ne vos in pacis securitate perdatis. Cauete ne anchoram spei ac religionis quam nos custodiuimus in fluctu, vos amittatis in portu. Cauete ne vitam bonam si quando afflictionibus subditam videritis, miseram iudicetis. cauete ne in arena mũdi, in qua ad subeundos agones missi sumus, aliquam felicitatem expectandam putetis. Beatitudo parari hic potest, non potest acquiri. Non hic quæras, quod hic nullus sanctorum obtinuit: non hic quæras, quod hic nec Christus inuenit. Si mundus pacem haberet, gloriam martyres non haberent. Idem in homi.

Homo.

Gregor. NON se desperet humana fragilitas, vnigeniti sanguinem consideret, & in pretio suo conspiciat quanti est, quod tãti valet. Greg. mora. lib. 4. c. 17.

Iob. 13. Super illud, Contra folium quod vento rapitur, Homo ait est folium, quia in paradiso ab arbore cecidit: & quia tentationibus rapitur, desiderijs leuatur. Ait ergo, Contra folium quod vento rapitur, id est, cur tanta rectitudine impetis eum, quem sic infirmum esse in tentatione cognoscis? Greg. mor. lib. 11. c. 24.

Bernar. Attende, quid fuisti ante ortum & quid es ab ortu vsque ad occasum, ac quid eris post hanc vitam. Vnde quidam ait.

Forma, fauor populi, feruor iuuenilis, opesque
Subripuere tibi, noscere quid sit homo.

Post

Post hominem vermis: post vermem fœtor & horror:
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Heu, hominum vnde iste fastus? ista superbia? cuius ærumnosa necessitas, cuius vitam laboriosam deuoluit pœnalitas: cuius pœnalitatem pœnalior mortis concludit necessitas: cui esse momentum, vita naufragium, mundus exilium cui vita aut abest, aut spondet absentiam mors aut instat aut minatur. Alanus lib. de complanctu naturæ. *Alanus.*

Sunt homines qui rationem à dijs immortalibus datam in fraudem malitiamque conuertunt. Cice. lib. 3. de natura Deorum. *Cicero.*

¶ Homo inter duas valde dissimiles species, medius constitutus est, brutorum videlicet & Angelorum. Totam autem latitudinem (quæ media interiacet) natura humana occupat: ex quo tam varia hominum ingenia moresque proficiscuntur: qui non minus ingeniorum varietate, quàm oris & vultus figura distant. Prout enim hi alterutri horum extremorum propiores sunt, sic vel Angelorum, vel brutorum naturam participant. Quidam enim à crimine & perspicacia ingenij Angelis propiores quodammodo esse vidétur: quales (vt de nostris nihil dicam D. Thom. Aquinate & Augustino, qui in confessionibus fatetur se disciplinas omnes sine præceptore didicisse) Aristotelem cum primis, & Platonem & M. Tullium esse aiút: quem Plinius extra omnē ingenij aleam positum esse testatur. Quidam vero adeo rudes atque hebetes ingenio sunt, vt brutis proximi esse videantur, qui videlicet præter corporis figuram, vix rationis aliquid habeant: ideoque non tam consilio & ratione, quàm impetu & affectu pecudū more ducútur; quos etiā Barbaros appellare solemus. Hæc autem cósideratio cum ad alia multa, tum præcipue ad hoc valet, vt ingeniosi & sapientes viri, minus aduersus ignorantias & errata rudiū hominum commoueantur: quos natura tales finxisse videtur: ad quam superandam multa vi, singularique Dei fauore opus est. *COLLE.*

Habet homo proprium quiddam inter cætera animātia, vt D. Thom. philosophatur, Cætera enim in ijs quæ ad naturæ suæ conseruationem spectant, nihil aberrant: neque quidquàm aduersus naturam suam machinantur: Solus aut homo, cum rationalis creatura sit, multa atque adeo innumera contra naturæ suæ dignitatem,

nitatem, imo & contra salutem & vitam suam molitur. Huius autem deordinationis causam idem D. Thom. esse ait quòd homines vt plurimum, sensum & affectum, non rationis ductum in operando sequuntur. Illi autem qui tales sunt, magis inter pecudes, quam inter homines numerandi esse videntur. Si enim (vt modo diximus) eos qui nihil ingenij acumine valent, inter bruta magis quàm inter homines computamus (quod quidem sine ipsorum vitio fieri potest) multo magis illi qui non ratione sed impetu & affectibus ducuntur (quod vitio non caret) inter pecudes numerandi sunt, etiam si in amplissima familia nati sint. ¶Vide etiam hac de re. T. Humanæ vitæ miseriæ, &. T. vita, &. T. cognitio sui.

Mulier.

Hierony. VIX est ita turpis, aut senio confecta quæ non gaudeat, & libenter audiat, si dicatur esse pulchra. Delectát castas etiá præconia formæ. Hiero. in Episto.

Hugo de S. Victo. *Prou. 5.* Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. In fauo enim duo sunt, mel & cera: & in facie meretricis similiter duo: scilicet decor & gratia. Hoc est, pulchritudo oris, & dulcedo sermonis: cera succendit ignem mel præbet dulcedinem: Sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blándimento verò lenocinantis sermonis subuertit mentem. Stillat mel dum meretrix verba sua mollit, & facit dulcia. Hanc dulcedinem æternæ mortis amaritudo comitatur. Vnde sequitur nouissima eius amara, quasi absynthium, acuta, quasi gladius biceps. Diligit mulier vt capiat: decipit, vt rapiat: amat, quod habes, non quod es. Hugo ad socium volentem vxorem ducere.

Chrysost. Improba mulier nunquàm mansuefiet, si durius tractetur, furit, si blandius, tollitur, & elata est. Chrysost.

Ferrum coquere quàm mulierem castigare, facilius. Idem.

Qui habet vxorem malam, suorum se peccatorum mercedem accepisse intelligat. Idem.

Nulla in mundo bellua est, quæ cum muliere improba conferatur. Idem.

Acerbum est, pauperiorem duxisse vxorem, acerbum item opulentiorem.

lentiorem. Illud enim rem, hoc authoritatem & libertatem viri minuit & lædit. Idem.

Calidissimum est mulieris ingenium, ad mentem viri luxandã, & à statu suo deturbandam, maxime si fuerit intemperans. *Philon.*

Sui amans est mulier, & zelotypa, ac mire industria, vt posit vi ri mores peruertere. Idem.

Cùm Democritum quidam percontaretur: cur cum magnus esset, paruam duxisset vxorẽ. Ego (inquit) in malo eligẽdo, quod minimum erat, elegi. Democritus. *Democri.*

Cùm te diligere, & appetere dixerit mulier, tum ab illa magis metuendum tibi est, quàm cum conuitiatur. Socrates. *Socrates.*

Socrates se consulentibus de ratione matrimonij contrahendi, dixit: Quemadmodum pisces ò adolescentuli, qui nondum intra nassas sunt, volunt intrare: qui autem iam intus sunt, volunt exire: sic & vos, ne idem vobis accidat, vide te. Idem.

Vindicta nemo magis gaudet, quàm fœmina. *Adilon.*

Ignis, mare, mulier, tria mala. *Adilon.*

Audax est ad omnia quæcunque amat vel odit fœmina, & artificiosa est nocere cum vult. Sed ne longo dispendio te suspendam, lege Aureolum Theophrasti, & Medæam Iasonis, & vix pauca inuenies imposibilia mulieri. Amice, det tibi Deus omnipotens, omnipotentis fœminæ fallacia non falli. Valerius in Epistola ad Ruffum. *Valerius.*

¶Mulier est animal calamitosum. Illi enim dictum est, multiplicabo ærumnas tuas, &c. Hinc Lya nascentibus filijs gratias Domino agebat, & nomina illis, hanc animi sui gratitudinem testantia imponebat: quæ tamen nata filia Lya, nihil legitur dixisse. COLLE. *Gene. 3.*

Vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes. Non poterat hoc periculum magis amplificari, quàm illud vino comparando, quod mentem hominis prorsus alienat. Id satis patet Dauidis, & Salomonis exemplo.

De malitia, & moribus mulierum multa inuenies Ecclesiastici. 25. Omnis (ait) plaga tristitia cordis est, & omnis malitia, nequitia mulieris. Et omnem plagam, & non plagam videbit cordis, & omnem nequitiam, & non nequitiam mulieris. Pro quo alius vertit apertius. Summa plaga est mœror animi, summaque ma- *Eccl. 25.*

 litia,

litia, malitia mulieris. Cedo quanuis plagam, modo ne plagam animi: & quanuis malitiam, modo ne malitiam mulieris, & cætera, quæ sequuntur. Quæ omnia non ad omnes mulieres, sed ad quarundam malitiam potissimum pertinent: quibus cohabitare non solum periculosissimum, sed etiam molestissimum est. Capite verò sequenti, de vtroque mulierum genere malarum scilicet, & bonarum copiose loquitur.

Humanæ naturæ, post lapsum miseriæ atque conditio.

Gregor. HOmo, qui si non peccasset, etiam carne spiritualis futurus erat, factus est peccando etiam mente carnalis. Quare sola cogitat corporalia. Gregorius Moralium libro. 5. capite. 24.

Culpæ suę pœnaliter subdita natura nostra, iam extra naturam suam facta est. Greg. mor. lib. 8. c. 11.

Iob. 15. Super illud, Vt iustus appareat natus de muliere, sic Gregor. Quomodo iustus apparebit, qui de illa natus est, quæ extitit iniustitiæ propinatrix. Greg. mor. lib. 12. c. 15.

Quia humanæ naturæ ramus putriuit in radice, ideo in conditionis suæ viriditate non subsistit. Gregorius Moral. libro. 10. capite. 8.

August. Humanæ naturæ corruptelam declarat D. Augustinus hoc exẽplo. Arbor erat pirus in vicinia vineæ nostræ pomis onusta, nec forma, nec sapore illecebrosis. Ad hanc excutiendam atque asportandam nequissimi adolescentuli perreximus nocte intempesta, & abstulimus inde onera ingentia, non ad nostras epulas, sed vel proijciẽda porcis, etiam si aliquid inde comedimus, dum tamen fieret à nobis, quod liberet, quod non liceret. Ecce cor meum Deus meus, ecce cor meum, quod miseratus es in imo abyssi. Dicat tibi nunc ecce cor meum, quid ibi quærebat, vt essem gratis malus, & malitiæ meæ causa nulla esset nisi malitia. Fœda erat, & amaui eam: Amaui perire, amaui defectum meum. August. confess. lib. 2.

Quis

Quis fecit me? non ne Deus meus? non tãtum bonus, sed ipsum bonum? Vnde igitur mihi male velle, & bene nolle, vt esset cur iuste pœnas luerem? Quis in me hoc posuit, & inseruit mihi plantarium amaritudinis, cum totus fierẽ à dulcissimo Deo meo? Si diabolus autor, vnde ipse diabolus? Quod si & ipse peruersa voluntate ex bono Angelo diabolus factus est, vnde & in ipso, voluntas mala qua diabolus fieret, quando totus Angelus à conditore optimo factus esset bonus? His cogitationibus deprimebar iterum, & suffocabar. August. confes. lib. 7. animi sui æstus ante cõuersionem declarans.

¶Maximam hominum vanitatem esse credidit, Propheta cum dixit. Veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens. Quid enim maius dici potuit, quàm illum non modo vanitatem, sed vniuersam vanitatem appellare? Item illud, Veruntamen vani filij hominum, &c. Quid quæso vanius eo, qui quoniam strutionis, aut alterius auis pennã in pileo gestat, penna ipsa leuior incedat? & hac re tam vana gloriam à spectatoribus aucupetur? seq; propter hoc spectabilem omnibus esse credat? COLLE. *Psal.* 38. *Psal.* 61.

Naturæ corruptio quanta sit, vel hoc argumento colligi potest, quod inter accipitres ij etiam qui viribus & corporis magnitudine præstant: etiam si feri, & siluestres sint, triginta tamen dierum spatio, aut paulò plus ita ad homines assuescũt, vt in sublime, ac pene super nubes volantes, ad vocantis manum & vocem securi auolent, adeò naturalem feritatem paucorum dierum consuetudine dediscunt: homo autem post triginta & eo plus annos seruatæ pudicitiæ, adhuc stimulis carnis frequenter impetitur: vixq́ue naturalem eius pruritum ac titilationem euadere potest.

Miro modo natura per peccatum inuersa est. Rationis enim erat affectus animi dirigere, qui natura sua cæci sunt: modo vero vsque adeo homo affectuum suorum imperio addictus est, vt rationis in plerisque munus sit, non affectus dirigere, sed affectibus obsequi, hoc est, viã quærere, qua affectibus & cupiditatibus impune & suauiter indulgere posit. Quò fit, vt ratio ipsa, à conditionis suæ nobilitate degenerans, in carnis quodammodo naturã versa sit. Sicut enim, qui adhæret meretrici, vnum cum ea corpus efficitur: ita cum ratio adhæret carni, caro quodammodo & ipsa

fit, vel (quod grauius est) vilissimum carnis mancipium, dum vim omnem suam in explendis carnis cupiditatibus impendit, quæ tamen antea Deo adhærens vnus cum eo spiritus erat.

Eccl. 42. Abyssum, & cor hominis inuestigauit. Per cor hominis nõ tàm cogitationes hominis (quas qui habet intelligit) quàm malitiã humani cordis (quæ soli Deo nota est) intellexit. De qua idem alibi

Eccl. 17. ait, Quid nequius, quàm quod excogitauit caro & sanguis? Et illud. Ipse enim sciebat quid esset in homine. Tria igitur hæc inter se comparantur, Deus, abyssus, & malitia cordis humani quæ per peccatum contigit. Hæc autem consideratio veram cordis humilitatem, timorem castum, & solicitam sui custodiam parit: cum talem intra se hospitem gerere pius homo animaduertit.

Mirabile dictu est, quantum homo & intelligat, & ferueat ad humana, quantumque langueat & torpeat ad spiritualia atque diuina. Ad illa linceos oculos, & aquilarum alas, ad hæc vero talpa cæcior & testudine tardior est: cum illa tamen leuissima, ista, & maxima, & summa sint. Vnde ergo hæc tanta peruersitas? Nimirum ex lapsu naturæ per peccatum: Ante peccatum enim homo sicut ad supernaturalia & diuina destinatus erat: ita supernaturalia quoque dona & instrumenta ad hunc finem acceperat: Vbi verò in peccatum lapsus fuit, his cœlestibus donis, quibus instructa natura erat, spoliatus est. In hoc igitur statu positus, nihil mirum si ad spiritualia torpeat, ad naturalia vero solertissimus, atque promptissimus sit. Sicut aqua natura & sponte sua deorsum fertur, quæ tamen nisi arte & ingenio sursum ferri non potest: ad hunc modum (vt D. Thomas ait) homo sibi ipsi relictus, ad opera naturæ suæ conuenientia habilis atque propensus est: ad supernaturalia verò, nisi aliunde iuuetur, ineptus. Ante peccatum enim in regione diuini amoris positus erat, modo vero in regione proprij amoris vitam agit: ideoque se supra omnia diligit, se in omnibus quærit, ad se omnia ordinat, propter sua commoda captanda: aut incommoda vitanda, terras & maria lustrat: ferrum & ignem non veretur, dummodo corporis cõmoditatibus aut voluptatibus consulat: qui tamen vix vnius diei ieiunium propter Deum sustinet.

Sicut intra venas silicis ignis quodammodo latet: qui tamen ferro ictus, foris erumpit: ita intra viscera nostra latet ignis con-

cupi-

cupiſcentiæ: qui tamen oblatis occaſionibus excitatur: dum aut ea videmus, aut audimus ſiue tractamus, quæ hunc ignem excutiant, vt omittam interim eam eſſe cupiditatis noſtræ malitiam, vt interdum etiam ſine externo aliquo obiectu vi ſua excitetur. De hoc enim illud accipiendum videtur, Non credas inimico tuo in æternum: ſicut enim æramentum, ſic æruginat nequitia illius: (hoc eſt ex ſe rubiginem producit) & ſi humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum, & cuſtodi te ab illo. Aptiſsima ſimilitudine naturæ noſtræ corruptelam ſignificauit: quæ ita per peccatum læſa eſt, vt etiam ſi externa vi ad malum non impellatur: ipſa tamen ex ſe variarum cupiditatum ferruginem generet. Hinc illud, ſenſus enim & cogitatio cordis humani ad malum prona ſunt, ab adoleſcentia ſua. Quod autem ait, non credendum eſſe huic inimico (hoc eſt corpori noſtro in æternum) ſignificat nunquam hominem in hac vita ad eum virtutis gradum pertingere poſſe, vt non illi ab hoc hoſte timendum ſit. Cupiditas enim in hac vita minui poteſt, finiri non poteſt. *Eccl. 12.* *Geneſ. 8.*

Quis ſit humanæ naturæ ſtatus poſt peccatum, vnico verbo declarat Propheta, cum dicit. Et recordatus eſt quia caro ſunt. ſp. v. &. n. r. Quanuis enim homo carne conſtet & ſpiritu, ſpiritus tamen carni immerſus, caro quodammodo ſit, imo mancipium carnis ſuę. Vnumquodque enim recipitur, ad modum recipientis: eiuſque naturam participat. Sic videmus, ferrum in ignem coniectum, ignem quodammodo fieri: & odoriferam aquam cœno admixtam, odorem ſuum amittere. *Pſal. 77.*

Ea eſt peccati deformitas & malitia (quo videlicet Deũ in quo viuimus, mouemur, & ſumus, propter viliſsimum terrenarum rerum puluerem contemnimus) eaque rurſum in natura lapſa ad hoc tantum malum procliuitas, vt D. Auguſt. Manichæorum errore ſeductus, ad trigeſimum vſque vitæ annum miris, & incredibilibus penè modis ſe dicat dies noctesque excruciatum, huius tanti mali cauſam inquirens. Neque enim vlla ratione ſibi perſuadere poterat, hoc tantum malum (hoc eſt naturam ſic ad mala procliuem) à ſummo bono creatam: qui plane bonus, & ſumme bonus, bona omnia fecit. Vnde ait.

Quia nõ audebat anima mea, vt ei diſpliceret Deus meus, nolebat

lebat eſſe tuum, quidquid ei diſplicebat. qua de re multa is confeſsionum lib.7.cap.5.& ſequentibus diſputat. His igitur eruditiſſimi viri cruciatibus intelligimus, quanta ſit peccati deformitas & malitia, & quanta naturæ lapſæ ad malum pronitas: quam tamē bonus Deus bonam fecit: ſed Diabolus peccati adinuentor infecit, & ſibilo ſerpentis afflatam, ad innumeras ſcelerum ſpecies procliuem fecit.

Naturam lapſam, & humanum cor D. Auguſtinus Confeſsionum libro. 2. capite. 2. limoſæ alicui lacunæ appoſitiſsimè comparat: ex qua exhalantur nebulæ de limoſa concupiſcentia carnis, & ſcatebra pubertatis, quæ obnubilant, & obfuſcant hominis mentem.

Iob.7. Quare, ait ſanctus Iob, Poſuiſti me contrarium tibi? miſeranda certe conditio, quòd ſic conditoris noſtri imperio repugnemus. Subijciamus huius rei exempla. Cùm Dominus filios Iſrael ad expugnandam Cananæorum terram procedere iubebat, magno timore perterriti, nullo modo illuc aſcendere, ſed in Ægyptū regredi contenderunt. At cùm Dominus propter eorum perfidiā eos ab hoc itinere reuocaſſet, tunc aduerſus imperium Domini & Moyſi illò aſcenderūt. Sic etiā, quo tempore Dn̄s ſabbata & leges ſuas ſeruare præcipiebat, inobedientes extiterunt: modo verò cū eos ab hac obſeruantia reuocat, pertinaciter eas obſeruant.

Videmus paſsim ægrotos quibus cùm frigidæ potus eſſet maximè noxius, cibus autem propter ſummam imbecillitatem longa inedia contractam, maximè neceſſarius, tamen frigidam auidiſsime ſitire, & cibum, ſupra quam dici poteſt, horrere, atque faſtidire. Hoc autem exemplo naturæ lapſæ morbus appoſitiſsime ſignificatur: qui facit, vt vitia, quæ mortem animæ inferunt, vehementer ſitiamus, pietatis autem & iuſtitiæ opera, quibus ſalus & vita noſtra continetur, ſupra modum faſtidiamus. Huius enim rei gratia ſanctus ille aiebat, Quare me poſuiſti contrarium tibi? &c. quia videlicet, quod tu vis, ego nolo: quod tu non vis, ego volo: nec volo modo, ſed ſitienter etiam appeto.

Vidi aquę dulciſsimæ & ſuauiſsimæ puteum, iuxta littus maris poſitum: Quadam verò die præter omnium ſpem, atque ſolitum aquarum fluxum, ita inundauit mare, vt puteum ſalſa aqua impleret. Quo factum eſt, vt putei aqua, quæ dulcis erat, ſalſedinē

illam

illam diutius retineret. Hac quoque imagine naturæ lapsæ morbus poterit designari, quæ ante lapsum purissima erat, nullamque peccati salsedinem retinebat: post lapsum verò pristina dulcedine, & puritate amissa, eius peccati saporem & naturā refert, quo infecta fuit.

Quemadmodum si rabiosus canis morsu hominem impetat, similem sui facit: ita cum antiquus serpens morsu, & afflatu suo hominem infecit, sui similem, hoc est, in Serpentem quodammodo vertit: hoc est, virulentissimum, nocētissimum, callidissimum fecit. Hinc tot in hominib⁹ doli, tot fallaciæ, tot fraudes, &c. Hinc sanctus Iob, Frater, inquit, fui Draconum, &c. Et ad Ezechielem Dominus, Cum Scorpionibus habitas. Adde, quod quemadmodum pij, quos Deus inhabitat, diuini quodammodo fiunt: ita etiā quos Dæmon inhabitat, sui similes, hoc est, superbos, inuidos, mē daces, & crudeles efficit. *Iob.30.* *Ezech. 2.*

Ne te Vulgi iudicia & perditorum hominum facta, dicta, & exempla moueant: humanæ naturæ statum, post illum communē lapsum contemplare: deprehendesque illam talem relictam esse, quale fuerit horologium extra leges & ordinem suum dispositū, quod perperam temporum spatia designat. Qualis cythara, neruis nullo adhibito temperamento sonantibus: cuius sonitu nihil insuauius: talis ergo humana natura post peccatum relicta fuit. Cur ergo tantopere errores, & deliramenta hominum miraris? cur tam acriter aduersus peccantes (non sine superbiæ, forsitan supercilio) indignaris? Vera enim iustitia compassionem, falsa verò indignationem habet.

Anima.

IN vanum accipit animam, qui sola præsentia cogitat, & quæ sequuntur in perpetuum non attendit, & qui eius vitam negligit, & ei curam carnis anteponit: Non autem accipit eam in vanum, qui ad eius vtilitatem intentione continua referunt quæcunque corporaliter operantur. Greg. mor. lib. 7. c. 19. *Gregor.*

Iubet Dominus vt ægrotus portet lectum: quia quem Dominus sanat, contumelias carnis postmodum tolerat, qui prius in eius desiderijs quiescebat. Greg. mor. lib. 23. c. 23.

Quo-

August. Quomodo illam angelicæ dignitatis celsitudinem comprehendere poterimus, quando nec ipsius animæ nostræ naturam inuestigare valemus? Qualis est ista, quæ carnem viuificare potest, se autem in sanctis cogitationibus vt volet, constringere non potest? Qualis est ista, tam fortis, tam infirma, tam parua, tam magna quæ rimatur secreta Dei, & cœlestia contemplatur, atque humanis commodis multarum artium peritiam perspicaci ingenio inuenisse probatur? Qualis ergo est ista, quæ tam multa de cæteris nouit, & se qualiter facta sit, prorsus ignorat? Licet enim nonnulla ambigua à quibusdam per eius originem proferantur: inuenimus tamen eam esse quendam intellectualem spiritum, per creatoris potentiam factum, immortaliter iuxta modum suum viuentem, mutabilitati subiectum, obliuioni deditum, quem timor sæpè afficit, lætitia extollit. O res mira, omniq́ue stupore dignissima. De Deo quidem creatore omnium, qui est incomprehensibilis, & ineffabilis, excelsa & mirabilia nimis omni remota ambiguitate legimus, loquimur, & scribimus: de Angelis autem, & animabus, quicquid dicimus, non tam euidenter approbare possumus. Aug. in medita.

Anima est substantia creata, inuisibilis, incorporea, immortalis, Deo simillima imaginem habēs creatoris sui. Idem in lib. de diffinitione animæ.

Bernar. O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, despōsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, rationis particeps, quid tibi cū carne? quæ haud aliud vilius sterquilinium inuenisti? Ber. in Medita.

Cadit asinus, & inuenit qui se subleuat, cadit anima, & non est, qui manum adponat. Idem.

Isidor. Anima dum viuificat corpus, anima est: dum vult, animus est: dum scit, mens est: dum recolit, memoria est: dum rectum iudicat, ratio est: dum spirat, spiritus est: dum aliquid sentit, sensus est. Isido. in Etymolo.

Chrysost. Omnia duplicia naturæ nostræ Deus dedit, binos oculos, binas aures, binas manus, binos pedes: si alterutra pars è duobus læsa fuerit, necessitati per alteram inseruimus. Animam verò vnam dedit nobis, hanc si perdiderimus, quid superest: quo cū in vita maneamus? Chrysost. hom. 9. ad Popul. Ant.

Magis

Magis necessarium est animæ quàm corpori mederi. Præstat enim mori, quam male viuere. Epictetus. *Epict9.*

Cùm optimus quisque maxime posteritati seruiat, esse aliquid verisimile est, cuius is post mortem sensum sit habiturus. Cicero Tuscul. lib. 1. *Cicero.*

Præstantes viri, nunquàm tanta conati essent, quæ ad posteritatis memoriam pertinerent, ni animo vidissent, posteritatem ad se pertinere posse. Nonne melius multo fuisset, otiosam ætatem & quietem sine vllo labore & contentione traducere? Sed nescio quomodo animus erigens se, posteritatem semper ita prospicit, quasi cum excesserit è vita, tum denique victurus sit. Idem in Cato maiore.

Cyrus maior moriens apud Xenophontem, ita ait. Nolite arbitrari, o mihi charissimi filij, me, cum à vobis discessero, nusquam aut nullum fore: nec enim dum eram vobiscum, animum meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore, ex ijs rebus quas gerebá, intelligebatis. Eundem esse creditote, etiam si nullum videbitis. Idem, ibidem.

Humanus animus decerptus ex mente diuina, cùm alio nullo, nisi cum ipso Deo (si hoc fas est dictu) comparari potest. Hic igitur, si est excultus, & si eius acies ita curata est, vt ne cæcetur erroribus, fit perfecta mens: id est, absoluta ratio, quod est idem, quod virtus. Idem lib. 5. Tuscul.

¶Sicut naturalis appetitus materiæ suscipiendi aliam formam ab ea quam habet, argumentum est, corruptionis omnium rerum materialium: ita contra naturalis appetitus æternitatis, qui in anima nostra est, immortalitatis eius argumentum est. Aliter enim perperam esset instituta natura, si ea rei impossibilis naturalem nobis appetitum inseruisset, cum is omnino frustra esset. *COLLE.*

Sicut in nucibus, amigdalis, & castaneis, præcipuum nucleus est (cortices enim, velut tecæ sunt, & receptacula huiusmodi fructuum) sic existima, mentem hominis velut nucleum esse, corpus verò velut huius nuclei esse quodammodo corticem, & receptaculum: vel (vt Petrus Apostolus ait) tabernaculum, quanuis reuera hominis ipsius pars, vilior tamen pars sit. Ex quo apparet, quàm præposterè faciant, qui neglecta prorsus anima, solius

corporis

corporis velut nuclei curam gerunt, & omnem in eo curando solicitudinem ponunt.

Magna hominis peruersitas est, quod cum vilis caro ei ad spiritus obsequium data sit, ipse contra carnis obsequio nobilem spiritum, mancipauerit: dum vim suam omnem in opibus ad carnis obsequium congerendis, & voluptatibus exquirendis impendit. Cuius rei velut imaginem quandam nobis exhibet Sanson, ab hostibus captus: quos cum ante captiuitatem suam grauiter premeret, vbi captus est, in pristinum relegatus vilissimorum iumentorum more victoribus seruiebat. Idem autem spiritus noster patitur, cum à iustitia cadens, in peccatum labitur.

Quisquis es, qui animæ tuæ cura neglecta, omnes curas & cogitationes tuas in cultu, victu, delitijsque corporis ponis, rem planè pretiosissimam negligis, & vilissimam curas. Quantum enim anima corpori præstet, vel hoc vno argumento colligi potest: quod quid quid venustatis, & dignitatis humanum corpus habet, id totum ab anima habet. Hoc enim inter hominem & res alias corporeas (quæ ex materia, & forma, composita sunt) distat, quòd in his esse totius non à forma solum, sed ab vtraque parte profluit, atque consurgit: at cum anima rationalis habeat esse per se, id ipsum esse quod habet, corpori communicat, & cum eo cætera omnia, quæ illud esse consequuntur. Quid autem corpus habeat, dum ab anima separatũ est mors ipsa declarat. Quid enim quatriduano mortuo horribilius? quid ad odorem tetrius? ad spectandum deformius? ad salutem pestilentius? Ipsum enim aerem cadaueris corrupti fœtor ita inficit, vt mortem interdum afferat. Tale est igitur sine anima corpus: cuius tamen delitijs terræ, & maria non sufficiunt.

Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, &c. In causa est, quòd spiritus quidem noster in hoc mundo tanquàm peregrinus in aliena regione versatur: Spiritualis enim locus spirituali creaturæ magis conueniebat. At caro in hoc mundo, tanquam in genitali solo & in propria regione, & naturali loco suo commoratur: à quo sane, sicut cætera quæ in naturalibus locis sunt, plurimum iuuatur. Quin etiam ipsi quoque sensus carnis sua hoc in loco habent obiecta præsentia, à quibus potenter trahuntur, & alliciũtur; cũ tamen spiritualia mentis obiecta, hoc est, cœlestia bona, procul posita

posita sint,& quodammodo lateant. Quo fit, vt homo singulari Dei dono & auxilio egeat,vt desinat esse carnalis, cum ita carne vndique septus sit.

In anima nostra sublime quiddam atq; diuinum esse (quanuis Dei particula non sit,vt Hæretici quidam senserunt) vel hoc argumento colligitur quòd cum Deus animantia cætera conderet, hæc verba ferebat,Producant aquæ reptile animæ viuētis,& omne volatile super terram.Anima enim piscium, volatiliumque ex eadem materia est vnde formatum est corpus.Cæterum rationalis anima aliunde venit,hominis enim corpore è limo terræ formato,Deus inspirauit in illud spiraculum vitæ. Itaque anima insufflatione Dei creata,diuinum quiddã præsefert.Hinc Philosophi Deum ex suprema animæ nostræ parte mentem corporis expertem nominauerunt.Nihil enim in terris,aut dignius, aut Deo similius inuenerunt. *Gene.* 1.

Voluntas.

MAla voluntate non solum quisque miser efficitur: sed miserior potestate,qua desiderium malæ voluntatis impletur.Aug.lib.13.de Trinitate. *August.*

Nemo quærat efficientem causam voluntatis malæ: non est efficiens,sed deficiens:quia nec effectio,sed defectio est.Idem de ciuitate Dei lib.12.

Iustitia Dei est aliquando vt sanus sis,aliquando vt ægrotes. Si quando sanus es,dulcis est voluntas Dei,& quando ægrotas, amara est voluntas Dei,non recto corde es.Quare? quia non vis dirigere voluntatem tuam ad voluntatem Dei,sed Dei vis curuare ad tuam.Illa recta est,sed tu curuus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curuanda est ad te,& rectum habebis cor. Idem Psalm.35.

Nihil omnino tam facile est bonæ voluntati, quàm ipsa sibi:& hoc sufficit Deo.Idem.

Cesset voluntas propria,& infernus non erit. In quem enim desæuiet ignis ille,nisi in propriam voluntatem? Nam propria voluntas Deum impugnat,& aduersus eum extollitur. Ipsa est quæ paradysum spoliat,infernum ditat, sanguinem Christi euacuat, *Bernar.*

& ditioni Diaboli mundum subiugat. Bernar. in serm. 3. Resurrectionis Domini.

Grande malum propria voluntas: qua fit, vt bona tua tibi bona non sint. Propria voluntas est, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum: quando quod volumus, nō ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmet ipsos facimus: non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere proprijs motibus animorum. Huic cōtraria est charitas: quæ Deus est. Porrò voluntas propria quo furore Dominum maiestatis impugnet, audiant & timeant serui propriæ volūtatis. Primo namque seipsam subtrahit & subducit dominatui eius cui tanquam autori seruire iure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hac iniuria? Addit adhuc & quod in se est, omnia quoque quæ Dei sunt, tollit & diripit. Idem ibidem.

Dico fiducialiter, nemini qui sit in propria voluntate, posset vniuersus mundus sufficere. Vtinam propria voluntas rebus istis esset contenta, nec in ipsum, (horribile dictu) delæuiret autorem. Omnino enim vellet Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum, aut insipientem esse. Crudelis plane est, & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, iustitiam, sapientiam perire desiderat. Qui autem vult Deum esse iniustum, vult Deum nō esse Deum: & qui desiderat Deum non esse, nonne quantum in se est, Deum occidit? Idem, ibidem.

COLLE. ¶Sicut in orbibus cœlorum sunt duo motus, alter cuiusque proprius (qui tardissimus est) alter communis omnibus, qui est velocissimus: ita in homine duplex est appetitus, alter quidem proprius, qui videlicet homini conuenit, quatenus homo est (qui est appetitus rationalis) alter vero communis illis cum brutis, qui dicitur sensitiuus. Et ille quidem valde remissus est: quo ad spiritualia ferimur: hic verò vehementissimus, quo ad carnalia, atque terrena bona rapimur. Ex quo apparet quanto vehementius corrupta natura ad malum feratur quàm ad bonum: ad visibilia, quàm ad inuisibilia: ac proinde quanto studio, atque labore opus sit, vt hanc tantam paßionū vim, rationis freno coercere poßimus. Maxima

xima eñ vi atq; arte, eget eques, qui equũ agitat rebellẽ, indomitũ, & habenarum impatientẽ, quiq; sessorem à se excutere nitatur.

Quo studio sancti viri aduersus propriç volũtatis appetitiones armẽtur, declarauit S. Dositheus: qui sese magistri sui volũtati omnibus in rebus subdiderat. Quãdo vero languere & ęgrotare cœpit, ac sanguinẽ spuere (tabifico enim morbo extinctus est) audiuit à quodam, oua sorbilia multum conferre ac prodesse his qui sanguinem excreant. Ait ergo magistro suo B. Dositheus, Pater vellem tibi dicere rem quandã, quã mihi admodũ profuturũ audiui: sed nollẽ mihi eã concederes, quoniã me admodum huiusce rei cogitatio infestat. Ait illi Dorotheus, Dic mihi Dosithee, Dic mihi quæso, quæ nam sit res illa? Ait Dositheus, Sponde mihi non daturum illam, quandoquidem (vt dixi) illius rei cogitatio me infestat. Cui Dorotheus, Probe (inquit) faciam vt dicis. Quid nam vis? Audiui, inquit ille, à quibusdam, quod oua sorbilia multum his, qui sanguinem expuunt, conferant. Sed te per Deum obsecro, cum non tu præueneris, vt dares mihi, noli amplius exhibere propter animi mei cogitationem.

Affectus, vel Paßiones animæ.

NOn præualet mens turbata conspicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare: nec enim sol in nubibus cernitur, nec imago in aqua turbata. Gregori. mor. lib. 5. ca. 33. *Gregor.*

Sæpe, quod voluptuose appetimus necessarium suspicamur. Idem. lib. 9. c. 51.

Solem sæpe nubes obumbrant, rationem affectus. *Plutar.*

Quisquis est qui moderatione & constantia polleat, quietus animo est: sibique ipse placatus: vt nec tabescat molestijs, nec frangatur timore, nec sitienter quid expectans, ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiẽs deliquescat, is est sapiẽs. cicer. lib. 4. Tusc. *Cicero.*

Ad Lectorem.

QVã sit necessaria affectuũ & passionũ animæ nostræ cognitio, vel ex eo liquet, quod maxima Moralium virtutum pars in his sedandis, & moderandis, atque ad mediocritatẽ reuocandis, constituta est. Cuius rei gratia D. Thom. longum de affectibus & passionibus hisce sermonem cõtexuit. ¶ His etiam adde, COLL.

 quod

quod acurata huius rei cognitio supra quam dici potest, ad nostri ipsorum cognitionem conducit: in qua veteres olim Philosophi summam totius veræ sapientiæ posuerunt. Quocirca boni consulet pius lector, si in hoc argumento tractando paulò fuerimus longiores. Hac enim doctrina non suum modo, sed multarum etiam gentium & nationum ingenium, mores, & vitæ genus prudenter diiudicare ac discernere poterit. Quodq́ue maius est, hac ratione intelligent qui his affectibus vehementer obnoxij sunt, in quanto salutis discrimine versentur, & quibus vitijs (nisi sibi studiose prospiciant) affines sint. Has igitur commoditates ex huius philosophiæ cognitione captare poterimus.

¶ Hac igitur in re illud primo loco ex Peripateticorum sententia aduersus stoicos disputantium, tenendum est, affectus nobis, non frustra à natura datos esse. Sunt enim velut calcaria quædam, & stimuli, quæ languentem aliquando naturam ad res gerendas exacuunt. Ira enim nos ad vindicatiuam iustitiam exequendam animum addit. Compassio & misericordia ad pauperes & miseros iuuandos. Honoris appetitio ad pericula pro patria subeunda, & virtutis studium. Cùm enim vni virtuti honor debeatur, hac honoris illecebra homines honoris cupidi ad virtutis amorem excitantur: similique ratione pudor & verecundia reuocant à vitijs: quòd dedecus & ignominiam pariant. Verum his affectibus homines sicut cæteris naturæ beneficijs ferè abutuntur: dum illis non vt stimulis ad virtutem, sed vt magistris, & consultoribus sopita & neglecta ratione, ad res turpes abutuntur. Est tamen inter ipsos affectus latum discrimen: Quidam enim sunt vehementes & generosi: quales multorum Imperatorum, Principumq́ue fuerunt: quibus si quis rectè vti velit, habebit planè magnos intra se ad res benè gerendas aculeos. Quo fit, vt si quis bonarum artiũ vehementi desiderio flagrans, se illarum studijs addicat, non dubium, quin (nisi natura reclamet) magnos in ijs processus factũrus sit: quod contra fiet, si se vitijs & cupiditatibus addixerit. Itaque affectuum vis, sicut feracissimum solum, in vtramque partem valet, siue spinas, siue segetes ferat. Sunt etiam affectus alij vehementes illi quidem, sed viles & abiecti: quales sunt hominum rudium, & barbarorum, & interim etiam mulierum. Mulier quippe animal est affectibus valde obnoxium: ideoq́ue de illa dictũ est,

Aut

Aut amat, aut odit mulier, nihil est tertium.

Quoniam vero multi homines, atque adeo etiam gentes, & nationes huiusmodi affectus valde acres & vehementes habent, erit sanè operępretium explicare, quibus potissimum isti vitijs (nisi sibi diligenter prospiciant) affines sint. Et primum quidem sequitur eos qui sic affecti sint, minus ratione & libero arbitrio valere. I.
Vehementes enim passiones rationem excœcare & libertatem arbitrij minuere, certum est. Hæ namque liberum post se arbitrium trahunt quemadmodum bilanci pondus additum, eam in alteram partem inclinat: quanuis non omnino libertatem adimant. Idemque de rebus non pro earum natura, sed pro affectus sui libidine iudicant: atque ita decipiuntur, quemadmodum illi qui vitro rubeo aut ceruleo oculis obiecto, cernunt. Tales enim res iudicant, quales ipsis apparent, non quales sunt. Sic animus irati iustissimam iram suam iudicat, quanuis iniustissima sit. Sic auarus pecuniam non pro eius vilitate, sed pro cupiditate sua metiens, summum ferè in ea bonum ponit. Sic ambitiosus &c. ¶ Eosdem etiam sui nimium amantes esse necessę est. Rami enim arborum ingentes, non nisi ab ingenti radice prodeũt. II.
Cum ergo affectus omnes ab amore sui, tanquam à radice oriantur (ab hoc enim amore oritur & odium, & ira, & desiderium, & timor, & gaudium, & mœror cæteraque similia) consequens est, vt si affectus vehementes sint, vehementissimus quoque sit amor sui, qui tales parit affectus. Hic autem amor à Græcis philautia, & totius prauitatis causa esse dicitur: quem in fine seculi, cùm primis abundaturum Apostolus scripsit, cum ait. In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines amantes se &c. ¶ Sequitur deinde eosdem vehementissime affectare honores, opes, & voluptates, & quidquid postremo ad corporis emolumentum spectat. *2.Tim.3.* III.
Hæc enim huius inordinati amoris, vel vt ramuli, & obiecta sunt. Quisquis enim se, id est, carnem & vitam suam nimis amat, nimis quoque carnis & vitæ huius bona amat: quæ sunt, honores, opes, ac delitiæ: vnde consequitur vt vehementiores hi stimulos ad superbiam, auaritiam, atque libidinem habeant. ¶ Sequitur deinde tales difficilius eas virtutes, assequi posse, quæ in mediocritate consistunt: quæque domandis moderandisque affectibus pręfectæ IIII.

 sunt.

ſunt. Sicut enim eques difficilius ſubijcit equum, qui natura ferocior, & habenarum impatientior eſt: ita ratio tanto difficilius moderatur affectus, quantò violentiores, & effrenatiores ſunt.
V. Mediocres enim & moderati facile ad medium reducuntur, & rationis habenis ſubijciuntur. ¶ Sequitur præterea apud tales odia diuturna maxime eſſe. Quia enim odium ex amore naſcitur, ſi amor hic (vt diximus) vehemens eſt, vehemens quoque ex eo odium conſequi neceſſe eſt: præſertim cum odium ex eo potiſsimum oriatur, quòd nobis ea quæ ardenter amamus ſubtrahuntur: quæ ſi nimium amantur, nimium quoque aduerſus
VI. iniuriam inferentes excitatur odium. ¶ Tales præterea in ijs quæ cupiunt, maximè ardentes, & vt ita dicam voluntarij ſunt: Vehementes enim paſsiones, vehementer quoque poſt ſe voluntatem trahunt: difficillimè enim homo ab eo diuelli poteſt, cui medullitus inhæret, cuique propenſiori voluntatis ſtudio af-
VII. fectus eſt quàm ſi illud moderate deſideraret. ¶ Quo fit etiam, vt tales difficiliores ad obediendum ſint: magnoque labore à ſuperioribus regantur: cum ad obediendum aliena voluntas amplectenda, & propria repudianda ſit: quæ quò magis ſui iuris eſt,
VIII. eò difficilius alieno paret imperio. ¶ Sequitur præterea, vt tales ſint (quod Græci dicunt) euphantaſiotati: hoc eſt maxime apprehendentes: qui videlicet immobiliter ijs rebus quas vehementer animo conceperunt, adhærent. Siquidem appetitus ſenſitiuus (qui affectuum ſedes eſt) & imaginationis vis ita ſibi mutuo reſpondent, ſicut voluntas & intellectus: quorum alter alteri præeſt: & quaſi cœcutientem dirigit. Quò fit, vt ſi vehemens aliqua paſsio in appetitu ſit, conſequenter & imaginationis apprehenſio illi reſpondens, debeat ſimili intentione perdurare. Scitum enim eſt, cauſas ſibi inuicem cauſas eſſe, quæ actionibus ſuis altera in alteram viciſsim agant. Sic enim videmus memoria iniuriarum iram excitari: iram autem ipſam rur-
IX. ſus eandem memoriam acuere & conſeruare. ¶ Hinc etiam ſequitur tales maiora frequenter viribus ſuis aggredi: quia enim affectus eorum ingentes ſunt, & ferè homines affectibus pareant, efficitur vt tales (niſi diuino afflatu agantur) maiora frequenter viribus ſuis ordiantur. In quos illud optimè quadrat, quod Ageſilaus rex paruulo filio acrius quàm pro ætate

hoſtem

hostem aggredienti dixit, Puer, aut viribus adde, aut animis detrahe. Fructus enim audaciæ huius sunt, vt in magnas sæpe difficultates & necessitates se ipsos coijciant: à quibus se extricare postea nequeant: aut quod moliuntur, non assequantur: aut in medio itinere corruentes, operisque magnitudine fracti, imperfecta opera relinquant. ¶ Illud etiam sequitur, vt ijdem in quibusdam nimium leues & inconstantes, in quibusdam verò pertinaces sint. Pertinaces quidem, cùm vehementer aliquid apprehendunt (vt modo explicatum est) inconstantes autem, quia cum præcipiti affectu, & inconsulta ratione ad res aliquas temere afficiantur: vbi affectus ille deferbuit, ac subsedit: ea quæ leuiter ex solo ceperant affectu, facile deserunt. ¶ Ex eodem quoque fonte procedit, hos ipsos & secundis, & aduersis rebus vehementer exagitari. Vehementes enim affectus in vtramque partem valent: ideoque prosperis & lætis rebus nimium efferuntur & dilatantur: aduersis vero ita contrahuntur, vt vix compotes sui sint. Hæc igitur tam multa & varia incommoda formidare debet, quicunque acres & ingentes affectus à natura acceperunt. X. XI.

Cæterùm quoniam vulnera iam deteximus, dignum est, vt medicamenta quoque in medium proferamus. Primum igitur est, vt quisquis se ijs animi ægritudinibus grauiter laborare intelligit: nullo modo in electione atque iudicio rerum motibus animi sui fidat, nisi ijsdem iam sedatis atque compositis, adhibitoque maturo iudicio: Sic qui vehementer iratus est, quo tempore feruet ira, nihil decernat: quoniam hoc tempore crudelitatem ira pro æquitate ducit, & leuissimam frequenter iniuriam in cœlum tollit: Sicut enim qui conspicilijs vtuntur, qui res grandiores faciunt, intellectu errantem corrigunt sensum: ita qui vehementes habent affectus non debent pro libidine eorum de rebus iudicium ferre, ne fallantur. Itaque res indignas non ex sua indignatione, nec res infensas, ex suo odio, nec periculosas ex suo metu, nec admirandas, ex sua admiratione metiantur. Quemadmodum enim febricitantes suspectam sitim habere solent qua laborant: quòd intelligant illam ex morbo magis quàm ex necessitate procedere: ita qui affectibus æstuant, suspectum habere debent, quidquid illi suggesserint. ¶ Proximum verò est, vt tales, quatenus fieri possit, seipsos, hoc est suum ingenium, suosque

mores fugere ſemper ſtudeant. Nulla autem commodior ratio fugiendi ſe, quàm ſi per diuinarum rerum conſiderationem, ſtudiumque deuotæ orationis ſpiritum Dei hauriant, vt natura perfuſa & informata gratia, extra ſe quodammodo ponatur. Itaque ſi te fugere vis, in Deum tranſi: nunquam enim te melius fugies, quam ſi in illum totus conceſſeris. Terra quidem frigida & ſicca, ex natura ſua ad germinandum inepta eſt, quæ tamen aquis irrigata, alieno humore fœcunda fit: ita, quòd in ſe non habet, aliunde mutuat. Simili ergo ratione, deprauatam originalis peccati tabe naturam, ſtudeat homo reformare per gratiam. Hoc autem cùm alia multa, tum vel maxime ſpiritualia exercitia præſtant. ¶ His ita conſtitutis, reliquum eſt, vt exiſtimet homo ſe ad glorioſiſsimum hoc certamen vocatum: vt videlicet cum affectibus & cupiditatibus ſuis continenter bellum gerat: à quibus vinci turpiſsimum, vincere verò glorioſiſsimum eſſe ducat: quandoquidem ſcriptum eſt, Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Ad quod plurimum iuuat Socratis exemplum imitari, qui frequenter eſuriens, & ſitiens à cibo potuque abſtinebat, vt his velut rudumentis ad perfectam ſui ipſius abnegationem & victoriam perueniret. Ille enim facilius abſtinet ab illicitis, qui interdum etiam ſibi à licitis temperauit. Magna enim huius operis difficultas non niſi magno ſtudio, ac aſsiduo labore ſuperanda eſt. Magnos autem labores maxima in cœlis præmia manent. ¶ Summa Naucleri prudentia eſt, in media tempeſtate ita clauum regere, ne nauis cedat fluctibus. Pugnant enim aduerſus eam maria quibus prudentia gubernatoris obſiſtendum eſt. Quod autem in mari fluctus, hoc in anima noſtra turbulenti affectus ſunt: præſertim cum extrinſecus illata aliqua aut iniuria, aut calamitate, aut tentatione, velut flatibus quibuſdam acriter concitantur: mentiſque noſtræ nauiculam obruere conantur. Qui autem hoc tempore, ſic rationis & prudentiæ clauum temperat, vt aduerſus huiuſcemodi vndarum impetum, pupim animæ ſeruet incolumem, is certe optimi & prudentiſsimi naucleri nomen meretur. Cæterùm cum eo res deducta eſt, vt nauis non obtemperet clauo, ſpes omnis ſalutis amiſſa eſt. In quo ſtatu ſunt, qui ſpreto rationis ductu & imperio, affectibus ſe regendos, imò ſubuertendos permiſerunt, quales

Prou. 16.

les plerique hominum sunt.

Incredibile dictu est, quantam vim ad rationis iudicium, euertendum omnis impotens affectus habeat. Sicut enim densissima aliqua nebula, meridianum Solis splendorem ita nonnunquam obscurat, vt ne vestigium quidem eius appareat, ita quæcunque vehemens & immoderata passio rationis lucem tantis tenebris obruit, vt vix aliquod eius vestigium, in homine relinquat. Quod quidem non obscure Salomon insinuauit, cum ait. Vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes. Mulieris autem nomine quamcunque vehementem & insanam cupiditatem significauit: quam vino parem esse dixit: quòd ea sapientis quoque hominis mentem obruat, & inebriet, atque omni ferè iudicio rationis expoliat. ¶ Nec hoc tantum facit, sed liberum quoque arbitrium, per se quidem naturæ vitio debile, multo adhuc debilius (vt paulò ante diximus) efficit: Quò enim affectus concitatior & potentior est: eò arbitrij electio debilior est & infirmior. Ab impetu quippe concitatæ passionis eò trahitur, quò illa propendet. Cumque tota hominis dignitas, in vna ratione atque libero arbitrio sita sit (cætera enim omnia nobis cum Brutis communia sunt) dum hæc duo (quæ humanæ dignitatis arcem tenent, ita suspensa & impedita sunt) quid superest, nisi vt homo par Brutis eo tempore relinquatur? Videtis ergo quantum noceant inordinati animi motus, dum vehementius incaluerunt: quandoquidem nobilissimam creaturam ita deprimunt, & quodammodo prosternunt, vt pecudibus similem faciant? ¶ Quocirca vehementer vos etiam, atque etiam moneo fratres, vt frenos cupiditatibus vestris inijciatis, vt vigili & assidua cura affectuum vestrorum intemperantiam cohibere studeatis: nec eos vltra quàm honestatis, & officij ratio exigit, procedere sinatis. Nullam rem, quamlibet eximiam, immoderate cupiatis: non filijs, non vxoribus, non affinibus, non denique honori, opibus atque vobis etiam ipsis, immoderato amore adhæreatis. Fugiendum est enim, quicquid nimium est: & quicquid hominis mentem inebriat, & de gradu ac dignitate sua deturbat. Quæ cum dico, non hoc suadeo, vt Sthoicorum instar, sensuum & affectuum humanorum (velut marmora quædam) expertes sitis: sed vt omnium cupiditatum im-

Eccl. 19.

moderantiam summa cura cohibeatis, & mediocritatem omnibus in rebus seruare studeatis: in qua omnis virtutis & honestatis ratio sita est. Denique hoc ipsum moneo quòd Apostolus ait, Hoc itaque dico fratres tempus breue est: reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & quæ sequuntur. Quod perinde est ac si diceret, Vnum solum bonum incommutabile est: cætera omnia commutabilia, caduca, momentanea, fragilia: ideo in illo vno solum acquiescere, in illo spem omnem & amorem collocare debemus: cætera verò omnia indigna sunt, quibus homo nitatur, & in quibus acquiescere velit: quippe quæ baculis arundineis similia, non modo illis innitentem deludunt, sed frequẽter etiam lædunt, & innitentis manum disrumpunt.

I.Cor.16.

Quemadmodum cum frigus, & calor, cæterique humores ex quibus corpora nostra constant, temperamentum illud, atque mensuram retinent, quam illis naturæ conditor præscripsit, sanitas corporis, & alacritas cum sanitate viget: at si mensuræ huius terminos deserant (dum vel calor, vel frigus plus solito excrescit) morbis continuo & aduersa valetudine laboramus: sic plane in maxima pace & quiete agit animus, cum affectus nostri mensuram sibi diuina lege & ratione præscriptam seruant: grauissimo autem morbo atque doloribus anguntur, cum ea mensura relicta, temere quocunque tulit furor & impetus feruntur. Tunc enim non minus internus homo noster quatitur & torquetur, quàm cum externus noxia humorum malignitate cruciatur. ¶ Flumina quoque ingentia cum intra aluei sui ripas continentur, adeò nihil nocent, vt humanæ vitæ vsibus maximè deseruiant: at vbi aquarum inundatione aluei sui ripas prætergressa sunt, sternunt agros, sternunt sata læta, boumque labores. Sic igitur cum affectus nostri intra rationis fines, quasi intra aluei sui ripas clauduntur, multis rebus (vt initio diximus) vsui sunt: at si hos veluti cancellos rationis lege circundatos trãsgrediuntur, pestem & diram cladem, humanæ vitæ important: dum omnia videlicet humanæ vitæ præsidia & ornamenta impetu, atque furore suo conuellunt.

Iuuen-

Iuuentus, & Senectus.

DAuid annos natus ſeptuaginta, ſenectute frigeſcente, non poterat calefieri. Relictis autem Berſabe, Abigail, cæteriſque vxoribus eius & concubinis, quæritur puella Abiſac Sunamitis quæ dormiẽs in ſinu eius, calefaceret eum. Quæ eſt igitur inquit Hierony. iſta ſunamitis vxor & virgo: tam feruens, vt frigidum calefaceret, tam Sancta vt calentem, ad libidinem non prouocaret? Omnes penè virtutes corporis mutantur in ſenibus, & creſcente ſola ſapientia, decreſcunt cæteræ virtutes: ieiunia, vigiliæ labor manuum, & (ne ſermonem longius protraham) omnia quæ per corpus exercentur, fracto corpore, minora fiunt. Senectus autem eorum, qui adoleſcentiam ſuam honeſtis artibus inſtruxerunt, ætate fit doctior, & veterum ſtudiorum dulciſsimos fructus metit. Quid igitur? nonne ſapientes, quoque inueniuntur adoleſcentes? Reſpondet. Adoleſcentia quidem multa corporis bella ſuſtinet, & inter incentiua vitiorum & carnis titillationes quaſi ignis in lignis viridibus ſuffocatus, ſuum nequit explicare fulgorem. Eſſe autem maximè in ſenibus ſapientiam, exemplis probat idem quorundam Poetarum qui cigneum neſcio quid, & ſolito dulcius, vicina morte cecinerunt. Themiſtocles verò cum expletis centum & ſeptem annis, ſe mori cerneret, dixiſſe fertur, dolere ſe, quòd tunc egrederetur è vita, quando ſapere cœpiſſet. Hiero. in Epiſt. ad Nepotianum. *Hierony. 3. Reg. 1. Hiero. ad Nepotia.* *Idem.*

Mature fias ſenex, ſi vis diu eſſe ſenex. *Adilon.*

Solon ſenectutem, portum malorum eſſe dicebat, quòd ad eã omnia confugiant. *Solon.*

Qui multum æui in vita corporis contriuerint ſine vlla virtute & probitate, eos longi tẽporis pueros appellare licet, vt qui nullis diſciplinis eruditi ſint ſenectute dignis. Philon. *Philon.*

Vt gaudent, qui à furioſis dominis aufugerunt: ſic gaudere debent ſenes, qui ætatis beneficio à libidine non infeſtantur. Plutarchus.

Miſera eſt ſenectus, quæ ſe oratione duntaxat defendit. Non cani, non rugæ repente authoritatem afferre poſſunt: ſed honeſte acta ſuperior ætas, fructus authoritati præbet extremos. Cicero. in Catone maiore.

Senibus labores corporis sunt minuendi, exercitationes animi etiam augendæ videntur. Idem. 1. de officijs.

COLLE. ¶ Senectus venerabilis est non diuturna, nec annorum numero
Sapien.4. computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas Senectutis vita immaculata. Dominus quoque Mosem admonet, vt eligat presbyteros, quos ipse sciat esse presbyteros. Sciebat enim maledictum esse puerum centum annorum.

Eccl.25. Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum Pauperem superbum, diuitem mendacem, & senem fatuū & insensatum. Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies? Quam speciosum caniciei iudicium, & presbyteris cognoscere consilium. Quàm speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus, & consilium Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.

Christianus.

Gregor. SI veraciter Christianus esses, plus Dei iudicium, quàm voces hominis timeres. Greg. in Regis.

August. Christi ille non famulus, sed subsannator & irrisor est, qui eius se seruum dicit, cui seruire dissimulat. Aug. de vita Christia.

Non in hoc nobis nomen tantum, quòd Christiani dicimur, blandiamur: sed propter hoc etiam nos iudicandos credamus, si nomen nobis frustra vendicemus alienum. Idem, ibidem.

Ille verè Christianus est, qui omnibus misericordiam facit: qui nulla omnino mouetur iniuria, qui alienum dolorem, tanquam proprium sentit: cuius mensam nullus pauper ignorat: qui coram hominibus inglorius habetur, vt corā Deo & Angelis glorietur: qui terrena contemnit, vt possit habere cœlestia: qui opprimi pauperem se præsente non patitur: qui miseris subuenit: qui ad fletū fletibus prouocatur alienis. Quod faciebat Paulus, cùm diceret.
1.Cor.11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Idem, ibidem.

Cui dubium, quin inter tres peccatores, imo impios, Gentilem, hæreticum, Ecclesiasticum, multo maioribus pœnis dignus sit, qui maioris fuerit dignitatis? Hiero. super Ezechielem.

Nihil christiano fœlicius, cui promittitur regnū cœlorū: nihil laboriosius,

laboriosius, qui de vita quotidie periclitatur: nihil fortius qui vincit Diabolum: nihil imbecillius, qui à carne superatur. Vtriusque rei exempla sunt plurima. Latro saluatur in cruce, & Iudas de Apostolatus fastigio deijcitur. Quid Solomone sapientius? attamē infatuatur amoribus mulierum. Bonum est sal: nullumque sacrificium absque huius aspersione suscipitur. Quod si infatuatur, foras proijcitur, Idem in Epist. ad Rusticum, Monachum.

Nos fratres charissimi, Philosophi non verbis, sed factis sumus: nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus: virtutū magis conscientiam quàm iactantiam nouimus, qui non loquimur magna, sed viuimus. Cypria. *Cypria.*

Sicut serui diuitum aut procuratores, quibus vel suppellectilis copiosa, vel ampla cellaria creduntur, fideles dici nequeunt, si res traditas deuorarēt: sic profectò mali Christiani qui res sibi à Deo traditas ac commissas corrumpunt. Quæ sunt autem ista? Quę, nisi ea, per quæ credimus. i. per quæ Christiani sumus? legem, scilicet, deinde Prophetas, tertio Euangelium, Apostolicas lectiones, ac denique nouæ regenerationis munus, & cætera sacramenta? Saluianus contra Gentes. *Saluia.*

Qui se dicit in Christo manere, debet quemadmodum ipse ambulauit, & ipse ambulare. Quod sane non modo illos qui voluptates & pompas seculi persequuntur, sed nec illos quidem implere certum est, qui secularis amoris ius derelinquunt. Nam & qui renuntiare diuitijs videntur, non sic renuntiant, vt penitus renuntiasse videantur. Et qui putant crucem portare sic portant, vt plus habeant in cruce dignitatis, quàm in passione supplicij. Idem ibidem.

Quamuis legem sanctissimam habeamus, si tamen ea quæ Barbari facimus, Barbaris etiam deteriores sumus. Quod enim lex bona sit, nostrum non est, muneris Christi est: Quare nihil in hac re nos Christi lex adiuuat: quin potius accusat, quod sub lege positi, contra legem omnia facimus. Idem, ibidem.

Consulitur Diuus Cyprianus, debeat ne inter Christianos, quidam histrio tolerari: Respondetque, Puto nec maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere; vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. quòd si penuriam talem & paupertatem obtendit, poterit inter alios qui alimentis *Cypria.*

Ecclesiæ

Ecclesiæ sustinentur, huius quoque necessitas adiuuari, si tamen contentus sit Ecclesiæ sumptibus, parcioribus quidem, sed innocentibus, & salutaribus. Quòd si illic Ecclesia non sufficit vt laborantibus præstentur alimenta, poterit se ad nos transferre: & hic quòd sibi ad victum, atque vestitum necessarium fuerit, accipere. Cyprian. in Epist.

Chrysost. Vnum tantum modo Christianus iudicat malum, solumque formidat, Domini cœlestis offensam. Chrysost.

Fidelem non solum ex communione mysterij, sed etiã ex nouitate vitæ oportet agnosci. Fidelem, sal esse conuenit, & luminare mundi: sin verò nec tibi quidem ipse luceas: nec proprium fœtorem atque putredinem detergas, quibus te indicijs fidelem potero nominare? ¶ An quia sacrati aquas fontis ingressus es? At hoc ipsum, quod tibi collatum fuerat in honorem, maioris tibi factum est causa supplicij. Honoris enim magnitudo his qui non digne viuunt honore, cumulus incipit esse pœnarum. ¶ Igitur fidelem non ab his tantum quæ ipse accipit à Deo, sed ab his quæ obtulerit ipse Deo, conuenit existimare, & vndique esse notum ac manifestum: & ab incessu, & ab aspectu, & à veste, & à voce. Nũc verò vndecunque te voluero agnoscere inuenio te à contrarijs prædicari. Si te ex loco scire curauero, in circo te, & in foro deprehendo, vanissimis tota die rebus vacantem. Si te à veste considerem, nihil te à Scenico distare cognoscam. quòd si à comitibus, à sermone, à cibo, maior hinc accusationis materia nascitur. Vnde igitur responde mihi, fidelem te esse potero cognoscere, cùm omnia ista quæ diximus, contrariam de te ferant sententiam? Et quid dicam, vtrum fidelis? Nec si homo verè sis, possum euidenter agnoscere. Quando enim vt taurus, superbis: quando in epulas vrsorum imitaris voratum, & pinguedine corpus burdonum more distendis: cum malitia camellum, lupum imiteris rapina: cum irascaris vt serpens, & atrocitate scorpionum percutias: cum subdole insidieris vt coluber, cum veneno malignitatis armeris vt vipera, cum quasi Diabolus ipse aduersus fratres crudelia bella suscipias: qua ratione in hominum te possum numero collocare, nulla in te humanæ cernens signa naturæ? O rem plenam doloris, & lachrymarum, fidelis, & catechumini distinctionem reperire volebam, sed nec inter homines & feras quod sit discrimen inuenio.

nio. Quid enim te appellare debeo, feram? Sed illæ vno aliquo horum vitio tenentur: tu verò simul, in te omnia colligendo, longe ferarum irrationale stultumque transgrederis. An Diabolum te potius appellem? Sed ille, nec pecunias concupiscit, nec tyrannidi ventris obsequitur. cum igitur plurima in te vitia sint, quam in belluis, ac Dæmonibus, responde quæso, vnde te possum, hominem nuncupare? Si vero hominem nequeo, quomodo Christianum, & fidelem appellabo? Verum hoc est multo deterrimum, quòd nec istam, animi nostri deformitatem, atque fœditatem intelligimus. Et cum apud tonsorem speculo sumpto, diligentissime formam, & cæsariem cernentes, componamus, & ipsum artificem consulamus, an incomptius alicubi properantis manus operatæ sint, an satis deceat frontem leniter attonsam cæsaries, reliquaque id genus: animam verò nostram, quæ non solum deformis, sed etiam ferarum omnium conformis, & quæ scilla aliqua vel chimera (vt fabulæ celebrant) effecta est, non curamus, non cernimus. Speculum verò spirituale animæ dicit idem esse vitas, & exempla sanctorum. Nemo igitur diutius in ferarum specie perseueret. Si enim seruus in domum patris ingredi non potest, cum bellua fueris effectus, quomodo poteris ipsum etiam introire vestibulum? Chrysost. super Matthæ. hom. 4. oper. perfec.

¶Egrediatur populus (ait Dominus) & colligat quæ sufficiant per singulos dies, vt tentem eum vtrum ambulet in lege mea an non. Quonam modo per collectionem manna experimentum fidei & pietatis populi sumebatur? Certè, quia Dominus pollicitus erat se illis eum cibum quotidie daturum. Hoc autem satis esse debebat, vt positam ante oculos cœlestis annonæ abundantiam contemnerent: neque nisi quod ad præsentem diem necessarium esset, prouiderent spe cœlestis oraculi freti. Quod tamen illi non præstiterunt, qui diuinæ promissionis obliti, in diem alterum annonam colligebant. Ex quo patet, præcipuum Christiani hominis opus esse, non ab humana prudentia, sed à Dei prouidentia pendere: & magis fide & obedientia quàm terrena prudentia niti. COLLE. *Exod.* 16.

Quod acerbius supplicium fideles male viuentes, quã infideles

propter

propter diuinorum beneficiorum abuſum pendere debeant, colligi poteſt, cum ex alijs ſcripturæ locis, tum præcipue ex ciuitatibus, in quibus Dominus multas ediderat virtutes, quæ tamen non egiſſent pœnitentiam. Vnde ait, Væ tibi corozaim væ tibi Bethſaida: quoniam ſi in Tyro & Sibone factæ fuiſſent virtutes &c. Veruntamen Tyro & Sidoni remiſsius erit in die iudicij, quam tibi. Videtis ergo periculum fidelium male viuentium?

Matt. 11.

Triplex ſtatus Chriſtianorum.

Gregor. TRes ſunt modi conuerſorum, ſcilicet inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem ſunt, blandimenta dulcedinis: in medio quoque tempore ſunt certamina tentationum: ad extremum verò perfectio victorioſæ pulchritudinis. Prius ergo illos dulcia ſuſcipiunt, quæ conſolentur: poſt modum amara, quæ exerceant: tunc vero ſuauia ac ſublimia, quæ cōfirment. Greg. mor. lib. 24.

Hugo. Vt ait Ouidius, Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui. Magnum virtutis principiū eſt, vt diſcat paulatim exercitatus animus viſibilia & tranſitoria, primum commutare, vt poſt modum poſsit dereliquere. Delicatus ille eſt adhuc, cui patria dulcis eſt: fortis autem iam, cui omne ſolum patria eſt: perfectus verò, cui mundus exilium eſt. Hugo de S. Victo. lib. 3. Didaſc. c. 2.

Clima. In ipſis abrenunciationis initijs non ſine labore, & violentia, & amaritudine virtutes operamur. Cum autem iam proficere cœperimus, ſine mœrore, vel certè cum minimo mœrore in ipſis exercemur. At verò cum mortalis ſenſus noſter fuerit abſorptus, atque ab alacritate noſtra ſuperatus, tunc iam eas cum omni gaudio, ſtudio, & deſiderio, & diuinæ charitatis flamma perficimus. Climacus.

Nouerunt omnes qui literis eruditi ſunt, quæ nam ſit diſciplina rudium, quæ mediocrium, & magiſtrorum. Intendamus toto animo, videamuſque, ne forte diutius in diſcendo immorati, adhuc in inſtitutis rudium inueniamur. Eſt autem confuſionis immodicæ videre ſenes in ludum literarum proficiſci. ¶ Optimum omnibus ac ſalubre eſt hoc Alphabetum: videlicet, obedientia, ieiunium,

Incipientiū alphabetum.

ieiunium,cilicium,cinis,lachrymæ,confesſio,ſilentium, humilitas,vigiliæ,fortitudo,frigus,labor,ærumna,contemptus, contritio,obliuio illatæ contumeliæ,fraternitas,manſuetudo, fides ſimplex omnique curioſitate carens : curarum ſecularium abiectio, amabile parentum odium,totius mortalis affectionis repudiatió, ſimplicitas innocentiæ coniuncta,ſpontanea vilitas.¶ Porrò finis proficientium,ac ratio,hæc eſt, Inanis gloriæ & iracundiæ vacatio,facilis meliorum ſpes,quies,diſcretiô,iudicij fixa & ſolida memoria,miſericordia,hoſpitalitas,modeſta correptio, oratio omni perturbatione libera,auaritiæ repudiatio.¶ Eorum verò ſpirituũ & corporum quæ religioſe & pie in carne conſummantur, hic finis,hæc ratio & lex eſt.Cor captiuatione ſuperius, conſummata, & perfecta charitas,humilitatis fons,mentis peregrinatio,Christi inhabitatio,lucis & orationis inuiolabilis theſaurus, diuinæ illuſtrationis copia,mortis deſiderium,odium vitæ , fuga corporis, mundi interceſſor Deo vim inferens,Angelorum in miniſtrando socius,ſcientię abyſſus,myſteriorum domus , arcanorum cuſtos, hominum ſaluator,Dæmonum Deus,vitiorum dominus, dominator corporis,naturæ procurator,peccatis extraneus, beatæ tranquillitatis domicilium , imitator Domini per auxilium Domini. Climacus.Grad.26.

Proficiẽtium.

Perfectorum.

In ijs quidem qui rudes imbuuntur,lapſus corporis ex delitijs maxime fieri ſolent:in mediocribus vero etiam ex elatione animi.Porrò in ijs,qui perfectioni proximiores ſunt,ſolummodo ex condemnatione contemptuque ſuperbo proximi.Idem.Grad.15.

COLLE.

¶ Triplicem piorum ſtatum illa ſponſæ verba deſignant. Veni dilecte mi , egrediamur in agrum,& videamus ſi floruerit vinea , ſi flores fructus parturiunt,ſi floruerunt mala punica : ibi dabo tibi vbera mea.In floribus enim (qui nondum fructus , ſed fructuum ſpem præbent)pœnitentium,& incipientium ſtatum accipimus: qui ſpem præbent,fore vt recte deinde viuant,qui mala ſua flere cœperunt:In fructibus verò,adultam virtutem, atque maturá intelligimus:quod proficientibus conuenit : In rubeo autem mali punici colore,& flagrantem charitatis ardorem,& martyrij ſitim, ac patientiæ virtutem conuenienter accipimus : quæ ſanguineo colore ſignificantur. Quæ quidem virtus perfectorũ propria eſt,

Cant.7.

Iacob. 1. Iacobo dicente, Patientia opus perfectum habet. Et Prouerb. 19. *Prou. 19.* Doctrina viri per patientiam noscitur. Cùm autem fidelis anima ad hunc fœlicissimum statum siue charitatis perfectæ, siue patientiæ peruenerit, tunc illud spiritualiter, in anima fit: quod protinus infertur: Ibi dabo tibi vbera mea. Alij autem verterunt, amores meos. Alij vero, Ibi meum amorem totum, in te profundam Hoc est, Si tu ò Sponse, hoc meum desiderium impleueris, tunc ego tibi monstrabo quæcunque potero amoris insignia: tunc ego me *Psal. 70.* totam tuis amicis amplexibus offeram. Gaudebunt enim labia mea cum cantauero tibi: & anima mea quam redemisti: sed & lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuã. Vtrobique autem ingens gratitudinis affectus pro eximijs muneribus à Deo perceptis describitur.

Quatuor in virtute processus virga illa Aaron (secundum Origenem) designare videtur. Primum enim lignum aridum germinat, deinde frondes, tum flores, ac postremo fructus producit. Germinare autem est à morte ad vitam per pœnitentiam redire: frondescere est, externum hominem sacris ceremonijs, & moralium virtutum actibus honestare: flores autem emittere est, sanctis interni hominis desiderijs æstuare, & misericordiæ ac benignitatis operibus odorem suauitatis emittere. Qui autem his virtutum gradibus ad superiora peruenerunt, salutares vtique fructus producunt: dum non modo suam, sed aliorum etiam salutem curant. Hos autem quatuor virtutum gradus insinuasse *Ioan. 2.* in canonica sua Ioannes videtur, cum pueris, adolescentibus, iuuenibus, & senioribus scribere se ait.

Incipientes.

Gregor. *Exod. 16.* CVM Pharao dimisisset populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philistijm: quæ vicina est: reputans, ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum. Ex Ægypto itaque exeuntibus, è vicino bello subtrahuntur: quia derelinquẽtibus seculum, quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa sua teneritudine atq; inchoatione turbati, ac territi, redeant ad id, quod euaserunt. Prius ergo suauitatem sentiunt: securi prius pacis quiete nutriũtur: pòst

cognitam vero dulcedinem, tanto iam tolerabilius tentationum certamina sustinent, quãto altius in Deo cognouerũt, quod amãt. Greg. mor. lib. 24.

Prius conuersos dulcia consolantur, postmodum amara exercent, demum sublimia confirmant: ita in Ægypto fouit Deus filios Israel: probauit in eremo: tandem in terra promissionis cõfirmauit. Greg. mor. lib. 24. c. 13.

Quidam dulcedinem inchoationis putant sublimitatem confirmationis: & ideo cum tentatio sequitur, derelictos se à Deo putant. Greg. vbi supra.

A nouitio in se ipsum rigida debetur censura, & districta seueritas. Ad regentem autem vel consulentem, spectat paterna vel fraterna charitas & pietas lenis. Si alterum horum desit, vel in defide & tepido non spero cursus perseuerantiam: vel in præcipiti timeo ruinam. Bernard. lib. de Amore Dei. *Bernar.*

Animalem discretum, nouitium prudentem, incipientem sapiẽtem, in cella diu posse consistere, in congregatione posse durare, impossibile est. Idem, ibidem.

Docendus est nouitius, sic habere corpus suum, sicut ægrum commendatum: cui etiam multum volenti inutilia neganda sunt, vtilia verò etiam nolenti ingerenda. Sic de corpore suo agere, sicut de non suo, sed eius à quo pretio magno empti sumus, vt glorificemus eum in corpore nostro. Idem, ibidem.

Mentior (quod ad consolationem nostram dico) si non ex manibus huius peccatoris, monachorum nouitiorum, & conuersorum animæ ad cœlorum gaudia euolarunt, tam liberæ, quàm liberatæ de carcere nostræ mortalitatis. Idem in sermo.

¶Sicut anima pueri recens nati dicitur esse pura potentia: quæ tamen pro magisterio habet quidquid, in alijs videt, & audit: ita nouitius monasterium ingrediens, velut in pura potentia est ad ea, quæ vita monastica tradit: Vnde hic quoque pro magisterio habet, quidquid in monachorum moribus videt: hoc enim velut pro lege accipit. Quamobrem summa cura adhibenda est, vt semper recta & honesta non solum audiat, sed etiam videat: alioqui si alterum desit, existimabit planè aliter esse loquendum, aliter viuẽdum: nisi dicta factis consentiant. COLLE.

Corpus animalis à corde formari incipitur, quòd cæteris membris vitam inspirat. Semina item plantarum omnium radices primum in terra iaciunt, quibus ramos deinde alant. Ita spiritualis vita à corde (hoc est ab internis exercitijs, scilicet, oratione, ac meditatione, studijsque deuotionis) incipere debet: vt ab hoc fonte ad externa virtutum officia velut succus quidam spiritualis deriuetur. Deuotio enim alacrem & promptum animum ad omne bonum reddit: & prauorum desideriorum tetros odores (qui à corde nostro exhalantur) velut vnguento pretioso aut pellit, aut minuit.

Proficientes.

Gregor. PRoficiens vires suas caute metiatur, vt quanto magnus esse cœperit, tanto sine cessatione respiciat quod fuit: ne sibi arroget quod factus est per gratiam. Greg. mor. lib. 28. c. 10.

Noli, ait Dominus, contra me de meo munere extolli. Vt in te non destruam quod construxi: ipse non cesses considerare quod reperi. Greg. vbi supra.

Bene possumus seruare quod sumus, si non negligimus pensare quod fuimus. Vnde & Deus, quia augeri infirmitatem nostrã, etiam de remedijs salutis conspicit, mensuram nostris profectibus imponit: quatenus mens nostra dum non potest habere quod appetit, intelligat & quæ habet, non à se habere: & per ea, quæ vtiliter desunt, seruentur bona quæ adsunt. Gregor. mor. lib. 28. c. 10. Vide locum.

Amittit sæpe quæ poterat habere, qui ea ad quæ pertingere nõ valet, arripere festinat. Greg. ibidem. c. 11.

August. Semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod nõdum es. Nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti: Si autem dixisti, sufficit: peristi. August. de verbis Apost.

Tormenta animi non sentit in Ecclesia: qui non proficit, putat enim quia pax est. Sed incipiat proficere, & tunc videbit in qua pressura est: quia cum creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt, & zizania. Idem super Psal. 29. *Matt. 13.*

Bernar. Nolo repente fieri summus, paulatim proficere volo. Quãtum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum pœnitentis verecũdia

dia placet. Citius placas eum, si mensuram tuam seruaueris, & altiora te ne quæsieris. Bernar. super Cant.

Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult: & vbi incipis nolle fieri melior, ibi desinis etiã esse bonus. Ber. in Epist. *Bernar.*

In præstantibus rebus magna sunt ea quæ sunt optimis proxima. Cicero de Orato. *Cicero.*

Nihil est in natura rerum omnium, quod se vniuersum profundat, & quod totum repente euolet: sic omnia, quæ fiunt, quæque aguntur acerrime, leuioribus principijs natura ipsa prætexuit. Idẽ lib. 2. de Orato.

¶ Quid sibi vult, quòd in sacrificio pro gratiarum actione (de quo Leuit. 7. agitur) carnes hostiæ quæ immolantur eodem die manducantur: nec quidquam ex eis relinquitur in alteram diem? Mira sane cautio & prohibitio. Quid igitur hoc? Hac sane lege monemur nihil esse in pietatis officio procrastinandum, nihilque in alterum diem relinquendum: sed protinus vota ac debita nostra Deo reddenda. COLLE. *Leuit. 7.*

Tres præcipuè virtutes ad studium proficiendis maximè conducunt: nempe prudentia, diligentia, & humilitas. Prudẽtia enim agenda dictat, diligẽtia eadem strenuè exequitur (quæ propterea toties à Salomone in Prouerbijs commendatur) & humilitas, quę nec prudentiæ, neque diligentiæ suæ fidens, hominemque Deo subijciens, adiuuantem gratiam promeretur. Sine harum virtutũ præsidio, nemo se in spirituali vita proficere posse speret.

Inter creaturas omnes nulla est quæ cultu, labore, industria, & temporis diuturnitate maiora incrementa capiat: quàm homo. Gemmæ, & margaritæ vix vllum recipiũt incrementũ. Sol quoque, Luna, & sydera omnia, ipsique cœli eãdem modo perfectionem & nitorem retinent, quem initio conditionis suæ receperũt. Angeli verò vbi primum conditi sunt, virtutibus cunctis & sapiẽtia simul ornati fuere: neque enim ista more nostro paulatim, & per incrementa temporum adepti sunt. Homo verò ita paulatim, & per interualla temporum proficit, vt primum quidem viuat vita plantę, secundo bruti, tertio (dum infans est) partim bruti, partim hominis: quarto denique hominis: ac postremo (si cum vita, & pietate ex hac luce migrauit) viuit deinde vita Angeli. Itaque

inter cæteras creaturas & infimum,& summum locum sortiri potest. Beata verò Virgo Angelis omnibus in gloria superior est. Quocirca,dum tempus habemus,dum merendi ac proficiẽdi opportunitas adest,nullo modo hanc spiritualis profectus occasionem prætermittere debemus:donec ocurramus omnes in virum perfectum,in mensura ætatis plenitudinis Christi. Ad hoc autem proficiendi studium cœlestis Sponsus animam vocat,cum in Cáticis ait:Surge,propera amica mea,columba mea, &c. Nec semel monuisse contentus,eadem iterum verba post pauca repetit.Surge propera,&c.

Ephes. 4. *Cant. 2.*

Introduxit me Rex ait sponsa in cellam vinariam. Vinum in literis sanctis pro inebriante dilectione,& dilectionis comite gaudio spiritus accipitur. Cæterum cum videamus ex pijs hominibus aliquos qui cum sibi ab omni capitali crimine longe absint, nondum tamen hac cœlesti dulcedine & dilectione inebriati sunt: imò vix adhuc gustauerunt quàm suauis sit Dominus, facile colligimus,duo esse piorum genera:alterũ eorum qui in hanc cellam vinariam introducti sunt,& à Deo illuminati, gustauerũt bonum eius verbum virtutesque seculi venturi:alterum eorum qui foris adhuc versantur:nec ad potũ & gustũ,sed ad odorẽ quẽdam qui extra fores porrigitur,admissi sunt. Hi ergo segnes ferè in opere Dñi torpent,nec manũ suam ad fortia mittunt:sed velut humi repentes,paululum,suprà naturã,supraq; cõmunem viuendi rationẽ,sese attollunt. At illi,qui iam in amoris atq; diuinæ dulcedinis cellaria introducti sunt,dictu mirũ est,quantũ in opere Domini ferueant,qua alacritate viã mandatorũ eius currant,quàm dura & fortia aggrediantur:quantũ se supra naturam supernaturali virtute incitati efferant,quã acriter aduersus propriã voluntatem,cæterasque animi cupiditates & affectus dimicẽt:qua fortitudine corpus suũ castigent,& in seruitutẽ redigant quã aduersum se rigidi, quã erga alios benigni,mites,liberales & misericordes, charitate intus feruente,reperiantur. Hæc igitur omnia charitas & charitatis soror spiritualis suauitas atque dulcedo facit. De qua sponsa in Canti. Trahe me inquit post te,curremus in odore vnguentorum tuorũ. In verbo autẽ currendi,feruor spiritus & alacritas designatur. ¶Hoc ergo est primum profectus nostri signũ. Est autẽ appositissimũ exẽplũ in venatorũ canibus,qui cũ nondũ prędã odorati sunt,

ti sunt, segnes modo hac modo illac circũ cursant: Vbi vero eius odorẽ persentiunt, iam nõ segniter, sed rapidißimo cursu vnam aliquã viam toto impetu sequũtur. Hoc igitur discrimine licebit eos qui introducti sunt in cellã vinariã ab ijs, qui nondũ in eã admissi sunt, discernere. Quia verò adulterina quædã dulcedo (Dæmone operante interdum reperitur) ideò sunt alia duo certiora profectus nostri signa, nẽpe nostri abnegatio, & ardens crucis & laboris amor: quæ duo cœlestis magister complexus est, cum ait, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suã, & sequatur me. Cũ enim his duobus affectibus natura vel maximè repugnet (quæ laboris inimica, & propriæ voluntatis amica est) quisquis his affectibus superior est, iam supra naturam quodammodo positus est: quòd singulari ac supernaturali Dei auxilio fit. Quicunque ergo profectum suum examinare cupit, hæc tria quæ diximus, expendere debet. *Ioan. 16.*

Hoc vel maximè piorũ esse propriũ in via Dei quotidie proficere, & se ipsis meliores in dies fieri, declarat illa interrogatio ex Cant. Quæ est ista quæ ascẽdit sicut aurora cõsurgẽs? Auroræ enĩ lux paulatim crescit. Quod quidẽ pij homines studiosißime præstare debẽt, deuotionẽ deuotioni, studiũ studio, & laborẽ labori quotidie iũgentes: vt sic semper in Christo adolescãt. Sicut enim lactẽtes pueri cõtinuũ lactis alimẽtũ percipiẽtes, ad iustã magnitudinẽ paulatim perueniũt: ita qui spirituali deuotionis nutrimento quotidie alũtur, in virtute magis ac magis crescunt & roborantur. Hinc illud ex Prouer. Iustorum autẽ semita quasi lux splẽdescens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. Sic Paulus quæ retro sunt oblitus, ad vlteriora se semper extendebat. *Cant. 6.* *Prou. 4.*

Vidit Iacob per scalam Angelos ascendentes, ac descendentes. Nunquid (ait Bernardus) sedentem quempiam, vel stãtem vidit? Certe non: quia non habemus hic manentem ciuitatẽ, nec futurã adhuc possidemus, sed inquirimus. Aut ascendas necesse est, aut descendas: si velis stare, ruas necesse est. *Gene. 28.*

Perfecti.

MAgna est pfectio suę impfectionis cognitio. Gre. in mor. *Gregor.*

Tanto quisque perfectus est, quãto perfecte sentit dolores alienos. Greg. vbi supra.

Ille vero perfectus est, qui ad imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valēs, proximum deserit, ipse sibi testis est, quod perfecte nondum profecit. Greg. vbi supra.

Hi veraciter boni sunt, qui in bonitate persistere etiam inter malos possunt. Greg. in Mora.

August. Quantum mihi videtur, in ea quæ perficienda est iustitia, multum in hac vita ille profecit, qui quàm sit longe à perfectione iustitiæ proficiendo cognouit. Aug. de spiritu &c.

Nullus sanctus & iustus caret peccato: nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus: cum affectu teneat sanctitatem. Idem de Ecclesi. dogma.

Bernar. Proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur. Quod si studere perfectior esse imperfectum est, nolle proficere, deficere est. Bernar. in Epist.

Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit: & eò perfectiorem quisque se probat, quo ad maiorem tendit perfectionem. Idem in Epist.

Bonum acquirit gradum qui bene ministrauerit, meliorē forte, qui bene vacauerit Deo: optimum autem, qui perfectus est in vtroque. Idem in sermo.

Hugo. Tranquilla conscientia est, quæ omnibus est dulcis, nulli grauis, vtens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad beneuolentiam, quibus potest ad beneficientiam: cui Deus nec sua peccata imputat, quia non fecit, nec aliena, quia non approbauit. Hugo lib. 2. de anima.

Conscientia bona titulus est religiones, templum Solomonis, ager benedictionis, hortus delitiarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus & clausus, in die iudicij aperiendus. Ibidem.

Diony. Quosdam cernimus hic iam Dei consortio, & familiaritate beatos: qui ab affectu materialium rerum longissime recedunt: atque ex præsenti vita futuræ primitias sumunt: inter homines Angelico more conuersati. Diony. Epist. 9.

Cicero. Omnia præclara, rara: nec quicquam difficilius quam reperire quod sit omni ex parte in suo genere perfectum. Cicer. in Lelio.

In omni

In omni arte, vel studio, vel quauis scientia, optimũ quidque, rarissimum. Idem. 2. de finibus.

Quod præclarum idem arduum. Idem. 3. Tuscu.

Rebus maximis difficultatem ipsa natura proposuit. Idem. 1. offici.

¶ Cani produnt senectutem hominis: patiẽtia vero & comes prudentiæ patientia, virilis atque perfectæ virtutis ætatem & maturitatem præfert. Puerorum enim est imbecillitas & ignorantia: virorum autem fortitudo & prudentia: quamdiu ergo homo neq; prudens, neque patiens est, adhuc puer in virtute est. COLLE.

Summa rationalis creaturæ perfectio est, principio suo coniungi, illique (quatenus liceat) assimilari. Quò enim fuerit illi similior, eò erit & perfectior. Hanc similitudinem assequutus erat ille qui dicebat, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Pro- *1. Cor. 4.*
pter quod etiam ait, Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me christus. *Galat. 4.* Vnde si quis Pauli vitam & mores considerasset, magis in illo Christum, quàm Paulum agnosceret. Extincto enim penè Paulo, Christus in Paulo viuebat, & in eo operabatur. Hoc autem fit cũ spiritus Christi ita se se viribus animæ insinuat, vt magis Christi puritatem, quàm propriam referat naturam. Hoc in electuarijs aperte videmus: quæ vbi multo saccaro admixta, & ad ignẽ decocta sunt, magis saccari saporem, quàm suum proprium referunt. Quisquis enim ad hunc diuinæ similitudinis gradum aspirat, oportet vt vires omnes animæ suæ, ac præcipue intellectum & voluntatem (quibus potissimum Deum attingimus) ad ipsum semper (quatenus liceat) erectas atque patentes habeat: vt ita diuinis desuper splendoribus irradietur & perfundatur, & (si ita loqui fas est) quodammodo deificetur: videlicet implẽs, quod idem Apostolus ait, Nos autem reuelata facie gloriam Domini *2. Cor. 3.*
speculantes: hoc est, in anima nostra, (velut in puro quodam speculo diuinæ lucis claritatem recipientes) in eandem imaginem transformamur. Ex quo quidem munere ipsa etiam externi hominis species, vultus, sermo, & habitus, diuinum quiddã spirare videntur: vt appareat in eo qui sic affectus est, magis gratiã quàm naturam: magisque spiritum apparere, quàm carnem. Denique il- *Ioan. 1.*
lud conspici, quod Ioannes ait. Qui non ex sanguinibus &c, sed

ex Deo nati sunt. Hoc est, non hominum, sed Dei (cuius filij effecti sunt) mores, & puritatem referunt.

Tria virtutum officia difficillime etiam in viris bonis hodie reperiuntur: videlicet spes viuida in periculis, patientia in iniurijs & abnegatio propriæ voluntatis. Quare dubitandum nõ est, hæc tria esse perfectionis inditia maxima.

Quidam quanuis huius vitæ negotijs vsibusque deseruiant, ante omnia tamen Deum diligere, & illi soli placere curant: dum omnia ad illius gloriam & obsequium referunt. Hi plane cum Dauide merito dicere possunt: In capite libri scriptum est de
Psal. 39. me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Hæc enim diuinæ legis seruandæ cura, in medio, hoc est, in summo cordis mei loco sita est: cætera verò non in medio, sed velut in angulis quodammodo & lateribus mei cordis hærent. Alij verò sunt, qui vlterius progreßi, non hoc tantum agunt, vt hæc vna cura principem in corde suo locum teneat: sed vt nulla alia cura, nullumque aliud negotium in eis dominetur: qui videlicet omnibus mundi curis renuntiantes, hoc vnum (quod solum Dominus necessarium appellauit) curant. Illi ergo sacrificium, isti verò perfectum Domino offe-
Matt. 3. runt holocaustum. Quorum vitam exprimit Euangelicus ille negotiator, qui inuenta vna pretiosa Margarita vendidit omnia quæ habuit, &c. vt hoc ipsum autem plenius intelligamus, sciendũ est, quòd in hostijs legalibus quædam holocausta, quædam vero hostiæ pacificæ dicebantur. Holocausta tota in altari cremabantur. Hostiarum autem pacificarum solis adipibus & renibus incensis, cætera in Sacerdotum seu sacrificantium cedebant vsum. His autem duobus sacrificiorum generibus, duo conuersationum genera perfectorum, scilicet, & imperfectorum designantur. Perfecti sunt, qui se totos Deo obtulerunt, imperfecti autem ij, quorũ carnes nondum spirituali feruore afflatæ & consumptæ sunt: qui tantum adipem & renes, hoc est, intimum amorem, & charitatis viscera Deo offerunt, quem super omnia diligunt. ¶ Ritus autem
Leui. 1. offerendi holocausti hic erat, Detracta (inquit Dominus) pelle hostiæ, artus in frustra concident, & subijcient in altari ignem, strue lignorum ante composita, membra quæ cessa sunt, desuper ordinantes. Quæ verò sint ordinãda exequitur dicens. Caput scilicet,

& omnia,

& omnia quæ adhærent iecori, inteſtinis & pedibus prius aqua lotis. Quis hic omnia myſterijs vacare credat? Quid autem per hæc ſignificare Dominus voluerit, breuiter exponamus. Et primũ quidem holocauſto pellis detrahitur, cum hi qui perfectam aggrediuntur vitam, veterem hominem exuunt cum actibus ſuis; & nouum induunt, qui ſecundum Deum creatus eſt: Pellis etiam detrahitur, cùm omnibus ſeculi opibus repudiatis, nudus homo nudum ſequitur Saluatorem. ¶ Ignis verò in altari noſtro ſubijcitur, ſi à nobis, ibidem prius lignorum ſtrues anteponatur. Ignis iſte charitas eſt: quæ per Spiritum ſanctum tribuitur, Si ergo ligna cõgeſſeris, ipſe ſubijciet ignem ſuum. Ligna autem ſunt cogitationes ſanctæ, quæ calorem diuini ſpiritus concipiunt & nutriũt, iuxta propheticum illud, In meditatione mea exardeſcet ignis. Mẽbra porro ſunt actiones noſtræ: quas ordinare debemus. Eſt enim quidam in ipſis actionibus ordo, vt videlicet inferioribus ſuperiora & nobiliora præponantur: atque vbi maior fuerit vtilitas, maior ſolicitudo impendatur. Inter hæc autem membra, caput hoſtiæ præcipue ordinandum eſt. Caput autem hoc, intẽtio eſt: quæ in omni opere obtinet principatum. Hæc igitur iuxta Dominicũ mandatum ſimplex, & pura ſit: ne ſi impura fuerit, totum operis noſtri corpus tenebroſum fiat. ¶ Adipes verò quæ iecori adhærent, affectus interni ſunt: qui diuino igne inflammari debent. Inteſtina vero, interiores animæ noſtræ vires ſunt, in quibus dum multa inutilia, ſiue etiam noxia verſamus, quaſi ſtercora in vẽtre portamus: ideoque lauari præcipiuntur. Pedes vero animæ deſideria noſtra ſunt: qui quoniam terræ adhærent, expiatione & ablutione indigent, dicẽte Dño, Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes tantum lauet. Danda enim perfectis viris opera eſt, vt nihil carnale, nihil terrenum cõcupiſcant: vt perfectum Deo holocauſtum efficiantur. Quiſquis igitur hæc omnia recte perfecerit vere tanquam ſuauiſsimi odoris holocauſtum ſeipſum offeret Deo: cui non fumus pecudum, ſed virtutum odor gratiſsimus eſt.

Pſal. 38.

Ioan. 13.

Propriũ pudicæ, & ſanctæ vxoris eſt, ſe totã viri ſui obſequio & volũtati tradere: & omnia rurſus quibus ipſa eget à viro petere, & ab eo fidẽter expectare. Hæc duo propria eius animæ eſſe debẽt, quæ ſe in legitimã Chriſti ſpõſam cõſecrauit. Hoc eſt etiã verum Dei holocauſtũ fieri, & ſeipſum in ſpirituale Nazareũ cõſecrare.

Monachus.

Monachus.

Gregor. MElius est de ouili Dominico morbosam ouem eijcere, quam vnius vitio sanas amittere. Greg. in Reg.

Sæpe de vita proximorum querimur, mutare locum conamur & secretum vitæ remotioris eligere: videlicet ignorantes, quia si desit spiritus, non adiuuat locus. Iste enim Loth de quo *Gene.* 19. loquimur in Sodomis sanctus extitit, in monte peccauit. Quod autem loca mentem non mutent, ipse humani generis primus testatur parens: qui & in paradyso cecidit, sed minus sunt omnia quæ loquimur ex terra. Nam si locus saluare potuisset, Sathan de cœlo non caderet. Greg. super Ezech. hom. 9.

Plerumque nauem incaute religatam etiam de sinu tuti littoris vnda excutit, cum tempestas excrescit. Repente me sub prætextu Ecclesiastici ordinis in causarum seculariũ pelago reperi, & quietem monasterij quam habendo fortiter tenui, quã stricte tenenda fuerit, perdendo cognoui. Grego. in prefatione Moral.

August. Ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasterijs profecerunt: ita non sum expertus peiores, quam qui in monasterijs ceciderunt. Aug. in Epist.

Cum quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio monitus vouit: tanto magis fraudati voti auget iniquitatem. Idem in lib. de viduis.

Hierony. Monachus non docẽtis, sed plãgentis habet officiũ qui vel se vel mundũ lugeat, & Dñi sui semper pauidus præstoletur aduentũ: qui sciens imbecillitatem suã, & vas fragile quod portat, timet offendere, ne impingat, & corruat, & frangatur. Vnde & mulierũ maxime iuuencularũ vitat aspectum, & in tantum castigator sui est, vt etiam quæ tuta sunt pertimescat. Hiero. in Epist.

Monachus qui Christum desiderat, nihil aliud dignatur: sed est ei cella pro paradyso, variarum scripturarum dona decerpit, his vtitur delitijs, harum fruitur amplexu. Idem.

Pallor cum humilitate, & maceries, honos est monachi. Ex vitis patrum.

Prima virtus monachi est, contemnere hominum iudicia, & semper Apostoli recordari dicentis, si hominibus placerem Chri- *Galat.* 1. sti seruus non essem. Idem ad Pagmachi.

Perse-

Perfectus seruus Christi, nihil præter Christū habet: aut si quid præter Christum habet, perfectus non est dicente Domino. Nemo potest duobus Dominis seruire &c. & audet quisquam mendacem Christū facere, Mammonæ & Domino seruiendo? idem in Episto. ad Heliod. *Luc.16.*

Nonnulli sunt ditiores monachi, quam fuerant ante seculares: qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo habere non poterant, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos. Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane rugientem satiare ventrem poteram, nunc similam & mella fastidio: noui & genera & nomina piscium & saporibus auium discerno prouincias. ¶ Addit deinde Hieronymus, Solos sacerdotes & monachos illo tempore per leges principum, ab hæreditatis iure prohiberi. Nec de lege (inquit) doleo, sed cur meruerimus hanc legem. Bonum est cauterium, sed quo mihi vulnus, vt indigeam cauterio? Idem in Epist. ad Nepotia.

Sunt & inter monachos quidam, qui sublatis in altum humeris, stupentibusque in terram oculis, tumentia verba trutinātur. Quibus si præconem addideris, putes incedere præfecturam. Sūt qui humore cellarum, & immoderatis ieiunijs, tædio solitudinis, ac nimia lectione, dum diebus ac noctibus auribus suis personāt, vertuntur in melancholiam, & Hippocratis magis fomentis, quā nostris monitis indigent. Plerique artibus & negotiationibus pristinis carere non possunt, mutatisque nominibus institorum eadem exercent cōmercia, non victum & vestitum, quod Apostolus præcipit, sed maiora quam seculi homines emolumenta sectantes. Idē ad Rusticum monach.

Laudat Hieronymus Demetriadem virginem, quod omnia prædia sua quæ erant amplissima sibi vni à parentibus derelicta, vendiderit ad monasteria pauperum alenda. Accusatque hoc in loco patrem quendam, qui exiguo patrimonio Sponso Christo copulauerit duas filias. Cæterum familiam summamque diuitiarum copiam cum alijs, quas terrenis sponsis copulare decreuerat, liberalissime distribuit. Idem ad Demetriadem.

Parum timet diabolus ieiunantes, vigilantes, continentes: quia tam de istis quam de illis multos traxit in laqueum ruinæ: sed cō- *Bernar.*

cordes

cordes & vnanimiter viuentes in domo domini, coniuncti Deo & sibi per vinculum charitatis: hi dolorem, hi timorem, hi liuorẽ Diabolo ingerunt. Bernar. in sermo.

Sunt tepidi quidam, & animales religiosi, quorum obedientia sine deuotione, sermo sine circunspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione. Idem in sermo.

Magna est confusio, & magna valde, quod ardentius seculares perniciosa desiderant, quam nos vtilia: citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam. Ibid.

Bernardus super illo verbo. Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit, sic ait. Exteriorem superficiem intuẽs religiosus malus, salua sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultũ, qui omnia interiora corrodit. Manet tonsura, vestis necdum mutata est, ieiuniorum regula custoditur, statutis psallitur horis: sed cor eorum longe est à me, dicit Dominus. Idem ibidem.

Ecce inter monachos parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas, silentium tristitia reputatur. Econtra remissio, discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas: mollicies vestimentorum & equorum fastus, honestas: lectorum superfluus cultus, munditia. Idem in Apolog.

Omnes nimirum ex quo monachi sumus, infirmos stomachos habemus: & tam necessarium Apostoli de vino vtendo cõsilium non negligimus: modico tamen, quod ille præmisit, nescio tamen cur prætermisso. Idem ibidem.

Quæritur ad induendum non quod vtilius, sed quod subtilius inuenitur: non quod repellat frigus, sed quod superbiæ competat: non denique iuxta regulam quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imo vanius poterit ostentari. Heu me miserum qualemcunque monachum, cur adhuc viuo? Tædet animã videre, ad hoc deuenisse ordinem nostrum sanctum. Idem ibidem.

Miles & monachus ex eodem panno partiuntur sibi clamydẽ & cucullam. Idem ibidem.

Nihil turpius, quam monachus per vrbes & castella discurrens, nisi cum hoc charitas cogat, quæ operit multitudinem peccatorũ. Idem in serm.

Conuolate ad vrbes refugij, vbi poßitis & de præteritis agere pœni-

re pœnitentiam, & in præsenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fœliciter præstolari. Non vos retardet conscientia peccatorum: quia vbi illa abundarunt, superabundare gratia consueuit. Non pœnitentiæ austeritas ipsa deterreat: nec enim condignæ sunt passiones huius temporis, ad præteritam culpam quæ remittitur, non ad præsentem consolationem quæ immittitur, non ad futuram gloriam quæ promittitur. Idem in sermo.

Moriens vix vnquam aliquis à cella in infernum descendit, quia vix vnquam nisi cœlo prædestinatus in ea vsque ad mortem persistit. Idem in Episto.

Experto credite, quia hæc via quanto arctior, quanto molestior videtur in ingressu: tanto latior, tanto iucundior inuenitur in progressu. Idem ibidem.

Vita confert meritum, locus non facit beatum. Idem ibidem.

Fœlix domus & beata semper congregatio, vbi de Maria conqueritur Martha. Nam Mariam Marthæ æmulari indignũ prorsus est. Idem ibidem.

Multo facilius reperies multos seculares conuerti ad bonum, quam vnum quempiam de religiosis transire ad melius. Rarissima auis in terris est, qui de gradu quem forte in religione semel attigerit, vel parum ascendat. Idem ibidem.

Labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia: hæc vitam solent nobilitare monasticam: Nostri autem oculi omne sublime vident: nostri pedes omne forum circumeunt: nostræ linguæ in omnibus audiuntur concilijs: nostræ manus omnino diripiunt patrimonium. Idem in quadam Episto.

Legumina (inquit) vẽtosa sunt: caseus stomachũ grauat: lac capiti nocet: potum aquæ nõ sustinet pectus: caules nutriunt melancholiam: cholerã porri accendunt: pisces de stagno aut de lutuosa aqua meæ penitus cõplexioni non cõgruunt: quale est hoc: vt in omnibus fluuijs, agris, hortis, cellarijs reperiri vix possit, quod cõmedas? Puta te quæso monachũ esse non medicum: nec de cõplexione iudicandũ, sed de professione. Parce obsecro primũ quieti tuæ, parce conscientiæ, conscientiæ non dico tuæ, sed alterius scilicet qui prope te sedens & edens de tua singularitate murmurat, & de

& de tua superstitione scandalizatur. Idem super Cantic. sermo.30.

Video quiddam (quod sine dolore videri non debet) post aggressam Christi militiam, rursus implicari secularibus, rursus terrenis cupiditatibus immergi: cum magna cura erigere muros, & negligere mores: sub prætextu quoque communis vtilitatis verba vendere diuitibus, & matronis salutationes: sed & contra sui imperatoris edictum concupiscere aliena, & sua cum lite repetere: ita nec se mundo, nec sibi mundum crucifixerunt: vt qui ante vix in suo vico vel oppido cogniti fuerunt, modo circumeuntes prouincias, & curias frequentantes, regum notitias, principum familiaritates assecuti sunt. Idem hom.4.sup. Missus est.

Inhumane redarguis opera eorum, quorum refugis onera: temerarie obiungat virum reuertentem de prælio mulier nens in domo. Dico enim, si is qui de claustro est, eum qui versatur in populo interdum minus discrete, minusve circunspecte se se agere deprehenderit, verbi gratia: in verbo, in cibo, in risu, in ira, in iudicio, non ad iudicandum confestim prosiliat: sed meminerit scriptum, Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. Nam tu, qui in tui custodia vigilas, benefacis: sed qui iuuat multos, melius facit & virilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua inæqualitate vitæ & conuersationis suæ, memento quia charitas operit multitudinem peccatorum. Idem sup. Cant. ser. 12.

Tu qui in congregatione es, bene viue, ordinabiliter, sociabiliter, & humiliter: ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo. Idem in sermo.

Claustralis paradysus ad suauem spirans austri clementiã, quasi tot floribus vernat, quot virtutibus abundat. Dum enim Diabolus officinas fratrũ circuit: debet eũ fugare ab oratorio deuotio, & refectorio lectio, à dormitorio stramenta vilia, à capitulo patiẽtia. Idem in Epist.

Non vultis esse contenti communi vita, non sufficit vobis regulare ieiunium, non solennes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura, quam vobis partimur in vestimentis vel alimentis: priuata præfertis communibus, qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursum vos de vobis intromittitis? Nam illam, qua toties Deum conscientijs vestris testibus offendistis, propriam

scilicet

scilicet voluntatem vestram: ecce iterum magistram habetis non me? Illa vos docet naturæ non parcere, rationi non acquiescere: seniorum consilio vel exemplo non obtemperare, nobis non obedire: An ignoratis, quia melior est obedientia, quam victimæ? Nõ legistis in regula vestra, quòd quidquid fit sine voluntate vel cõsensu spiritualis patris, vanæ glorię deputabitur, non mercedi. Idẽ super Cant. ser. 29.

Si quid religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, plane cum Ægyptijs paruulos Israelitici germinis necare conatur: imo cum Herode nascentem persequitur Saluatorem. Idẽ in sermo.

Malum quod nemo videt, nemo arguit. Vbi autem non timetur reprehensor, securus accedit tentator ; licentius perpetratur iniquitas. In conuentu vero, si qua bona agis, nemo prohibet. Malum autem facere si vis, non licet. Si ergo de fatuis virginibus es, congregatio tibi necessaria est, si de prudentibus, tu cõgregationi. Idem ad Sophiam virginem.

Hugo.

Duodecim sunt abusiones claustri, quibus tota religionis summa corrumpitur , scilicet prælatus negligens, discipulus inobediens, iuuenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreuerentia iuxta altare. Hugo lib. 2. de claus. animæ.

Vulpina plane conscientia, tepida conuersatio, animalis cogitatio, ficta confessio, breuis & rara compunctio, obedientia sine deuotione, oratio sine intentione, lectio sine ædificatione, sermo sine conscriptione. Idem lib. 1. de Anima.

Monachi sibi claustra faciunt , quibus homo exterior teneri possit, sed vtinam claustra facerent, quibus homo interior ordinate teneretur. Idem de claus. animæ lib. 2.

In choro sum corpore, & aliquo negotio mente: nũc intus maneo, nunc foris exeo: aliud canto, & aliud cogito: psalmodiæ verba profero, & psalmodiæ sensum non attendo: sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus, huc & illuc prospiciens , quæcunque ibi geruntur perlustro & perspicio: habitũ monachi, non conuersationem habens, in magna corona & ampla cuculla salua mihi omnia existimo. Idem ibidem.

Si vis esse monachus curialis, laudas quod non debes, defendis quod non expedit: operaris quod non licet, loqueris quod nō decet. Idem lib. 12. de Abus.

Si monachus es, quid facis in turba? si amas silentium cur declamantibus asiduè interesse delectaris? Tu semper ieiunijs & fletibus insistere debes, & tu Philosophiam quæris. Simplicitas monachi, philosophia eius est, sed docere (inquis) alios volo: non est tuum docere, sed plangere. Si tamen doctor esse desideras, audi quid facis. Vilitas habitus tui, & simplicitas vultus, innocentia vitæ, & sanctitas conuersationis tuæ, docere habent homines. Idem ibidem.

Pone (inquit) ori meo custodiam, & ostium circunstantiæ labijs meis. Ostium dixit, non murum. Si enim murus poneretur, loquendi licentia omnino negari videretur. Sed ostium ponitur quod tempore & loco clauditur, & aperitur. Est tempus & locus tacendi, & loquendi. Aperitur itaque ostium hora constituta: scilicet in claustro lectioni: in capitulo confessioni: in Ecclesia orationi. Item clauditur ostium in claustro confabulationi, in capitulo contentioni, in Ecclesia vanæ modulationi. Idem lib. de 12. Abuss.

Isidor. Summa monachi virtus humilitas: summum vitium eius superbia. Isidor. de summo bono.

Tunc se quisque monachum iudicet, quando se minimum existimauerit, etiam si opera maiora virtutum gesserit. Idem ibidem.

Euseb. Emisse. Verus religiosus debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, diues in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia. Euseb. in sermo.

Quid nobis habitationis huius secretum prodest, quando tyrannico dominatu malitia regnat in nobis, quando ira superequitat, quando maiorem metum in nobis humanus oculus, quam diuinus inijcit: quando nos illi laudabiles eremitæ qui extra mundum esse nos credimus, per diuersarum paſsionum vitia, mundū intra nos inclusum tenemus? Quid prodest, si locus quietis tantum corporaliter teneatur, & inquietudo in corde versetur? Quid inquā prodest, si in habitatione silentium sit, & in habitatoribus

vitiorum,

vitiorum tumultus, & colluctatio pasſionum? Si exteriora noſtra ſerenitas teneat, & interiora tempeſtas? Idem ad monach. ho. 4.

Gratis nobis de cruce & corporis afflictione blandimur ſi exterior homo noſter ſanctis laboribus exercetur, & à paſſionibus non curatur interior: ſic eſt, quomodo ſi aliquis ſtatuam facit à foris auream, ab intus luteam: vel quomodo ſi domus magnifica arte conſtructa à foris pulcherrimis coloribus depicta videatur, & ab intus ſerpentibus & ſcorpionibus plena ſit. Quid prodeſt, quod affligis corpus tuum, quando nihil proficit cor tuũ? Ieiunare & vigilare, & mores non corrigere ſic eſt, quomodo ſi aliquis extra vineam, aut circa vineam, extirpet, & colat, vineam ipſam deſertam atque incultam derelinquat, vt ſpinas atque tribulos germinet. Idem ibidem.

Sufficere nobis putamus, quod locum habitúque mutauimus, quod hic aliquantulum temporis viximus: ſpem omnem in annorum numero collocantes. Idem hom. 5.

Videte vocationem veſtram fratres chariſsimi, venire ad eremum, ſumma perfectio eſt: non perfectè in eremo viuere, ſumma damnatio eſt. Et mox, ſi exteriora ſerenitas teneat, & interiora tempeſtas. Solemus annos noſtros & temporum ſpatia, quibus nunc viuimus, ſupputamus. Non te fallat quicunque ille es, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter ſeculo cõſumpſiſti. Illum tantum diem vixiſſe te computa, in quo voluntates proprias abnegaſti, in quo malis deſiderijs reſtitiſti, quem ſine vlla regulæ tranſgreſsione duxiſti. Illum diem vixiſſe te computa, qui puritatis & ſanctæ meditationis habuit lucem, quem non conuerſatio tenebroſa mutauit in noctem. Illum inquam applica ad vitam tuam, cuius vſus peruenit ad animam tuam. Idem ibidem hom. 9.

Sic debet monachus vndique ſeipſum circunſpicere, & immobilem tenere animi oculum ad ſuam cuſtodiam, quaſi ſi per medios laqueos ſemper incedat. Athanaſius. *Athana.*

Martyres quidem ſæpe vel vno temporis momento cum certaſſent, perfectionem aſſecuti ſunt: at monachorum vita ſingulis diebus per Chriſtũ certans, martyr eſt: id eſt, teſtimoniũ Chriſto dicit, non aduerſus ſanguinem & carnem in acie inſtructa: ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi

dominos, rectores tenebrarum harum aduersus spirituales astutias, vsque ad vltimum spiritum certamen habens, & certat, & coronatur armatura Dei induta. Idem.

Gregor. Nisse. Monachis delitiæ sunt continentia, & actio: otium, & gloria à nemine cognosci. Grego. Nisse.

Theolog. Vides istos opibus & domibus carentes, excarnes, exiles, & exangues, etiam Deo hac ratione appropinquantes illotis pedibus, & humi cubantes: qui infra cum sint, inferiora superant, & inter homines supra humanam conditionem sunt: vinctos & liberos: detentos, & tamen non teneri: quorum in mundo nihil est, & omnia supra mundum: quorum duplex est vita, altera quæ despicitur, altera quæ appetitur: qui per mortificationem sunt immortales, qui per solutionem Deo copulati & apti sunt: quorum sunt fontes lucis, & quorum iam sunt irradiationes, quorum Angelicæ psalmodiæ, & per noctes stationes, & mentis ad Deum raptæ peregrinatio, quorum denique purgatio, quorumque repurgari est. Theolog.

Nõ est pietas in rebus paruis, nec philosophia in vultus demissione, sed in animi firmitate, & cogitationis puritate, & vera ad res honestas propensione. Idem.

Clima. Monachus est ordo & status Angelicus in corpore materiali & sordido consummatus. Monachus est, qui solum ad Deũ acie mentis intentus, illum semper orat, in omni tempore, & loco, & re. Monachus est, perpetua naturæ violentia, sensuumque vigilantissima & indefessa custodia. Monachus est castificatum corpus, expiatum os, animusque diuino semper lumine irradiatus. Monachus est afflictus & mœrens animus: qui iugi mortis memoria, siue vigilans, siue obdormiens, seipsum semper exercet. Clima: Grad. 1.

Quicunque in congregationibus degimus, aduersus omnia quidem, sed contra hæc duo præcipue vitia horis singulis pugnaré debemus: aduersum insaniam ventris, atque iracundiam. Hæc enim in turba fratrum proprijs materijs abundat. Ibidem.

Monachorum quidem lux Angeli sunt, cunctorum autẽ mortalium lux monastica est disciplina. Curent ergo summa ope fieri omnibus optima forma: neque vllam cuiquam dent offensionẽ &c. Idem Grad. 26.

Nos

Nos ex duobus exemplis eorum:qui terrena & infima purgare solent,duas conuenientissime purgationes eorum:qui superna sapiunt colligimus:Et fullonum quidem officinam (exempli causa)dicimus cœnobium secundum Deum:quod sordes & crassitudinem,atque turpitudinem animæ diluit,atque resecat. Tingentium vero officina est.Anachorisis ijs qui in cœnobio exercitatione lasciuiam,& memoriam iniuriarum , & iracundiam deposuerunt:iamque ex ea ad quietem solitudinis migrarunt.Idem de discretione ad discernendum facile.

Cœlibatus iugum nulli imponas:res enim est periculosa,& custoditu difficilis,quando per necessitatem contigerit. Ignatius. *Ignatius.*

Iunioribus nuptias concede , antequam meretricijs amoribus implicentur.Idem.

Vt si grammaticum se professus quispiam , barbarè loquatur, aut si absurde canat is,qui se velit haberi musicū, hoc turpius est, quod in eo ipse peccat,cuius profitetur scientiam:sic philosophus in ratione vitæ peccans,hoc turpius est,quod in officio,cuius magister esse vult,labitur,artemque vitæ professus,delinquit in vita. Cicer.2.Tuscu.

¶ Vita monastica bonis paradysus , malis tormentum est : Huius rei causa est,quòd res omnes summa cura se in suo esse conseruare nituntur,& studiose quæ ad hoc necessaria sunt querunt. Quo fit vt viri spirituales diligenter ea quæ ad regularis vitæ institutū pertinent,seruare studeant:quoniam hisce rebus in vita spirituali maxime conseruantur:quod ipsi magnopere concupiscunt:ideoque illis regularis vita pręcepta,non oneri sed voluptati sunt. At contra carnales quia in carnali vita conseruari student , carnalia opera appetunt : quæ ad hoc deseruiunt : spiritualia vero fastidiunt , quæ illis aduersantur. Ideoque illis monastica vita tormentum est, quæ spiritualibus vt dixi viris paradysus delitiarum est. COLLE.

Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. Nemo vasis quæ ad sacra ministeria consecrata sunt , in alios vsus conuertit.Cū ergo monachi diuinis rebus , velut sacra vasa addicti sint, sicut nec vasa sacra prophanari,ita nec ipsos secularibus negotijs occupari decet. *2.Tim.2.*

In holocausto Domini quod ex pecoribus est, solum licet offerre masculum: in hostia vero pacificorum, & mas & fœmina offerri possunt. Quid sibi vult differentia hæc? Quid in his religionis? Holocaustum viros perfectos, qui se & omnia sua nihil sibi relinquentes Domino obtulerunt repræsentat. Hostiæ verò pacificorum imperfectos designat, qui solum adipem, hoc est interiora amoris viscera Deo offerunt, reliqua sibi reseruantes. Ad illam autem oblationem masculus tantum, hoc est, masculinus & fortis animus eligitur: ad hanc autem quæ imperfectorum est, & mas & fœmina admittuntur: quoniam imbecilles etiam & infirmi hoc Domino sacrificium offerre possunt.

Nemo aut locorum opportunitati aut profeßionis suæ dignitati nimium fidat. Sancta enim profeßio neminem sanctum efficit, sed obligat tamen ad sanctitatem. Loth in ciuitate iustus, in monte deliquit. *Gene.19.*

Diabolus sub vmbra dormire dicitur, in secreto calami. Calamus, foris quidem nitidus, intus vacuus, & ideo sonorus est. Qua specie quid aliud quàm vel mali clerici vel monachi designãtur? Nitent enim exterius habitu & religionis specie, sonant autẽ frequenti vsu diuinæ laudis modulatione, intus autem veræ pietatis & charitatis succo inanes & vacui sunt.

Renuntiatio.

Gregor. SI nihil in hoc mundo amando poßidetis, etiam poßidendo cuncta relinquitis. Greg. in hom.

Qui cœlestis vitæ dulcedinem inquantum poßibilitas admittit, perfecte cognouerit, ea quæ in terris amauerat, libenter cuncta relinquit. Idem.

Multa relinquitis si desiderijs renunciatis. Exteriora etenim nostra Domino quamlibet parua sufficiunt: cor namque & non substantiam pensat: nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Idem in homil.

Laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum. Idem.

Omnia relinquere possumus etiã retinẽdo. Greg. vide Greg. in mor. lib. 7. c. 17. & 18. vbi multa de amore cõsanguineorũ differit.

vtilius

Vtilius terrena opulentia tenetur humiliter, quam superbe relinquatur. August. *August.*

Apostoli quantum ad diuitias nihil, quantum ad voluntatem totum mundum reliquerunt. Idem.

Amandus est generator, sed præponendus est creator. August. in sermo.

Licet sparso crine & scissis vestibus, vbera quibus te nutrierat mater ostendat: licet in limine pater iaceat: per calcatum patrem perge, siccis oculis ad vexillum crucis euola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem: veniet postea dies ille, quo victor reuertaris in patriam. Hiero. in Epist. ad Heliodo. *Hierony.*

Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Idem.

Qui vult esse perfectus, multitudines hominum, officia & salutationes, & conuiuia quasi cathenas fugiat voluptatum. Idem.

Vtinam quod renuntiamus seculo, voluntas sit, non necessitas. Idem.

Difficilius arrogantiá, quam auro & gemmis caremus. His enim abiectis, interdum gloriosius tumemus, & venerabilem paupertatem populari auræ offerimus. Plus enim est animum deposuisse quam cultum. Idem Epist. 120.

Volens discipulos reuerti domum, & suis omnia renuntiare, magistri voce prohibetur. Sepultura patri non datur, & pietatis genus est, impium esse pro Domino. Idem ad Marc.

Ordinate in me charitaté. In Cãticis. Rectus ordo est post Deũ, amare patrem & amicos, si tamen necessitas venit, vt vtrumque seruari nó possit, odium in suos, pietas in Deũ est. Idem ad Paul.

Vis breuiter lector eius S. Paulæ scire virtutes? Omnes pauperes suos, pauperior ipsa dimisit. Seruos omnes & ancillas suas, in fratres sororesq; mutauit, Eustochiũ filiã grandi ære alieno oppressam, sola fide & gratia diuitem reliquit. Idem in Epitah. Paul.

Nec diu potuit excelsi apud seculum generis, & nobilissimæ familiæ visitationes & frequentiam sustinere. Sola & incomitata in eremum Paulorum atque Antoniorum pergere festinabat &c. Tandem exacta hyeme aperto mari descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & (quod his maius est) liberis prosequentibus, & clementissimam matrem pietate vincere cupientibus. Iam carbasa tẽdebantur, & remorum ductu nauis in altum

protrahebatur. Paruus Toxotius supplices manus tendebat in littore. Rufina iam nubilis, vt suas expectaret nuptias tacens fletibus obsecrabat. Et tamen illa siccos tendebat ad cœlum oculos, pietatem in filios, pietate in Deum superans. Nesciebat se matrem, vt Christi probaret ancillam. Torquebantur viscera, & quasi à suis membris distraheretur, cum dolore pugnabat, in eo cunctis admirabilior, quod magnam vinceret charitatem. Inter hostium manus, & captiuitatis duram necessitudinem, nihil crudelius est, quam parentes à liberis separari. Hoc contra iura naturæ plena fides patiebatur, imo gaudens animus appetebat. Sulcabat interim nauis mare, & cunctis qui cum ea vehebantur littora respicientibus, ipsa auersos tenebat oculos, ne videret quos sine tormento videre non poterat. Idem ibidem.

Si vis perfectus esse, mundum relinque. Pristina vestimenta cõtemne, & vt euadas Ægyptiam dominã seculi pallium derelinque. Helias ad cœlorum regna festinans, non potest ire cum pallio, sed mundi in mundo vestimenta dimittit. Contemnis aurum? contempserunt, & multi philosophi. E quibus vnus multarũ possessionum pretium proiecit in pelagus. Abite dicens, in profundum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. Idem ad Iulianum.

Idem super illud. Honora patrem & matrem &c. Si te caro à patre separat, tandiu noscas carnis copulam, quandiu ille suum nouerit creatorem. Idem.

Gladium tenet hostis vt me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo? Idem ad Heliodor.

Bernar. O dira abusio: domus ardet, ignis instat à tergo, & fugiẽti prohibetur egredi, euadẽti suadetur regredi, & hoc ab his qui in ipso incendio positi sunt, & obstinatissima dementia, ac dementissima obstinatione, fugere periculum nolunt. Proh dolor, si contẽnitis mortem vestram, cur appetitis & meam? Ber. in Epist.

Ecclesia iubet vt concupiscat rex decorem eius, obliuisci populum suum, & domum patris sui. Puer Iesus inter cognatos & notos quæritur, nec inuenitur. Fuge fratres tuos & tu, si tuam vis inuenire salutem. Fuge inquam de medio Babylonis, fuge à facie gladij Aquilonis. Idem in Episto.

O dirum patrem, ô sæuam matrem, ô parentes crudeles & impios,

pios, imo non parentes sed peremptores: quorum dolor salus pignoris: quorum consolatio mors filij est: qui me malunt perire cũ eis, quam regnare sine eis. Idem ibidem.

Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia si impiũ est cõtemnere matrẽ, cõtemnere propter Christum pijssimũ est. Nam qui dixit. Honora patrem & matrem: ipse etiam dixit, Qui amat patrem & matrem plusquam me, non est me dignus. Idem ibid.

Quantos mũdi sapiẽtia supplantat, & cõceptũ in eis extinguit spiritũ, quẽ voluerat vehementer Dñs accẽdi? Noli (inquiũt tales) præcipitanter agere, diu cõsidera, diligẽter intuere: magnum est quod proponis, & opus egens multa deliberatione: experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat. Vocat magni consilij Angelus, quid opus est vt aliena consilia præstoleris? Quis enim fidelior, quisve sapientior illo? Seduc me Domine, & seducar: fortior esto & inualesce. Idem de contempt.

Si sapis, si habes, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine iam ea sequi, quæ & consequi miserum est. Beatus qui post illa non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciãt. Idem in Episto.

Secuti sumus te, nimirum quia exultauit vt gigas ad currẽdam viam suam, nec currentem sequi poteras oneratus: sed nec inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reliquisse: omnia sane dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maxime. Idem de Contempt.

Plus mundi concupiscentia quam substantia nocet: & hæc fugiendarum causa diuitiarum præcipua est: quod aut vix, aut nunquam sine amore valent possideri. Facile enim cor humanũ omnibus quæ frequentat adhæret. Idem.

Fili vinum non habent. Quid mihi & tibi est mulier? Vt quid fratres sic respondit Christus? vtique propter nos, vt conuersos ad Deum iam non solicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illę non impediant exercitium spirituale: quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentum: at postquàm reliquimus nos metipsos, multo magis ab eorum solicitudine liberi sumus. Idem super Cant. serm. 28. *Ex Vitis Patrum.*

Nihil prodest ei nuditas, cui inest cupiditas. *Isidor.*

Noueris non prohiberi pietatis officiũ, sed negari carnalitatis

 affectum,

affectum, proximis enim carnaliter præstat, quod extraneis pie impenditur. Isido. de sum. bo.

Si quis renuntiat omnibus quæ posſidet, & suis non renuntiat moribus, non est Christi discipulus. qui enim renuntiat rebus suis sua abnegat: qui vero renuntiat suis moribus, seipsum abnegat. Idem lib. 3. de sum. bon.

Euseb. Emiss. Non satis prodest quod à nobis qualescunque facultates excludimus, quando ipsæ in nobis resederunt cupiditates. Inde est, quod interdum de rebus paruiſsimis excitamur, & pro vilium rerum appetitu viliſsimas intentiones mouemus. Et inter hæc quomodo exultat aduersarius noster, quando nos videt ad hoc maxima contempsisse, vt in minimis deformius vinceremur? Ideoque ea quæ foris posita erant abiecisse nihil prodest, nisi etiam ea quæ intus ipsius animæ visceribus adhæserunt, radicitus euellantur. Vnde & Apostolus non dixit, Aurum & argentum radix est omnium malorum, sed magis cupiditas diuitiarum: & non solum diuites, sed & qui volunt diuites fieri, incidere in laqueum & tentationem. Ergo Apostolus non solum habentes, sed ipsam habendi persequitur voluntatem. Ideoque nihil proficit homo relinquendo, quod extra se est, qui vitia intra se tenet. Itaque (vt dixi) fratres hic sumus, & toti non sumus. Euseb. Emisse. ad monach. hom. 5.

Siquis (inquit Apostolus) vult esse sapiens inter vos, stultus fiat, vt sit sapiens. Quid est hoc stultus fiat, vt sit sapiens? An non videtur aliquatenus stultus homo, quando amore salutis suæ, & cœlestis tremore iudicij, diuersa vitæ huius oblectamenta, quæ solebat ambire, refugit? quæ solebat congregare contemnit? imo per sinus pauperum seminantis more dispergit? Affluentia offenditur, inedia pascitur, ieiunijs delectatur, corde humiliatur, habitu mutatur: dimittit quod posseſsione tenet, & quærit cogitatione quod nō videt, animū cœlo inferēs quod amauit odit, studet velle quod noluit. Trahit enim post se cor illius eruditio, & fideliū veridica promiſsio sanctorū: de quibus dictū est, vt seductores, & veraces. Quare seductores? Quia docēt hominē despicere quod habet, & sperare quod non habet. Quæ oculis exposita sunt, auersis & clausis sensibus præterire, & quæ ab oculis remota sunt, inexplebilibus desiderijs explorare. Euse. Emiss. hom. in die Pente.

Vt ait Ouidius: Nescio qua natale solum dulcedine cunctos Ducit: & immemores non sinit esse sui. Magnum virtutis principiũ est, vt discat paulatim exercitatus animus visibilia & trãsitoria primum commutare, vt postmodum possit derelinquere. Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est: fortis autem iam cui omne solum patria est, perfectus vero, cui mundus exilium est. *Hugo de Victo.*

Pudet dicere, ita plerosque abrenuntiasse conspicimus, vt nihil amplius immutasse de interioribus vitijs ac moribus comprobentur, nisi ordinem tantum atque habitum secularem. Quibus profecto non proderit maiores opes ac substantias contempsisse, quia affectus earum ob quos illæ contemptæ sunt, in res paruas atque exiguas transtulerunt. Nam vitium cupiditatis atque auaritiæ, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse, sed immutasse se probant pristinam passionem. Nam nimia deuicti diligentia erga curam psiathi, sportellæ, sagelli, codicis, mattæ, aliarumque similium rerum quanuis vilissimarum: eadem tamen qua ante libidine detinent, & ab aliorum contrectatione defendunt, quæ vniuersis fratribus debent esse communia. *Ioã. Cass.*

Quid differt, vtrum quis perturbationem cupiditatis, erga opes amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat species, nisi quod in eo reprehensibilior iudicandus est: quod qui maxima spreuerit, in minimis obligetur? Ideoque perfectionem cordis abrenuntiatio ista non obtinet: quia cum censum habeat pauperis non abiecit diuitis voluntatem. Idem ibidem.

Nemo in cœlestem thalamum coronatus ingreditur, nisi qui primam & secundam & tertiam renuntiationem impleuerit: vt scilicet primo renunciet rebus omnibus, & hominibus, & parentibus. Secundo voluntati propriæ: tertio inani gloriæ quæ solet obedientiam subsequi. Ibidem.

Peregrinatio vestra est, omnium prorsus rerum separatio ea ratione suscepta: vt nunquam cogitatio nostra à Deo separetur. Idẽ Grad. 3.

Peregrinus ille est, qui veluti alterius linguæ inter ignotæ sibi linguæ homines, in sui agnitione secum habitat. Idem ibidem.

Sicut impossibile est, vno oculo in cœlum, altero in terrã respicere, ita fieri nõ potest, vt is in anima nõ periclitetur, qui corpore

& cogi-

& cogitatione ab omnibus & propinquis & extraneis non se peregrinum fecerit. Idem ibidem.

Chrysost. Dico tibi monache, quid quæris Patrem? quid quæris matrem? Aut Christiana est mater, aut nõ est Christiana: aut sancta est, aut peccatrix. Si sancta est gaudet quod seruis Domino: si peccatrix, dimitte illam, quia mortua est. Chrysost. de compunct.

Qui habet Iesum, habet & patrem & matrem, habet filios, habet omnem propinquitatem. Quid quæris mortuos? sequere viuum, & dimitte mortuos vt sepeliant mortuos suos. Idem ibidẽ.

Sicut difficile est arborem iuxta viam positã, fructus suos vsq; ad maturitatem seruare: sic difficile est virum fidelem iuxta mundum istum viuentem, in actibus eius iustitiam immaculatã vsque ad finem tenere. Recede à via, & plantare in loco secreto, vt nec mundus tecum habeat aliquid commune, nec tu cum mundo. Idẽ super Matth.

Quintil. Nemo vnquam pro re aliqua plus dedit, quam qui sibi ipso nihil relinquit. Quintil.

COLLE. ¶ Quemadmodum luctaturus dat operam ne quid in eo subsit, vnde illum prendere aduersarius posit, (ideoque Athletæ olim nudis vnctisque oleo corporibus luctabantur) ita quisquis in militia Christi nomen dedit, dare operam debet, ne quid in eo subsit vnde Diabolus tentandi illius ansam arripiat. Si enim adhuc vel consanguineorum, vel honoris, vel alicuius rei amore tenetur huius occasione multos ei tentator laqueos nectit: magnamque illi curarum & molestiarum materiam subministrat. Videat ergo quisquis sęculo renũtiat, ne sibi quicquam huiusmodi relinquat.

Psal. 44. Propter hoc enim dictum est, Audi filia & vide, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui. Quibus verbis monet Dominus fidelem animam, si velit sponsum amore sui accẽdere, necesse esse, vt ipsa in illum omnem suum amorem transferat, ac omnia obliuiscatur, quæ antea charissima habebat.

Psal. 118. Ad renuntiationis institutum pertinent illa Prophetæ verba, Incola ego sum in terra &c. Hoc est, animus meus, non capitur rebus terrenis & caducis: sed tanquam peregrinus hanc vitã trãseo, ad regiones cœli summo desiderio festinans: Itaque Dñe ne me celes mysteria legum tuarum: quarum scientia & obseruatione

ad vitam

ad vitam cœlestem & beatam peruenitur.

Egredere de terra tua,& de cognatione tua &c. *Gene.* 12.

Quid igitur an non poterat sanctus Patriarcha in terra sua Domino deseruire? Poterat sanè: sed non ita commode. Nisi enim multa à cognatis, parentibus,& amicis ad virtutem & pietatẽ impedimenta pręberentur (quibus nos varijs curis & negotijs implicant) nunquam Dominus credentium patrem, & obedientiæ atque virtutum omnium exemplar è terra sua, domo,& cognatione egredi præcepisset. Hinc tot anachoritarum miriades ortæ sunt quorum maxima pars, apta pietatis studio loca genitali solo deserto elegit.

Sicut facilius est semel vincere quàm semper: ita facilius semel repudiare diuitias quàm semper moderatè vti diuitijs. Item facilius cœlebem esse, quam modeste semper vti coniugio. Quã rem D. Aug. de bono coniugali confirmat his verbis. Multi quidem facilius se abstinent, vt non vtantur nuptijs quàm temperent vt bene vtantur. Et infr. Ego facilius non vtor nuptijs quibus vsus est Abraham, quam sic vtar nuptijs quemadmodũ vsus est Abraham. Hinc licet colligere quanto in maiori periculo degant, qui in mundo, quàm qui in monasterio vitam agunt. Quo nomine orationis studium cæteraque spiritus arma illis necessaria sunt, non quia in statu perfectiori, sed quia in periculo maiori versantur.

Mira est illa Domini comparatio in qua vbi sumptus ad turris ædificationem necessarios esse dixisset subdit protinus. Sic qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Quæ conuenientia inter pecuniam & pecuniæ rerumque omnium renuntiationem est, cum alterum alteri aduersetur? Similitudo in hoc est, quòd ædificaturus turrim, omnia quæ ad opus hoc consummandũ necessaria sunt, siue lapides, siue ligna, siue calcem, siue cementarios, cæterosque opifices parat. Vna autem pecunia præstat hæc omnia. Quod autem in ædificiorum fabrica pecunia est, hoc idem est in structura virtutum, & Euangelicæ vitæ perfectione, rebus omnibus renunciare, quemadmodum Saluator ipse testatur. Quare? Quia nimirum quisquis & rebus omnibus terrenis,& eorum curis, occupationibus, & amori renuntiauit, ad omnia spiritualia exercitia studiumque rerum diuinarum

uinarum solutus & expeditus est: eum nihil aut intra aut extra se subsit, quod illum impediat, aut in cæpto itinere remoretur. Adde quod qui ita rebus omnibus renuntiauit, necesse est, vt in maxima rerum etiam necessariarum penuria vitam agat, nullisque corporis delitijs indulgeat: sed asiduis quotidie laboribus prematur. Labor enim & corporis afflictio huius renuntiationis indiuiduus comes est. Igitur qui eò iam perducti sunt, vt sponte sua omnibus renunciauerint, necessario quoque inopem & laboriosam vitam amplexi sunt: alterũ enim sine altero esse non potest. Atq; ij plane sufficientes habent sumptus, quibus ad euangelicæ vitæ, ac virtutũ omniũ structuram pertingere posint. Nullus enim in acquisitione virtutũ labor est, cũ ipse labor amatur. Laboris enim amor in hoc negotio pecunia est. Labore enim, & abstinentia, & obedientia, & humilitas, & patientia, & castitas, & orationis studiũ, cæteræque virtutes omnes cõparantur. Sine labore nanque nulla paratur virtus: laborem vero qui amat, nullum in virtutum acquisitione laborem perfert. Labor igitur sicut renuntiatio (vt ante diximus) pecuniæ instar est, qua omnia quæ ad hanc structuram pertinent, comparantur.

Prædicator.

Gregor. Diuus Greg. in illud Psal. Super senes intellexi, sic ait, Quia studuit operando implere quod didicit, accepit intelligere quod doceret. Greg. mor. lib. 11. c. 10.

2. Cor. 2. Super illud, Adulterantes verbum Dei. Nempe quia non filios Deo generare intendunt; sed voluptatem suæ elationis satiare. Greg. in mor. lib. 16. cap. 18.

Ille apud Deum magis in amore eius est, qui ad eius amorem plurimos trahit. Greg. in mor.

Humani generis redemptor per diem miracula hominibus exhibebat, & ad orationis studium in nocte pernoctabat, vt perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia operationis nimietate penitus contemnant: sed quieti cõtemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant. Greg. vbi supra.

Sunt nonnulli, qui solerti cura spiritualia præcepta perscrutantur: sed quæ intelligendo penetrant, viuendo conculcant, repente docent quæ non opere, sed meditatione didicerunt, & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Greg. in Pastoral.

Quo reatu astringantur aspiciant, qui dum peccantibus fratribus, verbum prædicationis subtrahunt, morientibus animabus vitæ remedia abscondunt. Greg. in Pasto.

Tutius veritas auditur, quàm prædicatur: quoniam cum auditur, cordis humilitas custoditur, cum autem prædicatur vix non surripuit cuiquam hominum quantulacunque iactantia, in qua vtique pedes affectionis vel intentionis aliquantulum inquinantur. Greg. in Ezechiel.

Pensare debet Doctor quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, & quantum loquatur: si enim vnum horum defuerit, loquutio apta non erit. Greg. super Ezechiel.

Qui peccatori prædicat, tanta dispensatione componere prædicationem debet, vt nec derelicta spe, timorem subtrahat, nec spe subtracta, in solo eum timore derelinquat. Grego. in mora.

Plus est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno pane satiare. Grego. in homil.

Lingua nostra bonis fomentum sit, prauis aculeus, tumidos retũdat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortatu succẽdat, refugiẽtibus suadeat, asperis blãdiatur, desperatos cõsoletur: vt qui doctores dicimur, viã salutis gradiẽtibus ostẽdamus. Gre. in Reg.

Si inuisibilia pensamus nimirum constat, quia maius est miraculum, prædicationis verbo ac orationis solatio peccatorem conuertere, quàm carne mortuum suscitare. Greg. in Dialog.

Iuxta Pauli vocem in arca tabernaculi cum tabulis virga simul & manna est: quia scripturæ sacræ scientia in boni doctoris pectore, sicut est virga districtionis, sic est & manna dulcedinis. Greg. in Pasto.

Sancti viri amando discunt, quod dicendo proferunt. Gregor. super Ezechiel.

Nonnunquam etiam sancti viri de bona sua opinione gaudẽt, cũ per hanc ad meliora proficere audientes pẽsant. Greg. in mor.

Si magna mercedis est, à morte eripere carnem quandoque moritu-

morituram, quanti est meriti, à morte animam liberare in cœlesti patria sine fine victuram? Greg. in Hom.

Perfectus prædicator non est, qui propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. Greg. super Ezechiel.

Sunt nonnulli qui magnis muneribus ditati, dum solius contemplationis studijs inardescunt, vtilitati proximorum vacare prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt secessum speculationi appetunt: de quo si districte iudicentur, ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicũ prodesse potuerunt. Greg. in Episto.

Prædicatores boni, & honorem propter elationem fugiunt, & honorari tamen propter imitationem volunt. Greg. in moral.

Iob. 31. Exponens illud Iob, Si fructus terræ comedi absque pecunia. Fructus etenim terræ absque pecunia comedere, est ex Ecclesię quidem sumptus accipere, sed eidem Ecclesiæ prędicationis pretium non præbere. Quid ad hoc nos pastores dicimus? qui aduentum districti iudicis præcurrentes, officium quidem præconis suscipimus: sed alimenta Ecclesiastica muti manducamus. Grego. in Moral.

Nisi Spiritus sanctus adsit cordi audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docẽtis intelligit: quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Greg. hom. 30. super Euangelio.

Vt longe ante nos reuerendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non vna & eadem exhortatio cunctis cõgruit, quia nec cunctos par morum qualitas adstringit. Sæpe namque alijs officiunt, quæ alijs prosunt, quia plerumque herbæ quæ alia nutriunt, alia occidunt, & leuis sibilus equos mitigat, & catulos instigat, alteri vires iungit: & pastus qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum, vt sua singulis congruant, & tamen à cõmuni ædificationis arte nusquam recedant. Greg. in Pastoral.

Vbi conscientiam mordet reatus criminis, linguam ligat timor confusionis. Greg. vbi supra.

Nequaquam debent homines in ætate infirma prædicare: quia sermo doctrinæ non suppetit nisi in perfecta ætate. Redemptor

noster

noster cùm cœli ſit conditor,& Angelorum doctor, ante tricennale tempus in terra magiſter noluit fieri hominum: vt videlicet præcipitatis vim ſaluberrimi timoris infunderet: cum ipſe etiam qui labi non poſſet perfectæ vitæ gratiam non niſi perfecta ætate prædicaret. Greg. ſuper Ezech. hom. 2.

Diſpenſanda eſt prædicatio pro loco & tempore & locorum capacitate, quæ ſi rara fuerit non ſufficit, ſi aſsidua, vileſcit. Greg. in Hom.

Cuius vita deſpicitur, reſtat, vt eius prædicatio contemnatur. Greg. vbi ſupra.

Idem Greg. de ſeipſo loquens. Vſurpaui mihi ait cotis officiũ, quæ ferrum reddit acutum, cum ſit inutilis ad ſecandum. Pulchrũ depinxi hominem pictor fœdus, alioſque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus verſor. Gregor. in fine Paſt.

Nullum omnipotenti Deo tale ſacrificium, quale eſt zelus animarum. Greg. hom. 22. ſuper Ezech.

Poſt prædicationem lauat pedes Apoſtolis: quia aliquãdo inde inquinãtur veſtigia loquentium, vnde audientium corda mundãtur, dum ſe extollunt: quia per eos gratia prędicationis deriuatur. Greg. in mor. lib. 1. ca. 23.

Cum prædicatores ea proferunt quæ ſeruare contemnunt, veritas ſic linguam mouet vt feriat vitam quatenus ipſi ſibi & verbis fiant iudices, & factis accuſatores. Gregor. vbi ſupra libro. 8. cap. 26.

Ad ſupernum deſiderium inflammare auditores nequeũt verba quæ frigido corde proferuntur: nec enim res quæ in ſeipſa nõ ardet, aliud accendit. Greg. vbi ſup. c. 29.

Dum perſona diſplicet, nec recta quæ protulerit, placẽt. Greg. lib. 9. c. 1.

Animalia intus & in circuitu plena ſunt oculis, quia qui ſtant in conſpectu Dei, omnia debent circunſpicere. Hinc & ſponſæ gloria ab intus, ſed in fimbrijs aureis: intus ſibi pulchra, & alijs foris: ſe prouehens, & alios erudiens. Greg. 19. mor. c. 10.

Gregor. ſuper illud Iob: Super ipſos ſtillabat eloquium meum, ſic ait: Debet Prædicator perſpicere, ne plus prædicet, quam ab audiente capi poſsit: ne dum paruis ſublimia & non profutura

prædicat, se magis curet ostendere quam auditoribus prodesse. Greg.mor.lib.20.c.1.

Mulier quæ vigilans filium nutriebat, dormiendo peremit:ita prædicator malus doctrina educat,moribus occidit.Greg. mora. lib.21.ca.9.

Dominus Herodi curioso non respondet: docens vt quoties auditores non sua volunt corrigere, sed nostra laudare,tunc non loquamur,ne culpa quæ illorum tantum erat,communis fiat. Gregor.22.mor.c.26.

Pius pastor,quia Domini gloriam nõ suam querit, ab omnibus
Num. 11. vult adiuuari quod agit.Vnde Moyses,Quis det mihi vt omnes prophetent?Greg.22.mor.c.24.

Bonus prædicator, in cunctis quæ loquitur se inspicit,ne in eo quod recte prædicat,vitiosæ elationis extollat,neue vita à lingua discordet:putetque audientium meritis se accipere quod loquitur.Greg.23.mor.c.4.

Sanctus ex necessitate officium loquendi suscipit:sed ex magno desiderio otium taciturnitatis quærit.Greg.vbi supra.

1.Tim.4. Gregorius super illud Apost.Doce cum imperio, sic ait: Cum imperio docetur,quod prius agitur,quam dicatur. Subtrahitur enim doctrinæ fiducia,quia conscientia prępedit linguam.23.mo
Matt. 7. ral.c.13.Hoc modo exponit illud Matth.7.Erat docens eos, quasi potestatem habens,&c.

Sancti dum auditores proficere sentiunt, ipsi amplius feruescunt & ad prædicandum validius succenduntur.Greg.27. mora. cap.25.

Menti sponsum suum fortiter amanti, de amore vitæ præsentis,vna solet esse consolatio, si per hoc quod ipsa ab eius visione differtur,aliorum animæ eius verbo proficiant, & ad cœlestem sponsum amoris facibus inardescant.Mœret, quia differre se cõspicit: triste est ei omne quod aspicit: quia illum adhuc non videt, quem videre concupiscit. Sed est, vt dixi, non parua consolatio, si feruens anima differtur, & per eam multæ colliguntur: vt tarde eum cum multis videat, quem sola videre citius
Cant. 2. volebat. Vnde rursus in Canti. sponsa dicit, Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Quid nanque sunt flores,nisi animæ bonum iam opus inchoantes,& desiderium cœleste

leste redolentes? Quid mala de floribus, nisi perfectæ iam bonorum mẽtes, quæ ad fructũ perueniũt boni operis? Quæ ergo amore lãguet, fulciri quærit floribus, stipari malis: quia si illũ quẽ desiderat videre adhuc nõ permittitur, magna est ei cõsolatio, si aliorũ profectibus lætetur. Pẽsemus ergo qualis Pauli mẽs fuerat, qui dicebat, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Desideriũ habens dissolui, & cum Christo esse, multò magis melius. Sed ecce qui dissolui desiderat quo amore langueat, videamus. Permanere autem in carne necessariũ propter vos. Et proficientibus discipulis dixit: Quæ est enim nostra spes, aut gaudiũ, aut corona gloriæ? Nõne vos ante Dñm nostrũ Iesum Christũ? Gre. ho. 15. sup. Ezec. *Philip. 1.*

Exaudi te ipsum durissime, immanissime doctor. Quid mihi lingua aurea, & cor ferreum? Aug. in Epist. *August.*

Salus religionis huius, per quam solam salus veraciter promittitur, nulli vnquàm defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit: ab exordio namque propagationis humanæ, vsque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudicium prædicatur. Idem de. 5. quæstionibus.

Ne trepidus ero ad proferendam sententiam meam, in qua magis amabo inspici à rectis, quam timebo morderi à peruersis: gratanter enim suscipit oculum columbinum pulcherrima & modestissima charitas: dentem autem caninum vel euitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas. Idem de Trini.

Solicitissime cauendum est in docendo superbiæ vitium, quod in discendo non ita est. Idem in Epist.

Hæc lex est diuinæ prouidentiæ, vt nemo à superioribus adiuuetur ad cognoscendam gratiam Dei, qui non ad eandem puro affectu inferiores adiuuerit. Idem de vera religione.

Omnis res quæ dando non deficit, dum habetur, & non datur, nondum habetur, quomodo habenda est. Idem de doct. Christ.

Doctrina per malos, palmes in sæpe, botrus in spinis cautè lege, ne dum quæris fructum, laceres manum, & cum audis bona dicẽtem, ne imiteris mala facientem. Idem super Ioan.

Si me posses docere quod nescio, non solum te verbis, sed & pugno cædentem deberem patientissime sustinere. Idem ibidem.

Prędicator laboret, vt intelligẽter vt libẽter, vt obediẽter audiatur: & hoc se posse magis pietate orationũ, quã oratoris facultate

non dubitet, vt orando pro se ac pro illis quos est alloquuturus sit prius orator, antequam doctor: & ipsa hora accedens prius quam exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam sitientem, vt eructet quod biberit, vel quod impleuerit, fundat. Idem lib. 4. de doctrina Christiana.

Hierony. Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, Cur ergo hæc quæ dicis ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre disputat de ieiunijs. Accusare auaritiam & latro potest: sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. Hierony. in Epist. ad Nepotia.

Docente te in Ecclesia, non clamor populi sed gemitus suscitetur. Lachrymæ auditorum, laudes tuæ sint. Sermo presbyteri, scripturarum lectione conditus sit. Verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Nihil tam facile, quam vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quicquid nõ intelligit, plus miratur. M. Tullius (in quem pulcherrimum illud extat elogium, Demosthenes tibi præripuit, ne esses primus orator, tu illi ne esset solus) in oratione pro. Q. Gallo, quendã fuisse indoctissimum poetam refert, cuius tamen comædijs mirificè populus applaudebat. Nec id sane mirum erat. Multos enim condiscipulos habebat in theathro, qui similiter litteras non didicerãt. Idem Hiero. ibidem.

Neminem specialiter meus sermo læsit. Generaliter de vitijs disputatio est. Qui mihi irasci voluerit, ipse se quod talis sit, confitetur. Ibidem.

Nostra oratio dabit aliquid emolumenti. Equorum cursus, fauore pernicior fit. Pugilum fortitudo, clamoribus incitatur. Paratas ad prælium acies, strictosque mucrones sermo imperatoris accendit. Igitur & in opere præsenti nos rigabimus, & Dominus incrementum dabit. Idem ad Demetri. virgi.

Si mihi tacite dicas cur ipse talis non sim, qualem te esse desidero. Illud breuiter respondebo, non mea esse quæ dico sed Domini Saluatoris: non manere quod ipse possim, sed quid alius debeat velle, qui seruus christi futurus est. Et athletæ suis incitatoribus fortiores sunt, & tamen monet debilior vt pugnet ille qui fortior est. Idem ad Iulianum.

Ille eſt doctor eccleſiaſticus, qui lachrymas non riſum mouet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit eſſe fœlicem. Idem ſuper illud Eſai. Popule meus qui te beatũ dicũt. &c.

Delicata doctrina eſt, pugnanti ictus dictare de muro, & cum ipſe vnguentis delibutus ſit, cruentum militem accuſare libidinis. Idem ad Nepotia.

Vt lixiuium per cinerem humidum fluens, lauat, & nõ lauatur: ita bona doctrina per malum doctorem &c. Idem in Epiſt.

Sacerdotis eſt nulli nocere, prodeſſe velle omnibus: poſſe autẽ ſolius Dei eſt. *Ambro.*

Nihil in ſacerdote tam periculoſum apud Deũ, tam turpe apud homines, quam quod ſentiat, non libere denuntiare. Idem ſuper Luc.

Pauper & creditor obuiauerunt ſibi. Vtriuſque illuminator eſt Dominus. Pauper eſt humilis auditor, creditor prædicator, qui ſibi obuiant, cum in vnam pietatis gratiam conueniunt. Vtriuſq; illuminator eſt Dominus quia nec iſte prædicat, nec ille credit, ſine Dei munere. Vnde Dominus, ſine me, ait, nihil poteſtis facere. Beda in gloſſ. Prouer. 29. *Beda.*

Canales hodie multos habemus in Eccleſia; conchas vero perpaucas. Tantæ enim charitatis ſunt, per quos nobis fluenta cœleſtia manãt, vt ante effundere, quã infundi velint, loqui, quam audire, paratiores docere, quod nõ didicerũt, & alijs præeſſe geſtiẽtes, qui ſeipſos regere neſciunt. Ber. ſuper Canti. *Bernar.*

En quanta prius infundenda ſunt, vt effundere audeamus de plenitudine, non de penuria largientes. Primo quidem compunctio, deinde deuotio, tertio pœnitẽtię labor, quarto pietatis opus, quinto orationis ſtudium, ſexto contemplationis otium, ſeptimo plenitudo dilectionis. Idem ſuper Cant.

Eſt tantum lucere, vanum: tantum ardere, parum: ardere & lucere, perfectum. Idem in ſermo.

Paulus vltra humana raptus ad tertiũ cœlum, ſecreta cœleſtia cognouit, vt Eccleſiarum futurus doctor, inter Angelos diſceret, quod inter homines prædicaret. Max. in ſer. Apoſt. Pet. & Paul. *Maxi.*

Si perfectorum eſt ſolidus cibus, eo alios paſcere, quantæ perfectionis eſt? Diony. de di. no. cap. 3. *Diony.*

Grandis condemnatio eſt, componenti quidem ſermonem *Chryſoſt.*

ſuũ, vitã vero ſuã atq; operam negligenti. Chryſoſt. de cõpunct.

Si bene vixerint eorum eſt lucrum, ſi bene docuerint, veſtrũ. Accipite igitur quod veſtrũ eſt, nolite diſcutere quod alienũ eſt. Frequenter enim de malo homine bona doctrina procedit: ſicut terra vilis pretioſum aurũ producit: Nunquid propter vilẽ terram pretioſum aurũ contemnitur? Igitur, ſicut aurum eligitur, & terra derelinquitur: ſic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite. Idem ſuper illud Matth. Quæcunque vobis dixerint, facite &c.

Cicero. Fructus ingenij & virtutis omniſque præſtantiæ, tum maximus capitur, cum in proximum quemque confertur. Idem de amici.

COLLE. ¶Cor membrorum omniũ callidiſsimum natura formauit: quia ex eo tanquam ex caloris fonte ad mẽbra omnia vitalis calor manat. Qualis ergo Epiſcopus, qualis prædicator futurus eſt, qui in ſpirituali Eccleſiæ corpore inſtar cordis eſt, quod ingenti charitatis ſuæ ardore, algentia hominum pectora, quæ ſunt velut huius corporis membra, in amorem ſui conditoris accendere debent? Hinc D. Bonauen. Crede mihi alios erudire, cibus eſt perfectorũ.

4. Re. 9. Ait Heliſæus ad Giezi. Accinge lũbos tuos &c. Quid hoc eſt: Accingere labori, & omnia properandi impedimenta remoue, vt quam celerrime proficiſcaris. Hæc vox ad prædicatores pertinet, qui impedimenta omnia tollere iubentur, quibus in hoc munere, vel retardari, vel impediri poterunt. Hanc enim maximam celeritatem, & operam, poſtulat huius negotij magnitudo.

Lucæ. 21. Dominus in vidua quæ æra minuta duo obtulit, nõ quid dederit, ſed quid ſibi reliquerit, attendit. Prædicator enim ne animum ſpondeat, non qui in peccato maneant, ſed qui à peccato opera eius reſurgant, attendere debet. Multum enim efficit, ſi vel vnam tantum animam Chriſto lucri fecerit.

Eccl. 20. Bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularũ circumpoſitæ ſepulchro. Simile eſt & illud, ſapientia abſcondita & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?

Prou. 11. Cum vera illa ſapientis ſentẽtia ſit: Anima quæ benedicit, impinguabitur, & quæ inebriat, ipſa quoque inebriabitur, merito verus

Psal. 39. Prædicator dicere Deo poterit. Nõ abſcõdi miſericordiam tuã, & veritatẽ tuã à cõcilio multo. Tu ergo Dñe ne lõge facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua & veritas tua ſemp ſuſceperũt me.

Quj

Qui dum scripturas sanctas legunt, non quid sibi suisque vulneribus curādis vtile sit, hauriunt, sed quæ alios ipsi docere debeāt, hi mihi iumentis quam simillimi esse videntur: qui ea in vrbem important, quæ ciuibus necessaria sunt, cum ipsa tamen nihil eorum quæ afferunt, attingant. Hi sunt autem quos Propheta calcatis torcularibus sitire ait. Contra hos autem multa Apostolus ad Roman. 2. vbi ait, Si tu autem Iudæus cognominaris &c. quæ sequuntur. Multa item D. Gregorius initio pastoralis cōtra eos qui ea docent, quæ non opere sed meditatione didicerunt scribit. Tales autem velut epistolam Vriæ deferunt, quæ ipsorum perniciē & interitum continet. *Roma. 2.*

De euangelicis prædicatoribus accipienda sunt illa Cant. 4. verba. Dentes tui sicut greges tonsarum (siue vt verterunt alij) concinne tonsarum: quæ ascenderūt de lauacro omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Dētium enim est & mordere (quod canes faciunt seruandis gregibus destinati) & mandere cibum (quod nutrices faciunt, quo infantes alant) & nos facimus dum mansum dentibus cibum in omnia mēbra trāsmittimus. Hi porro dentes similes attonsis & recens lotis ouium gregibus esse dicuntur, vt in altero rerum omniū contemptum, in altero puritatem & cādorem vitæ ipsorum intelligas. Sunt autem omnes gemellis fœtibus: quia vitam simul & doctrinam excolere vnicum eorum studium est, iuxta illud Apostoli, Attende tibi & doctrinæ. Qui vero tales sunt, steriles nullo modo esse possunt: quoniam verbū Domini in ore eorum nunquam reuertitur vacuum. Ex hoc autē loco patet, neminem moleste ferre debere, quod prędicatores interdum grauiter sceleratos homines corripiant: quandoquidem proprium sit dentium non mandere solum, sed etiam mordere. Vnde Apostolus, Argue, obsecra, increpa. Et alibi de Cretensibus agens, Increpa, ait, illos dure. *Cant. 4.* *1. Tim. 4.* *2. Tim. 4.*

Qualis esse doctorum & prælatorum vita debeat, Sponsa in Canti. mirabilem sponsi sui pulchritudinē per singula mēbra describens ostēdit cū ait, Oculi eius sicut colūbæ super riuulos aquarū: quæ lacte sunt lotæ: & residēt iuxta fluenta plenissima. Quam multa in his pauculis verbis designantur? Oculorū quippe nomine Ecclesiæ doctores & Episcopi intelliguntur: vt ipsum quoque Episcopi nomen insinuat: quod contēplantē, vel super intēdentē *Cant. 5.*

 significat.

ſignificat.Hi autẽ quanuis oculorum nomine rerum cognitionẽ & intelligentiam præſeferant,columbarum tamen ſimplicitatem imitari debẽt:vt ſint prudẽtes ſicut ſerpẽtes, & ſimplices ſicut columbæ.Et columbis quidem aſsimilantur quæ lacte ſunt lotæ: ſatis erat columbæ nomen ad cordis puritatem deſignandam : ſed addit tamen quæ lotæ ſint,& quod mirum magis eſt,quæ nõ aqua ſed lacte ſint lotæ:vt eximiã & ſingularẽ quandam eorũ puritatẽ hac ratione intelligamus.Sicut enim Sol qui aſtris cæteris lucem largitur lucidiſsimus eſt:ita qui ad hoc munus deſtinatur,vt alios ex impuris puros efficiat,puriſsimus eſſe debet.De his rurſum dicitur,quod ſint iuxta riuulos aquarũ,reſideantque iuxta fluẽta pleniſsima:in quibus verbis ſanctarum ſcripturarũ fluenta deſignantur,iuxta quæ perpetuo reſidere debent,in lege Domini meditantes die ac nocte,vt inde copioſe hauriant, quod largiter populis effundant,de theſauro videlicet ſuo noua & vetera proferentes. Quod verò & riuulos nominat ſimul & fluenta(quæ duo inter ſe diſsimilia videntur)hoc inſinuat,quod cùm ſapientibus & inſipiẽtibus debitores ſint,ex riuulis quidẽ quæ rudibus & ſimplicibus: ex fluentis autem quę prouectioribus & perfectioribus exhibeãt, haurire debẽt.Paulus enim qui huius ordinis velut princeps erat, lac quidem porrigit paruulis in Chriſto:ſapientiam autem loquitur inter perfectos. *1.Cor.2.*

Prædicationis officiũ cũ pura mentis intentione propter Dei gloriã exercetur,eſſe illi gratiſsimum,declarant illa Prophetæ verba,Quam ſpecioſi pedes euangelizantiũ pacem, euangelizãtium bona.Cui ſimilia ſunt & illa Cant.7.Quã pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis,Calceamenta autẽ eſſe præparationem ad euangeliũ pacis pure annunciandũ,Apoſt.Epheſ.6.ait. *Iſai.52.* *Cant.7.* *Epheſ.6.*

Qui aliorum ſaluti ſtudent,ſuæ quoque non minus diligenter ſtudere debent,& illud Eccl.implere,Recupera proximũ ſecũdũ virtutem tuam,& attende tibi ne incidas.Multi enim dum in aliorum ſalute curanda operam ſuam ponunt,ſuam negligunt. Rectè ergo ſanctus Iacob Patriarcha vbi ſoceri greges diu pauiſſet, ſibi quoque conſulere decernens ait.Tu noſti quomodo ſeruierim tibi &c.Iuſtũ eſt vt aliquando etiam prouideam domui meæ. *Eccl.29.*

Quæ ruminant animalia & vngulam diuidũt munda ſunt:quę vero ruminant, ſed vngulam non diuidunt vt cameli immunda.

Ruminare

Ruminare meditandi officium, diuidere vero vngulam, bonorū & malorum discrimen designant. Quicunque igitur hoc faciunt, mundi sunt: qui verò alterutrum solum, immundi. Quo fit vt immundos eos censeamus qui sanctarum litterarum studijs operam dantes, & diuina eloquia tractantes, malis tamen moribus prædití sunt.

Adulatores omnes, & eos maxime qui potentibus blandiūtur & ceruicalia ac puluillos ponunt sub omni cubitu manus, vehementer illa vox Balaam quanuis impijssimi damnat, Si dederit mihi Balac domum suam plenam auro, non potero loqui aliud quā quod mihi præceperit Deus. *Num.* 22.

Mercenarij etiam prædicatores interdū admittendi sunt, quando boni desunt. Cum enim Lia non potuisset amplius parere, dedit zelpham ancillam viro suo, vt ex ea saltem prolem susciperet. *Gene.* 30. Sic igitur Ecclesia, quando per veros prædicatores filios parere non potest, nititur per mercenarios habere. Hoc est quod Apostolus significauit cum dixit, siue ex occasione, siue ex veritate Christus annuntietur, in hoc gaudio, &c. *Philip.* 1.

Architophel disposita domo sua, laqueo, vitam finiuit: alijs videlicet consulens, se neglecto. Hoc ipsum autem facere videntur, qui consilio & salutari doctrina alios ad salutem iuuant, ipsi tamē male viuendo, salutem suam produnt. 2. *Reg.* 17

Legatos Dauid turpissime Naas rex filiorum Amon fœdauit, qui mediam barbam abradit, mediasque vestes ad nates vsq; præscindi iussit. Hoc spiritualiter Dæmon in Ecclesia facit, cum diuini verbi ministros verbis quidem eruditos, moribus autem turpes efficere conatur, vt de illis merito dici possit. Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi, omnia ergo quæ dicunt vobis facite: secundum vero opera eorum nolite facere. Quod vero partem barbæ non totam barbam abradi iussit, ad maiorem ipsorum ignominiam excogitauit. Vt enim Iuuenalis ait, Omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto qui peccat maior habetur. In barba autem officij dignitas significatur, quæ turpitudinem magis conspicuam reddit. Vnde qui tales sunt, magis exemplo quam peccato nocent. 2. *Reg.* 10. *Matt.* 23.

Amasias rex Idumæorum victor victos ac superatos Deos eorum coluit. Hoc autem prædicatores illi facere videntur, qui vitia 2. *Par.* 25.

quæ ipsi publice verbis impugnant, factis exprimunt.

Origenes hom. 10. super Genes. initio statim arguit eos qui negligenter verbum Dei audiunt. Deinde subiungit, Asperior fortasse vobis videor, sed non possum linire parietem lapsantem: timeo enim illud quod scriptum est, Populus meus qui beatificant vos, seducũt vos &c. Vigilate ergo fratres, arcta est enim via quæ ducit ad vitam. Sine intermißione orandum Apostolus præcipit. Quomodo semper impletis, quod sine intermißione omittitis? Sed & Dominus discipulis ait, Vigilate & orate. n. i. i. t. Quod si illi vigilantes, & orantes, & semper verbo Dei adhærentes, tentationem tamen nequaquam effugerunt, quid faciunt hi, qui diebus tantum solennibus ad Ecclesiam conueniunt? Quid, qui neque ipsis etiam Deo, sed ludis potius & vanitatibus intenti sunt? Si ergo iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?

Isai. 9. *Matt. 7.* *Matt. 26.*

Quod futurus verbi Dei minister primum quidem vni sibi, deinde alijs sapere & consulere debeat, argute quidem Origenes annotauit, in eo quod sapiens aliquando quidem sponsam, aliquando vero sororem sapientiam appellat. Alibi enim ait, Hanc amaui & quæsiui eam mihi sponsam assumere. Alio vero in loco ait, Dic sapientiæ soror mea es &c. Quomodo ergo sororis & sponsæ nomina in eandem sapientiam cadunt? cum Christiana pietas illa Poetæ verba non admittat, Iouisque & soror & coniux? Nimirum quia sapientiam initio tanquam incommunicabilem sponsam nobis tantum reseruare debemus: vbi vero in ea profecerimus, iam tunc alijs eã ceu sororẽ cõmunicare licebit.

Sapien. 8. *Prou. 7.*

Fidelis verbi Dei minister, quia sapientibus & insipientibus, perfectis & imperfectis debitor est, non ideo à perfectionis doctrina cessare debet, quia perfectus ipse non est. Hinc Origenes super Genes. tractans illa verba Dñi, Qui nõ renuntiauerit omnibus quæ poßidet, nõ potest meus esse discipulus, sic ait, Cõtremisco hęc dicens, meus enim primo omniũ, meus, inquã, ipse accusator existo, meas cõdẽnationes loquor. Negat Christus suũ esse, qui non renuntiauerit. o. q. p. Et quid agimus? quomodo hæc aut ipsi legimus, aut populis exponimus: qui non solum non renũtiamus ea quæ habemus, sed etiam acquirere volumus ea quæ nunquam habuim⁹? Nũquid quia nostra nos redarguit cõsciẽtia, tegere quę scripta sunt possumus? Nolo duplicati criminis fieri reus. cõfiteor

Luc. 14.

hæc

hæc palam populo audiente. Confiteor hæc scripta esse, etiamsi non implesse me noui.

Isaiæ labia cũ ad prædicandũ mittitur cœlesti igne purgantur: quo intelligeremus quanta esse prædicatoris puritas & integritas debeat. Ab immũdo enim quis mundabitur? Sed cur potius labia quã alia corporis mẽbra purgãtur cũ omnia per peccatũ polluantur, dũ arma iniquitati exhibẽtur? Primũ quia os præcipuè prædicatoris mundũ esse debet: quod tractãdo verbo Dei consecratum est: sicut & sacerdotis manus cõsecrantur, quæ Dominicũ corpus tangere debent. Deinde, quia purgata lingua omnia vitia intelliguntur purgari: cum ipsam D. Iacobus vniuersitatem iniquitatis appellet. *Isai. 7.* *Iaco. 2.*

Auditor verbi Dei.

TVtius veritas auditur quã prædicatur: quoniam cum auditur, cordis humilitas custoditur: cum autem prædicatur, vix non surripit cuique hominum quantulacunque iactantia, in qua vtique pedes affectionis vel intentionis aliquantulum inquinantur. Greg. super Ezech. *Gregor.*

Sicut nec auris escas, nec guttur verba agnoscit, ita nec stultus quisque sententiam sapientiæ intelligit. Greg.

Cum verbi boni auditores esuriunt, pro reficiendis eis maiora doctoribus intelligentiæ dona tribuũtur. Sæpe enim doctori verbum Dñs pro gratia tribuit auditoris nonnunquam vero propter auditoris culpam subtrahitur sermo doctoris. Greg. in Pasto.

Nisi Spiritus sanctus auditorum corda repleat, ad aures corporum vox doctorum in cassum sonat. Formare enim vocem magistri exterius possunt, sed hanc interius imprimere nõ valent. Gregor. in mor. c. 27.

Incassum homo exterius monetur, si intus cor eius gratia non repletur. Est enim mutũ os omne, si ille interius non clamat, quia spirat verba quæ audiuntur. Greg. mor. lib. 11. c. 5.

Obsurdueram stridore catenæ mortalitatis meæ pœna superbiæ animæ meæ, & ibam longius à te & sinebas, & iactabar, & effundebar, & diffluebam per fornicationes meas, & tacebas. O tardum gaudium meum. Aug. confess. lib. 2. *August.*

Ego cũ amatores seculi huius intueor, nescio quãdo possit esse ad eorum

ad eorum animos sanandos opportuna prædicatio: quando enim res huius mundi velut prosperas habent, factu suo respuunt salubres monitiones, & quasi anilem reputant cantilenam: quando autem in aduersis anguntur, magis conantur euadere vnde ad præsens anguntur, quam capere vnde curentur. Idem in Epist.

Qualis est caro quæ post multos dies percipit cibum, talis est anima quæ non assidue pascitur Dei verbo. Idem.

Iaco. 1. Idem super illud Iaco. 1. Sit autẽ omnis homo velox ad audiendum. Vidit Apostolus in audiẽdo facillimũ seruari humilitatem, quæ difficilis est in docendo: quoniam necesse est, vt doctor habeat superiorem locum, vbi laboriosum est obtinere, ne subrepat elatio.

Dionys. Verbum Dei aquæ comparatur, quia viuificat & fœcundat: lacti, quia incrementum dat: vino, quia recreat: melli, quia purgat & conseruat. Diony. de cœlesti hierarchia Epist. 9.

Chrysost. Doctrinam accipiamus, non mores: apibus herbæ nõ sunt necessariæ, sed flores: sic & vos flores doctrinæ colligite, & cõuersationẽ relinquite. Chrysost. super illud Matth. Quæcũque dixerit vobis facite &c. Regiæ litteræ in senatu non legũtur nisi cũ multa omniũ attentione atque silẽtio. Quid ergo cœlestis regis litteræ, scriptaque diuina, præsertim cũ nuntia sint de terra lõginqua, proculque remota regione non Indorum vel Antichthonum; sed cœlorum? Idem super Matth. hom. 1. operis perfecti.

Cicero. Antimachũ clarũ poetã ferunt qui cũ cõuocatis auditoribus, legeret eis volumen suũ, & eũ legentẽ omnes præter Platonem reliquissent, legam inquit nihilominus: Plato enim mihi vnus instar est omnium. Cicero. de claris Orat. Hoc igitur exemplo pius concionator vel vno auditore idoneo contentus esse debet.

COLLE. ¶ Tanta verbi Dei vtilitas & necessitas est, vt nunquã ecclesia ita contra improbos sæuiat, vt facultatem illis adimat audiendi verbi Dei, quantuis excõmunicati, schismatici & interdicti sint, & omnibus ecclesiasticis beneficijs priuati. Cur ergo patres filias vestras tam salutari & necessario beneficio fraudatis?

Scientiarum quasdam Aristoteles laudabiles, quasdam honorabiles esse ait. Et illæ quidem propter aliud, hæ vero propter se, nõ propter aliud expetuntur, quia illarũ finis non cognitio sed actio,

harum

harum non actio, sed cognitio sit. Quocirca is Ethicem non inter honorabiles sed inter laudabiles disciplinas enumerauit: quod ea videlicet non propter cognitionem, sed propter virtutis studium & exercitationem ediscatur. Quod si ita est frustra ergo sacras cóciones audit, quisquis exequi negligit quod audit: cum huius officij finis, non cognitio sit, sed actio.

Nouem insuspicabilia cordis magnificaui, hoc est, nouem res beatas esse iudico, inter quas hæc præcipue commendatur. Beatus qui narrat sermonem auri audienti. Hoc enim inter magna Dei dona merito numeratur: cum præsertim multi hodie sint, quibus verbum Domini versum sit in carmen musicum, quod suaui dulcique sono canitur: quandoquidem tales non vim sententiarum, sed vocum tantum dulcedinem & sonum attendunt. Qua de re sic in Ecclesiastici legimus, Cor fatui quasi vas confractum: omnem sapientiam non tenebit. Quasi in percussura cribri puluis, sic scoria in cogitatu illius. Cribrum enim solas retinet paleas: granũ autem effluere sinit.

Diuini verbi vim Salomon commendat, cum ait: Verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorũ consilium data sunt, à pastore vno. Quale ergo & quam emortuum cor illud est, quod his stimulis toties exagitatum, nihil sentit.

Quam sit difficile stultos ab improbitate ad officium reuocare, docet Eccl. 22. his verbis: Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de somno graui. Cum dormiéte loquitur, qui enarrat stulto sapientiam, & finito sermone dicit, Quis est hic? Hoc est more eorum qui nihil intellexerunt, rogat quidnam illud sit. Denique propter hanc stupiditatem subdit, super mortuum plora, deficit enim lux eius, & super fatuum plora, deficit enim sensu. At quanto miserabilius est sensu, quam vita destitui? Vnde subdit, Mortui luctus septé dies: fatui autem, & impij omnes dies.

In quo periculo versentur ij, qui audiendis quotidie concionibus nihil proficiunt, vel hoc vno argumento patet, quod diuturna consuetudo audiendi velut callos quosdam obducit in anima: quo fit, vt si postea magna & horrenda illis proponantur, nihil tamen eorum animus commoueatur. Vt enim delicata manus si

tractando

tractando ligoni diu assuescat, ita callis obducitur, vt nihil penè versando ligonem sentiat: sic etiam qui sine vllo vel affectu vel profectu verbum Dei audire diu, multumque assueuit, quidquid postea dixeris, nihil sentit.

Sic videmus ficedularum pullos cum in vertice turrium (in quibus cymbala pulsantur) sedent: vbi cymbali sonus increpuerit metu territos auolare. At ficedulæ seniores quæ diu ad huiusmodi sonitum assuetæ, nihil in eo periculi esse experti sunt, nihil etiã eo deterrentur, nec ob id loco cedunt. Ad hunc igitur modũ, qui diu Euangelicæ vocis sonitum negligenter audire consueuerunt, velut seniores turdi his vocibus assueti, nihil prorsus commouentur. Ita fit, vt hæc praua consuetudo æternæ salutis aditũ obstruat. Cum enim præcipua malorum nostrorum medella in diuini verbi ministerio posita sit: qui sic iam institutus est, vt hoc remedio nihil proficiat, quod ei medicamentum adhibere possis? Vides ergo quanta mala ex hoc vno malo oriantur?

Gene.19. Loth generos suos imminentis periculi admonens ridetur ab eis. Visus est enim eis quasi ludens loqui. Qui tamen eius consiliũ spernentes sodomiticis flammis arserunt: Simili quoque modo prædicatores futuri seculi supplicia improbis cõstituta denuntiãtes contẽnuntur: qui tamen postea contemptus sui pœnas dabũt, & sero salutaris consilij neglecto pœnitebunt, pœnitentiã agent.

Qua reuerentia verbum Dei sit audiendũ, Orige. super Exod. explicat his verbis, Videte fratres ne forte effluant quæ dicuntur & pereant. Volo vos admonere, religionis vestræ exemplis. Nostis qui diuinis mysterijs interesse consueuistis, quomodo cũ suscipitis corpus Domini, cũ omni cautela, & veneratione seruatis, ne ex eo parũ aliquid decidat, ne cõsecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis (& recte creditis) si quid inde per negligentiam decidat. Quod si circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela (& merito vtimini) quomodo putatis minoris esse piaculi verbum Dei neglexisse quam corpus eius?

Exod.16. Quid est quod manna illud, quod contra Domini præceptum adseruandum non ad sabbathi prandium seruatum fuit, computruit, & vermibus scatere cœpit? Nimirum quia per manna verbũ Dei (quod animarum alimentum est, & saporum omnium suauitatem cõtinet, & omnibus omnia fit) appositissime significat. Qui

igitur

igitur spiritualem hunc cibum ad animarum suarum refectionẽ quærunt, integrum, & salutare experiuntur: qui vero non vt se reficiant, sed vt in memoria condant, quo illud aut venditent, aut alijs non sibi impartiantur, corruptioni, & vermibus obnoxium faciunt: vtpote qui mentis alimoniam in lucrum, aut inanis ostentationis vertant materiam.

Mulieres ad tabernaculi fabricam inaures & destralia obtulisse dicuntur. Non enim sat est, promptas habere aures ad verbũ Dei, nisi dexteram etiam. i. manus operi adiungas. Non enim auditores verbi iusti sunt apud Deum, sed factores. Sunt tamen aliȩ, quæ inaures suas non ad tabernaculum Domini, sed ad vituli fabricã obtulerunt: quæ videlicet aures claudunt Deo, aperiunt mundo: quæ ne obolum quidem petenti Christo præbent, opes autẽ suas largissime in vanitatis, ac mundi obsequium effundunt.

Eo iam concionandi munus deuenisse apparet, vt quemadmodum plerique homines tabulas, in quibus Dominicæ passionis mysteria ad viuũ expressa sunt, curiositatis magis quam deuotionis affectu contemplantur: ita multi in sacris concionibus quæ ad auditorum ædificationem institutæ sunt, non quæ ad pietatis cultum pertinent, sed solam dicendi artem obseruant: In quo vitio score scioli magis (qui aliquid sibi sapere videntur) quam simplices, & illiterati sunt. Illi tamen si rectè saperent, in hoc sapere deberent, vt intelligerent absurdissimum esse tanquam ludicra audire ea, in quibus de summa salutis nostræ agitur.

Mirũ quiddã esse videtur, quomodo perditi homines & in malo obstinati cum sacris concionibus assistũt, audientes nõ audiãt, & videntes non videant: ita enim quodammodo audire videntur, quasi nuntia de terra longinqua, quæ ad se minime pertineãt. De his merito illud ex lib. Iob acommodari possit, Perditio, & mors dixerunt, Auribus nostris audiuimus famam eius.

Qui ignem diu domi suæ seruare vult, non stipulis, leuibusque nutrimentis, sed maioribus lignis fouendum curat. Ita quisquis charitatis feruorem, perpetuo in anima retinere cupit, quotidiana deuote meditationis ligna applicare illi non cesset. Calor enim ille qui audiendis concionibus excitatur (si nihil aliud subsit) temporarius, atque adeo momentaneus esse solet, nisi pijs cogitationibus sustentetur.

Cleri-

Clericus, Sacerdos.

Gregor. CVi rei similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens illos ad regnum cœleste mittit, & ipsa in cloacas descendit. Gregor. in homil. 27.

Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus tuis Domine, qui videntur regere populum tuum. Non est iam dicere, Vt populus, sic sacerdos: quia nec sic populus vt sacerdos, Heu heu Domine Deus: quia ipsi sunt in persequutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum deligere, regere principatum. Gregor. in sermo.

Qui post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, vt ad altaris ministerium vlterius non accedat. Greg. in Regist.

Talis requirendus est ad orandum, qui sit idoneus ad placandum: quia cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Greg. in Past.

Nullus debet ad altare accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. Greg. in Reg.

Nemo in Ecclesia amplius nocet, quam qui peruerse agens, nomen vel ordinem sanctitatis tenet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Greg. in Past.

Dignus est mercede &c. Pensate fratres quantę damnationis est, sine labore percipere mercedem laboris: quanti criminis pretia peccatorum recipere & nihil contra peccata prædicando dicere. Greg. in homil. Dignus est mercede &c.

Ingrediũtur electi, sacerdotum manibus expiati, cœlestem patriam, & sacerdotes Christi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. Greg. hom. 27.

August. Si priuatim quæ nobis sufficiant, posidemus: non sunt illa nostra sed pauperum quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vẽdicamus. Aug. in Epist.

Nimis dolendum est, si ad tam ruinosam superbiam monachos

subrigi-

subrigimus, & tam graui contumelia clericos dignos putamus, vt scilicet dicatur quod malus monachus bonus clericus est, cũ aliquãdo bonus etiam monachus vix bonum clericum faciat. Idem ad Aurelianum.

Contemplamini quid sit populo sancto præesse, & considerate quale sit diuinis sacramentis insistere. Altari placere debent, qui de altari viuunt: & talis conuenit cura sinceritatis sacramẽtis, qualia sunt sacramenta ipsa, quibus exhibent officia seruitutis. Idem lib. de singu. cleri.

Clericos illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari quibus parentum & propinquorum nulli suffragantur. Qui autem bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium incurrunt. Hiero. in Epist.

Domum Dei conuertit in speluncam latronum, qui lucra de religione sectatur, cultusque eius, non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est. Idem super Matth.

Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina si peccant. Lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse. Nec enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium quorum abutimur donis, & nequaquam sumus de eorum salute soliciti. Idem super Ezech. lib. 2.

In veteri lege quicunque sacerdotibus non obtemperabat, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice subiecta, contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens spirituali mucrone truncatur, aut de Ecclesia eiectus, rabido Dæmonum ore discerpitur. Idem in Epist. ad Heliodo.

Nunquam vinum redoleas ne audias illud Philosophi. Hoc nõ est osculum porrigere, sed vinum propinare. Vetus lex dicit, Qui altario deseruiunt, vinum & syceram non bibant: sycera sermone hæbreo, omnis potio nuncupatur, quæ inebriare solet, eaque varia & multiplex est. Idem in Epist. ad Nepotianum.

Officij tui est visitare languentes, nosse domos matronarum, ac liberos earum, nobilium virorum custodire secreta. Nunquam quid agatur in alia, domus alia per te nouerit. Consolatores potius nos in mœroribus suis, quam conuiuas in prosperis nouerint. Facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium ire

non recuſat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Neſcio enim quomodo ipſe etiam qui deprecatur, vt tribuat, cum acceperis viliorem te iudicat: & mirum in modum ſi eum rogantem contempſeris, plus te poſterius veneratur. Prædicator continentiæ nuptias non conciliet. Procuratores domorum ac villarum alienarum quomodo poſſunt eſſe clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates? Amico quidpiam rapere, furtum eſt, Eccleſiam defraudare, ſacrilegium eſt. Ibidem.

Cum ad perfectam ætatem veneris, & te vel clerus, vel pōtifex ciuitatis in clerum elegerit, agito quæ clerici ſunt: & inter ipſos ſectare meliores: quia in omni conditione & gradu, ſemper optimis mixta ſunt peſsima. Idem ad Ruſt. monach.

Quidquid in monachos dicitur, redundat in clericos, qui patres ſunt monachorum. Detrimentum pecoris, paſtoris ignominia eſt. Idem ad Furiam.

Ambroſ. Ex inordinata & indiſciplinata multitudine ſacerdotum, hodie datur contemptui Redemptoris noſtri venerabile ſacramentum. Nam qui debuerant eſſe vicarij Apoſtolorum, & filij Petri, facti ſunt ſocij Iudæ, & preambuli Antichriſti. Ambro. in ſerm.

Cypria. Sacerdos Dei Euangelium tenens, & Chriſti præcepta cuſtodiens, occidi poteſt, vinci non poteſt. Suggerit nobis exēplū Zacharias antiſtes Domini, qui cū terreri minis & lapidatione non poſſet, in templo occiſus eſt clamans, identidē dicens, Dereliquiſtis vias Domini, & Dominus dereliquet vos. Cypri. Epiſt. 3.

Quos & quales oporteat deſeruire altari, & ſacrificia diuina celebrare, Dominus per Moyſem indicat. Exod. 16. dicens: Sacerdotes qui accedunt ad Dominum Deum, ſanctificentur, ne forte de relinquat eos Dominus. Et iterum, Cum accedunt miniſtrare ad altare, non adducent in ſe delictum, ne moriantur. Idem Epiſtola. 4.

Exod. 16.

2. Tim. 2. Nemo militans Deo implicat ſe &c. Et Leuitæ in lege veteri, nec ſortem cum vndecim tribubus, nec cultum terræ ſuſcipiūt, vt qui operationibus diuinis inſiſtebant, in nulla re auocarentur, nec cogitare, aut agere ſecularia cogerentur. Quod anteceſſores noſtri religioſe conſiderantes cenſerunt, ne quis frater decedens, ad tutellam, vel curā rerū ſuarum clericum nominaret: ac ſiquis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificiū pro eius

dormi-

dormitione celebraretur. Nec enim ad altare Dei, meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes suos atque leuitas auocare voluit. Deinde damnat hac sententia Victorem quendam sacerdotem, qui sacerdotem alium moriens rerum suarum actorem testamento instituerat. Idem Epist. 9.

In ordinandis clericis fratres charissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Sed expectanda non sunt humana suffragia, cum testimonia diuina præcedunt. Aurelius enim frater noster illustris adolescens à Domino iam probatus, vt qui bis confessus est, & bis confessionis suæ corona extitit gloriosus: merebatur talis clericæ ordinationis vlterioris gradus, non de annis sed de meritis æstimandus: sed interim placuit, vt ab officio lectionis incipiat: quæ nihil magis congruere videtur voci quæ Christum confessa est, quam verba diuinorum mysteriorum personare, & ad pulpitum post catastam venire. Hunc igitur fratres charissimi à me & collegis meis ordinatum sciatis. Et quoniam semper gaudium properat, nec potest moras ferre lætitia, Dominico legit, hodie dedicat lectionem. Vos orationi frequenter insistite, & preces nostras vestris precibus adiuuate, vt nobis Dominus & sacerdotem reddat incolumen, & martyrem cum sacerdote lectorem. Opto vos in Deo patre, & Domino Iesu semper bene valere. Ex hac Cypriani Epistola licet agnoscere quanta religione tum temporis, sacris ordinibus clerici initiarentur. Idem in Epist.

In multis multipliciter regnat fornicatio: qui impuritatis autori impuro corde & corpore ministrantes, non verentur stare ante Angelum Dei qui secet medios & disperdat: sed omnino audent agni immaculati sacras contingere carnes, & intingere in sanguine Saluatoris manus nefarias, quibus paulo ante (proh dolor) meretrices attrectarunt: sic & altaria circumire, sic & Ecclesias frequentare, Psalmos decantare: cum & eiusmodi laus sit execrabilis, & oratio fiat in peccatum. Ber. de contemptu &c. *Bernar.*

Væ væ in Domo Dei horrendum videmus. Quid? Idololatras ministrantes. Mentior si non idolorum seruitus auaritia est: si non etiam quibusdam venter suus, factus est Deus suus. Quod enim quisque præ cæteris colit, id sibi Deum constituisse perhibetur. Idem ibidem.

Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum facultates sunt Ecclesiarum, & sacrilega eis cupiditate surripitur, quidquid sibi ministri & dispensatores, non vtique Domini vel possessores, vltra victum accipiunt & vestitum. Idem ibidem.

Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est, Idem in Epistol.

Conceditur tibi, vt si bene deseruis, de altario viuas, non autẽ vt de altario luxurieris, non vt de altario superbias, vt inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria de aurata, varia griseaque pellicea. Idem ibid.

Triplex funiculus qui difficile rumpitur, hominem miserũ in perniciem trahit: qui impure intrat, indigne ministrat, & ipso fructu abutitur temporali. Idem ibidem.

Consecrasti os tuum Euangelio: nugis igitur iam os aperire illicitum est: assuescere vero nugas loqui, sacrilegum est. Labia sacerdotis (ait Propheta) custodiunt scientiam, & ex ore eius requirunt legem, non nugas, aut fabulas. Idem de consid.

Cum cuncti status hominum aliquid habeãt laboris & aliquid voluptatis, clerici inter hæc nouo quodam artificio totum quod delectat in quolibet elegerunt: & totum quod molestat respuerunt. A militibus acceperunt superbiæ fastum, amplam familiã, equorum phaleras, & nobiles apparatus: à mulieribus, dependentes collo pelles, rubricatas, vinum, molliciem, balneum, & gloriã: à rusticis fructus agrorum, horrea plena. Sed bene cauẽt militaris loricæ pondus, muliebrem declinant verecundiam. Omnes rustici, & agricolæ, victum sibi labore acquirunt: hi delicijs affluunt, & tamen aduenientе fructuum tempore, promptuaria eorum plena tritico, & vinum bibunt vuæ meracissimum, & inde incrassantur, impinguantur, & dilatantur. Cum ergo resurgere cœperint homines, quilibet in ordine suo, isti cum quibus resurgent? Si diuertere voluerint ad milites, ipsos exsufflabunt. Sic cuncti homines à suis finibus arcebunt: & isti qui in nullo fuerint ordine, vbi putas collocabuntur? Restat ergo, vt illum locum sortiatur: vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat: & sint in laboribus Dæmonum, qui in laboribus hominum non fuerunt. Idem super

illud

illud Psal. In laboribus hominum non sunt, &c.

Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis aduenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima: amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum: amarissima nunc in moribus domesticorum. Idem super Cant. serm. 23. vbi hæc ipsa latius exponit. *Isai.* 38.

Vnde clericis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis Ecclesiæ? Inde est, quod illa pauper & inops, & nuda relinquitur facie miseranda, inculta, hispida: propter quod non est hodie Ecclesiam ornare, sed spoliare: non est custodire, sed perdere: non est defendere, sed exponere: non est instruere sed prostituere: non est pascere gregē, sed mactare, & deuorare: dicente Domino de illis: Qui deuorant plebem meam sicut escam panis. Idem sermo. 78.

Si insurgeret apertus hæreticus: mitteretur foras & arescerer: si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc vero quid eijciet, à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici: omnes necessarij, & omnes aduersarij: omnes domestici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt. Idem sermo. 31.

Si recte sapiens hortatur, sapientiam scribi in otio, & cauēdum in otio otium: fugienda proinde est otiositas mater nugarum, nouerca virtutum. Inter seculares, nugæ, nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ. Interdum tamen si incidant, ferendæ, referendæ tamen nunquam. Idem de consi. lib. 2.

Timeant clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt: vt stipendijs quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua quibus egeni sustētandi forent, impie sacrilegeque sibi retinent, & in vsus suæ superbiæ luxuriæque victum pauperum consumere non verentur. Duplici profecto iniquitate peccant, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur. Idem ser. 44. super Canti.

Heu heu Domine Deus, quia ipsi sunt in percussione tua primi, qui videntur in Ecclesia primatū gerere, arcem Symonis occupauerunt: apprehenderunt munitiones & vniuersam deinceps libere

bere & potestatiue tradunt incendio ciuitatem. Idem in Epist.

Matt.6. Super illud Matth. Amen dico vobis super omnia hæc &c. Bene agente populo, vnusquisque pro suo merito remuneratur: sacerdos autem pro bonis omnium. Habebit enim pro proprijs auream, & pro acquisitione aliorum aureolam. Idem.

Melius est propter bonos, etiam malos fouere, quam propter malos etiam bonos contemnere. Propter bonos ergo sacerdotes etiam malos honorate, ne propter malos etiam bonos contemnatis. Melius est enim malis iniusta præstare, quam bonis iusta subtrahere. Idem super Matth. hom. 25.

Quidquid terribile est in scripturis, vsu vilescit. Propterea clericus, qui semper meditatur scripturas, aut omnino obseruaturus est, & erit perfectus: aut si semel cœperit illas contemnere nunquã excitatur in illis, vt timeat. Idem ibidem.

Chrysost. Laici delinquentes facile emendantur: clerici autem si semel euaserint, inemendabiles fiunt. Chrys. super Matth.

COLLE. ¶Miranda sacerdotum dignitas, quibus dimittendi peccata potestas concessa est, vt hic iure mirari possis & dicere. Quis potest

Lucæ.5.

Gene.1. dimittere peccata nisi solus Deus? Magna illa potestas quæ dixit, Fiat lux, & facta est lux. eadem quoque suo modo sacerdotibus concessa est, cum à peccatis absoluunt. Magna Spiritus sancti potestas est, cui animarum sanctificatio tribuitur. Idem quoque suo modo sacerdotibus præstatur, qui veram sanctitatem & gratiam pœnitentibus conferunt. Hinc D. Franciscus in regula sua, mira reuerẽtia se sacerdotes venerari profitetur, propterea quod inæstimabili honore & beneficio nos afficiunt: dum altissimi filij Dei verum corpus nobis administrant. Hinc patet quantum sacerdotes illi delinquunt qui Eucharistiam fidelibus porrigere grauantur: qui tãto eos thesauro ditare recusant. Simon ille magus multam pecuniam Apostolis offerebat, quo ei donandi Spiritus sancti facultatem concederent, tu acceptam gratis facultatem cur donare recusas?

Quoniam Deus principium & finis rerum est, in quo viuimus, mouemur, & sumus: ideo non toties respirare quam illius meminisse deberemus. Quia vero natura humana multis necessitatibus obnoxia est: homines que ipsi varijs curis impediti hoc

ipsum

ipſum commode præſtare nequeunt, ideo quoſdam homines à communi aliorũ cœtu ſegregatos ceu vicarios pro ſe ad hoc munus deſtinarunt, quos publicis ſtipendijs alerent, vt communem Dominum ſuo & populi nomine continenter orarent, placarent, atque laudarent. Hoc igitur eorum munus & officium eſt. Sunt enim homines Deo ad perpetuum orationis officium conſecrati. Quod aurea illa ſummi ſacerdotis lamina teſtabatur, cui erat inſcriptum. Sanctum Domino, hoc eſt, homo Deo ſanctificatus & conſecratus, vt videlicet indignum ſit, eum aliud quàm diuina tractare. *Exod. 28.*

Qua pietate & obſeruantia venerari ſacerdotes debeamus, declarat Eccleſiaſt. his verbis. In tota anima tua time Dominum, & ſacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit & miniſtros eius non derelinquas. Mira ratione cultum Dei & ſacerdotum copulauit: vt intelligas hæc duo ita eſſe iungenda, vt qua pietate colas Deum eadem quodammodo eius ſacerdotes, quaſi diuinum aliquid colas. Hinc ſacerdotibus apud Ægyptios tantum honoris habitum eſſe legimus, vt quo tempore fames totum orbem oppreſſerat, alimenta illis ex publicis horreis gratis pręberentur. Quod ſi tantus honor quadrupedum ſacerdotibus exhibitus eſt, qualis veri & omnipotentis Dei ſacerdotibus haberi conuenit? *Eccl. 7.*

Sacerdotes & monachi, & quicunque alienis opibus & ſudoribus ſuſtentantur, meminiſſe debent ad eos potiſsimum verſiculũ illum pertinere, Dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius exquirant. Duplici ergo nomine rei erunt, ſi officio ſuo deſint, altero quod legem Dei violant, altero quod gratis panem ſuũ manducantes alieno ſanguine paſcuntur. *Pſal. 104.*

Qua reuerentia ad ſacram Euchariſtiam accedere debeamus, Exod. 19. Dominus declarat, qui in monte Synai laturus populo leges ait, Sacerdotes autem & populus non tranſeant terminos, nec aſcendant ad Dominum ne forte interficiat illos. Exod. quoque. 24. ait Dominus ad Moyſen, Aſcende ad me tu, & Aaron, Nadab, & Abiu (filij videlicet Aaron) & ſeptuaginta ſenes ex Iſrael, & adorabitis procul: ſoluſque Moyſes aſcendet ad Dominum. Ex quibus locis intelligimus qua reuerentia & laici *Exod. 19.* *Exod. 24.*

& sacerdotes ad sacram Eucharistiam accedere debeant.

Castitatis virtutem ad sacerdotes præcipue, qui Angelorum more Deo ministrant, pertinere ostendit Dominus, quando inter cætera sacerdotalium vestium ornamenta feminaliũ quoque meminit his verbis. Facies & feminalia linea quibus operiant carnem turpitudinis suæ, à renibus vsque ad fœmora, & vtentur eis Aaron, & filij eius, quando ingrediuntur tabernaculum testimonij. Quorsum enim huius indumenti legem à Deo sanciri oportuit, nisi vt hac ratione castitatis puritatem in sacerdotibus maxime requiri designaret? Iam verò quod intraturis in tabernaculũ, pedes & manus primum lauare iubet, quid aliud docuit quã quod Apostolus quoque docet cum ait, Probet autem seipsum homo &c. Et alibi. Sacerdotes ait qui accedunt ad Dominum sanctificẽtur, ne forte percutiat eos.

Exod. 28.

1. *Cor.* 11.

Quam longe ab omnibus inordinatis affectibus abesse Dei sacerdotes debeant Dominicum illud præceptum. Leuit. 10. declarat, qui mortuis Nadab & Abiu filijs Aaron patri & fratribus præcipit, Capita vestra nolite nudare, & vestimenta vestra nolite scindere, ne forte moriamini, & super omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres vestri, & omnis domus Israel plangent incendium quod Dominus suscitauit: vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis. Oleum quippe sanctæ vnctionis est super vos, O summa sacerdotum dignitas & puritas.

Leui. 10.

Qualis esse sacerdotum puritas, quamque sedati & compositi eorum affectus, & à cætera turba dissimiles esse debeant, late Dominus Leuit. 21. docet his verbis, Non contaminentur sacerdotes in morte ciuium suorum, nisi tantum in consanguineis. i. super patrem & matrem &c. Non radent caput nec barbam, neque in carnibus suis facient inscissuras. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius. Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt & ideo sancti erunt. Quales ergo esse debent qui panem Angelorum Deo offerunt. Põtifex id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum nó ingredietur omnino. Super patre quoq;

Leuit. 21.

suo,

suo, & matre non contaminabitur, nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ vnctionis Dei sui super eum est, ego Dominus. Quod vero hic ait, caput non discooperiet, vestimenta non scindet, indicia olim erant erumpentis affectus & rationis habenas non patientis. Quæ longe à sacerdotali grauitate abesse debent: in qua ratio dominari & clauum tenere, affectus vero tanquam bene instituti atque educati serui parere imperio debent: quibus in eiusmodi calamitatibus excitari & concuti, nũquam tamen dominari licet.

Quod sit clericorum & sacerdotum officium typicè Dominus. Numer. 1. in officio Leuitarum adumbrauit cum ait, Leuitæ vero per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel: & excubabunt in custodijs tabernaculi. Per hoc autem intelligimus & officium clericorum esse diuinis semper rebus vacare, & orationibus suis diuinæ indignationi obuiam ire. Hoc tamen officium maximè ad sacerdotes spectat quorum preces non infrugiferas futuras ipse Dominus testatur cum ait, Inuocabuntque nomen meum super filios Israel & ego exaudiam eos.

Summus sacerdos scortum in vxorem ducere lege prohibetur. Scortum communis omnium vxor est; ideoque vulgarem & cõmunem omnium vitam designat. Hanc autem vitam sacerdos viuere prohibetur: quia vt officio, ita singularis vitę ratione à cætera turba separatus esse debet, ne illud ei exprobrari possit, Vt populus sic sacerdos.

Ait Dominus ad Aaron, Vinum & omne quod inebriare potest non bibetis, tu & filij tui quando ingrediemini tabernaculũ testimonij. Hoc præceptum post mortem Nadab & Abiu datum est, vt cunctis innotesceret quod ebrietas eorum mortis causa extitit & erroris. Cum enim contaminare alieno igne altare præsumunt, ipsius altaris incendio consumuntur, vt sumerent de sacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum. Quod peccatum illis suscitarat ebrietas, Nam vini odor, odorem fugarat incensi, & ebrietas ignis flammam prouocarat altaris. Vnde quia alienati vino alienum portauerunt ignem, mox diuino igne referuntur extincti. Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium, Hæc Petrus Raue. *Leui. 10.*

Exod.28. Quis credat omnia illa quæ tanto consilio & ornatu ad summi sacerdotis vestes Dominus excogitauit, ad curiosam solum spectantium voluptatem, & non ad magna mysteria instituisse: præsertim cum lamina aurea in fonte Pontificis collocanda, & rationale in pectore adeo aperte mysticum sensum contineant? Ergo per tot indumentorum species quæ ad ornatum corporis pertinebant, quid aliud nisi maximarum virtutum ornamenta quibus sacerdotalis vita ornari debet, intelligere possumus? Maximus enim animarum amator qui tot modis pontificis ornauit corpus, multo magis virtutibus ornatam in illo mentem requiret: cuius speciem & pulchritudinem ornamenta illa figurabant. ¶Illud etiam obseruandum, quod non solum externæ vestes, sed etiam internæ decernuntur, vt videlicet non sit de illorum numero quibus Dominus ait, Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra. Cæterum priusquam sacerdos his vestibus indueretur, lauari aqua iubetur. Itaque Moses vt
Leuit. 8. habetur Leuit. 8. primum quidem sacerdotes lauit, postea induit. Non enim poteris (ait Origenes) induere Dominum Iesum Christum, nisi ante lotus fueris, iuxta illud, Lauamini, mundi estote.
Isai. 1. Quod si tu te abluere non potes, deprecare Dominum & dic, Am-
Psal. 5. plius laua me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me. Nemo enim structuram recte poterit erigere virtutum nisi fundamenta prius iecerit puritatis.

Leuit. 6. Leuiti. 6. præcipit Dominus vt hostia quæ pro peccato offertur, à solis sacerdotibus idque in loco sancto comedatur his verbis, Ista est lex hostiæ pro peccato, in loco vbi offertur holocaustum immolabitur coram Domino sanctum sanctorum est. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto in atrio tabernaculi. Et infr. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus eius. Huius vero rei significationem colligere possumus
Leuit. 10. ex eo quod Leuit. 10. legimus post Nadab & Abiu incendium cõtigisse. Qua de re sic textus habet. Inter hæc hircum qui oblatus fuerat pro peccato cum quæreret Moses, exustum reperit: iratusque contra Eleazar & Thamar filios Aaron qui remanserant ait, Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto quæ sancta sanctorum est: & data vobis vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini? Ex quibus

verbis

verbis colligimus, ideo solos sacerdotes, eorumque masculos filios non etiam filias ex hac hostia, idque in loco sancto edere debere: vt hac ratione significetur, ad solos sacerdotes curam expiandi aliena peccata pertinere: ideoque solos eos ex illa hostia, quæ pro peccatis offertur edere debere: vt videlicet cuius est onus, eiusdem etiam sit oneris fructus. In loco vero sancto hostia comeditur, vt non læta & festiua, sed luctuosa & sanctitatis plena sit mensa sacerdotum, quæ tota peccatorum pretijs instructa est.

Qua pœna digni sint qui malis artibus sacerdotia sibi vendicant, declarat Dominus. Num. 16. Quo in loco memoratur quod post interitum Datan & Abiron qui ausi sunt offerre incensum Domino, batilla quibus obtulerunt incensum in circulos conflata, iussit Dominus apponi altari ad commemorationem filiorum Israel, vt non accedat quisquam alienigena qui non est ex semine Aaron imponere incensum coram Domino. In hoc sane (ait Origen. hom. 9.) posteris datur exemplum, ne quis præsumptione superbi spiritus (nisi vocatus à Deo fuerit) munus pontificatus inuadat, sed vt illi cedat quem non ambitio humana, non corruptus fauor asciuerit, sed meritorum conscientia & Dei voluntas assumpserit. Ideo autem laminæ illæ affiguntur altari, vt in prospectu semper habeant indigne ad illud accedentes culpæ suæ exemplum simul & supplicium. Sic enim magistratus & præfecti vrbium facere solent: qui facinorosorum hominum abscissa membra in editis locis ad coercendam aliorum petulantiam suspendi iubent. *Num. 16.*

Episcopus, Præpositus.

SIC nos fidelibus subditis tenere disciplinam debemus, sicut boni patres carnalibus filijs: quos & pro culpis verberibus feriunt, & tamen ipsos quos doloribus affligunt, habere heredes quærunt. Greg. in Regist. *Gregor.*

Ita sibi regentium merita connectuntur, & plebium, vt sæpe ex culpa presidentium deterior fiat vita subditorum: & sæpe ex demerito plebium delinquat vita pastorum. Gregor. in Regist.

Tantum

Tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Oportet nanq; vt metiri sese solicite studeat quanta tenendę rectitudinis necessitate constringatur: sub cuius æstimatione populus grex vocatur. Gregor. in Pastor.

Tantorum pondera vnusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Greg. in mor.

In alto loco positis, sæpe dum exterius ab hominibus honos tribuitur, ad ima animus mergitur, quia curis discerpentibus grauatur. Greg. in Regist.

Quia homo quod sibi tribuitur, quo iudicio disponat ignorat, nec ad appetendum locum superiorem, procax insistere nec ad repellendum contumax debet inueniri. Gregor. in Registro.

Virtutibus pollens, coactus ad regnum veniat, virtutibus vacuus, nec coactus accedat. Greg. in Past.

Cum rerum necessitas exposcit, pensandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat: atque ad hoc rite perueniens, qualiter viuat: & bene viuens, qualiter doceat: & bene docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat: ne aut humilitas accessum fugiat, aut peruentioni vita cõtradicat, aut vitã doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat. Greg. in Past.

Vsus rectæ conuersationis est, vt præesse non audeat qui subesse non didicerit: nec obedientiam subiectis imperet, quam prælatis non nouit exhibere. Greg. in Dialog.

Illa solicitudo præpositorum vtilis est, illa est cautella laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vendicat. Gregor. in Regist.

Maiora crimina, & tarde credenda sunt, cum audiuntur, & citius punienda sunt, cum veraciter cognoscuntur. Gregor. in moral.

Miscẽda est lenitas seueritati, faciendo quoddã ex vtroque tẽperamentũ: vt nec multa asperitate exulcerẽtur subditi, nec nimia benignitate soluantur. Hoc nimirũ illa tabernaculi arca significat in qua cũ tabulis virga simul & mãna erat: quia cũ scripturæ sacræ scientia in boni rectoris sit pectore sit virga discretionis, sit mãna dulcedinis.

dulcedinis. Hinc Dauid ait: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga enim percutimur, & baculo sustentamur. Sit ergo discretio virgæ quæ feriat, sit & consolatio baculi quæ sustentet. Greg. lib. 3. mor. *Psal. 22.*

Moyses sic amauit eos quibus præfuit, vt pro eis nec sibi parceret: & tamen delinquentes sic persequutus est, quos amauit, vt eos etiam Domino parcēte prosterneret. Vtrobique legatus fortis, vtrobique mediator admirabilis, causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladijs egit. Greg. vbi sup. *Exod. 32.*

Subtilissima ars viuendi est, culmen tenere, & gloriam reprimere: esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire.

Tunc fuit laudabile, episcopatum quærere, quando per hunc dubium non erat ad supplicium peruenire. Greg. in Pastor.

Sicut is qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admonendus: sic qui vltro ambit, vel importune se ingerit, est proculdubio repellendus. Gregor. in Regist.

Reuera mihi videtur esse ars artium, & disciplina disciplinarū hominem regere, qui certe est inter omnes animantes, maxime & moribus varius, & voluntate diuersus. Greg. in mor.

Quos ad fortia trahere nitimur, eorum necesse est, infirma toleremus: non enim iacentem erigit, nisi qui rigorem deflectit per compassionem: cumque alienæ infirmitati compatimur à nostra roboramur. Greg. mor. lib. 7. cap. 7.

Mercenarius in alienis laboribus sudat, sed sibi præmium parat: ita & nos per hoc peruenimus ad propria, quod pure ministramus aliena. Greg. mor. lib. 8. cap. 6.

Mali prælati, locum regiminis ad fructum voluptatis tenent, non ad vsum laboris. Greg. lib. 11. c. 10.

Supra S. Iob dixit, Pater eram pauperum: hic ait, si quando ridebam ad eos non credebant: vt ostendat, quod prælatus & arridens timeri debet, & iratus amari: vt eum nec nimia lætitia reddat vilem, nec nimia seueritas odiosum. Greg. 20. mor. c. 2.

Gregor. super illud Iob, Cum sederem quasi rex, eram tamen merentium consolator. Sic ait: Bonis rectoribus mixta est, & regēdi autoritas, & benignitas consolandi. Adesse enim eis debet, & iuste consolans misericordia, & pie seruiens disciplina. Disciplina enim & misericordia multum destituuntur, si vna sine altera teneatur.

neatur. Patet in eo qui vinum cum oleo infudit. Moyses etiam qui Domino dixit: Aut dele me de libro &c. postea delinquentes occidi præcepit: Tractat hunc locum copiose Grego. lib. 20. moral. cap. 6.

Sancti prælati, eo veriorem principatum foris exhibent, quo intus Deo humiliorem exhibent famulatum: & ideo eo amplius subditos tolerant, quo possint vlcisci. Per amorem increpāt, quos per mansuetudinem portant. Greg. 20. mor. cap. 29.

Leuitę à. 50. annis fiunt custodes vasorum: quia tunc suscipienda est cura animarum, cum tempestas quieuerit vitiorum. Greg. 23. mor. c. 12.

Nullus qui malum rectorem patitur, eum accuset: quia sui fuit meriti, peruersi pastoris subiacere ditioni. Gregor. 25. moral. cap. 20.

Malum prælatum caue ne imiteris, quia veneraris, aut quia imitari despicis, venerari contemnas. Contemplare filios Noe, qui auersi patrem cooperiunt. Greg. mor. 25. c. 22.

Solerter intuendum ne dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, soluātur iura regiminis. Interius ergo teneamus quod de nobis sentimus, exterius quod pro aliorum vtilitate suscepimus: Greg. 26. mor. c. 2.

August. Habemus duo quædam: vnum quod Christiani sumus, alterū quod præpositi sumus: illud quod Christiani sumus, propter nos est, quod præpositi sumus non propter nos est. In eo quod Christiani sumus attenditur vtilitas nostra: in eo quod præpositi sumus, non nisi aliena. Aug. de Past.

Omnis qui male viuit in conspectu eorum quibus præpositus est, quantum in ipso est, omnes occidit. Idem in Epist.

Nihil est in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, & periculosius Episcopi aut presbyteri officio: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator iubet. *Idem in sermo.*

Hierony. Nostri principes, cum pauperes delinquentes publice arguāt, diuitibus peiora peccantibus, nec nutum faciunt: in quorum domibus rapina pauperum, dum Ecclesiæ opes sibi thesaurizant, & in delitijs abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dantur, & sibi reseruant, vel propinquis distribuunt, & aliorum inopiā suas

vel

vel suorum diuitias faciunt. Hiero. in Glos. Isai.

Super illud, Si quis Episcopatum desiderat: Opus naturæ non dignitatem, laborem non delicias, non crescere fastigio sed humilitate decrescere, vt fiat seruus & minister hominũ propter Christum: vt intermissa Rachelis decora facie, intret ad Liam oculis lippam: de mõte cum Moyse descendat ad campos, id est, de otio contemplationis ad laborem actionis. Idem. *1. Tim 3.*

Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri, ædificaturus turrim, futuri operis sumptus supputa. Idem in Epistol. ad Heliod.

Ama & reuerere pontificem tuum. Si pater sum (inquit) vbi est amor meus? Si Dominus ego sum vbi est timor meus? Illud etiam dico vt Episcopi honorent clericos, quasi clericos: vt & Episcopis à clericis, quasi Episcopis honos deferatur. Scitum illud est oratoris Domitij. Cur ego te (inquit) habeam vt principem, cum tu nõ me habeas, vt senatorem? Hinc Petrus Apostolus ait: Pascite eum qui in vobis est, gregem Domini, prouidentes nõ coactè, sed spontaneè &c. Idem in Epist. ad Nepotia. *Malac. 1.* *1. Pet. 5.*

Quomodo potes eum iudicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus? supra me debet esse cui me committere paro. Ambro. de offi. *Ambro.*

Honor & sublimitas pastoralis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, & principis diademati, longe erit id inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem cõpares. Quippe cum videas Regum colla & principum submitti genibus sacerdotum, & deosculata eorum dextera, orationibus eorum se credunt communiri. Idem in suo Past.

Nec præceps eris in sententia, nec vehemens in vindicta: non in corrigendis remissior: non in parcendis seuerior: non pusillanimis in expectandis: non superfluus in victu: non notabilis in vestitu, non citus ad promittendum: non tardus ad reddendum: non prodigus dator: non tenax ad largiendum. Bernard. in Epist.

Si rebus raritas pretium facit, nihil in Ecclesia Dei pretiosius, nihil optabilius est bono vtilique pastore: nempe rara auis est ista. In alto non altum sapere, sed humilibus consentire: nihil Deo charius nihil rarius apud homines. Idem in Epist.

Nihil

Nihil me prælatus prohibeat eorum quæ promisi,nec plus exigat,quam promisi:vota mea non augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate .Idem de præcep.& dis.

Quoties prælatus pro vno ex minimis Christi spirituale studium intermittit,toties pro eo spiritualiter animam suam ponit. Idem in sermo.

Móstruosa res est gradus summus,& animus infimus: status supremus,& gressus minimus:sedes prima & vita ima:lingua magniloqua,& manus otiosa:sermo multus,& fructus nullus: vultus grauis,& actus leuis:ingens autoritas, & nutans stabilitas. Idem de consid.

Non est hoc tempore ornare sponsam,sed spoliare:non est custodire,sed perdere:non est defendere,sed exponere:non est instruere,sed prostituere:non est pascere gregem, sed mactare , & deuorare : dicente de prælatis Domino. Qui deuorant plebem meam,sicut cibum panis.Idem super Cant.

Quem dabis mihi de numero præpositorum , qui non plus inuigilet subditorum vacuandis marsupijs , quam vitijs extirpandis?Vbi est qui orando flectat iram Dei?qui prædicet annum placabilem Deo?leuiora loquimur,grauiora grauius manet iudiciũ. Idem ibidem.

In omnibus exemplo Apostoli honorificabitis ministerium vestrum,ministerium inquam non dominium:ipsum quidem honorificabitis non vos:nam qui quærit quæ sua sunt,se cupit honorari non ministerium. Honorificabitis autem non cultu vestium, non fastu equorum, non amplis ædificijs,sed moribus ornatis,studijs spiritualibus,ac bonis operibus.Idem in Epist.

O vtinam prælati tam vigiles reperirentur ad curam,quam alacres currunt ad cathedram.Idem super Cant.

O peruersitas,o abusio filiorum Adam,qui cum ascendere difficillimum sit,descendere autem facillimum,ipsi & leuiter ascendunt,& descendunt difficilius:parati ad honores, ad celsitudines graduum Ecclesiasticorum,ipsis etiam Angelicis humeris formidandos.Idem in sermo.

Quoscunque de tuis inueneris tristes,pusillanimes, murmurosos,ipsorum te patrem,ipsorum te noueris esse abbatem: consolãdo,exhortando,increpando:tunc enim agis opus tuum, & portes

onus

onus tuum,& portando sanas,quos sanando portas. Si quis vero ita sanus est,vt magis iuuet te,quam iuuetur à te, huius te non patrem sed fratrem,comitem non abbatem esse cognoscas.Idem in Epistol.

Mira res, satis superque episcopi ad manum habent, quibus animas credant,& cui suas committant facultates,non inueniunt, optimi videlicet æstimatores,qui magnam de minimis, paruam aut nullam de maximis curam gerant.Sed vt liquido datur intelligi,patientius ferimus Christi iacturam,quam nostram. Idem de consid.

De pretio escarum & numero panum,cum ministris quotidiana discusio est:rara admodum cum presbyteris celebratur collatio,de peccatis populorum:cadit asina & est qui subleuet eá, perit anima,& nemo qui reputet:nec mirum,cum nec nostros asidue sentiamus defectus.Idem ibidem.

Non otiose toties repetitum est,Petre amas me in commisione ouium:ego quidem id significatum prouide puto:ac si dixisset illi Iesus,nisi testimonium tibi perhibente conscientia, quod me amas,& valde perfecte amas:hoc est, plus quam tua, plus quam tuos,plus quam te:vt huius repetitionis meæ numerus impleatur, nequaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de ouibus meis, pro quibus vtique meus effusus est sanguis. Idem super Canti. *Ioan.* 21.

Quod sine miserabili gemitu dicendum nó est,Christi opprobria,sputa,flagella,clauos,lanceam,crucem,& mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ conflant, & profundunt in acquisitione turpis quæstus,& pretium vniuersitatis suis marsupijs includere festinant,hoc solo sane à Iuda Scarioth differentes, quod ille horum omne emolumentum denariorum numero compensauit,isti voraciori ingluuie lucrorum infinitas exigunt pecunias. Idem super Canti.

Fortitudo tua,fiducia fidelis conscientiæ:decor tuus, splendor bonæ opinionis.Ibidem.

Noueris huius trinitatis sacramentum in nullo frustratum à te: si pascas verbo,pascas exemplo,pascas orationum suffragio, Manent autem tria hæc,verbum,exemplum,oratio,maior autem est oratio.Idem in Epist.

Scholares & pueri, & impuberes adolescentuli, ob sanguinis carnalitatem, ad ecclesiasticas promouentur dignitates, & à ferula transferuntur ad principādum presbyterium. Lætiores interim quod virgas euaserint, quam quod meruerint principatum. Idem ad Archiepis. Leno.

Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos, studete magis amari, quam metui, & si interdum seueritate opus est, paterna sit non tyrannica: matres fouendo, patres corripiēdo vos exhibeatis. Suspēdite verbera, producite vbera, pectora lacte pinguescant, nec typo turgeant. Idem super Cant.

Væ tibi si præes, & non prodes: sed væ grauius, si quia præesse metuis prodesse refugis. Idem in Apolog.

In expositione regulæ beati Benedicti par.3.cap.7. tractans illud Prouer.25. Cœlum sursum, & terra deorsum. Negligentia prelatorum tantam deordinationem & confusionem induxit, quod in eis est terra sursum, & cœlum deorsum. Pedes sunt supra caput, & facies retro. Interiora effusa sunt extra, Deus ibi conculcatur, & terra deificatur: Diabolus honorifice recipitur, Deus vero contumeliose repellitur. Terra sursum est, & cœlum deorsum, vbi terrena cœlestibus præponuntur. Pedes sunt supra caput, vbi viri spirituales despiciuntur: homines vero terrena sapientes ad regimen temporalium vtiles in honore habentur. Facies est retro, cum in operibus quæ videntur bona, potius vtilitas terrena intenditur, quam merces æterna. Interiora effussa sunt extra, cum bona interna negliguntur, & exteriora diliguntur: Deus vero conculcatur, & terra deificatur: vbi defuit charitas, & regnat cupiditas: Diabolus honorificè recipitur, & Deus contumeliose repellitur: vbi raptores & vsurarij cum honore recipiuntur, & magnis expensis procurantur, boni vero pauperes vel repulsam patiuntur, vel male procurantur. Idem.

Benedi. Abbas in ipsis imperijs suis sit prouidus & consideratus: Opera quæ iniungit, discernat, & temperet, cogitet discretionem sancti Patriarchæ Iacob dicentis, Si greges meos plus inambulando fecero laborare, morientur cuncti vna die. Benedictus in regula.

Isidor. Sæpe per honores quorundam, mutantur & mores, & quos ante conglutinatos charitate habuerunt, postquam ad culmen honoris venerint, amicos habere despiciunt. Isido. de sum. bono.

Tanto

Tanto est superius regno sacerdotium, quam est inter spiritum & carnem interuallum. Chrysolog. *Chrysolo.*

Si contingat quempiam vel per amicitiam, vel per aliã causam, ab aliquo ad Episcopi dignitatem euehi indignum, omniũ quæ ab illo acta fuerint, ipse reddet rationem. Idem.

In superbiam tantò facilius quis incidit, quantò ex humiliori gradu ad dignitates euehitur. Idem.

Ligna syluarum non oliuam, non ficum, non vitem, sed rãnum sibi elegerunt in regem: & egressus est ignis de ramno, & deuorauit cedros libani. Idem in Epist. hoc dicit contra eos qui indignũ præsidem eligunt, quos idem postea pelundauit.

Quod stipiti rami, quod capiti membra, quod soli radij, quod fonti riuuli, hoc apostolicæ sedis eminentiæ debent omnes Ecclesiæ quas vbique terrarum religio Christiana fundauit. Idem.

Qui iam dudum in abbate pontificem gesserat, postmodũ abbatem in pontifice custodiuit (loquitur de beato Maximo) fuit is neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, honoris impatiens, pauper in pecunia, diues in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia, locuples in donis Dei: sic in se excoluit vnamquãque gratiam, quasi solam, pauci sic tenuerũt singulas, quomodo ille in se impleuit vniuersas: semper in operis exercitio, semper in compũctionis affectu, semper occupatus, & semper vacans. Eus. Emiss. hom. de B. Maximo Episcop. *Euseb. Emisse.*

Sæpe apud indignos mores crescit cum potestate supercilium. Cassiodor. in Epist. *Caßiod.*

Sunt quidam qui sciunt & possunt, & volunt præesse: quidam qui sciunt & possunt, nec volunt: quidam qui nec sciunt, nec possunt, sed volunt. Scire & posse, & nolle, humilitatis est, aut inertiæ. Nec scire, nec posse, sed velle, cupiditatis est, vel stultitiæ. Nec scire, nec posse, neque velle, discretionis est & prouidentiæ. Idem de. 12. abus.

Ille autem cui dispensatio verbi commissa est, etiam si sancte viuat: & tamen perdite viuentes arguere, aut erubescit, aut metuit, cum omnibus qui eo tacente perierint, perit: & quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? Prosp. de vit. contemp. lib. 1. *Prosper.*

Discãt si velint ab Abimalech & Gedeone subiectos nõ dictis,

ſed factis ad imitationem incitari. Ille quidem lignorum faces & faciebat, & portabat, ac ſuis: Quemadmodum, inquit, vidiſtis me facientem, ita & vos facitote. Idem.

Euagrius. Abſurdum eſt, qui perſequatur honores, eum fugere labores è quibus naſcuntur honores. Euagrius.

Ignatius. Si bonos & honeſtos tantum diſcipulos diligis, nulla tibi gratia debetur: magis rebelles lenitate tractare debes vt erudiantur: non enim omne vulnus eodem emplaſtro curatur. Exacerbationes perſuaſionibus ſeda. Ignatius.

Chryſoſt. Vis apparere ſanctus? circa tuam vitam eſto auſterus, circa aliorum benignus: audiant te homines parua mandantem, & grandia facientem. Chryſoſt. ſuper Matth.

Beatus Dauid ita erat in poteſtate poſitus, tanquam omnibus ipſe eſſet ſubiectus, & in ſolio regali erat vt vinctus in carcere: & in purpura, quaſi in cilicio iacebat, cinere conſperſus, & corde cõpunctus. Aula regalis erat ei tanquam eremi vaſtiſsima ſolitudo. Idem in lib. de Compunct. cord.

Quemadmodum videns arborem folijs pallentibus marcidã, intelligis quod aliquam culpam habeat circa radicem, ita cum videris populum indiſciplinatum, ſine dubio cognoſce quod ſacerdotium eius non eſt ſanum. Idem in tracta. de Symbolo.

Ridiculoſa res eſt, aut magis periculoſa, ſpeculator cœcus, doctor inſcius, præcurſor claudus, prælatus negligens, præco mutus. Gubert.

Cicero. Qui non laborat vt charus militibus ſit, animare milites neſcit. Humanitas ducis in exercitu fulmen aduerſus hoſtes eſt. Iulius nunquam legitur iuſsiſſe, Ite illuc, ſed venite huc. Participatus enim cum duce labor, perſuadetur militibus minor. Cicero in Tuſcul.

COLLE. ¶Quod prudentia ad gubernandi munus maxime neceſſaria ſit, argumento eſt quod Salomon Iſraelitici regni gubernacula ſuſcepturus, hanc potiſsimum virtutem à Domino poſtulauit, eamque ad hoc maxime valere in Prouer. docuit, cum ait. Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſsidebit. Ipſa quoque ſapientia de ſe idem teſtatur cum ait: Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt: per me principes imperant, &

Prou. 1.

Prou. 8.

potentes

potentes decernunt iustitiam. Et in lib. quoque Sapien. Vir sapiens loquitur. d. Disponam populos, & nationes subditæ mihi erunt. Denique Cicer. in. 1. de Inuentione libro, ciuitatum & legũ institutionem à sapientissimis & eloquentissimis viris prodijsse late differit. *Sapien. 8.*

Prælati omnes ad maximam pastoralis officij curam & solicitudinem, vocant illa Salomonis verba cap. 6. Fili mi si spoponderis pro amico tuo defixisti apud extraneum animam tuam, illaqueatus es verbis oris tui & captus proprijs sermonibus vide locum. Cuiusmodi vero periculi sit, proprio se hominẽ sermone ad hanc curam alligasse, facile deprehenditur ex cap. 30. Hierem. quem etiam locum & videre & notare diligenter oportet. *Prou. 6.*

Tolle vestimentum eius qui fideiussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo. Hoc in Ecclesiæ præpositos & pastores quadrat: quibus ouilis Dominicæ cura cõmissa est. Si enim negligẽtes in officio suo fuerint deprehensi, ipsi in iniquitate sua morientur: sanguinem autem subditorum ab eis Dominus requiret vt est apud Ezechielem. *Prou. 27.* *Ezech. 3.*

Modestiam & humilitatem quæ esse in præpositis nostris debet Ecclesiast. 31. comendat his verbis. Rectorem te posuerũt, noli extolli; esto in illis sicut vnus ex ipsis. Hinc & illud, Quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam & coram hominibus, Ecclesiast. 3. *Eccl. 31.* *Eccl. 3.*

Prudentiam prælati cum simplicitate esse debere coniunctam, declarant illa verba Psal. 77. Et pauit eos in innocentia cordis sui, & . i. i. m. s. d. e. Pro quo Hieronymus vertit, Et pauit eos in simplicitate cordis sui: & in prudentia manuum suarum dux eorum fuit. Has autem duas virtutes simul coniungere singulare Dei donum est. *Psal. 77.*

Quid est quod sponsa dum sponsum diligenter quærit ait, inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me &c. Exaggerat his verbis calamitatis suæ magnitudinem sponsa: postquam enim dixerat, Quæsiui illum & non inueni: vocaui, & non respondit mihi: aliam adiungit doloris sui causam: nempe quod ij quorũ munus erat, illam in hac inquisitione iuuare adeò non illi auxilium tulerint, vt etiam varijs modis vexarint. Quod quidem calamitosis Ecclesiæ temporibus sæpissime contingit: vt *Cant. 3.*

præsules Ecclesiæ & custodes murorum eius adeò à muneris & officij sui integritate abhorreant, vt quas ipsi animas rectè viuendo & vigilando Christo lucrifacere deberent prauitate vitæ, lu-
Ezec.34. xu, insolentia, & auaritia grauiter offendant. Qua de re late Dominus Ezechiel.34. de pastoribus Ecclesiæ agens queritur. Quid vero infœlicius ouium gregibus accidere potest, quam cum eo miseriæ ventum est, vt canes fungantur officio luporum.

Cùm mulier prima diuini præcepti præuaricatrix fuerit, tamé vir primum à Domino interrogatur: quoniam caput ipse mulieris erat: vt hac ratione prælati intelligant se prius quam subditos de subditorum sceleribus interrogandos. Sic etiam cæteris Apostolis simul dormientibus Petrus ante omnes corripitur his ver-
Mar.14. bis, Simon dormis? qui videlicet ad vigilandum alios excitare de-
Num.25. buisses? Vnde populo cum Madianitis fornicante principes populi qui hoc facinus prohibere deberent iussu Domini in patibulis suspenduntur.

Exod.28. Nomina duodecim filiorum Israel præcepit Dñs & in superhumerali quod humeros tegebat duobus onichinis lapillis inscripta & in rationali siue pectorali (hoc enim vox hebræa, HOSEN, significat) duodecim lapillis infixa gestare: quo intelligeremus cómissas animas & in pectore per ardentem amorem, & in humeris per continuum laborem à præpositis debere portari. Quorum quidé alterum ex altero sequi. D. Gregor. his verbis ait. Quãtum amas proximũ tantum portas: quod si desinis amare, desisti portare. Et hoc igitur & cætera omnia charitas præstat: vt merito Dñs Ecclesiæ suæ Petrum in pastorem daturus, hoc solum ab eo quæ-
Ioan. 21. sierit, Petre amas me? Quid enim nó præstat amor? Quid vero ab ijs non impetret quos ardenter diligit? Amore potissimũ Ambrosius Augustinum inescauit, & ab errore paulatim reuocauit. Vnde idem August. confess. lib.5. ait, quod vbi ad eum venisset, paterna charitate fuerit ab eo exceptus, Et eum, inquit, amare cœpi. Primo quidem non tanquam doctorem veri (quod in Ecclesia tua prorsus desperabam) sed tanquam hominum benignum in me. Deinde narrat quomodo eius ad populum conciones audiens cœperit paulatim veritatem haurire.

Sacerdos in rationali hæc duo verba scripta gestat, V R I N, & T H O M I N, hoc est, doctrinam & veritaté, quæ erũt in pectore

Aaron. Alij autem vertunt, Illuminationes & perfectiones, hoc est doctrinæ lucem, & vitæ perfectionē: quo possint facere simul & docere. Hæc enim duo propria sacerdotum munera & ornamē ta sunt. Eodem etiam pertinet quod in extrema ora vestis Aaron mixtim mala punica & tintinabula pendere Dominus præcipit. Tintinabula autem vocem prædicationis, mala punica vero (de quibus sæpe in Canti. mentio fit) colore quidem nebio ardorem charitatis, granorum vero miro ordine & collocatione vitæ ordinem & modum designant: quæ duo in sacerdotibus, maximeque in Episcoporum vita clarere debent. *Exod.* 39.

Qualis sit bonorum pastorū cura & labor, & quam multis molestijs obnoxij sit, & quomodo nisi percepto spiritu Dei, nemo huic officio integre satisfacere possit, copiose quidem Nume. 11. declaratur: vbi Moses, populi querelis fatigatus, has ad Dominū voces fudit, Cur afflixisti seruum tuum? Quare non inuenio gratiam coram te? Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? &c. quæ sequuntur. Vide locum. Ibidemque præcipitur ei vt eligat senes quos ipse sciat esse senes ad præfecturam populi administrandam: quos Dominus ad hoc ipsum spiritu suo implet quo recte credito sibi munere fungerentur. *Num.* 11.

Frustra laborat præpositus qui munus suum probe administrans, omnibus gratus esse, omnibusque probari se posse sperat. Quis inter reges Dauide aut sanctior, aut iustior, aut animosior, aut prudentior? At toto corde vniuersus Israel Absalonem aduersus patrem coniurantem sequebatur. Quis verò Moysi in illa virtutis laude poterit comparari? quem Dominus fidelissimum in omni domo sua prædicauit? Qui inter cæteras virtutes, mansuetudine (quę maximè amabilem hominem efficit) ita emicuit, vt omnes homines qui morabantur in terra hac laude superaret. At quoties aduersus illum rebellis populus consurrexit, quoties lapidibus impetitus, lapidatusque fuisset ni fuga salutem quæsisset, & Domini præsidio à furente populo tectus esset? Nec rude tātum vulgus aduersus eum concitatus est, sed in seditione Core. 250. proceres Sinagogæ qui per nomina sua ad concilium vocabantur, cum illo aduersus Mosem coniurarunt. Quid hic Dominum Saluatorem memorem? Ipse quidē discipulos his verbis admonuit, Mementote sermonis mei quē ego dixi vobis, Nō est discipulus super *2. Re.* 16. *Leui.* 16. *Matt.* 10.

magiſtrum &c. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum ſeruauerunt (hoc eſt, inſidiantes obſeruauerunt) & veſtrum ſeruabunt.

Num. 11. Quo amore prælatus eos proſequi debeat qui eius fidei & curæ crediti ſunt, aperte Moſes. Num. 11. cum Domino agens declarat his verbis, Nunquid ego concepi aut genui multitudinē hanc tantam, vt dicas mihi, porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum? Vnde hæc paternæ charitatis lex, niſi ab vberrimo illo charitatis fonte manare potuit? Quod autem is prælatis

Deuter. 1. exigit, ipſe multò cumulatius præſtitit: ſicut idem Moſes Deute. 1. teſtatur cum ait, Portauit te Dominus Deus tuus, ſicut geſtare ſolet pater filium paruulum donec veniretis ad locum hunc. Id

Oſeæ. 11. ipſum etiam per Hieremi. teſtatur cum ait, Ego quaſi nutritius Effraim portabam eos in brachijs meis: & ipſi non intellexerunt

Iſai. 40. quod curarem eos. Idem quoque Eſai. 40. pollicetur his verbis, Sicut paſtor, gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit.

Iob. 40. In quibus præcipuè generibus perſonarum Dæmon ſibi domicilium eligat, declarant illa verba Iob, ſub vmbra dormit, in ſecreto calami, in locis humentibus. Vmbra eſt obſcura, frigida, & inanis, veræ rei imaginem repræſentans. Quod quidem prælatos officij ſui deſertores ſignificat: qui obſcuri ſunt per ignorantiam, frigidi per malitiam, inanes per mentis leuitatem, cum tamen exterius perſonati incedant, & corde leui, grauitatem vultu mentiantur. Sub tali vmbra Dæmon altum dormit: quia non multo labore ad inconceſſa rapit, quos paſtoris vigilantia & diſciplina deſtituit.

Roma. 12. Solicitudinem Apoſtolus Eccleſiæ præpoſitis commendat cū

2. *Cor.* 11. ait, Qui præeſt in ſolicitudine. Qua & ipſe vrgebatur cùm ait, Præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana ſolicitudo o. E. D. Quis infirmatur &c. Hanc eandem mira verbo-

Prou. 6. rum acrimonia Salomon præſuli inculcat cùm ait, Fili mi ſi ſpoponderis pro amico tuo &c. Prouerb. 6. Huius autem paſtoralis curæ periculum D. Bernardus his verbis deſcribit, Magno vinculo aſtricti ſunt, qui pro multis animabus reddituri ſunt rationem. Quid ego infelix, quo me vertam, ſi tantum theſaurū, ſi pretioſum depoſitum illud quod ſibi Chriſtus ſanguine pro-

prio

prio pretiosius indicauit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portare sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? At certè id seruandum accepi pro quo mercator non insipiens, imo ipsa.s. sapientia patris sanguinem illum dedit. Audio enim Petrum Apostolum monentem, Attendite vobis & vniuerso gregi &c. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multo plura quàm vitreis imminere pericula videantur. Accedit sanè ad solicitudinis pondus, quod & meam & proximi conscientiam seruare necesse sit, & neutra mihi satis est nota. *Acto.20*

Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam nō custodiui. Hoc ad malos pastores ac prædicatores referri potest, qui alios docent, & seipsos non docent, &c. *Cant. 1.*

Illi ad regendos alios maximè idonei videntur, qui hoc munus maximè detrectant & fugiunt. Talis Moses fuit, qui Exod. 3. tam multis rationibus iniunctam sibi à Deo prouinciam recusare nitebatur. *Exod. 3.*

Cæteris Leuitis distributa sunt plaustra in quibus tabernaculi supellectilem deferrent: familiæ autem Caatitarum (quibus ferendi altaris aurei, & ipsius sanctuarij cura commissa erat) non data sunt plaustra: quoniam hæc pretiosa onera proprijs portabant humeris. Vnde apparet quod pretiosissimæ portionis tabernaculi delatio, non alienis baiulis aut humeris committenda, sed proprijs deferenda erat. Cùm igitur nihil in Ecclesia pretiosius quā rationales animæ sint Christi sanguine redemptæ, efficitur planè vt earum cura non vicarijs committenda, sed per ipsos quorum hoc interest, agenda sit. Hoc autem præstitit summus ille pastor de quo scriptum est, Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, &c. quæ sequuntur. *Isai. 40.*

Rex.

SI cor regis in manu Dei est, non seruatur armorum robore, sed diuino adminiculo ac ductu. Est autem in Dei manu, nō quiuis, sed hoc regis nomine dignus. *August.* *Prou. 21.*

Multi reges sępe imperio accepto, cū eos qui sibi antea fuissent *Chrysol.*

 molesti

molesti in sua potestate haberent, in tanto imperij fastu indignū esse iudicauerunt, qui pœnas reposcerent scelerate factorum. Chrysol.

Ars est imperare non solum dignitas, & quidem ars omnium maximè necessaria & excellentissima. Idem.

Qui maxime ex humilibus sunt, cum dignitates nacti fuerint, licẽtius in arrogantiam tolluntur: quippe qui ad repentinos honores inepti sunt. Idem.

Rab. in Gloss. Super illud Prouerb. 25. Aufer impietatem de vultu regis &c. Qui præsunt populis, si volunt firmum esse solium, semper hilaritate & gratia vultus plenos exhibeant: ne per arrogantiam rigidi plebis odium incurrant. Rab. in Glos.

Ioā. Dam. Optimum principem decet, in suis quidem peccatis esse acerbum iudicem & minimè ignoscentem: at in erratis subiectorum placidum, & ad ignoscendum facilem. Damascenus.

Philon. Deus nullius indiget, rex solius Dei. Imitare igitur eum qui nullius eget, ac largiter impertire petentibus misericordiam, non summo iure, nec restricte cum supplicibus agens, sed omnibus quæ ad vitam degendam pertinent, petentibus præbe. Philon.

Tyrannus est princeps belli, rex vero pacis præses. Idem.

Rex iustissime cum missus sis à natura ad supremam puppis partem occupandam, cumque gubernacula teneas, guberna communem hominum scapham fœliciter cum salute omnium, nulla re magis gaudeas, quàm tua erga subiectos beneficentia. Quid enim Regis beneuolentia subiectis populis optabilius, aut melius esse possit? Idem.

Xenophō Principem omnibus quibus præsit, simul succensere, magnum peccatum mihi quidem videtur esse: necesse est enim quia multis terrori sit, multos habere hostes.

Democri. Desiderari magis quam timeri in vita expete, quem enim omnes metuunt, idem omnes metuit. Democrit.

Alexan. Alexander, quis esset optimus rex rogatus: Qui, inquit, amicos donis retinet, & inimicos beneficijs amicos facit. Alexander.

Isocrates. Isocrates pessimum imperatorem esse dicebat, qui sibi ipsi imperare non posset.

Corporis tui custodiam tutissimam existima esse amicorum virtutem, & aliarum Rerumpubli. beneuolentiam, tuamq; ipsius pru-

prudētiam:his enim rebus & conseruari & parari regna maxime possunt. Idem.

Regem bene fungentem suo munere decet iustum, & magnanimum, & veracem, & liberalem in largiendo esse: atque quauis cupiditate maiorem: supplicia leuiora delicto, gratiam autem beneficio maiorem referre, tum subiectis, tum amicis. Diodor. *Diodor.*

Eumenes Rex fratribus crebro dicere solebat, si me vt rege vsi fueritis, vobis tanquam fratribus gratificabor: sin autem tanquam fratre, ego vobis ero Rex. Eumen. *Eumen.*

Cotys Thracum rex Thebanis gloriantibus quod Lacedæmonijs imperarent, Vidi, inquit, torrētes perennibus fluuijs maiores factos, sed ad breue tempus. *Cotys.*

Vbi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est. *Salust.*

Quo quis plus potest, eo moderatius vtatur imperio. *T. Liuius.*

Suis, omnes parent placidius. Q. Curtius. *Q. Curti.*

Reges habent aures in pedibus. L. Florus. *L. Florus.*

Regium est, male audire, cum bene feceris. Idem.

Rex debet se habere ad subditos, sicut pastor ad oues. Arist. *Aristot.*

Est piger ad pœnas princeps, ad præmia velox, *Ouidi.*
Cuique dolet, quoties cogitur esse ferox.

Imperito fortunato, nihil intolerabilius. Cicero. *Cicero.*

Magnum est personam in Repub. tueri principis, qui non animis solum debet, sed oculis seruire ciuium. Idem in Philip. 8.

Non solum vitia concipiunt ipsi principes, sed ea infundunt in ciuitatem: nec solum ipsi corrumpuntur, sed etiam corrumpunt, plusque exemplo quam peccato nocent. Idem. 3. de legib.

Hæ sunt virtutes imperatoriæ: labor in negotijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo. Idem, Pro lege Man.

Refrenet primum libidines, iracundiam teneat, spernat voluptates, coerceat auaritiam, cæterasque animi labes repellat: tum incipiat alijs imperare, cum dedecori & turpitudini parere desierit. Idem lib. 5. Paradox.

Non potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet: frugi hominem dici non multum laudis habet in rege: fortem, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, largum, benefi-

beneficum, liberalem, & mansuetum, hæ sunt regiæ laudes. Idem Pro leg. Man.

Nulla re reconciliare facilius beneuolentiam multitudinis possunt hi qui Reipub. præsunt, quam abstinentia & continentia. Idem. 2. de offi.

Qui Reipub. præsunt, legum similes sint, quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur. Idem. 1. de offi.

Bono viro non minori curæ est, qualis Respub. post mortẽ suã futura sit, quam qualis hodie sit. Idem in Lælio.

Millies perire est melius quam in sua ciuitate sine armorũ præsidio non posse viuere: præsidium charitate & beneuolentia ciuium septum oportet esse non armis. Idem. 2. Philip.

Nihil est tam deforme, quàm ad summum imperium acerbitatem naturæ adiungere. Idem ad. Q. fratrem, epist. 1.

Recte præcipere videntur, qui monent quanto superiores simus, tanto nos submissius geramus. Idem. 1. offi.

Qui plus propter virtutem nobilitatemque possunt, eò minus quantum possint, debent ostendere. Idem, Pro Quintio.

In bonis fortunæ, summa laus est, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se prætulisse alijs propter abundantiam fortunæ: vt opes & copiæ non superbiæ videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem ac materiam dedisse. Idem. 2. de orat.

Nihil est laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius, placabilitate & clementia, quæ ita probanda est, vt adhibeatur Reipub. causa seueritas, sine qua administrari ciuitas non potest. Idem. 1. de offi.

Rerum omnium nec aptius est quicquàm ad opes tuendas, ac tenendas, quam diligi: nec alienius, quam timeri. Idem. 2. offi.

Nullius opes tantæ fuerunt, aut tãtæ esse possunt, quæ sine multorum amicorum officijs stare possint. Idem pro Plantio.

Nulla vis imperij tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna. Idem. 2. offi.

Multorum odijs nullæ opes possunt obsistere. Ibidem.

Quem metuunt, oderunt: quem quisque odijt, perisse expetit. Ibidem.

Vt contemnendus est, qui in nauigando se, quam nauem, mauult

mauult incolumem: ita vituperandus, qui in Reipub. discrimine, suæ plus quam communi saluti consulit. Idem. 4. ad Heren.

Vt leges omnium salutem, singulorum saluti anteponunt: sic vir bonus, & sapiens, & legibus parens, & ciuilis officij non ignarus, vtilitati omnium plus, quam vnius alicuius saluti consulit. Idē 3. de Finib.

Quæ sequuntur sententiæ ex incertis autoribus collectæ sunt.

Reges plerunque creduli.

Laudabilior in Rege prudentia quam fortitudo.

Natura non dedit imperare fœminis.

Nihil difficilius quam bene imperare.

Nihil molestius quam malis imperare.

Ornamento est principi concordia populi.

Qui nescit dissimulare nescit imperare.

¶ Miranda Constantini Magni imperatoris erga Ecclesiæ Synodum, & Episcopos reuerentia. De quo Theodoretus Ecclesiasti. hist. lib. 1. cap. 7. ita dicit: Ipse quoque Constantinus cum paucis postremus omnium ingressus est, & paruo subseliolo posito assedit, præfatus veniam prius, & petita concessione ab Episcopis. At Episcopis ait parata fuisse subselia atque solia, magno apparatu & splendore. Itaque pius imperator, sacerdotum Christi dignitatē, & in illis Dei maiestatem venerās implebat id quod in Ecclesiast. legimus: In omni anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica. COLLE. *Eccl. 7.*

Rex qui sedet in solio iudicij dissipat omne malū intuitu suo. Item, Dissipat impios rex sapiens, & incuruat super eos fornicē. Item, Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in sempiternum firmabitur. Iustitiam vero misericordiæ idem sapiens copulauit his verbis, Misericordiam & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius. Quæ quidem duæ virtutes vere regiæ sunt: vtpote quæ in litteris sanctis Deo frequentissime tribuuntur. Id autem vere regium est, quod maxime diuinum est, cum reges Dei vices in terra gerant. *Prou. 20.*

Secundum iudicem populi tales & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes eam. Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentium.

Eccl. 49. tium. Regum vero pericula & ruinas declarant illa Eccl. 49. verba. Præter Dauid, Ezechiam & Iosiam, omnes reges peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem altissimi reges Iuda, & contempserunt timorem Domini. Quid vero reges Israel? Vno Dauid excepto, omnes eadem impietatis via ingressi sunt. Quis ergo principum terræ, dum hoc ipsum considerat, & se in eodem freto nauigare videt, non idem periculum metuat?

Præcipuum regis optimi munus esse pauperes tueri toties ille *Psal. 71.* Psal. Deus iudicium tuum regi da, facile declarat: qui in hoc præcipue loco commoratur. Itaque ait, Et adorabunt eum omnes reges &c. Quare? Quia liberauit pauperem à potenti &c. quæ sequũtur? Pro eo vero quod nos legimus. Et honorabile nomen eorum coram illo. Hiero. ex hebræ. vertit. Et, pretiosus erit sanguis eorũ coram illo, Id est, magno vitam illorum æstimabit, nec impunè fe-*Prou. 29.* ret, quisquis eorũ sanguine se se cruentauerit. Hinc illud Solom. Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius firmabitur in æternum. Qua etiam de causa vino regibus interdicitur, ne obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperum. Quidã tamen adeo ab hac cura alieni sunt, vt nec scire studeant quid pauperes & ærumnosi homines incuria sua patiantur. De quibus scri-*Isai. 1.* ptum est, Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos. Alij vero pauperum etiam sanguinem & opes exhauriũt. De *Isai. 10.* quibus Dominus. Quare, inquit, atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? Esai quoque. 10. Væ qui condunt leges iniquas &c. Vide locum.

Propter merita populi reges bonos à Domino creari declarant *3. Reg. 10.* illa verba reginæ Saba, quibus ad Salomonem ait, Posuit te Dominus super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel, ideo *Osee. 13.* constituit te regem vt faceres iudicium & iustitiam. Ad improbũ vero & rebellem populum ait. Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.

Quanto in discrimine salus regum versetur, vel hoc argumento colligi potest, quod cum teneantur, cæteros homines vitæ sanctitate superare, multo ad hoc maiora impedimenta quàm cæteri homines habent. Impedimenta autem sunt, cateruæ adulatorum, multitudo negotiorum, abundantia deliciarum, summa potentia, vt quidquid libeat, liceat. Hoc enim est quasi per iter lu-

bricum

bricum ingredi. Vnde est illud, Beatus vir qui post aurum non abijt &c. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit &c. Hoc ne Dauidi quidem contigit. Timendum quoque & illud, Exiguo conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Et, Fortioribus fortior instat cruciatus. *Eccl. 31.* *Sapien. 6.*

Quod clementia & lenitate thronus regis confirmetur (vt Solomon ait) satis aperte filij eius temeritas declarat, qui quoniam acerba atque aspera oratione populi furoré exsuscitauit, seipsum, religionem, & regnum perdidit.

Quanta malorum colluuies ex praui capitis malitia in subiectum sibi populum redundet, non tam in libris legimus, quam in ætatis huius calamitatibus experimur. Sed his tamen exemplis sacræ historiæ refertæ sunt, in quibus populum cernimus pietatem vel impietatem regum vbique sectantem. Præcipuum tamen exemplum Hieroboam rex fuit, de quo toties in sacris litteris legimus, quòd peccauerit, & peccare fecerit Israel. Cui inter alia hoc quoque per Prophetam dictum est, Ecce ego inducam mala super domum Hieroboam, & percutiam de Hieroboam mingentem ad parietem, & clausum, & nouissimum in Israel. Et mox, Et percutiet Dominus Israel, & euellet eum de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit trans flumen propter peccata Hieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Israel. *3. Reg. 14*

Iudex.

SI ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos insurgere derisoris odia formidamus: non iam lucra Dei quærimus, sed nostra. Greg. in moral.

Dum vnus corripitur, plurimi emẽdantur, & melius est, vt pro multorum salute vnus condemnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur. Greg. in Regist.

Pertinet ad innocentis officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, vt aut ipse qui plectitur corrigatur experimento, aut alij terreantur exemplo. Aug. de ciuit. Dei. *August.*

Bona

Bona sunt magis remuneranda, quam mala punienda. Idem.

Innocentem condemnare peius est, quam nocentem dimittere. Idem.

Ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis. Idem de ciuitate Dei. lib. 19.

Cypria. Temperanda seueritas, ne veniatur ad deteriora.

Bernar. Quantum ego compatiar, & si quid solatij possem impendere, quam libenter id facerem, nouit ille quem nihil latet: verum, si de pœnarum diminutione solatium præbere voluero, crudelis & immisericors ero: quantum enim subtraham de pœna, tantum de corona furabor: tantum defraudabo fructus, quantum de semente subtraxero: siquidem modica seminis detractio, non modicum est messis detrimentum. Ber. super Qui habitat.

Si interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica: matres vos fouendo, patres corripiendo exhibeatis. Idem sup. Canti.

Iustitiæ vt iustitia sit, temperantia modum imponit. Noli nimis esse iustus ait Sapiens: ostendens per hoc minimè approbandam esse iustitiam, quæ temperantiæ moderamine non frenatur. Idem de consid.

Isidor. Tene rigorem in discusione iustitiæ, misericordiam in diffinitione sententiæ. Isidor. in Synodo.

Omnis qui recte iudicat, stateram in manu sua gestat: in vtroque penso iustitiam & misericordiam portat: sed per iustitiã reddit peccato sententiam, & per misericordiam peccati tẽperat pœnam. Idem de sum. bono.

Pet. Rau. Nihil adeo gloriose lucet in iudice, sicut amare & exhibere iustitiam sine omni acceptione personæ. Teste enim Cicerone prouerbialiter dicitur. Exuit personam iudicis, quisquis amicum induit. Æquitas cui iudex obsequitur, sinistram odij vel amoris dexteram nescit. Petr. Raue. in quadam Epist.

Beda. Necesse est, vt rectorem subditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina: atque inter hæc solicita circunspectio bene prouidendum, ne aut districtio rigida aut pietas sit remissa. Beda in Hom.

Statera dolosa, non tantum in mensuratione pecuniæ sed in iudiciaria discretione tenetur. Qui enim aliter causam pauperis, aliter potentis, aliter sodalis, aliter audit ignoti, statera vtique librat

iniqua.

iniqua. Sed & is qui sua bene gesta meliora quam proximorum, & sua errata iudicat leuiora, stateram dolosam gestat, necnon & ille qui onera importabilia imponit in humeros hominum, ipse autem digito suo non vult tangere ea: etiam ille qui bona in publico & mala agit in occulto. Idem super illud Prouerb. statera dolosa &c.

Iustitia sine misericordia non est iustitia, sed crudelitas: sicut & misericordia sine iustitia nó est misericordia, sed fatuitas. Chrysost. super Matth. *Chrysost.*

Lupus cum vidisset pastores in tugurio comedentes ouem, accedens dixit: O quantus foret tumultus, si ego istud facerem? Diogenes. *Diogen.*

Vt in aspidis ictu nullum est remedium, nisi vt partes contactæ amputentur: ita quædam vitia sola morte sanari possunt. Aristotel. *Aristot.*

Sic quisque dictis mouetur, vt est ad credendum vel non credendum ante formatus. *Quintil.*

Timeri à multis, plerumque firmius amore est. *Plinius.*

Aures hominibus minus sunt fideles, quam oculi. *Adilon.*

Pluries vincuntur æquabilitate, quam duritia. *Adilon.*

Non silebo zelantum mirabilem in iustitia rigidum: qui cum ciuitati Lactantium, cui præerat, lege lata cauisset, vt qui adulterium commisisset, exocularetur, omni miseratione posthabita, deprehenso in hoc crimine filio eius adolescente, præcepit, vt vtroque lumine priuaretur. Cumque plebs ciuium, summis precibus rogitaret, ob gratiam principis flagitij veniam, ad deliberandum paululum spatij captans, sibi & filio vnum oculum districtus iudex effodit, pium patrem, & seuerum iudicem declamando. Egit itaque censura mirabili, vt sibi & filio videndi vsus superesset, & in vltionem flagitij duo lumina, vt decreuerat, cœcarentur. Ita debitum supplicij modum legi reddidit, ac mirabili temperamento se inter misericordem patrem & iustum legislatorem partitur. Valer. lib. 8. *Valer.*

In corpore si quid eiusmodi est quod reliquo corpori noceat, vri atque secari patimur: vt membrorum aliquod potius, quam corpus totum intereat: sic in Reipublicæ corpore, vt totum saluũ sit, quidquid est pestiferum amputetur. Cicero. *Cicero.*

Nec contra Rempublicam, nec contra iusiurandum, ac fidem, amici causa vir bonus faciet, ne si iudex quidem erit de ipso amico: ponit enim personam amici, cum induit iudicis. Nam si omnia facienda sint, quæ amici velint, non amicitiæ tales sed coniurationes putandæ sunt. Idem.3.offi.

Nullum est vitium tetrius quam auaritia, præsertim in principibus, & Rempublicam gubernātibus. Habere enim quæstui Rempub. non modo turpe est, sed sceleratum etiam, & nefarium. Idem 2. de offi.

Vt si gladium paruo puero, aut si imbecillo seni, aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat: sin ad nudum vel fortissimi viri corpus accesserit, possit acie ipsa & ferri viribus vulnerare: ita cum hominibus eneruatis atque exanguibus consulatus tanquam gladius esset datus, qui per se pungere neminem vnquam potuissent: hi summi imperij nomine armati, Rempublicam contrucidarunt. Idem pro Sestio.

Cicer. Omnino qui Reipublicæ præsunt, duo Platonis præcepta teneant. Vnū vt vtilitatem ciuiū sic tueantur, vt quicquid agant, ad eā referant, obliti cōmodorum suorū. Alterū, vt totū corpus Reipublicæ curent, ne cū partē aliquā tuentur, reliquas deserant. Vt enim tutela, sic procuratio Reipub. ad vtilitatem eorū qui cōmissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est. Cice.1. offi.

Sudandum est ijs qui magistratum gerunt, pro communibus commodis adeundæ inimicitiæ: subeundæ sæpe pro Repub. tempestates: cum multis audacibus improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum. Idem pro Sest.

Magistratuum munus esse debet resistere & leuitati multitudinis, & perditorum temeritati. Idem pro Milone.

Caput est in omni procuratione negotij, & muneris publici, vt auaritiæ pellatur vel minima suspicio. Idem.2.de offi.

O conditionem miseram administrandarum ciuitatum & prouinciarum, in quibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum: vbi seueritas periculosa est, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assentatio perniciosa, frōs omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ: venientes prętores expectant, præsentibus inseruiunt, abeuntes deserūt. Idem pro Flac.

¶Iudices,

¶Iudices,cum aduersus potentes pro æquitate certamen suscepe- COLLE.
runt,hac Domini promissione animum suum fulcire debent. Ne
paueas(inquit)repentino timore irruentes tibi potentias impiorum,Dominus enim erit in latere tuo,& custodiet pedem tuum Prou. 3.
ne capiaris.Item illud,Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia. Eccl. 4. Quàm sit autem immane scelus iudicium peruertere,præsertim in causa pauperum,declarant illa Salomonis verba. Verti me ad alia, & vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos. Eccl. 6. Et laudaui magis mortuos quam viuentes, & fœliciorem vtroque iudicaui qui nondum natus fuit,nec vidit mala quæ sub sole fiunt.

Noli quærere fieri iudex,nisi valeas virtute irrumpere iniquitatem,ne forte extimescas vultum potentis, & ponas scandalum in agilitate tua. Eccl. 7. Vnde pro eo quod nos legimus,Nunquid adhęret tibi sedes iniquitatis,qui fingis.l.in.p.alij verterunt, Nunquid eo sociabitur tibi thronus peruersitatis, qui fingit afflictionem pro lege. Psal. 93. Hoc autem in eos quadrat,quibus Deus Esai. 10. comminatur, Væ qui condunt leges iniquas,& scribentes iniustitiam scripserunt,vt opprimerent in iudicio pauperes,vt essent viduæ præda eorum,& pupillos diriperent. Isai. 10. Significat ergo illis verbis vates regius,eos quorum munus erat leges condere,quibus respublica optime administraretur,tantum abesse ab hoc officio, vt semper habeant animos intentos ad inueniendas rationes & vias,quibus vexent atque opprimant inopes,atque ita pro legum & iudiciorum æquitate, ab his iniurias & vim ad perniciem ciuitatis manare.

Qua cura & studio iudices de sceleratis hominibus supplicium sumere debeant, declarat regius Propheta cum ait,In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Psal. 100. Hoc est, adhibito summo studio ac diligentia, nullaque interposita mora &c. Nam hoc verbo, manè, litteræ sanctæ in hanc significationem sæpe vtuntur, quòd videlicet, ea nobis dum à somno excitamur primùm occurrant, quæ maxime cordi sunt,quæque potissimum curamus.

Exod. 18. Incorrupti iudicis conditiones appositissime Ietro, quanuis ethnicus, Exod.18. scribit his verbis, Prouide de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum: in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam: & constitue ex eis tribunos &c. Primum ergo exigitur sapientia, secundo timor Domini: tertio veritas, hoc est, fides, & dictorum constantia: quarto auaritiæ odium. Adeò enim iudiciorum integritati auaritia nocet: vt non contentus immoderatam pecuniæ cupiditatem à iudicibus exclusisse, odium etiam auaritię, tanquam rei turpissimæ & nocentissimæ indixerit. ¶ Ad eandem etiam iudicij integritatem pertinet, quod Exod.23. Dominus ait, Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies. Pauperis quoque non misereberis in iudicio. Ad ipsos vero iudices Dominus Leui. 19. ait, Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: iuste iudica proximo tuo. Idem etiam præcipitur Deutero.1. & 16. O si hanc Dei legem iudices ante oculos semper haberent, nec in domibus eorum modius maior aut minor inueniretur. Quorum altero diuitibus, altero pauperibus iustitiæ mensuram exhibent.

Exod. 23.

Leui. 19.

Deu. 1. 16

Iob. 29. Iudices illud Sancti Iob ante oculos semper habere debēt, Causam quam nesciebam, diligentissime inuestigabam. Præcipitatio enim consilij & veritatis nouerca esse dicitur: atque (vt Mimus ille ait) ad pœnitendum properat, citò qui iudicat. Illud etiam Aristotelis meminisse debet, euenire aliquando, vt quędam falsa quibusdam veris sint probabiliora. Hoc enim confirmari facile potest exemplo Alipij: qui grauissimis indicijs vt fur deprehensus, ad iudicium innocens iam iam damnandus ducebatur, nisi mira quadam ratione, eius innocentia comprobata fuisset, vt late D. August.6. confess. lib. narrat cap.9. vbi tandem factum hoc ad diuinæ prouidentiæ magisterium referens ait, Hac igitur ratione futurus dispensator verbi tui, & multarum in Ecclesia tua causarū examinator, experientior instructiorque discessit.

August.

Num. 25. Cum filij Israel initiati sunt Beelphegor, ait Dominus ad Moysen, Tolle cunctos principes populi, & suspende eos in patibulis contra Solem, vt auertatur furor meus ab Israel. Qua in re vides cœlestiū populi facinus magis illis imputari qui nō prohibuerūt, quàm ijs qui patrauerunt: quādoquidem hi prius puniri iubētur.

Ad

Ad iudices populi Moses Deutero.1.ait, Audite illos, & quod iustum est iudicate, siue ciuis ille fuerit, siue peregrinus: nulla erit distantia personarum: ita paruum audietis vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam: quia Dei iudicium est: hoc est, quia Dei personam & officium sustinetis: ideoque eius in iudicijs integritatem imitari debetis. *Deu.* 1.

Quòd præcipitatio sit nouerca iustitiæ, oporteatque diligenter causas omnes examinare, nihilque contra inauditam partem decernere, satis magno exemplo erit præceps illa Dauidis sententia: qui delatoris Sibæ falso testimonio leuiter fidem præbens, absentem & innocentem Miphiboseth damnauit. Qui in hoc etiam deliquit, quod pertinaciter defendit, quod leuiter crediderat. Dixit enim ad Miphiboseth, Quid frustra loqueris? Fixum est quod locutus sum. Quo etiam exemplo liquet, quantam ad persuadendum vim habeant, primæ delationes & accusationes. 2.*Reg*.19.

Cùm varijs pœnarum generibus Dominus iram suam & peccati odium declaret, maxima illa pœna est, cùm peccata peccatis punit: quam quidem pœnam Propheta designat in Psal. cùm ait, Appone iniquitatem super iniquitatem eorum &.n.i.i.t.l.t. sæpe etiã propter populi peccata Reges delinquere Dominus permittit. Qua de re 2. Reg. legimus, Et addidit furor Domini irasci contra Israel: commouitque Dauid in eis dicentem ad Ioab, Vade numera populũ &c. Quo in loco videre etiam licet, supplicij genus esse quo peccatorem populum Deus afficit, cùm regum peccata permittit, eumque regnare facit hypocritam propter peccata populi, & dat pueros principes eius. Contra vero, beneuolẽtiæ & gratiç eius beneficium est illud præstare, quod per prophetam pollicetur, Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos sciẽtia & doctrina. Iterumque, & restituam iudices tuos vt fuerũt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus. Posthac vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. P*sal.* 68. 2.*Reg*.24. *Iob*.34. *Hiere.* 3.

Quàm sit pium opus impiorum punitio declarant nouissima Dauidis verba: quibus Salomoni filio mandauit, vt de Ioab, & Semei supplicium sumeret. Hoc enim iustitiæ opere vitam finire, & animam suam Deo commendare voluit. Salomon verò in nece Ioab ad Banaiam ait, Vade & interfice eum: & amouebis sanguinem innocentem, qui effusus est à Ioab à me, & à domo patris 3. *Reg*. 2.

mei:& reddet Dominus sanguinem eius super caput eius &c. Ex his autem verbis colligimus eiusdem sanguinis esse reum, & qui alienum effudit, & iudicem qui de effusore supplicium nõ sumit. Pares enim in crimine sunt, non modo malefici, sed etiam maleficijs consentientes, aut maleficia multa relinquentes. Aduersus autem iudices in facinorosis hominibus puniendis negligẽtes obijcienda est terribilis illa Domini sententia contra indiscretam pie-
3.Re. 20. tatem Achab regis prolata, Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.

Quam vim ad iudices corrumpendos munera habeant, declarat Casiodor. in Epistola quadam breuiter his verbis, Oblatio muneris, tinea est regiminis. Et Ouidius, Munera (crede mihi) placant hominesque Deosque. Hinc sapiens quidam Auro inquit loquente, nihil potest quæuis oratio. Idem etiam declarant illa Salo-
Prou. 22. monis verba, Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera, animam autem aufert accipientium. Quomodo ergo iudicare poterit, qui muneribus corruptus est? Ideoque principibus populi sui Dominus velut ingens crimen, per Prophetam obijcit, quod
*Mich.*3. in muneribus iudicarint. Vnde est illud, Xenia & dona excæcant oculos iudicum: & quasi mutus in ore auertit correptiones eorũ.
Eccl. 20. Eandem fere sententiam inuenies. Exod. 23. Et Deut. 16. Filij autẽ Samuelis muneribus accipiendis iudicia peruerterunt. Quocirca magna incorrupti iudicis commendatio est, nihil à quoquam accepisse: nec in aliquem immerito desæuisse. Hoc potissimũ nomi-
*1.Reg.*12. ne innocentiam suam Samuel comprobauit. Hoc etiam nomine contra calumnias Core, Dathan, & Abiron causam suam Moses
Num. 16. tuetur, cùm ad Dominum loquens ait, Ne respicias sacrificia eorum, tu scis quod nec asellum quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.

Respublica.

Philon. CVM virum aliquem bonum, vel in familia aliqua, vel in ciuitate versari animaduerto, eam familiam, aut ciuitatem beatam prædico, existimoque eã & præsentibus bonis perfrui firmiter, & eorum quæ desunt, expectari non frustra copiam, cum Deus infinitam & incircunscriptam opulentiam suam propter dignos indignis etiam largiri soleat. Philon.

Fœlix

Fœlix iudicari meretur & ciuitas,& regio,& familia , cum aliquem virtute præditum habuit: infœlix autem, cum tali viro caruerit.Idem.

Boni viri(vt figuratius dicam)columnæ sunt populum totum sustinentes tanquam magnas domos,ciuitates & Respub.Idem.

Rempublicam duobus contineri oportet,præmio & pœna. *Solon.*

Multitudo,aut seruit humiliter,aut superbe dominatur. *T.Liuius.*

Eo omnis vitæ nostræ ratio transmittenda est,vt magnam nominis nostri famam,ex maximis in Rempub.meritis collatis, posteris relinquamus.Cicero in Vat. *Cicero.*

O fortunata mors,quæ naturæ debita,pro patria potissimũ est reddita.Idem Philip.14.

Omnibus qui patriam conseruarint,adiuuerint,auxerint, certus est in cœlo & diffinitus locus,vbi beati æuo sempiterno fruãtur.Idem in som.Scip.

Bono viro non minus curæ est,qualis Respub. post mortẽ suã futura sit,quam qualis hodie sit.Idem in Lælio.

Nec domus nec Respub. stare potest , si in ea nec rectè factis præmia extent vlla, nec supplicia male factis. Idem. 3. de Natu. Deorum.

Lacæna cum filium in prælium misisset,& interfectũ audisset: Idcirco,inquit,genueram,vt esset qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.Idem.1.Tuscul.

¶ Eritis ait Dominus mihi regnum sacerdotale. Quid sibi vult hoc regni genus? Nimirum eritis regnum quod non armorum strepitu , sed orationum & virtutum pręsidio fulciendum est. Qua in re aduertere licet , discrimen regni gentium & Christianorum. Ille enim qui sine Deo sunt in hoc mundo, prudentia sua & humanis viribus nituntur , nihil Deo tribuentes.At cõtrà hi omne suum præsidium in Deo collocant.Quod in Dauide, Ezechia , & Iosaphath videre licet. Hinc Iacob moriens ad Ioseph ait , Do tibi partem extra fratres tuos , quam possedi in gladio & arcu meo ab Amalech. Pro quo alij verterunt , gladio & prece mea. Hinc etiam illa regis vox ad Eliseum,Pater mi, pater mi , currus Israel & auriga.Qui videlicet oratione tua magis, quam omnes currus & equites,regnum Israel tueris. Idem nobis *COLLE. Exod. 19. 4. Re. 13.*

innuit victoria contra Hierico, quæ clangore sacerdotalium tubarum, hoc est, orationū præsidio, non militum armis, capta & euersa est. Idem etiam ostendit victoria contra Amalech, quæ magis ab vna Mosis oratione, quam à sexcentis pugnatorum milibus pendebat.

Exod. 17.

Hiemis tempore cum naturalis calor ad interiora reflectitur, extima corporis membra frigent: ita homines se ipsos nimium amantes, & quæ sua sunt studiosissime quærentes, in procuranda Republica negligentissimi sunt: quia vt Philosophi recte dicunt, Qui verè amat, præter vnum amare nō potest. Et ideo quisquis magno studio & amore sua curat, communia negligit. Cæterum æstiuo tempore calor corporum interiora fugiens, ad exteriora vergit. Ad hunc modum qui Reipub. studiosi sunt, rerum suarum negligentes esse solent: nunquam enim simul charitas & cupiditas coherent: hoc est, nemo & sua & aliena pari studio curat.

Præcipuum Reipublicæ stabilimentum pietas & iustitia: iniustitia autem euersio eius est. Sic enim legimus. Iustitia eleuat gentem, miseros facit populos peccatum. Hoc apertissime docuit Achior in lib. Iudith, qui Iudæos inuictos fore pronunciauit, si fidem & iustitiam colerent: contra vero si impietati seruirent. Idem intellexit Balam ariolus qui regi Moabitarum ait: Verum tamen pergens ad populum meum dabo tibi consilium quid populus tuus populo huic facere debeat. Id autem fuit, in peccatum impietatis & perfidiæ populum opera fœminarum Madianitarum impellere: vt propter hoc facinus à Deo derelictus, prædæ pateret hostium suorum. Liquet igitur ex his euersionem regni in pietate & iustitia consistere: quibus Deum mænium suorum propugnatorem faciunt. Propter decem iustorum merita, veniam Dominus quinque ciuitatibus dabat, si in ea reperti essent. Hinc Salomon iudicia esse ait, quasi vestes vrbium, quibus videlicet salus earum continetur. Plura hac de re. Ecclesi. 10. inuenies. Propter hoc (ait) exhonorauit Deus conuentus malorū &c. quæ sequuntur.

Prou. 13. *Iudit. 5.* *Num. 24.* *Gene. 18.*

Leuit. 18. Acerrimè Iudæis Dominus Leui. 18. præcepit, ne Ægyptiorum aut Cananæorum more viuerent. Itaque ait, Nec polluamini in omnibus his quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, quas

ego

ego eijciam ante conspectum vestrum, & quibus polluta est terra: cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos. Custodite legitima mea atque iudicia, & non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena quàm colonus, qui peregrinantur apud vos. Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. Cauete ergo ne & vos similiter euomat, cùm paria feceritis, sicut euomuit gentem quæ fuit ante vos. Ex his verbis apertè liquet quod in Eccle. legimus, & sæculorum omnium attestatione probatur, Regnum à gente in gentem transferri propter iniustitias, iniquitates, & diuersos dolos. Vnde colligimus præcipuam reipublicæ bene institutæ curam circa religionem & iustitiam versari debere, quò perpetuò salua & incolumis sit. Quod autem hoc in loco Dominus cóminatus est, rei exitus comprobauit. Hac enim de causa decem tribus periere. *Eccl.*

Magnam apud omne genus hominum gloriam communis salutis studium promeretur. Hermes Egyptius virtutis & publicæ vtilitatis studiosissimus fuit, quem propterea Egyptij & summũ sacerdotem, & deinde regem ac postremo in Deum consecrarũt, ac ter maximum appellarunt, cui etiam post mortem templum dedicarunt (quodque mirabilius est) audito eius nomine capita inclinabant. Quæ omnia declarant, quantum virtutis nomen studiumque communis boni apud barbaras etiam nationes valeat.

Potentes.

NON faciunt (ait Seneca) meliorem equum aurea frena, neque hominem præstantiorem fortunæ ornamenta. Empturus equum phaleras & cætera ornamenta detrahit, nudumque considerat: Idem etiam facere debet, quisquis hominis præstantiam diiudicare cupit, non illum ex fortunæ additamentis, sed ex animo, & virtutibus (quæ propria hominis & vera bona sunt) æstimet. Cur ergo tibi diues & opulentus homo magnus videtur? Nimirum quia (argute idem ait) metiris illum cum basi sua. COLLE.

Eccl. 10. Væ tibi terra cuius rex puer est,& cuius principes mane comedunt. Hoc est, quorum prima cura est ventri seruire. Beata terra cuius rex nobilis est,& cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, non ad luxuriam. Est autem vere magnum, in potestate sobrium esse,& potentia non abuti ad libidinem. Talem autem miris laudibus attollit Ecclesiasticus cum ait, Beatus vir qui post aurum non abijt &c. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Qui potuit transgredi,& non est transgressus &c. His igitur, quibus omnia licent, non temerè præcipitur, vt tanquam in lubrico (vbi nihil gradienti obstat) caute retineant se. Dauid enim si priuatus homo fuisset, nec omnia in eius arbitrio sita essent, fortasse alienam vxorem non concupijsset, aut certè non facilè in domum suam solo iussu adducere potuisset: nec deinceps eius virũ interfici præcepisset. Sed (ô mira Dei iudicia) quo tempore Vrias Etheus non est ausus accedere ad suam, Dauid sanctissimus,& Spiritu sancto plenus inuasit alienam. Hoc exemplo colligere eorum pericula licet, qui in potestate degunt, quibus videlicet omne quod libet, licet.

Eccl. 31. (margin)

Nobiles, Nobilitas.

Gregor. NOnnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatẽ mentis: vt minus se in hoc mundo despiciat, qui plus se cæteris vel esse aliquid vel fuisse meminerit. Greg. in Dialog.

Hierony. Nescit religio nostra personas, nec conditiones hominum, sed animas inspicit, Hiero. in Epist.

Non est quod sibi aliquis de generis nobilitate blandiatur, si ex meliori parte sit seruus. Idem in Epist.

Nihil aliud video in nobilitate appetendum, nisi quod nobiles, quadam necessitate constringuntur, ne ab antiquorum probitate degenerent. Non enim datur nobili parti palma, sed cursui. Idem in Epist.

Chrysost. Matt. 4. In illud Matth. 4. Patrem habemus Abraham. Quid prodest ei quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipse enim se vacuum ab omnibus ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham, quòd fuerit Noe filius? Nonne separatus de medio filiorum, qui secũdũ

carnem frater fuerat natus, secundum animam factus est seruus? nec familia eius sancta potuit defendere impios mores.

Quid Timotheo nocuisse creditur, quod fuit ex patre Gentili, aut quid nocuit Abrahæ quod patrem habuit Thare, luteorum Deorum cultorem? Nonne separatus à genere suo, positus est in caput fidelium, vt iam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? nec potuerunt eius gloriam sordidare paterni errores. Idem.

Stagnum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum colatum seruatur, stagnum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci. Qui enim de claro genere clarus nascitur gloria claritatis eius, non est eius solius sed communis videtur. Ideo melius est, vt in te glorientur parentes, quam vt tu in parentibus glorieris. Ibidem.

Cum cuidam multis modis aliquis vt probrum obijceret, quod è parentibus prognatus esset ignobilibus. Mihi (inquit) dedecori sunt parentes, tu vero parentibus. Democritus. *Democri.*

Vultures ipsi nihil occidunt, sed ab alijs occisa inuadunt: ita nonnulli alienis fruuntur laboribus, alienaque se nobilitate iactant. *Theoph.*

Vt tauris natura datum est, vt pro vitulis contra leones summa vi impetuque contendãt: sic ij qui valent, atque id facere possunt, ad seruandum genus humanum natura incitantur. Cicero. 3. de Finibus. *Cicero.*

¶Quanti sit facienda vulgaris ista nobilitas declarant illa Poetæ verba. Nam genus & proauos & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra duco. Cum Iudæi genus ab Abrahamo iactarent, Dominus ait, Vos ex patre Diabolo estis &c. Eisdem etiam per Prophetam dicitur: Radix tua & generatio tua de terra Canaam: pater tuus Amorrheus & mater tua, Cetea. COLLE. *Ioan.* 8. *Ezec.* 16.

Quàm sit vana de nobilitate & generis splendore gloriatio, declarant innumeri penè homines, qui à virtute parentum degenerarunt. Talis extitit Esau, tales vndecim Patriarchæ innocentissimi fratris parricidio contaminati, & ab eodem apud patrem de crimine pessimo accusati: Talis Absalon Dauidis filius Roboam *Gene.* 25. *Gene.* 37.

Salomonis,

Salomonis, Manasses Ezechiæ, Talis etiam cuius non solum mores, sed genus etiam scriptura commemorat: de quo. 1. Reg. 25. legimus, Erat Abigail prudentissima & speciosa: porrò vir eius durus, & pessimus, & malitiosus: erat autem de genere Caleph, qui planè Deo acceptissimus fuit. Quid hic memorem Ioatham filium Gersam filij Moysi: qui (vt Iudic. 18. legimus) sacerdos fuit Idolorum? I nunc & de parentum imaginibus gloriare, qui talia monstra progenuere.

1. Reg. 25.

Aduocati causarum.

Bernar. MIror quomodo religiosæ aures tuæ audire sustinent huiusmodi disputationes aduocatorum & pugnas verborum, quæ magis ad subuersionem, quam ad inuētionem proficiunt veritatis. Nihil enim ita absque labore manifestam facit veritatem, sicut breuis & pura narratio. Præscinde ergo linguas vaniloquas, & labia dolosa claude. Hi sunt qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, disserti aduersus iustitiam, eruditi pro falsitate: sapientes sunt vt faciant malum, eloquentes, vt impugnent verum. Bernar. ad Euge. lib. 1. c. 9.

Casſiodo. Cassiodorus, super illud Psal. 73. Irritat aduersarius nomen tuū. Hi sunt ait quorum si nares afflauerit cuiusquam rubiginosi aura marsupij, confestim illic videbis oculos Argi, manus Briarei, & sphyngarum vngues cum eo, & periuria Laomedontis, & Vlysſis argutias, & Simonis fallacias. Cassiodorus. vbi supra.

Alanus. Si in aurem iudicis, vel aduocati susurret pecunia, Orphei lyra, carmen Amphionis, musa Vergilij, voce pecuniæ suffocantur. Quid plura? Vbi numus loquitur, Tulliani eloquij tuba raucescit. Vbi numus militat, Hectorex militiæ fulgura compescuntur: vbi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculea: numus vincit, numus regnat, numus imperat vniuersis. Alanus de Cōquest. naturæ.

Origen. Origenes super illud Exod. 8. Percutiam omnes terminos tuos ranis. Ranæ significant clamosas aduocatorum allegationes, quę inani & inflata modulatione, velut ranarum sonis & cantibus, deceptionis fabulas intulerunt. Ad nihil enim aliud vtiles, nisi quod sonum vocis improbis & importunis clamoribus reddunt.

reddunt. Origen. vbi suprà.

Sæpe causas tamdiu differunt, vt litigantibus plusquam totum auferant: quia maior est expensarum sumptus, quam sentētiæ fructus: nec terminātur negotia pauperum cœpta, quousque eorum marsupia sint euacuāta, cum tamen scriptum sit, Gratis accepistis, gratis date. Ipsi vero nec gratiam gratis dant, nec iustitiam iuste reddunt. Lucrum in arca, damnum in conscientia. Sed quid prodest si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimētum patiatur? Innocentius de vilit. cond. hum. *Innocen.*

¶ Aduersus aduocatos turpem causam agentes, merito dici potest quod Salomon ait: Qui congregat thesauros lingua mendacij vanus & excors est, & impinguetur ad laqueos mortis. Hoc autem inter tales aduocatos & meretrices distat, quod illæ quidem corpus, isti vero linguam prostitutam atque venalem habent. COLLE. *Prou. 21.*

Mercatores.

VErus pœnitens aut sua relinquat, aut saltem illa quæ sine admixtione mali non administrantur deserat, vt mercatura, & militia, & alia quæ vtentibus sunt nociua: vt administrationes secularium potestatum, nisi ijs vtatur ex obedientia. Aug. de Pœniten. *August.*

Sordidi putantur, qui mercantur à mercatoribus quod statim vendant: nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Cicero. 1. de offi. *Cicero.*

¶ Difficile (ait Sapiens) exuitur negotians à negligentia: & caupo non iustificabitur à peccatis labiorum. Pro quo alius vertit. Mercator vix euitabit delictum: & caupo culpa non vacabit. Sequitur deinde. c. 27. Propter inopiam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, auertit oculum. Sicut in medio compaginis parietum palus figitur, sic inter medium emptionis & venditionis angustiabitur peccatis. COLLE. *Eccl. 26.*

Vulgus.

COLLE. *Num.* 14. ¶Mirabilis plane fuit constantia Caleb, & Iosue qui cum sexcenta hominum millia aduersum se sentire atque adeo concitari vidērent, nihilominus ita in sua perstitere sententia, vt contra hūc tantum torrentem se opponerent, tam facilemque illis victoriā promitterent, vt dicerēt: Sicut panem poterimus eos deuorare. Magnum plane exemplum & ad fiduciam in suis periculis retinēdam, & ad vulgi vana iudicia, & opiniones contemnēdas. Infirma enim valde est autoritas, quæ sola nititur multitudine: quando nunquā ita præclarè cum rebus humanis actum sit, vt optima placerent pluribus.

Num. 11. Viles vulgi mores & affectus ventri & gulæ seruientes declarātur. Num. 11. his verbis, Vulgus promiscuum quod ascenderat ex Ægypto cum filijs Israel, flagrauit desiderio carnium, sedens & flens, iunctis sibi pariter filijs Israel, & ait, Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur pisciū quos comedebamus in Ægypto gratis. In mentem nobis veniunt pepones, porrique, cepæ, & allia &c. Ex quo etiam loco apparet quantum vilium & improborum hominum societas noceat: vulgus enim primum hanc flammam excitauit, qua etiam filios Israel incendit.

In litteris sanctis commune & immūdum idem sunt: Cur hoc? Nimirum quia paucorum est vera & germana virtus: vitia autem communia sunt. Quare nihil mirum si quod immundum est, cōmune dicatur. Quisquis igitur mundus esse desideras, ignobile vulgus, & communes hominum mores & opiniones fuge: & paucorum virtutem æmulare: vel certè suspectum tibi sit quidquid multorum commune est, quidquid vulgus hominum probare solet. Recte autem Cicero, Grauior & validior est decem virornm bonorum sententia, quam totius multitudinis imperitæ.

Cice. pro Plantio.

SECVN-

SECVNDA CLASSIS in qua de virtutibus & vitijs oppositis agitur.

VIRTVS.

DVRO vinculo anima coacta erigitur libens iacet, sine labore ignorat, cum labore eruditur, vix leuatur, & protinus labitur. Greg. mor. lib. 4. c. 4. *Gregor.*

In omnibus actionibus cogitationibus cupiditatibus, nihil malum vis: terram malam non vis, segetem malam non vis vtique sed bonam. Bonam arborem vis, equum bonum, seruum bonum, amicum bonum, filium bonum, vxorem bonam, & quid hæc magna? quoniam quidem, ipsam vestem malam non vis, sed bonam, caligam postremo non vis malam habere sed bonam: aut da mihi aliquid te velle quod malum est. Solam animam vis habere malam. Quid te offendisti? Quid de te tu ipse meruisti? Non vis esse malum nisi te solum. Aug. in sermo. *August.*

Quam suaue mihi subito factum est, à suauitatibus nugarum abstinere, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim à me: tu vero summa suauitas intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini, omni luce clarior, & omni secreto interior. Idem. 9. confess.

O anima Christiana euigila: & si qua in te sit virtus charitatis (quę omnia sustinet) Domini tui imitare vestigia. Cōsidera quod millia martyrum tritam tibi fecerunt viam, transierunt virgines, transierunt martyres, transierunt pueri & puellæ, & adhuc times? Docet enim te ille qui est via, veritas, & vita. Via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens. Via in exemplo, veritas in promisso, & vita in præmio. Idem de doctrina Christiana.

Sapiens nunquam solus esse potest, habet enim secum omnes *Hierony.*

qui

qui ſunt,& qui fuerunt boni,& animum liberum, & quocunque vult profert,& transfert,& quod corpore non poteſt,cogitatione complectitur:& ſi hominum inopia fuerit,loquitur cum Deo:nú quam bonus ſolus erit. Hierony. contra Iouin.

Summa tibi ſcientia,ſumma notitia ſit vitia virtuteſque diſtinguere; quæ quanquam ſibi contraria ſemper ſint, aliqua tamen ex eis tanta iunguntur ſimilitudine,vt diſcerni omnino vix poſſint. Quidam ſuperbiam libertatis loco ducunt,adulationem,pro humilitate ſuſcipiunt, malitiam prudentiæ vice amplectuntur, & ſtultitiæ ſimplicitatis nomen imponunt,hac fallaci ac peſsima ſimilitudine decepti in vitijs pro virtutibus gloriantur. Idem ad Demetria.

Bernar. Nunc fruſtra clamat Chriſtus de leuitate oneris ſui, ſine cauſa iugum ſuum ſuaue prædicat:quandoquidem & ab ipſis qui Chriſtiano cenſentur nomine onus Diaboli, & iugum carnis, atque ſeculi huius delectabilius reputatur. Bernar. in ſermo.

Virtus in pace acquiritur,in preſſura probatur, in victoria approbatur. Idem in Epiſt.

Subito procedenti de vmbra ad ſolem,de otio ad laborem, graue cernitur omne quod incipitur:ſed cum ab his diſſueſcere, & ad illa ſe pauliſper aſſueſcere cœperit, vſus tollit difficultatem, inuenitque facile eſſe, quod impoſsibile ante putauit. Idem in Epiſtol.

Anima ſancta cœlum eſt,habens ſolem intellectum, Lunam fidem,aſtra virtutes. Idem.

O vita ſecura vbi abſque formidine mors expectatur, imo & exoptatur cum dulcedine,& excipitur cum deuotione. Idem ad milites templi.

Deum time, & mandata eius obſerua:hoc eſt, omnis homo. Ergo ſi hoc eſt omnis homo, abſque hoc nihil eſt homo. Idem ſuper cant. ſermo. 20.

Fugite inquit,de medio Babylonis, & ſaluate animas veſtras, & volate ad vrbes refugij:vbi poſsitis & de præteritis agere pœnitentiam,& in præſenti obtinere gratiam,& futuram gloriam fiducialiter præſtolari. Non vos retardet conſcientia,quia vbi peccata abundauerunt, ſuperabundare conſueuit & gratia: nec pœnitentiæ auſteritas ipſa deterreat; nec enim condignæ ſunt paſsiones

huius

huius temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur: nec ad præsentis gratiam consolationis quæ immittitur: non ad futuram gloriam quæ promittitur. Si verbis non creditis, operibus credite, exemplis acquiescite plurimorum. Currunt vndique peccatores ad pœnitentiam, & natura pariter & consuetudine delicati: nihil credentibus impossibile, nihil amantibus difficile, nihil asperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur: quibus & gratia sit in auxilium, & obedienti deuotio lenit imperium. Idem Bernard. in sermo.

Vis nunquam tristis esse, bene viue. Bona vita semper gaudium habet. Hugo lib. 3. de Anima. *Hugo.*

Virtus duritia extruitur, mollicie destruitur. Tertul. *Tertul.*

Virtutes ilico assequi impossibile est, Quomodo enim quam minimis laboribus, res longe maximas assequi queas? Cyrillus. *Cyrillus.*

Gaude cum virtutis opus edis, sed ne extollaris, ne forte naufragium in portu facias. Nillus. *Nillus.*

Sicut malitia etiam ante gehennam, eos qui hic ea participant, cruciare consueuit: ita virtus etiam ante regnum eos qui hic eam operantur, præparat voluptati, & cum spe optima, & delectatione perpetua viuere facit. Chrysost. super Ioan. *Chrysost.*

Gaude innocentia, & exulta, gaude inquam, quia vbique illæsa es: vbique secura: si tentaris, proficis: si humiliaris, erigeris: si pugnas, vincis: si occideris, coronaris. Idem in sermo.

Virtutem infinitis sudoribus, & labore vix acquiri, studio, ac fatigatione vix rectè administrari posse, ex sacris litteris didicimus. Idem.

Si quis vitam laboriosam æstimat, suæ desidiæ est accusatio. Si enim minaces nautæ pelagi fluctus, si tempestates, ac hyemes agricolis, si vulnera, cædesque militibus, si grauissimi ictus, plagæque pugilibus leues videntur, & tolerabiles sunt propter spem temporalium, ac pereuntium commodorum, multò magis cùm cœlum præparatur in præmium, nihil ex præsentibus asperitatibus debet sentiri. Maximè labores mitigat in benignum finem venire promissum. Nec aspicias quod via est aspera, sed quo ducit: nec aliam, quæ lata est, sed vbi desinit. Idem super Matthæum.

Si quid feceris honestū cū labore, labor abit, & honestū manet: si quid turpe cùm voluptate, turpitudo manet, voluptas abit. *Aul.Gel.*

Quintil. Facilius secundum naturam, quam contra eam viuitur. Quintilia.

Plautus. Animus æquus, optimum est fortunæ condimentum.

Bonus animus in re mala dimidium est mali. Idem.

Cicero. Quibus curis, & angoribus stulti conficiantur, & quibus sapientes perfruantur voluptatibus. Vide Cice. lib. 1. de finibus.

Virtus est per se ipsa laudabilis, & sine qua nihil laudari potest. Idem. 2. de Orat.

Virtus nihil est aliud, quam in se perfecta, & ad summum producta natura. Idem. 1. de Orat.

Nihil est amabilius virtute, nihil, quod magis alliceat homines ad diligendum: quippè cùm propter virtutem, & probitatem, eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus. Cuius ea est vis vt eam (quod maius est) in hoste etiam diligamus. Idem in Lælio.

Cum aliquid clementer, mansuete, iuste, recte, moderate, sapienter factum, aut legimus, aut audimus, quo studio incẽdimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis? Idem pro Marcel.

Ea virtus videtur præstantis viri, quæ est fructuosa alijs, sibi autem laboriosa, aut periculosa, aut certe gratuita. Idem. 2. de Orat.

Non sunt isti audiendi, qui virtutem duram & quasi ferream esse volunt. Idem in Lælio.

Virtutis tanta est vis, vt non posit vnquàm esse vir bonus non beatus. Idem in Pison.

Cum fateamur satis magnam vim esse in vitijs ad miseram vitam, fatendum est etiam eandem vim in virtute esse ad beatam vitam. Contrariorum enim contraria sunt consequentia. Idem. 5. Tuscul.

COLLE. ¶ Virtutum quàm vitiorum viam esse suauiorem, hoc argumento probare licet. Dic mihi, si duo homines eodem morbo ægrotarent, quorum alter omnia sapientissimi medici præcepta solicitè seruaret, alter vero inediæ, & laboris, ac medicinæ impatiens, effrenata cupiditate in prohibita & noxia ferretur: vter horum quæso, non valetudini (de qua modo non disputo) sed voluptati, & iucunditati vitæ, melius consuleret? Non dubium quin prior, ille:

ille: quando paucorum dierum labore ingentes ; ac diuturnos, (expulso celeriter morbo) redimeret labores. At breuis, & exigua intemperātis ægri voluptas magnos ac diuturnos (protelato morbo) sibi pareret cruciatus. Ita igitur viri boni (qui consilio, & ratione omnia tractant) multos magnosque labores minimo negotio redimunt. Contra vero improbi dum temerè, ac sine vllo rationis freno ad inconcessa rapiuntur, in maximas se quotidie calamitatum angustias conijciunt.

Iugum Domini suaue esse, ignorant, qui mysterium Christi & causam aduentus eius non agnoscunt: cuius vna causa fuit, vt viam Dei facilem & planam efficeret. Hinc Esai. Erunt ait, praua in directa, & aspera in vias planas. Et omnis vallis exaltabitur &c. *Isai.40.* Hoc ipsum Dominus apud Ezechielem apertius declarat his verbis. Auferam à vobis cor lapideum & dabo vobis cor carneum & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis & illa faciatis. Hoc igitur fauore & spiritu celitus misso, fit iugum Christi suaue, & onus eius leue. Leue inquam quoniam & spiritũ hunc ipse in pios immittit, & legis onus quod neque nos neque patres nostri olim portare potuerunt, sustulit. Onus igitur legis minuendo, & gratiæ suæ fauorem adaugendo, onus suum leue & iugum suaue fecit. Quemadmodum ergo aratro inuento agrorum cultus facilior est effectus, ita per gratiam quę nobis eius merito donatur, diuinę legis onus leue efficitur. Si igitur Gentilitas in Deos olim consecrauit, alium qui medendi, alium qui terras stercorandi, alium qui arandi rationem & artem inuenit, quid quæso nos salutis nostræ autori Christo debemus, qui iter ad æternam fœlicitatem (quod antea impeditum fuerat) facilem nobis atque planum effecit?

Iustus omnia agit cum consilio & ratione: improbus autem more pecudum affectibus & cœco impetu fertur. Hinc fit vt quemadmodum ædificia quæ ad regulam & amusim fiunt, stabilia & firma, in quauis etiam tempestate maneant, quæ vero contra amusim eriguntur, facile quovis ventorum ac imbrium impulsu ruant: Ita res piorum omnes stabiles & inconcussa, in quauis fortunæ mutatione manent: improborum autem turbine & tempestate iactantur. Vnde conuenienter iusti per ligna illa leuigata siue quadrata (ex quibus arca

Noe fabricata est) figurantur. Quadratum enim est, quod nulla vacillat ex parte: sed quocunque ieceris, fida & solida statione cōsistit. Hinc vita iustorum placida est & secura, impiorum autem inquieta, & mille curis, angoribus, & casibus obnoxia.

Virtus (ait Poeta) laudatur & alget. Virtutem homines in commune laudant, & ad sydera tollunt. Cæterum cum ad singularia virtutum officia, hoc est ad humilitatis, patientiæ, & obedientiæ cæterasque virtutum actiones eos inuitamus virtutis ipsius dignitatem allegantes, ibi clamant, detrectant, remis velisque virtutem quam paulo ante laudauerant, detestantur. Contra vero vitia, homines in genere execrantur: vt auaritiam, luxuriam, superbiã, quæ tamen cum ad singulares actiones ventum est, toto studio sectantur, quasi ea non sint talia, qualia paulo ante esse diffiniebant: quasique singularia quæ sub aliqua specie continentur, speciei rationẽ & naturam amiserint: quod esse nullo modo potest.

Psal. 118. Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui. Quisquis enim mandata Dei tota animi cõtentione exquirit, vno Deo contentus est (quem nisi volens amittere non potest) cætera vero fastidit. Itaque qui Deũ habet, nihil præterea immoderatè cupit, nihil optat, nihil timet, atque ita in summa pace & cordis latitudine degit, vt qui in tutissimo & inexpugnabili loco omnes opes suas repositas habeat.

Temporalis vitæ subsidia bonis nunquam defutura sunt. Habent enim firmam hanc promissionem Domini, Quærite primũ regnum Dei &c. Et illam, Iunior fui etenim senui, & non vidi iustum derelictum &c. Item Prouer. 4. Egestas à Domino in domo impij, tabernacula autem iustorum benedicentur. Cuius rei gratia ad pietatem & virtutem Propheta nos hortatur cum ait. Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. Sed hanc tamen materiam latè persequuntur amici Iob, quorum Eliphes in fame inquit, eruet te de morte, & in bello de manu gladij. A flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem cum venerit. In vastitate & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis. Hæc igitur necessaria vitæ subsidia, quatenus æternæ vitæ conducunt, pijs nunquam desunt: Melius est autem parum cum timore Domini, quam thesauri magni, & insatiabiles. Et in Psalmo. Melius est modicum iusto super diuitias peccatorũ multas.

Matt. 6. *Psal.* 36. *Prou.* 4. *Psal.* 33. *Iob.* 5. *Prou.* 15. *Psal.* 36.

tas. Quamobrem elegi (inquit) abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, quanuis opulentissima sint. Iustus enim (ait Salomon) comedit, & replet animã suam: venter autem impiorum insaturabilis. *Psal. 83.* *Prou. 13.*

Timor Domini apponet dies: anni autem impiorum breuiabũtur. Ex hoc patet & pios & improbos non omnino secundis causis esse subiectos: quibus salus & vita corporis continetur: quando quidem vtrique bona & mala pro meritorum ratione recipiunt. Hinc illud, viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. Onam Iudæ filium ante diem occidit Dominus: eò quod rem detestabilem faceret, Salomoni verò diuturnam vitam, si in officio permaneret, pollicetur. *Prou. 10.* *Psal. 54.* *Gene. 38.* *3. Reg. 3.*

Maximam virtutis commendationem postrema illa Salomonis verba continent: quæ post longam disputationẽ tandem colligit se, & summam rei cõprehendit his verbis. Finem loquẽdi omnes pariter audiamus, Deum time, & mãdata eius obserua: hoc est enim omnis homo, & cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudiciũ pro omni errato, siue bonum siue malum sit. Hac enim loquendi figura, totam hominis fœlicitatem, opes, salutem, ac postrema omnia hominis bona in vno Dei timore & obedientia sita esse declarauit. *Eccl. 12.*

Quanuis ex natura sua virtus etiam improbis amabilis sit, vbi tamen ijs vel exemplo vel verbo aduersatur, inuisa esse incipit. Vtrumque autem declarauit Dionysij tyranni filius: qui quanuis patris scelera immensa luxuria cumulasset, Platonem tamen propter virtutem diuinis honoribus affecit: quem tamen postea Syracusis ablegauit, ne scilicet in illius conspectu turpior appareret. Itaque non mirum est improborum verba esse quæ in lib. Sapien. referuntur. Circumueniamus iustum quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris &c. *Sapien. 2.*

De amore & studio virtutis & sapientiæ multa leges Eccles. 6. vbi inter alia sic habes. Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam. Quasi is qui arat, & qui seminat, accede ad illam, & sustine (.i. expecta) bonos fructus illius. In opere enim ipsius exiguum laboris, & cito edes de generationibus (hoc est) de fructibus illius. Quam aspera est nimiũ indoctis hominibus sapiẽtia, & nõ permanebit in illa excors. Quasi lapidis *Eccl. 6.*

virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur proijcere illam. Hoc est, quemadmodũ Lydius lapis, purũ ab adulterino auro discernit, ita virtutẽ boni viri amplectuntur: mali autẽ eã protinus vt illam attingunt, à se reijciunt. Ex his verbis colliges, quomodo virtus & facilis & difficilis sit pro varijs hominum studijs & ingenijs. De studiosis enim dicitur, in opere ipsius exiguũ laboris: de inertibus autem nimis esse asperam & onerosam. Vtimur autem hoc loco ad exhortationem virtutis.

Vitia sub virtutis specie.

Gregor. SIcut plerique reticẽt ex timore, & tamen tacere, se existimãt ex humilitate: ita & multi loquuntur per impatientiã elationis, & tamẽ se loqui credũt per libertatem rectitudinis. Gregor. in moral.

Quidã vt fruãtur Deo dispensatorie vtuntur sæculo, alij vt sæculo fruantur, transitoriè Deo vtuntur. Greg. in mor. lib. 2. c. 9.

Bernar. Magna abusio, parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur: silentium tristitia reputatur. Econtrà remissio, discretio creditur: tristitia silentium iudicatur. Loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas: mollicies vestimentorum & equorũ fastus, honestas: lectorum superfluus cultus, munditia. Bernar. in Apol.

Prosper. Superbus vult se credi constantem: prodigus, liberalem: auarus, diligentem: temerarius, fortem: inhumanus, parcum, ignauus, quietum: timidus, cautum. Prosper. de vita contemplatiua libro quarto.

Clima. Sicut cum aquam ex fontibus exhaurimus, nonnunquam ea etiam, quæ dicitur rana, vnà hausimus: ita & cum virtutes exercemus, fit sæpe, vt & vitia clam illis implicita, & connexa simul arripiamus, exempli causa: hospitalitati, gastrimagia connexa est: dilectioni, fornicatio: discretioni astus: prudentiæ, nequitia: mansuetudini, simulatio, & tarditas, & desidia: gaudio, elatio: spei pigritia: quieti solitudinis, accidia & torpor: castitati, amaritudo: humilitati confidentia: atque his omnibus veluti commune colyrium, imo vero venenum, innanis gloria connexa est. Ioã. Clima. Grad. 26.

Cernenda sunt diligenter, ne ea nos fallant vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam, malitia, & temperantiam, immanitas in voluptatibus aspernendis: & magnitudinem animi, superbia in animis extollendis: dispicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effusio, & fortitudinem audacia imitatur, & religionem superstitio, studijsque bonis similia videntur ea, quæ sunt in eo genere nimia. Cice. in Part. *Cicero.*

Nulla periculosiora vitia, quàm quæ virtutem imitantur. Quintil. *Quintil.*

¶Sæpe staneus discus adeò splendet, vt argenti nitorem imitari videatur, quid tamen illud sit, ignis declarat. Stanum siquidem in igne liquefit, argentum vero immotum manet. Ad hunc modum falsa iustitia veram imitatur, tribulationis tamen ignis declarat, quæ vera quæ falsa sit. COLLE.

Pulchra sane religio: vt Iudæi religiosius sabbathum Parasceues celebrarent, rogauerunt Pilatum vt crucifixorum crura frangerentur: quod tormenti genus grauissimum erat. Hæc est hypochritarum religio. Ijdem etiam non introierunt prætorium vt nõ contaminarentur, qui tamen eodem tempore innocẽtissimi agni sanguine se cruentabant. Sic fidelium multi, maiora pręcepta violantes, de minimis soliciti sunt.

Idololatrę olim simulacris ligneis & lapideis Iouis & Martis aut Mercurij nomina imponebant, quibus impositis protinus illa tanquam vera numina adorabant. Ad hunc modum scelerati homines virtutibus quidem ignominiosa nomina, vitijs autem honorifica imponunt, qua ex re illud protinus sequitur, vt affectus nostri non rerum naturam, sed nominum attendentes, virtutes oderint, & vitia consectentur. Hoc Satanæ artificium est.

Virtus in medio.

¶Virtus ideo difficilis est, quia in medio ita consistit, vt quocunque te inclinaueris, à veritatis tramite deuies. Quare per virtutis iter tanta cura ingredi debemus, quanta qui per funẽ aliquem in sublimi positũ in publicis spectaculis procedunt: qui si vel leuiter COLLE.

à medio declinent præcipites ad ima ruũt. Sic igitur à virtute cadit, quisquis à media illa semita deuiat.

Quoniam virtus ac etiam veritas in medio constituta est, quibus in vtroque latere duo vitia velut in insidijs posita sunt, quæ frequenter virtutis imagine fallunt, ideo magna cura prouidendum, vt medium in omnibus spectemus, & extrema omnia fugiamus. Hac autem ratione, ab huius miserandæ ætatis erroribus tuti esse poterimus. Itaque non tantum tribuamus spei, vt timoris Domini obliuiscamur, & aut in præsumptionis vitium incidamus: Rursumque non ita immodico timore concutiaris, vt absorbearis ab ipso & spei anchoram amittas. Præterea non ita te externis cæremonijs addicas, vt internæ puritatis & pietatis obliuiscaris (quod Pharisæorum erat) neque ita sola spiritualia exercitia colas, vt externa opera sacrasque cæremonias cum Luteranis fastidias atque contemnas. Non ita te contemplatiuæ vitæ studijs addicas, vt proximorum curam penitus negligas (præsertim cum opera tua egent) neque te ita illis totum tradas, vt orationis & meditationis studium omnino deferas. Ad hæc non tantum tribuas gratiæ, vt liberum arbitrium cum Lutheranis extinguas: nec tantum libero arbitrio, vt gratiam cum Pelagianis deijcias. Item non ita tibi tuisque viribus diffidas, vt desperatione fractus, otio torpeas, nihilque audeas conari: nec rursum ita coneris, ac tibi ipsi innitaris, vt non totus ex diuino auxilio pendeas. Cum vero passionis dominicæ mysterium contemplaris, non ita solam eius misericordiam, bonitatem, & charitatem (quæ ibi maxime elucent) spectes (quò spem & charitatem tuam in Christum alas) vt non etiam in alias Christi virtutes oculos conijcias, vt intelligas quid tibi sit eius exemplo faciendum. Lutherani illud tantum aspiciũt, quo segnes ad bene operãdum efficiuntur: at catholici vtrũque aspicere debent, vt in timore pariter & amore Domini radices figant. In illo nanque Ezechielis libro scripta erant, lamentationes & carmina & væ: vt intelligas in Christo non modo quæ ad laudem & gratiarum actionem, sed etiam quæ ad præteritorum dolorem & futurorum cautionem faciunt consideranda esse. Itaque si mel inuenisti, comede quod tibi sufficiat, ne forte &c. Mel autem suauissimum est gratia, misericordia, & charitas Saluatoris; quæ ita consideranda sunt ne, quæ sunt officij nostri,

quoquo modo obliuiscamur. Ad hūc modū sunt alij qui solā Dñi misericordiam contemplantes, in peccatis securi in vtramque aurem dormiunt. Alij rursum diuinam ita iustitiam metuunt, vt infinitis scrupulis conscientiæ, & immodico timore ac diffidentia obruantur: cum vtrumque tamen considerandum esset, iuxta illud. Ne dicas, misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum non memorabitur. Misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Omnibus ergo in rebus medium tenendum est, & extrema omnia declinanda. Sic cibos sale, modico non multo condimus: sic vinum aqua temperamus: quidquid enim aut nimium aut parum est, extra regulam est, Solus erga Deum amor, modo caret: quia (vt ait Bern.) Causa Deum diligendi, Deus est: modus est sine modo diligere. Huc pertinet & illud ex Prouer. Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Ex quibus verbis illud colligimus, quod apprime in vita esse vtile Comicus ait: Ne quid nimis, sed omnia modeste.

Virtus facilis & difficilis.

¶ Caro nostra habitat in patria sua, anima vero (cuius est cœlestis origo) aduena est & peregrina, Radices malorum videlicet affectus sunt intra nos, nobiscumque nascuntur: bonorum vero radices (quæ sunt dona Dei) extra nos sunt, hoc est aliunde importantur. Mala opera per nos edere possumus: bona vero (hoc est Deo grata) sine Dei ope nō possumus. Vt bonus sis, virtutes omnes habeas necesse est: vt vero malus, vnū sufficit vitium quo detinearis. Vt pio aliquo affectu in Deum mouearis, frequenter magno labore conandū, & omnia tentanda sunt, vt vero aut ira, aut odio, aut libidinoso aliquo affectu inflāmeris, sola frequēter cogitatio, vel in transitu hoc efficit. Ex his patet, virtutem quidem esse difficilem, arctamque salutis viā: ac proinde summa ope atque vigilātia niti oportere, vt eam assequamur. Quanuis nō abnuo diuina præsidia volētibus præsto esse, quibus hæ tātæ difficultates superētur. COLLE.

Arduam atq; difficilē esse salutis viam, contraque vitiorum facilem, vel hoc argumento probare licet: quod virtus quidem con-

ſiſtit in medio, vitium vero ſit receſſus à medio. Mediũ vero ſimplicisſimum eſt: in quo ſita virtus eſt: à medio autem infinitis pene modis receditur totidemque modis peccatur, ideo peccare facile, virtutem ſequi difficile. Præterea quemadmodum terra ſponte ſua ſpinas & tribulos germinat, fruges autem, niſi adhibito cultu non profert (propter quod dictum eſt, In ſudore vultus tui veſceris pane tuo) ita vitia in homine ſponte naſcuntur, virtutes vero niſi ſtudio, & labore minimè parantur. Vnde eſt illud, Virtus odit inertes. Et, Molles animos virtus odit. Et, veſtietur pannis dormitatio, Et, In regno voluptatis virtuti non eſt locus.

Liber ille qui in Apocalypſi Ioanni traditur deuorandus in ore quidem dulcis, in ventre amarus erat. Hoc autem ſignificat dulciſsimam quidem eſſe diuinæ ſapientiæ & virtutis poſſeſsionem, quæ tamen cum amaritudine coniuncta ſit, qui enim addit ſciẽtiam addit & dolorem. Vnde Eccleſ. 4. legimus, Sapientia filijs ſuis vitam inſpirat. Et infra. Timorem & metum, & probationem inducet ſuper eum, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ ſuæ, &c.

Eccl. 4.

In fine quies, in itineribus vero quibus ad finem peruenitur, labor eſt: Placet enim ſalus, placet parta pax, & victoria, & acquiſita ſapientia: At itinera quibus ad hæc peruenitur, laboribus plena ſunt. Idipſum in virtutum acquiſitione inuenitur. Iucundiſsima res eſt amor Dei, via vero ad hunc amorem difficilis, cum ad hoc neceſſe ſit, omnes carnales voluptates & amores reſecare. Iucundiſsima res eſt gaudium in Spiritu ſancto, ſed qui hoc gaudio frui vult, dicere cum Propheta debet. Renuit cõſolari anima mea &c. Denique idem cum Deo fieri, hoc eſt, idem velle atque nolle, ſuauiſsima res eſt, verum vt huc peruenias propria voluntas amputanda eſt. Labor itaque in via, quies autem & lætitia in viæ termino eſt.

Quod ſit difficile virtutem & ſapientiam aſſequi, declarat Eccleſ. his verbis. Cum adhuc iunior ſum, priuſquam oberrarem, quæſiui ſapientiam palam in oratione mea. Ante tempus poſtulabam pro illa, & vſque in nouiſsimis inquiram eam: & florebit tanquam præcox vua. Cõparat autem ſapientiã præcoci vuæ, quia cito illam aſſequutus eſt. Quod ipſe protinus explicat, cũ ſubdit. Inclinaui modicè aurem meã, & excepi illam. Et mox, de eadem ſa-

pientia loquens: In proximo est (ait) inuenire illam. Videte oculis vestris, quia modicum laboraui, & inueni mihi magnam requiē.

Quemadmodum diuina lex, improbis corruptisque affectibus grauis & insuauis est: ita contra purgatis mentibus suauissima est ac leuissima. Hinc de præceptis diuinæ legis Propheta ait, Desiderabilia esse super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. Cui simile est & illud: In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus diuitijs. Item illud, Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est. Dilectio enim dilectæ rei assiduam eius meditationem parit: assidua vero meditatio, æstuantis amoris indicium est. Vbi enim est thesaurus amoris, ibi est & cogitatio cordis. Vnde D. Fulgentius ait. Ex amore cogitationem, ex assidua vero cogitatione, amorem intellige.

Virtus initio difficilis, sed in progressu est suauis. Hinc Apostolus: Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eā affert iustitiæ. Hinc sponsa in Cant. Mādragoræ, inquit, in portis nostris dederunt odorem suum. Mandragoræ autem vt Aug. contra Faust. lib. 22. cap. 86. ait. Poma quædam pulchra, & odorifera sunt, acerba tamen & insipida. Quibus præclaræ virtutum actiones, itemque dicta, factaque Domini Saluatoris conuenienter designantur: quæ in portis, hoc est, totius mundi theatro per prædicationem Euangelij odorem suum dederunt (sicut Apostolus ait, Christi bonus odor sumus &c. Et alibi, Odorē notitię suæ per nos effundit in omni loco) quæ tamen cum odorifera & pulchra sint, amara tamen, præsertim non assuetis & inexercitatis sunt. *August.*

Fortasse pius Lector pugnantia nos dicere tam in hoc capite quam in præcedentibus & sequentibus arbitrabitur, cum virtutem modo facilem modo difficilem prædicamus. Verum ne harum rerum specie fallamur vulgatum illud ad memoriam reuocandum est. Distingue tempora & concordabis iura. Cōstat enim virtutem circa difficile versari: quæ tamen initio nondum assuetis nec eius habitum assequutis difficilis planè existit. Vnde est illud Aposto. Omnis disciplina in præsenti quidem &c. Hebr. 12. Cæterum assuetis & habitum assequutis, facilis est atque incūda:

præser-

præsertim cum spirituali gaudio atque lætitia & deuotionis affectu perfundimur. Tunc enim cum Propheta dicimus, In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut.i.o.d. Si autem virtutis & vitiorum vias inter se conferamus non dubium quin vtrobique & labores sint, & item delitiæ quanuis longe dispares ac dissimiles: illic enim spirituales, hic vero carnales delitiæ reperiuntur. In vniuersum autem (si plena circunstantiarum omnium collatio fiat) & iucundiorem virtutum quam vitiorum viam esse certum est. Hoc enim ipsi etiam impij testantur, cum se vias difficiles ambulasse dicunt: Et Psal. Contritio & infœlicitas in vijs eorum &c. Hoc nos concione. 2. in festo B. Matthiæ Apostoli latè probamus septem vitiorum totidemque virtutum collatione facta: quãtum fellis & absinthij, quantumque amaritudinis in his septem vitijs, quantumque dulcedinis & iucunditatis in virtutibus illis oppositis insit, ostendentes.

Virtutis modus.

Gregor. HOlocaustum siccũ est, quod orationis lachrymæ nõ infundunt: holocaustum vero pingue est, quando hoc quod bene agitur, corde humili etiã per lachrymas irrigatur. Greg. super illud. Holocaustum tuum pingue fiat &c. hom. 7.

Idem super illud Ezechiel Esai. 40. Mutabunt fortitudinem, sic ait. Tunc fortitudinem mutamus, cum tãta virtute præsens sæculum fugimus, quanta quærebamus.

Plin. Satius est vnum aliquid insigniter facere, quam multa mediocriter.

COLLE. ¶Non solum quid facias, sed quo animo facias, maxime refert; Frequenter enim gratior apud Deum est modus operandi, quam opus ipsum quamlibet egregium ex natura sua sit. Sicut cibus vilior studiose conditus, suauior interdum est, quam alius longe pretiosior, si male condiatur. Quid humilius saltatione Dauidis ante Arcam? quæ tamen Deo propter sancti viri affectum gratissima extitit.

Sunt quidam qui adeò indiscrete in alicuius boni publici amorẽ feruntur, vt non vereantur malis artibus ad illud consequendũ

nisi cum tamen scriptum sit. Iuste quod iustum est exequaris. Et alibi. Ego ait Dominus diligens iudicium, odio habens rapinam in holocaustum. Hi similes esse videntur vxori, quæ vt inopiæ viri consulat, se ipsam prostituit.

Quo studio atque ardore virtuti incumbere debeamus Prouer. 7. Salomon indicat, his verbis. Serua mandata mea & viues, & legem meam quasi pupillam oculi tui. Liga eam in digitis tuis, & scribe in tabulis cordis tui. Dic Sapientiæ soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam. Similem commendationem atque etiam acriorem inuenies. Deutero. 6. & 28.

Perfecti viri est, non solum legem Dei seruare, sed ardenti etiã amore ipsam diligere, & in ea seruanda oblectari. Vnde Iudith hoc nomine commendatur, non solum quod casta fuerit, sed etiã quod castitatem amauerit. Malachi. quoque. 6. præcipitur nobis, non solum vt misericordes simus, sed etiam vt misericordiam diligamus. Simili quoque ratione animus contra vitia formãdus est, vt non solum ea fugiat, verum etiam detestetur. Quale est illud, Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. Ietro quoq; Moysi socer, quærit iudices, non solum qui pecunia non corrumpantur, sed etiam qui auaritiam vt monstrum horrendum oderint, & detestentur.

In Ecclesia Græca hoc olim obseruabatur, vt cum panis sacrandus præsente populo ad altare offerebatur, altaris minister suggestum conscendens, plebem his verbis admoneret. Sancta sanctè: hoc est, vt quæ sancta erant, sanctitatis affectu homines celebrarent. Idem igitur in pietatis operibus seruandum est, vt videlicet iustè quod iustum est exequamur: & quæ optima sunt optimo etiam modo faciamus. Quod planè vates regius se præstaturum pollicetur, cum ait. Holocausta medulata offeram tibi: hoc est pietatis opera intimæ charitatis, ac deuotionis medullis condita. Hęc enim medulla non tam in natura operis, quam in voluntate ac deuotione est operantis.

Præcipuè in omni actione virtutis circunstantiæ sunt, voluntatis promptitudo, & intentionis puritas: quas Propheta simul coniunxit, cum ait. Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est. Tunc enim purissimum Deo cultum exhibemus cum nullo necessitatis vinculo coacti, solam

Iam illius bonitatem attendimus, propter quam illi famulamur.

Non oſcitanter & ſegniter, ſed ſtudioſiſsime eſſe Deo ſeruiendum, inſinuant illa verba, Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. In hac enim re locum non habet vera illa cæteris in rebus Comici ſententia, Nihil nimis, Inter viri quoque iuſti laudes ea in primis numeratur, quod in mandatis Dei cupit nimis, ideſt, meditatione legum diuinarum vehementer delectatur: nec illarum veneratione quicquam habet antiquius. Huc pertinet & illud, In toto corde meo exquiſiui te, Et, Legem tuam in medio cordis mei, Et, In corde meo abſcondi eloquia tua &c. Quibus verbis ſignificat ſe ſic diuinis eloquijs affectum, vt ea tanquam pretioſiſsimum theſaurum in intimis animi ſui receſsibus condita ſeruet. Huc pertinet & illud, Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer. Item illud, Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Hanc autem lætitiam idem Propheta poſtulat à Domino. Pro eo enim quod nos legimus. Suſcipe ſeruum tuum in bonum, Alij legunt, Oblecta ſeruũ tuum in bonum: hoc eſt, ſic animum meum, amore pietatis & virtutis inflamma, vt omnes voluptates meas in illis poſitas & conſtitutas habeam.

Quo ſtudio diuinæ legis obſeruationi incumbere debeamus, declarant illa Dauidis verba, Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt. Quemadmodum enim homo qui ex vinea quam poſsidet ſibi ſuiſque omnia quæ ad vitæ cultum pertinent, ſuppeditat: omne ſtudium ſuum in ea excolenda inſumit: ita vir iuſtus tota animi contentione in diuinorum mandatorum obedientiam incumbit: ex qua ſibi bona cuncta & in hac vita & in futura pollicetur. Scit enim ſcriptum eſſe. Homo ſenſatus credit legi Dei & lex illi fidelis: quæ videlicet quidquid cultoribus ſuis pollicetur, fideliter & abundè præſtat. Idem ſignificant & illa verba, Portio mea Domine dixi cuſtodire legem tuam. Et illa, Item, Hereditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum &c. Significant enim hanc eſſe hæreditatem ſuam, hanc portionem, hoc patrimonium, cui vni deſeruiat, & à quo opes omnes ſuas expectet, nihilque præterea curet.

Iuxta Aristotelis sententiam non dicitur, virtutem assecutus, qui secundum eam operatur: sed qui in ea exequenda oblectatur. Hoc enim cuiuscunque habitus præsertimq; consummatæ virtutis opus est. Vnde Salomon ait. Gaudium est iusto facere iustitiam.

In pacificorum hostijs præcipit Dominus offerri adipem qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis est intrinsecus. Omnis enim adeps Domini est iure perpetuo: ideoque esus eius sicut & sanguinis prohibetur. Hic est autem ille adeps de quo ait Propheta, Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Hac ergo pinguedine, intimæ dilectionis ac deuotionis suauitas designatur, quam à nobis potissimum Dominus in omnibus bonorum operum sacrificijs exigit, vt hac ratione holocaustum nostrum pingue fiat.

Communes sacrificiorum leges erant, primum quod omnia pecora immaculata esse debebant, deinde quod igne cremanda. Quæ duo significant, omnia bonorum operum sacrificia igne charitatis inflammanda & offerenda esse: deinde, quod nullum in eis vitium reperiretur, sed vt iuste, quod iustum est exequeremur. Idem autem significatur cum omnis victima super fermentato offerri prohibetur. Fermento autem peccatum & malitiam designari constat. Quod vero sal in omni sacrificio offerri præcipitur, partim quidem ad discretionem, quæ in virtutis operibus exquiritur, partim vero acerbitas & amaritudo quædam commendatur: Bis enim Deo gratum est, quod tum pium, tum etiam laboriosum opus est. Labor enim gratissimum boni operis condimentum est. Quam rem Tobiæ exemplo comprobare licet. De quo illud in primis memoratur, quod cum vnum ex filijs Israel in platea iugulatum resciuisset prandium reliquerit, vt defuncti corpus humaret. Non ergo moras traxit, non diutius distulit, non expectauit conuiuij finem, sed omnibus relictis ad pietatis opus occurrit. Hoc enim nomine Angelus opus illud commendat, cum ait. Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum &c. ego obtuli orationem tuam Domino.

Intentio

Intentio recta in virtute.

Gregor. QVI pro virtute quam agit humanas laudes desiderat, rem magni meriti, vili pretio venalem portat. Gregor. lib. 8. Moral.

Sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur: sic vita nostra in virtutibus, virtutes autẽ in intentione subsistunt. Grego. in Moral.

Sæpe bono operi dum laus humana obuiat, mentem operantis immutat: quæ quanuis quęsita non fuerit, tamen oblata delectat. Greg. vbi supra.

Vę homini (ait Eccl.) terram ingredienti duabus vijs. Quo in loco Greg. Duabus vijs homo terram ingreditur: quia & Dei est quod opere gerit: & mundi quod quęrit Gregor. in moral. lib. 1. cap. 27.

Bona nostra tribus modis hostis insequitur: aliquando intentionem polluit, aliquando in ipsa actione malum intermiscet, vt gloria quæ quæsita non fuerat, oblata delectet: aliquando in fine actionis illaqueat, eo vehementius, quo securior iam videbatur operans. Greg. vbi sup. c. 3.

Iustus in bono opere nec à corde gloriam, nec à lingua laudem, nec à manu munus expetit. Gregor. vbi sup. lib. 9. c. 17.

Deus verba ex corde pensat, ideo Pharisæum sua opera narrantem deijcit. Ezechiam eadem commemorantem, stabilit. Grego. lib. 12. c. 15.

Bona quæ omnibus innotescunt sine periculo esse vix possunt. Idem in moral.

August. Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod nõ propter te amat. Aug. Confess. lib. 10.

Domine ante te est semper omne desiderium meũ, ante te tota cogitatio mea. Tu omnium spirituum ponderator, & vtrum radix sit dulcis an amara, de qua foris pulchra folia emittũtur, tu iudex interius melius nosti, & perscrutaris.

Non amatur quod propter se non amatur, si gratiam ideo tibi dedit Deus, quia dedit gratis, gratis ama: noli ad præmium diligere Deum, ipse sit præmium tuum. Idem super Ioan.

Idem, non sunt omnia bona, quæ bona fiunt intentione.

Sola pietatis causa est, vbi carnis nulla notitia est. *Hierony.*

Super illud, Attendite ne iustitiam vestram &c. Deus arguit largientem ad suam famam, non ad pauperis famem: iudicat, non vbi facias, quando facias, sed qualiter facias: quia Deus de cordibus non de manibus facta metitur: & de sensu, non de locis, operis colligit qualitatem. Misericordiam coram se solum vult fieri, qui solius est misericordiæ & remunerator & testis: Te inquit faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Putas quantum velit nescire alterum, qui te ipsum qui facis vult aliqua tui parte nescire? Raue. in sermo. de Eleemosy. *Pet. Rau.*

Honestum est quod detracta omni vtilitate, sine vllis præmijs fructibusvè per se ipsum iure potest laudari. Cicero. 2. de finibus. *Cicero.*

Si non ipso honesto mouemur: vt viri boni simus, sed vtilitate aliqua ac fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is in tenebris, qui nihil timet nisi testem vel iudicem? Quid in deserto loco nactus quem multo auro spoliare posit imbecillum, ac solum? Idem, 1. de legib.

Nulla potest esse virtus nisi gratuita. Nam quæ voluptate aliqua quasi mercede ad officium impellitur, ea non virtus sed fallax imitatio, simulatioque virtutis est. Idem. 5. Tuscul.

Difficile est hominibus persuadere, honestũ propter seipsum eligendum. C. Cassius Cicer. fam. lib. 15.

Fortes viri non tam præmia sequi solent recte factorum, quàm ipsa rectè facta. Idem pro Milo.

¶Charitas mercenaria non est, & tamen sine mercede non est. Quo quis enim vehementius Deum diligit, eò magis ab omni spe mercedis alienus est, quanuis mercedis etiam respectus laudãdus sit. Exemplum habes in matre Mosi, quæ proposita mercede à filia Pharaonis filium nutriuit, quem tamen illa magis materno amore, quam mercedis intuitu nutriebat, vt pote sine vlla etiam mercede nutritura. Hoc igitur animo perfecti viri Deo seruiunt. Perfecta quippe charitas mercenaria non est: quæ tamen eò maiorem accipit mercedem, quo minus eam requirit. COLLE.

Facies ait Ezechiel eorum. s. animantium, & pennę eorum extẽtæ erant desuper. Per hoc autem Christiani hominis intentionem & cogitationem ad superiora semper debere dirigi intelligimus.

Per faciem nanque intentio, per pennas vero contemplationis volatus designatur. Monemur ergo hac figura, vt omnem nostram intentionem & cogitationem à terrenis curis abductam, ad cœlestia transferamus.

Si cui lactis poculum vehementer etiam sitienti, muscis tamen plenum offeras recusabit planè bibere, muscarum turpitudine offensus: ita opera nostra, quæ Dei cibus & potus sunt, grata illi esse non possunt, quando ea vel auaritiæ, vel popularis auræ cupiditate maculamus. Hinc illud. Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti: quod planè fit, cum suauiter flagrantia virtutum opera mortalium rerum cupiditate fœdamus.

Sicut in quouis peccato duo illa reperiuntur, conuersio. s. & auersio (quorum auersio quæ Deum respicit, multò est grauior) ita contra in bono opere (vt puta in eleemosyna) sunt itē alia duo: videlicet alienæ miseriæ subleuatio, & obedientia diuini præcepti vel consilij. Hoc autem posterius, quia Deum respicit, longe præstantius est. Ideoque magna cura prouidendum, vt quicquid facimus, propter Deum faciamus. Charitas enim vita, forma, & decor virtutum omnium est. Decor enim ieiunij est, propter Deum ieiunare. Decor item misericordiæ, propter Deum misereri.

Illud sanè Deo est gratissimum opus, quod solis eius oculis cōspicuum est: ex quo nihil terrenum, hoc est nulla, nec vtilitas, nec voluptas, neque honor acquiritur operanti. Quod planè merito holocaustum poterit appellari: quod totum in laudē Domini cremabatur, cum tamen ex alijs sacrificijs nonnihil cederet in vsum offerentis. Hac igitur de causa Saluator monet, nō inuites eos qui tibi vicem reddere possunt, sed pauperes ad prandium inuita. Lucæ. 16. Vnde quemadmodum Mathematici ita de quantitate tractant, vt abstrahant à materia sensibili: solos numeros & figuras sine vllo materiæ respectu considerantes, ita perfecti viri in bonis operibus solā Domini voluntatē attendere potissimū debēt: nihil de boni operis euētu soliciti. Qui hoc animo operātur in magna pace degunt, etiā si eorū opera bona, aliorū vel inuidia, vel fraude, aut quouis alio modo impediantur cū ipsi non tam operis fructū, quam Domini beneplacitum in operibus suis intueantur.

Quàm sit ingrata Deo cordis duplicitas, patet ex illis Eccl. verbis: Cor ingrediēs duas vias, nō habebit successus, & prauū cor in illis

illis scandalizabitur: hoc est illaqueabitur, & offendet. Et iterum, Ne sis incredulus Deo, & ne accedas ad illũ duplici corde. Cõtra verò de simplicibus Dauid ait: Scio Deus meus quod corda probes, & simplicitatẽ diligas. Et ego in simplicitate cordis mei &c. His verbis puritas intentionis, & simplicitas intentionis cõmendatur: damnanturque illi, qui non pure Deũ quærunt, sed insincerè: qui videlicet Deo & proprijs vtilitatibus seruire cupiunt.

Hoc in orationibus sanctorum videmus, quibus vel sibi cõmissis ouibus opem Domini postulant, vt hoc non tam sui causa, quã ipsius, quem orant, facere videantur. Vnde est illud: Nõ erubescãt in me, qui expectant te Dñe, Domine virtutũ: non confundantur super me, qui quærunt te Deus Israel. Huc pertinet & illud, Non nobis Domine, nõ nobis: Hoc est, non gloriæ nostræ victoriam à te precamur, sed ne sanctissimũ nomen tuũ ludibrio sit gentibus. Huc etiã referunt, quod infra ait, Cœlũ cœli Dño, &c. Quo in loco interpres quidã ait. Cœlũ Dñs sibi vendicauit, terras autem dedit habitandas hominibus, à quibus inuiolate coleretur, & perpetuis hymnis, & honoribus afficeretur. Quod si Domine permittis gentẽ tuã ab impijs nationibus deleri, quis prędicabit laudes tuas? quis te pie, sanctæque venerabitur? Num hostes, qui sanctissimũ nomen tuũ nefariè execrantur? num mortui gloriam tuã in terris celebrare possint? Itaque nos Domine, posterosq; nostros saluos, & incolumes cõserua, nõ nostri quidem, sed tui nominis causa: vt semper aliqua gens sit, quę tuo sanctissimo numini preces, cultus, & honores adhibeat. Huc etiã tendit illa loquẽdi figura. Ne claudas ora canentium te Domine. Moyses quoque dũ iratũ Dominũ aduersus populũ placare satagit, hoc præcipuè allegat. Ne, quæso, dicant Ægyptij, Non poterat eos Dominus introducere in terrã &c. His exemplis monemur, vt in omnibus quæ vel agimus, vel à Domino impetrare contendimus, omnem nostram intentionem ad illius gloriam referamus.

Simplicitatẽ animi & intentionis puritatem Deo in primis gratam esse illud argumento est, quod sponsus in sponsam has potissimum virtutes cõmendat, cum eam dicit oculos habere columbarum. Est enim columba simplicissimum animal. Hoc ipsum illa eiusdem verba Cant. 4. declarant. Vulnerasti cor meũ soror mea sponsa, vulnerasti cor meũ in vno oculorũ tuorum, verbum enim

vulnerandi, & bis repetitum, maximam vim amoris designat. Reuera enim nihil Deo gratius, aut iucundius quàm in omnibus operibus nostris ad vnum illum intentionis oculum dirigere: illum solum attendere: illi vni placere velle, neque ad rectè agendũ vllo humano respectu, atque intuitu, neque vlla aut necessitate, aut hominum metu, aut simili aliqua ratione: sed solo eius amore impelli. Hoc autem se præstare Sponsa testatur, cum ait. Omnia poma noua, & vetera seruaui tibi dilecte mi. Quasi dicat, Te vnum aspicio, tibi vni placere gestio, & quæcumque siue in me, siue extra me sunt, tibi offero, & mentis meæ oculos ad terrena omnia clausos, in te semper infixos & intentos habeo. Hoc autem studium, hic animus longissimè ab illorum studio distat, qui omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Quibus merito Propheticum illud Dominus improperare poterit, Cum ieiunastis, nũquid ieiunium ieiunastis mihi? Et cùm comedistis, & bibistis, nunquid non vobis metipsis comedistis, & bibistis? De his autem merito dici potest, Qui congregauit merces, misit eas in saccum pertusum. Quoniam hi non in cœlo, sed in terra thesaurizant, vbi iam receperunt mercedem suam. Huc etiam pertinet, quod sponsus sponsę staturam assimilat palmæ. Statura inquit tua assimilata est palmæ. Qua similitudine intentionis rectitudinem appositissimè designat: quæ videlicet recta in cœlum tendit: quod palmæ proprium est: quæ proceritate & rectitudine inter omnes arbores eminet.

Altare suum ex impolitis lapidibus, non sectis præcipit Dominus fabricari. Si leuaueris, ait Dominus, cultrum super illud, polluetur. Quid hic religionis est? Multum quidem, si tamen ad recõditiorem intellectum hanc legem referamus. Lapides enim secti ideo secantur, vt videantur. Qui enim intra parietis sinum collocantur, hoc cultu non egent. Cum ergo mysticum Dei altare anima iusti sit (quod non lapidum series, sed virtutum structura fundauit) illas Dominus virtutes probat, quæ simplici, & pura intentione fiunt. Quæ vero fiunt, vt ab hominibus videantur, ceu lapides secti, ab hac structura reijciuntur.

Omni, ait Salomon, custodia serua cor tuum quoniam ex ipso vita procedit. Verè enim à puritate cordis puritas nascitur intentionis: quæ bonorũ operum vita est, Vt enim Ricardus ait, quod

corpus sine anima hoc sine recta intentione opus est. Quid igitur iuuat bonorum operum prolem gignere,& eam per deprauationem intentionis, vbi nata fuerit, necare? Et quale, quæso, erit si liberorum nostrorum inter lectores conscientia propria nos esse conuincat? Quid igitur isti nisi aborsum faciunt? quorum bona opera propter impuritatē intentionis pereunt.

Manna, quod ex præcepto Dñi ad diem Sabbathi colligebatur non cōputrescebat, quod verò cōtra eius legē seruādum reponebatur, vermibus scatebat. Quid hoc? Nimirū pium opus, quod ex legis præscriptione propter Deū operamur, illæsum integrumque in alterius vitæ Sabbatho, hoc est, in æterna requie fruendum seruatur. Cæterū quod contra præceptum Dñi propter mundi gloriam, aut lucrum facimus, hoc planè à vermibus prauæ intentionis corrumpitur, nihilque ad futuram vitam confert.

Virtus voluntaria.

NEmo inuitus bene facit, etiam si bonum est, quod facit. August. confess. lib. 1. *August.*

Potes aurū perdere, & nolēs, potes domum, potes honores, potes ipsam casu salutem: bonum verò quo verè bonus es, nec inuitus accipis, nec inuitus amittis. Idem de verb. Domini.

¶ Præcipua Iudaici, & Christiani populi differentia est, quod ille magis timore pœnarum, iste verò magis amore filiorum in officio continetur. Hinc Aug. vtriusque populi differentiā hac ratione definit. Breuis est, ait, differentia, timor, & amor. Ex hoc amore illud sequitur quod Propheta ait, Voluntariè sacrificabo tibi. Hanc autem Christiani populi præstantiam expressisse videntur verba, quæ (iuxta quorundam translationem pro eo quod nos legimus. Tecum principium in die virtutis tuæ) sic habent: Populus tuus aderit volūtarius in die virtutis tuæ. Hoc est, non inuitus, & coactus, sed humana voluntate parebit imperio tuo: vt si pro nomine, & gloria tua sint omnes cruciatus perferēdi, & mors millies oppetenda, id pulcherrimi muneris loco ducant. Videant hoc qui vi magis, & censuris Eccl. quàm sponte quotannis ad sacramenta accedunt. Videant etiam monachi illi, qui non tā spōte, COLLI.

quam ignominiæ, aut pœnarum metu, quotidianos monasticæ vitæ labores, & instituta sectantur.

August. Quam sit diues in qualibet virtutis actione bona volũtas ex his D. Aug. verbis lib. de bono cõiugali poterit æstimari, ait enim. Sicut nõ est impar meritũ patiẽtiæ in Petro, qui passus est, & in Ioãne, qui passus nõ est: ita nõ est impar meritũ cõtinentiæ in Ioãne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abrahã, qui filios generauit.

Conſcientia.

August. TV qui veram requiẽ (quæ post hanc vitam Christianis promittitur) quæris, etiam hic eã inter amarissimas vitæ huius molestias suauem gustabis, si eius qui eam promisit, præcepta dilexeris. Cito enim senties dulciores fructus esse iustitiæ, quã iniquitatis: & verius ac iucundius gaudebis de bona conſciẽtia inter molestias, quàm de mala inter delicias. Aug. de Cat. rud.

Iussisti Domine, & verè sic est, vt pœna sibi ipsi sit, omnis inordinatus animus. Idem. 2. confess.

Ambros. Quæ pœna grauior, quam interioris vulnus conſcientiæ? Nonne hoc magis fugiendum quàm mors? quàm dispendium? quàm exilium? quàm debilitas? quàm dolor est? Ambro. de offi.

Tantus splendor honestatis est, vt vitam beatam efficiat tranquillitas conſcientiæ, & securitas innocentiæ. Idem. 2. de offi.

Bernar. Quis magis mortuus eo, qui portat ignem in sinu? peccatum in conſcientia? nec sentit, nec excutit, nec expauescit? Bernard. de consider.

Sufficit aduersum os loquẽtium iniqua opinio bonorum cum testimonio conſcientiæ. Idem super Cant.

Isidor. Omnia fugere poterit homo præter cor suum: non enim potest à se quisquam recedere: quocunque enim abierit, reatus sui conſcientia illum non derelinquit. Isidor. in Syn.

Bias. Bias interrogatus, quid nam in vita metu vacaret: dixit, Bona conſcientia.

Socra. Socrates interrogatus, qui sine perturbatione viuerent, Qui, inquit, nihil sibi conſciunt mali.

Epictet. Parentes Pędagogo pueros nos tradiderunt, qui vbique obseruaret, ne quid læderemur. Deus autem iam viros insitæ conſcientiæ

tiæ cuſtodiendos tradidit: quæ quidem conſcientia, & conſeruatio nequaquàm contemnenda eſt, quoniam & Deo diſpliceret, & conſcientiæ ipſi noſtræ hoſtes eſſemus.

Nullum theatrum virtuti conſcientia maius. Cicero. libro. 2. Tuſcula. *Cicero.*

Conſcientia rectę voluntatis, maxima conſolatio eſt rerum incommodarum. Idem. A Torqua. fam. lib. 6.

Conſcientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio iucundiſsima eſt. Idem in Cat. maio.

Magna eſt vis conſcientiæ in vtramque partem, vt neque timeant, qui nihil commiſerint: & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccauerint. Idem pro Milon.

Acta ætas honeſtè, atque ſplendide, tantam affert conſolationem vt eos, qui ita vixerint, aut non tangat ægritudo, aut leuiter pungat animi dolor. Idem. 3. Tuſcul.

Mederi eſt optimum conſcientię poſt commiſſum facinus. 4. Tuſcula.

COLLE.

¶ Gloria noſtra eſt teſtimonium cõſcientiæ noſtræ &c. At inquis, nemo ſcit vtrũ odio, an amore dignus ſit. Recte ſane. Hoc plane non quidem euidenter, ſed tamen valde probabiliter ſciri poteſt. Huiuſmodi autem probabilis opinio in re tanti momẽti maxima piũ hominẽ lætitia afficit. Quis patrum certo ſcit filium ſuum eſſe ſuũ? Et tamen cum hoc probabiliter credat, mira charitate filium diligit. Adde his illud prouerbio. Gaudiũ eſt iuſto facere iuſtitiã, & pauor operantibus iniquitatem. Item vita carnis, ſanitas cordiũ putredo oſsium inuidia. Item, omnes dies pauperis mali: ſecura mens quaſi iuge conuiuium. Vide quam læta res ſit, bona conſciẽtia. Hinc Eccl. 14. legimus, Beatus vir, qui non eſt lapſus in lingua ſua, & non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti. Fœlix, qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non excidit à ſpe ſua.

Quantum mala conſcientia torqueat præſertim morituros, declarant illa verba Sap. 4. Venient in cogitationem peccatorũ ſuorũ timidi, & traducent eos ex aduerſo cogitationes ipſorum. Sicut innocentia fiduciam, ita malitia metum, & trepidationem parit. Semper enim mala conſcientia timida eſt. Multa hac de re inuenies in titulo ſequenti.

Peccatum Peccator.

Gregor. QVid per porros,& cepas(quæ plerumque qui comedunt, lachrymas emittũt)niſi difficultas vitæ præſentis deſignatur:quia videlicet peruerſæ mentes, dulcia per gratiã quietis dona deſpiciunt:& pro carnalibus voluptatibus laborioſa huius mũdi itinera etiã lachrymis plena,concupiſcunt.Greg. in mor.

Habet hoc proprium humanus animus qui mox vt in culpam labitur,à ſui cognitione longius ſeparatur.Idem.20.mor.cap.15.

Miſcentur gaudijs malorum tribulationes,atque ex rebus ipſis ex quibus ſuperbiũt,flagellantur.Nec enim aliter poſſunt tẽporalia,aut nõ habita quærere,aut habita ſeruare.Punguntur ergo miſeri,ſed iſta amore tẽporalis vitæ,non ſentiunt.Eſſe igitur ſub ſentibus delicias computãt:quia peccatorum delectationibus preſsi, quam ſint aſpera quæ patiuntur,ignorant. Vnde eſt illud Hiere. Inebriauit me abſinthio. Ebriuſque enim quæ patitur non ſentit.Greg.mor.c.15.Vide locum.

Grego.ſuper illud Oſeæ.Vitula Effrain docta diligere triturã, ſic ait.Vt enim illa laborat,ſed non ſentit,imo ſæpe reddit ſponte ad laborem:ita malis ceſſare à laboribus non libet, quãuis liceat.Vbi ſuprà.c.16.

Vita præſens à ſuis amatoribus non ſine luctu agitur,tamen cũ lachrymis amatur.Contemnunt ergo iſti habere,vbi ſpiritualiter gaudeant:deſiderant autem vbi & carnaliter gemant:anteponunt turbata tranquillis,dura leuibus,aſpera mitibus, ſuſpecta ſecuris. Grego.vbi ſupra.

Auguſt. Præſentia animæ tuæ caro tua viuit: & quamdiu in carne tua præſens anima eſt,neceſſe eſt,vt viuat caro tua.Putas non eſſe aliquam vitam,qua viuit ipſa anima tua?Quomodo autem habet caro tua vitam (videlicet animam)ſic habet & anima tua aliquam vitam ſuam.Et quomodo caro cum moritur expirat animam vitam ſuam:ſic & anima quando moritur, expirat aliquam vitam ſuam:Vita corporis anima eſt,vita animæ Deus eſt.Aug.ſerm.18. de verb.Apoſt.

Verbum Dei dicit. Ego ſum via, veritas, & vita: ſeparari ergo à verbo eſt eſſe ſine via,ſine veritate,ſine vita.Auguſt.in Meditatio.

Vſque adeò peccatum voluntarium malum eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Idem de ver. relig.

Magna hominis miſeria eſt, cum illo non eſſe, ſine quo non poteſt eſſe. Idem de Trini.

Si male hic vixerunt homines, abyſſus abyſſum inuocat: quia de pœna in pœnam tranſeunt, & de tenebris ad tenebras, de profunditate ad profunditatem, de ſupplicio ad ſupplicium, & de ardore cupiditatis in flammas gehennarum. Idem.

Hieron. ſuper Pſalm. 80. Non erit in te Deus recens, ſic ait, Cui Deus venter eſt, ei Deus recens eſt. Quæcunque vitia habemus, & quæcunque peccata tot recentes habemus Deos. Iratus ſum, ira mihi eſt Deus. Vidi mulierem, & concupiui, libido mihi eſt Deus. Vnuſquiſque enim quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus eſt. *Hierony.*

Quid tam ſuperbum, quid tam ingratum videri poteſt, quàm aduerſus eius viuere voluntatem, à quo ipſum viuere acceperis: quàm illius præcepta deſpicere, qui ideo aliquid imperat, vt cauſam habeat remunerandi? Idem in Epiſt.

Quid oro inuido delectationis præſtat inuidia? Quid alter ab odio mercedis accipit? Quid iracundo furor ſuus confert? Similiter curre per ſingula, & inuenies, tot animi tormenta, quot vitia, quæ vtique eò facilius vinci poſſunt, quò nulla nos alliciunt voluptate. Idem, ad Demetri.

Si hinc peccati pudorem, & illinc gehennæ cernerem horrorē, & neceſſario vni eorū deberem immergi, prius me in infernum immergerem, quam peccatum in me admitterem. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quam ſorde pollutus, cœlorum regna tenere. Anſel. de ſimil. *Anſel.*

Diabolus nulla præcedente peccati vindicta ſuperbiens peccauit: ego viſa eius pœna non continens, ad peccatum properaui. Ille in innocentia conſtitutus, ego reſtitutus: ille perſtitit in malitia Deo reprobante, ego vero Deo reuocante. Ille autem obduratus ad punientem, ego ad blandientem: & ſi vterque contra Deum, ille contra non requirentem ſe, ego contra morientem pro me. Ecce cuius imaginem horrebam, in multis aſpicio me horribiliorē. Idem in lib. de caſu Diaboli.

Affectionis deſertor filius, pietatis refuga, deputatur porcis, porcis addicitur, porcorū traditur ſeruituti, porcorū paſcua lutulenta *Pet. Rau.*

percurrit, inquieti gregis teritur & maculatur excursu, vt sentiat quam miserum sit quietis paternæ beatitudinem perdidisse. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Quam crudele ministerium, quia nec con uiuit porcis: qui viuit porcis. Miser qui porcorum deficit, & esu rit in saginā, miser qui squalentis cibi cupit, nec impetrat qualitatem. Petrus Raue. in serm. 1. de fili. prodi.

In se reuersus est, in se ante redijt, vt rediret ad patrem qui à se ante recesserat, cum recesit à patre. A se migrat, & ab homine totus transit in bestiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus. Idem in serm. 2. de eodem.

Sicut Domino qui se iungit, vnus spiritus est: ita qui se iungit Diabolo, Dæmon est. Idem in serm. 5. de eodem.

Euseb. Emisse. Serpens ille & si reuocauerit morsum, reliquit venenum: fecit quisque peccatum, vt aliquam corporalem caperet voluptatem. Remanet quod damnat, præterit quod delectat: consummata iniquitas permanet: voluptas fugitiua pertransit. Ibidem.

Plinius. Nihil tam facile discimus, quam turpitudinem, & nihil tā difficile dediscimus. Plinius.

Quintil. Nemo malus, qui non stultus. Quintil.

Adilon. Peruersitas morum omnem fortunam inamœnam facit.

Cicer. Nobis persuasum esse debet, si Deos hominesque celare possemus, nihil tamen auare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum: honesta bonis, non occulta quæruntur. Cicero. 3. de offi.

Si vnum in locum collata sint omnia mala, cū turpitudinis malo non erunt comparanda. Idem. 2. Tuscul.

Simus ea mente quam & veritas, & ratio præscribit, vt nihil in vita nobis cauendum præter culpam putemus: eaque cum careamus omnia humana placatè & moderatè feramus. Idem. A. Torquato. fam. 6.

Preter culpam & peccatum homini accidere nihil potest, quod sit horribile aut pertimescendum. Idem. fam. 5.

Vt ciuitas in seditione non potest esse beata, nec in discordia dominorum domus: sic animus à se ipso dissidens, secumque discordans, nullam gustare partem liquidæ voluptatis ac liberæ potest. Idem. 1. de finib.

Sicut

¶Sicut casus ex alto ita membra cassat, vt etiam post sanitatem infirma ac debilia relinquantur: ita lapsus in peccata grauia, frequenter etiam post pœnitentiæ medicamentum infirmam animam relinquunt. Deleto itaque peccato, reliquiæ adhuc manent, quæ animam infestant. Quare si peccaturus speras veniam, time saltē peccati reliquias. COLLE.

Peccator omnis fur est & latro, & peccatum ipsum furtum est: alioquin non diceremus, Dimitte nobis debita nostra, nisi peccata essent furta. Si quis enim in vineam suā operarios conduceret, quibus largè & victū & mercedē suppeditaret, qui tamen relicto opere, tēpus totū in ludo aleaque insumeret, an nō hi alieni peculij fures essent? At mundi huius DOMINUS ad hoc nos condidit, & hanc pulcherrimam mundi mensam, cæteraque bona in hoc præstitit, vt illius nos obsequio traderemus, cum nos tamen beneficijs & muneribus eius abutentes, opus ipsum ad quod conducti sumus omnino negligamus, an non fures sumus?

Peccatū tale atq; tantū malū est, vt nisi sanguine filij Dei expiari digne nō potuerit. Sic enim ipse Dn̄s ait: Hic est sanguis meus noui testamēti, qui pro vobis effundetur in remissionē peccatorū. Euersionem Troię tantam rem esse oracula Deorū responderūt, vt nisi humano sanguine fuso fieri posse prædicarent. Cuius rei gratia Agamēnonis filia decollata est. Hoc mendacio poetę illius negotij magnitudinem declarare voluerunt. Quale ergo illud malū est, quod nisi ipsius filij Dei sanguine, potuit expiari?

Vnde quæso tanta in Christianis hominibus peccandi facilitas, cum fides nostra tantoperè peccatū detestetur, vt malorū omniū extremum esse prædicet? Quid quæso tāti mali causa, nisi maximū malū esse posit? Si vero malorū omniū maximū est peccatū, peccatū ergo ipsum præcipua peccati causa erit. Lethale nāque peccatū gratiæ lumine animā priuat: atque ita cœcā & in tenebris positā relinquit: Sicut ergo qui oculis captus est, vel ipsos etiam montes, & maxima quæque corpora nō videt: qui vero oculis recte valet, vel atomos etiam ipsos & minutissima quæq, ad radios solis apertè videt: ita planè qui per peccatū clausos habet animæ oculos, ingētia quoque & grauissima peccata neq; formidat neq; videt: ideoq; minimo negotio præceps in illa ruit: at, qui apertos

per lumen gratiæ mentis oculos habet, is etiam leuißima peccata & videt & quatenus licet, etiã fugit. Idem etiã per analogiã corporis viui & mortui colligi poteſt. Corpus enim mortuum vulneribus cõfoſſum nihil ſentit: viuum vero vel vnius aciculæ puctură ferre nõ poteſt. Ex his patet nihil mirum eſſe, improbos homines innumera peccata ſine vllo doloris ſenſu cõmittere, quos & vita & ſpirituali ſenſu priuatos eſſe cõſtat. Vide quæſo quã ſui diſsimilis Dauid poſt adulterij crimen relictus eſt: qui enim totus penè tranſierat in Deũ, modo crudelis homicidij litteras mittit. Quid vero Saul rex? Quantũ poſt illud inobedientiæ crimen à priſtina virtute degenerauit: qui ſine vlla cauſa furore percitus, ſeptuaginta ſacerdotes Domini veſtitos Ephoth ante ſe trucidari fecit, & Nobe ciuitatem ſacerdotum ſic euertit, vt nec quibus cæteriſque pecoribus pepercerit? Quo quid horribilius.

Hiere. 13. Imago animæ exiſtentis in peccato apparet in lumbari illo, quod Hieremias ex mãdato Domini abſcõdit in Euphrate: quod poſt dies aliquot à flumine extractum, nulli vſui aptum erat &c. narra hiſtoriam omnem. Talis ergo animæ exiſtentis in peccato facies eſt: quæ cum prius Deo agglutinata diuinæ naturæ cõſors eſſet, per peccatum deformis, inutiliſque ad omnia effecta eſt.

Quas ſtrages atque damna inferat in anima lætale peccatum, figurat primum Sampſon à Philiſtæis captus & excæcatus, ludibrioque hoſtium habitus, & molere in priſtino iuſſus. Peccatoris etiã figura eſt Sedechias rex: qui vaſtato regno, extinctis liberis, & proceribus regni, effoſsis oculis, vinctiſq; ferro manibus & pedibus, in tetrũ carcerẽ coniectus fuit. Figura item illius, Iob amißis rebus omnibus & vlceribus plenus, ſedens in ſterquilinio, & teſta saniẽ vlcerũ radẽs. Figura item ille qui incidit in latrones, quem ij bonis omnibus ſpoliauerunt & plagis impoſitis abierũt ſemiuiuo relicto: viuo quidẽ mundo, mortuo vero Deo, viuo ad malum perpetrandũ, mortuo ad bonum operandum. Iſti etiã omnes typum gerunt humanæ naturæ per originale peccatum lapſæ. Non eſt autem difficile hæc omnia peccati malitię accommodare.

Quatuor ſunt quæ pios homines in magnã frequenter admirationẽ adducunt. Primum, nõ amari ab hominibus Deũ, cùm is infinita bonitas, ſuauitas & pulchritudo ſit, qui proinde infinito amore diligẽdus eſſet. Secundũ, ingratos eſſe ei qui innumeris eos

benefi-

beneficijs ornauit,& ornare nunquam intermittit. Tertium, tam facile tantam maiestatem omnibus flagitiorum generibus passim ab eis offendi. Quartum, talem homines vitam viuere, cum talem fidem profiteantur, quod planè mõstro simile est. Cuius quidem rei indignissimæ non possunt non multæ & quidem grauissimæ causæ existere. Impossibile enim Ciceroni esse videtur diuinam prouidentiam asserere, & non dies noctesque diuinum numen horrere. Huius vero adeo stupendæ cœcitatis prima causa est, vehemens cupiditatum nostrarum ardor. Videmus enim febribus æstuantes, contra medicorum præcepta frigidam bibere, quam grauiter sibi nocituram certo sciunt. Diuus quoque Ambrosius in exam. memorabile huius rei exemplum affert. Medicos enim ait cuidam viro oculorum cœcitatẽ interminatos fuisse, nisi ab vxoris consortio abstineret: qui tamen vehementia cupiditatis superatus, & oculorum saluti voluptatem præferens, vale (inquit) lumen amicum. Vides ergo quanta sit cupiditatum violentia? Proxima causa est tyrannis prauæ consuetudinis, quæ incredibili quadam vi animum ad assueta rapit. Vnde est illud Hierem. Si potest æthiops mutare pellem suam &c. Alia causa est maxima quædam (quæ ex hac praua consuetudine sequitur) à Deo rebusque diuinis elongatio: sine cuius ope natura corrupta sibi derelicta, ruit præceps in omne nefas. Quarta est Dæmonis potentia maxima, qui tanquam fortis armatus, in pace prædam suam possidet: vtpote quam fortissimis cupiditatum & laqueorum vinculis cõstrictam retinet. Quinta est ea quam Hierem. Propheta designasse videtur cum ait. Desolatione desolata est terra, eo quod nullus sit qui recogitet corde. Considerationis namque vi, fidei habitus velut consopitus, excitatur, vt splendore suo peccatorum tenebras dispellat, hominemque in officio contineat. Qua tamen isti non vtuntur, vtpote qui in terra obliuionis habitant: & qui (vt est in fabulis) letheas quodammodo aquas ebibisse videantur: quando neque Dei, neque sui, hoc est suæ mortalitatis, professionis, baptismi, fidei, diuini iudicij, paradysi, gehennæ, suorumque peccatorum, & beneficiorum diuinorum, vllo modo recordantur. Quæ si aliquãdo in mentem reuocant, celeriter percurrunt: cum tamẽ diu multumque in animo ea versare debuissent. Vnguentum enim vulneri applicatum, ibidem hærere debet, vt salutem adferat: vix enim quicquam

Cicer. de nat. Deo. lib. 1.

Hiere. 13.

quicquam in transitu prodest.

Auget peccati grauitatem causa peccandi: quādo videlicet pro rebus nihili homines Deum amittere non verentur. Nihil autem est quidquid humana cupiditas ambit. Vacua enim spes impiorum est, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum vt Sapiēs ait. Idem etiam Esaiæ. 59. de ejsdem prædicatur. Telas (inquit Propheta) araneæ texuerunt, Telæ eorum non erunt in vestimentum, nec operientur operibus suis. Quod si res adeo miseranda est, quam Propheta lamentatur, cum ait: Vendidisti populum tuum sine pretio, quale quæso erit ipsum mundi Dominum pro rebus nihili vendidisse, quod scelerati homines faciūt? Auget etiam peccati grauitatem animarum dignitas, quas impij venales habent. Si enim aurum est, quod auro emitur, ergo sanguis Christi est, quod Christi sanguine emptum est. De hoc autem Dominus ipse quæritur, cum ait. Pretium meum cogitauerunt repellere. Pretium enim animarum nostrarum sanguis Christi est: quod quidem pretium repellunt, qui animas suas, vilibus rebus commutant, & ij etiam qui alios ad peccata inducunt.

Sapien. 3.

Quod est anima corpori, hoc est Deus animæ. Hinc illud D. August. Non sunt in te viscera pietatis, si ploras corpus à quo recessit anima, & non ploras animam à qua recessit Deus. Vt igitur ex visibilibus inuisibilia cognoscas, vide qualem habeat speciem corpus à quo recessit anima, & per hoc intueri poteris, qualem habeat anima à qua recessit Deus. Quo argumento colligere licet & peccati deformitatem, & humanæ naturæ miseriam post peccatum: Talis enim anima relicta est, quale corpus à quo anima recessit. Hinc etiam liquet, hominum peccata commiserationem magis quàm indignationem exigere. Quis enim deformitatem, tetrumque odorem eius animæ non lugeat, quam agnoscit mortuam, & à Deo derelictam.

Quasi à facie colubri fuge peccatum, & si accesseris ad illa suscipient te. Pro quo alius vertit. Et si accesseris ad illud mordebit te. Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi romphea bis acuta omnis iniquitas, & plagæ illius non est sanitas. Bis acuta autem dicitur, quia non animam modo, sed frequenter etiam corpus lædit. Pro eo autem quod nos legimus, Irascimini

ſcimini & nolite peccare, alij ex Hæbreo vertunt, Contremiſcite & nolite peccare. Quibus verbis, non ſolum peccati fugam ſed horrorem etiam ac trepidationem fugæ adiungi Propheta vult: vt videlicet non lentè & ſegniter ſed quaſi à facie colubri fugiamus peccatum.

Peccati proprium eſt, virtutem & robur animi infringere, ac debilitare. Vnde pro eo quod nos legimus, Infirmata eſt in paupertate virtus mea. Hiero. ex Hebr. vertit. Infirmata eſt in iniquitate virtus mea, & oſſa mea contabuerunt. Hinc ſceleratis hominibus per Eſaiam Dominus cõminatur: & erit fortitudo veſtra quaſi fauilla ſtupæ. Vt enim Sampſon abſciſsis capillis, ita homo per peccatũ amiſſa gratia, infirmus redditur vt cæteri homines: vnde facile ab hoſtibus ſuperatus in varia ſcelera præcipitatur.

Quatuor mala peccantibus adiuncta eſſe, declarant illa Prophetæ verba: Fiant tanquam puluis ante faciem venti, & Angelus Domini perſequens eos. Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum &c. Lubrica enim caro noſtra eſt, quæ ad voluptates procliuis, in eas facile dilabitur. Tenebrę vero cœcitatem mentis improbæ deſignant: quæ illis pericula ſua & præcipitia abſcondunt, Dæmon vero eos in tenebris & in lubrico ambulantes, impellit. Satis erat ad ruinam in lubrico ingredi. Quid ergo & in lubrico, & in tenebris ambulantem, ab hoſte fortiſsimo impelli? Quis igitur in hoc loco lubrico hoc noctis tempore, & hoc hoſte impellente ſtare poſſe ſibi perſuadeat: niſi aſsiduis precibus Dei opem ſibi comparare ſtudeat? Idem autem ſignificatur & quidem breuius in eo quod dicitur, Fiant ſicut puluis ante faciem venti. Quid enim puluere mobilius, qui leuiſsimo flatu huc & illuc ſpargitur? Tale eſt autẽ improborum cor: quod leuiſsimo quouis cupiditatis impulſu, in omnia ſcelera rapitur. Simili autem ratione improbus in primo Pſalmo pulueri comparatur, quem proijcit ventus à facie terræ. Quæ ſimilitudo non ad ſolam improborum inſtabilem fortunam, ſed etiam ad peccandi procliuitatem, & facilitatẽ referẽda eſt. Amiſſa enim per peccatũ gratia, minimo negotio in quæuis alia ſcelera labũtur, Vnde eſt illud, Peccator adijciet ad peccandũ. Quis igitur non vehementer horreat in hoc tam periculoſo ſtatu vitã agere?

Maximè reuocare nos à peccato debet, quòd in oculis Dei cũcta cernentis impię agimus. Sic enim legimus, Poſuiſti iniquitates

noſtras

nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui: hoc est longissimam seriem malorum nostrorum cunctorumque vitiorum cathenam ante oculos & in prospectu semper habes. Hac vero circunstantia peccata nostra idem Dominus amplificat cum ait: Et faciebatis malum in oculis meis. Et iterum, Ego sum iudex, & testis dicit Dominus.

Præcipua peccati deformitas est, quod Dei leges contemnimus. Quam rem illa Dauidis verba insinuant, Tibi soli peccaui. Quasi enim nihil esset homicidij & adulterij criminibus homines violasse, hoc solùm quæritur, hoc lamentatur, quod aduersus Deum talia prohibentem deliquerit. Omnis enim alia deformitas, etiam si quis vniuersum genus hominum deleret cum hac collata, perexigua & quasi nulla est.

Grauius & peccat & puniendus est qui alieni sceleris supplicio non eruditur. Vnde sunt illa verba Lamech, Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum, septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies. Cum enim Lamech arma ferrea primus excogitasset, vxoresque eius propter hoc diuinam vindictam pertimescerent, ille innocentia sua se tuetur dicens, Quoniam occidi virum &c. Pro quo alij legunt, Si occidi virum in vulnus meum. Dictio autem (Si) vim apud Hebræos habet negandi, vt ibi, Si introibunt in requiem meam. Vult itaque dicere, Non est cur de mea salute solicitæ sitis. Nō enim ego more Cain cuiquam manus intuli. Quod si facerem illius scelere conspecto, dignus eram qui lōgè grauius & acerbius punirer.

Filiæ Loth patrem prius inebriarunt quo in detestabile illud stuprum præcipitarent in quod vir iustus nullo modo sobrius incidisset. Hoc ergo astu Dæmon, nititur prius, mentes hominum mundi amore inebriare, & modis omnibus excœcare: quo nos in lethale peccatum præcipitet. Aliter enim nemo qui apertos oculos haberet, quibus detestabilem & horrendam peccati deformitatem videret, in illud facile incideret. Verè enim de eo dici potest. Omnis qui viderit te, resiliet à te.

Amor Dei in punitione quoque sceleratorum hominum cognoscitur. Cum enim is mundum alluuione propter peccata delere vellet, tactus dolore cordis intrinsecus fuisse dicitur. Dolor autem

tem ex amore naſcitur:non enim doleret,ſi non diligeret : quanuis hoc in loco ſcriptura humano more de Deo loquatur : aliter enim dolor in Deo,aliter in nobis intelligitur.Huius autem amoris ac doloris fuit,quod ſubdit. Et præcauens in futurum. Satis enim magna cautio ad deteſtationem peccati erat,vniuerſum mũdum aquis diluuij propter peccata euertere. Et tamen ne hoc quidem tanto terrore amentes homines à peccato coercentur.

Quàm ſit miſera eorum conditio, qui in peccato diu perſeuerantes,Diabolo militant, declarant labores & moleſtiæ ingentes quæ filijs Iſrael ſub Pharaone rege contigerunt,qui ignorabat Ioſeph.Cùm enim regnum in anima noſtra ſpiritus ille obtinet qui verum Ioſeph Chriſtum agnoſcit,nullis afficimur moleſtijs.Cæterum ſi(vt Origenes ait)regnum obtineat in nobis Pharao mundi princeps,tunc affligimur,& terrenis operibus ſeruire compellimur,tunc maſculi noſtri interficiuntur,& fœminæ reſeruantur,& ciuitates Pharaoni ædificare compellimur & magiſtri qui ad hæc vrgeant opera deſignantur.Et tu ergo ſi declinas ad opera ſeculi, agere actus terræ,& lutea explere miniſteria , ſcias & intelligas quia ſurrexit in te rex nouus,qui ignorat Ioſeph , & ipſe te cogit ad opera ſua,ipſe eſt qui te facit diſcurrere per circulum maris ac terræ,elementa pro cupiditate turbare , ipſe eſt hic Ægypti rex qui te pulſare forum litibus facit,& pro exiguo terræ ceſpite propinquos iurgijs fatigare,&(vt ita dicam)caſtitati inſidiari, decipere innocentiam,domi fœda,foris crudelia,intra conſcientiam flagitioſa committere. Hactenus ille.

Non minus ſpiritualis vita à ſupernaturali Dei auxilio , quàm inferior hic & corporeus mundus ab aſtris & motu cœlorum pendet.At,videmus in Solis defectu etiam breuiſsimo, corpora noſtra lædi,& variè atque moleſtè affici:quid ergo de illa anima cẽſendum eſt,quæ multis annis abſque ſole iuſtitiæ Chriſto in tenebris iacuit:quæ non vnius horæ, ſed multorum annorum ecclypſim paſſa eſt?Si ad horam pauliſper diſcedente Domino , regius Propheta dicit:Auertiſti faciem tuam à me,& factus ſum conturbatus:quid illos paſſuros eſſe credendum eſt , à quibus lucis ſuæ radios multis annis Dominus auerſos habuit?

Quam ſit improborum vita difficilis plenaque moleſtijs,declarant illa prophetæ verba:Contritio & infelicitas in vijs eorum,&

viam pacis non cognouerunt. Item illud, Via peccantium cóplantata est lapidibus, & in fine eorũ inferi, & tenebræ, & pœna. Hinc illud Hieremiæ. 16. Eijciam vos de terra hac in terram quam ignoratis vos & patres vestri, & seruietis ibi Dijs alienis (videlicet auaritiæ, libidini, ambitioni &c.) qui non dabunt vobis requiẽ. Quod enim quisque præ cæteris colit, hoc illi Deus est. Huc pertinet & illud Deute. 28. Eò quod non seruieris Domino Deo tuo in gaudio cordisque lætitia propter rerum omnium abundantiam, seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus in fame, & siti, & nuditate, & omni pœnuria: & ponet iugum ferreum super ceruicẽ tuam. Hæc omnia spiritualiter patiuntur, quicunque à Domino recedentes, obsequio se Diaboli tradiderunt. Huc spectat & illud
Eccl. 2. Eccl. Homini bono dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo. Ex ijs patet quátò sit iucundior piorum quam improborum vita. Idem etiam hoc argumento colligi potest. Hoc inter pios ac improbos discrimen esse Salomon ait: quod sapientis oculi sint in capite ipsius: stultus vero in tenebris ambulet. Vir enim pius & sapiens in hoc omnes curas & neruos suos intendit, vt non præcipiti & cœco impetu affectuum, sed consilio, & ratione ducatur: quod contra improbi faciunt, qui pecudum more cupiditatum impulsu aguntur. Illud autem est in luce, hoc vero in tenebris, vel certe oculis captum ambulare. Quod cum ita sit, quid de eo homine sperare posses, qui in densißimis tenebris, nullo duce, per loca lubrica & aspera, & in præcipiti posita, graderetur? Quid nisi vt paßim caderet, & allideretur, & in præceps rueret? Quid autẽ hæc vita nisi iter abruptißimum est, & scrobibus ac præcipitijs plenum: in quo omnis creatura in laqueũ & muscipulá pedibus insipientiũ posita esse dicitur? Qui ergo per hanc viam, clausis rationis & iudicij oculis graditur, in quot mala ruere necesse est? quandoquidẽ cupiditates nostræ, nó quod liceat, vel quod deceat, sed quod libeat, semper attẽdũt? Vnde quæso rixæ? Vnde homicida, vnde vincula, & carceres? vnde varij & insanabiles morbi? vnde dedecora, & familiæ labes? vnde denique tot bella, tot humani generis strages, nisi ab humanis cupiditatibus ortum habuerunt? Ab his autem omnibus malis, quis dubitat immunes esse, qui compreßis cupiditatibus, sola ratione

tione & consilio reguntur? Qua ex re facile colligitur improborũ vitam, quæ in specie iucunda esse videtur, multis partibus vita piorum acerbiorem ac molestiorem esse.

Quod improbis omnia in malum cedant, declarat Eccl. his verbis, Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem altißimi? & si nati fueritis, in maledictione nascemini: si mortui eritis, in maledictione erit pars vestra. Eccl. 41. Itaque omnia his in malũ, cum contra pijs omnia cooperentur in bonum. Huc spectat & illud eiusdem ca. 27. Leo venationi insidiatur, sic peccata operantibus iniquitatem: subaudi, insidiantur, vt eos decipiant & in deteriora præcipitent. Hinc illud: si bene egeris, recipies: si autem male, statim in foribus peccatum aderit. Peccatum autem appellat pœnam peccati, quæ fere non tardat.

Maius esse peccati malum quàm quodcunque aliud, annotauit Origenes in eo quòd Iacob noluit petenti Ruben filiũ Beniamin præbere dicenti: Ambos filios meos interfice, nisi reduxero eũ tibi viuum. At Iudę idem petenti, ac protestanti, peccati se reũ omni tẽporę futurũ, nisi illum reduceret, protinus dedit. Videlicet lõge maius id esse reputans malum quod sibi Iudas, quàm quod Ruben imprecatus fuerat.

Dedi (ait Dominus per Hiere.) dilectam animam meam in manus inimicorum meorum. Pro hoc alij verterũt: Dedi dilectionẽ animæ meæ in manus &c. Sic appellat populum suum, quo dilectionis suæ vim erga illum designet. Ea tamen est peccati malitia, vt hanc adeò dilectam animam Chaldæorum manibus diripiendam, affligendam, ac penitus delendam tradiderit, ac postremo Dæmonibus perpetuo in gehenna cruciandam.

Hipanis ingẽs fluuius (de quo Verg. in Georg. meminit) aquas proferens dulcißimas, fonticulo tamen quodam amaro in ipsum influente, tota eius aqua vitiatur & amara redditur. Quid similius originali peccato, quo tota massa generis humani infecta est?

Occasiones peccatorum.

Sicut perfecti viri, peruersos proximos nõ debẽt fugere, quia & eos sæpe ad rectitudinẽ trahunt, & ipsi ad peruersitatẽ nunquam trahuntur: sic infirmi quique societatem debent decli- *Gregor.*

nare malorum:ne mala quæ frequenter aſpiciunt,& corrigere nō valent delectentur imitari.Greg.ſuper Ezech.

Non valde laudabile eſt,bonum eſſe cum bonis,ſed bonum eſſe cum malis.Sicut enim grauioris culpæ eſt inter bonos, bonum non eſſe:ita immenſi eſt præconij bonum etiam inter malos extitiſſe.Greg.in mor.ſuper illud:Vir erat in terra Hus &c.

Auguſt. Incerta victoria eſt inter hoſtilia arma pugnare, & impoſsibilis liberatio eſt flammis circundari,& non ardere.Auguſt.de ſingul.cler.

Minus voluptatibus ſtimulatur,qui non eſt vbi frequentia eſt voluptatum.Minus auaritiæ moleſtias patitur , qui diuitias non videt.Idem ibidem.

Iſidor. Iuxta ſerpentem poſitus,non eris diu illæſus:& ante ignem cōſiſtens,etiam ſi ferreus ſis,aliquando diſſolueris:proximus periculo,diu tutus non erit. Per aſsiduitatem cito peccat homo. Sæpe familiaritas implicauit , ſæpe occaſionem peccandi dedit, ſæpe quod voluntas non potuit,aſsiduitas ſuperauit.Iſidor.libro.2.ſoliloq.

Hierony. Nunquam ſecurus cum theſauro latro tenetur incluſus:nec intra vnam cauernam habitans cum lupo tutus eſt agnus. Ipſe voluit penetrari,qui hoſtem proprium in ſuas partes induxit,& inteſtinum ſibi gladium ipſe ſupponit,qui locum habitationis ſuæ aduerſarij ingreſsibus reſerauit.Hierony.de cohabi.cler.& mul.Cōtra eos autem qui ſuſpicioſa appetunt contubernia allegat idem Hiero.illud Salomonis in Prouerb. Alligabit quis in ſinu ſuo ignem,& veſtimenta eius non comburentur: ambulabit ſuper carbones ignis,& pedes illius non ardebunt?Idem ad Euſtochium.

Idem ad Euſtochium,obſecro ait te coram Deo & Chriſto Ieſu,ne vaſa templi Domini,quæ ſolis ſacerdotibus videre conceſſum eſt,in publicum proferas,ne ſacrarium Dei quiſquam profanus aſpiciat.Oza,arcam,quam non licebat tangere,attingens, ſubita morte proſtratus eſt.Præceſsit vmbra,nunc veritas eſt, Sponſa Chriſti,arca eſt teſtamenti,nō ſolum intrinſecus , ſed etiam extrinſecus deaurata, cuſtos legis Domini. Sicut in illa nihil aliud fuit,niſi tabulæ teſtamenti , ita in te nullus ſit alius,niſi legis Domini cogitatus.Super hoc enim propitiatorium quaſi ſuper Cherubin requieſcere,& ſedere vult Dominus.Idem vbi ſupra.

¶Non

¶Non modo peccata sed peccatorum etiam occasiones Salomon iubet nos studiosissimè vitare cum ait: Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via, fuge ab ea, nec transeas per illam, declina & desere eam. Vide quantum instet & vrgeat, vt nos ab omni malorum occasione auocet. Paulo vero inferius de meretrice loquens ait: Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. Omnem quippe occasionem peccandi his verbis amouere voluit. Cæterum de vitando mulierum cótubernio sic Eccl.c.42. In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Melior est enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens. Hoc autem ad cohabitationem & contuberniũ fœminarum de quo sermo erat, referendum esse videtur. Multa hac de re inuenies Eccl.c.9. COLL.R.

Quale sit periculum eorum qui inter peccatorũ occasiones versantur, aptissima similitudine Eccl.10. declarat his verbis. Qui fodit foueam incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eũ coluber. Qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. His verbis Salomon varias peccatorum occasiones vitare admonet. Solent inter vepres & spinas sepium latitare colubri, & eos qui sepes diruunt mordere. Idem spiritualiter cõtingit inter peccatorum occasiones versanti.

Inter tres animæ hostes, mundus numeratur, hoc est improborum hominum societas: quæ quantum ad vitæ corruptelam possit, declarat Propheta cum ait: Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum, siue vt alij ex Hebræo vertunt: Defecerunt fideles inter filios hominum vana loquuti sunt &c. Quem locũ Gloss. quædã sic explanat. Quoniam maximam vim habet ad pietatẽ & virtutem probitas eorum quibus cum viuimus, si inter homines impuros & nocẽtes ætaté agamus, vix fieri potest, quin ad eorum mores & consuetudinem traducamur. Propterea Domine, non impensius oro, vt vitam meã ab insidijs inimicorum quàm vt animum meũ à vitijs & corruptela seculi huius integrum, saluumque custodias: ne me reliquorum perditi mores & exempla corrumpant, neve illorum imitatione in aliquam turpitudinem dilabar.

Quid periculi in occasionibus peccandi sit, declarat Aug. in lib.

confeſſ.vbi narrat Alipium familiarē amicum ſuum,qui ludorum Circenſium ſpectacula deteſtabatur,ab amicis quibuſdā multa vi precum eò deductū:quibus tamen ille corpore tantū ſe illic affuturū prædixit, mente verò abſentiſsimum. Aſtitit ergo ibi clauſis oculis:quos tamen ad nouū quendā populi clamorē aperiens, ita ludorū eorū ſpectādorum amore captus fuit,vt alius inde egreſſus fuerit,quàm intrauerit. Tantum aliquando videndi ſenſus animæ nocet.

Num.33. Quàm ſint omnes peccatorum occaſiones radicitus vitandæ, apertè Dñs docet:qui Num.33.ſic ad filios Iſrael loquitur. Quādo tranſieritis Iordanem,intrantes terram Chanaan,diſperdite cunctos habitatores terræ illius:confringite titulos,& ſtatuas comminuite,atque omnia excelſa vaſtate,mundantes terram,& habitantes in ea:Ego enim dedi vobis illam in poſſeſsionem.Si autem nolueritis interficere habitatores terræ qui remanſerint, erunt vobis quaſi claui in oculis,& lanceæ in lateribus & aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ:& quicquid illis cogitaueram facere, vobis faciam.Idem etiam colligitur exemplo Dinæ:quæ tuta paternæ domus clauſtra egreſſa, videre cupiens virgines regionis alienæ,à principis eius gentis filio vi oppreſſa,magnarum poſtea ruinarum cauſa fuit.Nemo autem de ſua ſibi ſecuritate & conſciētia blandiatur:quanuis enim nullum à te tibi periculū immineat, ab alijs imminet.Si tu ſine periculo vides,non tamen ſine periculo videris.

Nō peccata ſolū,ſed quęcunque peccatis cōfinia ſunt,(quanuis ex natura ſua peccata nō ſint)prohibere Dñs in lege ſolet. Sic Nazaræis,quibus vino interdixit,quicquid vino finitimū erat ab vua paſſa vſq; ad acinū prohibuit.Quid autē hoc ad religionē,niſi huius nos periculi admonere voluiſſet?Simili ratione cum Idololatriam vetuit, aurum etiam ex quo idola fiunt,contingere vetuit. Quod quia Iudæorū quidā ſub Machabæo duce in prælio aduerſus Gordiam ſeruare noluerunt,in prima acie corruiſſe memorantur.Dum enim cæſorum corpora requirerent, deprehenſum eſt eos de donarijs idolorum tuliſſe:quæ res cauſam eorum ruinæ attulit.Vt habetur.2.Macha.c.12.

Sicut intra venas ſilicis latet ignis,qui ferro ictus,excutitur: ita peccatorū ſemina & cupiditatis ignis in mēbris quidē noſtris la-

tent:quæ oblatis occasionibus excitantur. Quamobrem dáda ope ra est, vt omnes peccandi occasiones sollicite vitemus, ne hac ratione latentẽ in membris nostris cupiditatis ignem excutiamus.

Societas bonorum & malorum.

SIcut malus aer assiduo flatu tractus, inficit corpus: ita peruersa locutio assidue audita, infirmantium inficit animum, vt tabescat delectatione praui operis, assiduitate curiosi sermonis. Greg. super Ezechi. *Gregor.*

Inter bonos bonũ esse, salutẽ habet: inter malos vero, etiam laudem: illud tantæ felicitatis est, quantæ etiã securitatis, hoc tantæ virtutis, quantæ difficultatis. Quale nempe est illud, Tangere picẽ & non inquinari ab illa, in igne sine læsione versari. Ber. in Epist. *Bernar.*

Omnia fac cum consilio, nec tamen omniũ, aut quorũcũq;, sed tantũ bonorũ. Bonos in consilio, bonos in obsequio, & bonos habeas contubernales, qui vitæ & honestatis tuæ custodes sint & testes. Idem.

Gratulãdũ est cũ mali de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oues Christi sæua sua & venenata cõtagione prædẽtur. Cohęrere & cõiũgi nõ potest amaritudo cũ dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Cyprian. de simplicitate prælatorum. *Cypria.*

Probi viri ad improbos accedentes, multo facilius vitia trahũt, quam virtutem illis impertiantur. Nillus. *Nillus.*

Super illud psal. Declinate à me maligni. Remedium est quem conuerti velle non videris, vitare si possis. Caſſ. *Caſſ.*

Sicut currẽtes equi cursu inuicẽ certant: ita & optima quoque societas se inuicem excitat. Clima. de compend. sup. dict. recap. *Clim.*

Mater mea & fratres mei sunt ij, qui faciunt voluntatem patris mei qui in cœlis est. Ille tibi pater sit, qui ad deponendam peccatorum sarcinam collaborare tibi & potest & vult: Mater vero cõpunctio sacra, quæ te possit sordibus abluere: Frater autem is, qui tecum ad cœlestem cursum perficiendum laborat & certat. Sociam tibi & vxorem quære, quæ nunquam à te separetur, memoriam mortis. Porrò filij tibi sint amarissimi gemitus cordis: seruũ posside corpus tuum. Amicos vero fac virtutes Angelicas, quæ

tibi exitus tui tempore auxiliari poterunt, si eas modo tibi amicas familiarius feceris. Hæc est sanè generatio quærentiũ Deum. Hos ergo parentes pro ijs quos relinquis, suscipere debes. Climacus.

COLLE. ¶Sicut in suauissima multarum vocum consonantia si vel vna tantum dissona vox ijs accedat, totam harmoniam dissoluit: ita vel vnus improbus in conuentu & societate bonorum moribus inter se similium, totam planè societatis concordiam turbare solet. Propter quod Salomon ait: Eijce derisorẽ, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causæ & contumeliæ. Item Apostolus, Modicũ fermentum totam massam corrumpit. Est enim natura mali potẽtissima. Nam cum ad malum omnes propter cõmunis peccati morbum propensi simus, facile quouis addito impulsu ad malum ferimur. Denique potentior est exigua aceti portio ad vini pretiosi dolium corrumpendum, quàm totum illud dolium ad exiguam aceti portionem in vinum permutandam: vsque adeò vis destruẽdi, quàm construendi potentior est.

Appetendam esse piorũ societatem monet Eccl. his verbis: Si videris sensatum, euigila ad eũ, & gradus ostiorũ illius exterat pes tuus. Cõtra vero de malorũ cõtubernio dicitur: Qui tangit picem inquinabitur ab ea: Et qui cõmunicat superbo, induet superbiã. Itẽ, Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur. Huc spectat & illud Eccl. 13. Quis medebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropinquant bestijs? Sic & qui comitatur cũ viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius, significat his verbis, idẽ esse periculũ cũ prauis hominibus atque cũ serpentibus & feris cõmorari. Hinc paulo post ait: si cõmunicabit lupus agno aliquando, sic peccator iusto. Quæ cõmunicatio sancto homini ad canẽ? De societate vero bonorũ subdit protinus. Pondus supra se tollit, qui honestiori se communicat.

Quo studio improborũ contubernia vitanda sint, satis Propheta declarat psal. 100. Sic enim ait: Superbo oculo & insatiabili corde, cũ hoc nõ edebam. Nõ habitabit in medio domus meæ qui facit superbiã: qui loquitur iniqua non direxit in cõspectu oculorũ meorũ. Nouerat enim periculũ illud, de quo psalm. 105. agitur: Et cõmisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierũt

Sculpti-

sculptilibus eorum, & factum est illis in scādalum. Cuius rei gratia tanta seueritate Dñs in lege connubia cū Cananæis interdixit. Certissimè enim (inquit) peruertent vos, vt sequamini Deos eorū. Quod quia Salomon neglexit, miserabiliter corruit. Hinc Dominus Iosaphat regi amicitias cū Achab rege perfido gerenti, per prophetá dixit: Impio præbes auxiliū, & his qui oderūt Dñm, amicitia iungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona inuenta sunt in te &c. Huius ergo precepti propheta memor ait: Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Quantū societas improborum in Ecclesia noceat, declarat Spōsa in Canticis cum ait, Nolite mirari quod fusca sim, quia decolorauit me sol. Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Duas defor mitatis suæ causas assignat, alteram, carnalis concupiscentiæ æstū, quam solis nomine significat: alteram, prauorum hominum societatem: qui pios prauis exemplis, & consilijs, irrisionibus, adulationibus, & varijs iniurijs impugnat, & ad malum prouocant. Vnde est illud: Homo homini Dæmon: sicut contra de bonis dicitur, Homo homini Deus. Hinc illud. Quia abundauit iniquitas, refrigescet multorum charitas.

Qua cura improborū hominū consortia vitanda sint ne contagio suo cæteros inficiant, typicè Dominus, Numer. 5. declarat his verbis: Præcipe filijs Israel, vt eijciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo: tam masculum, quam fœminam eijcite de castris, ne contaminent ea cum habitauerint vobiscum. Quod si hæc cautio propter salutem corporis tuendam adhibenda est, quid propter animæ salutem facere par est, quæ tam facile malorum contubernio maculatur? Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua: Et, sermo perditorum hominum vt cancer serpit. Hoc ipsum Dominus Leui. 11. sub animalium immundorum imagine adumbrauit: quem locū magno artificio (sicut cætera) tractat Origenes, cuius hic aliquot verba subijciam, vt hoc exemplo concionatores tractandi allegorias cæterosque sensus mysticos formam & rationem addiscant. Ait igitur homil. 7. super Leuiti. Iam videamus aliqua ex his quæ de mundis atque immundis animantibus lecta sunt. Sed ad hæc inuestiganda scripturæ diuinæ testimonijs indigemus, ne quis putet

 quod

quod ego vim faciam ſcripturis,& ea quæ de animalibus in legẽ
referũtur,ad homines traham.Ne ergo aliquis hæc deprauari hu-
mano credat ingenio,Apoſtoli ad hoc autoritas aduocãda eſt,qui
omnia Iudæis in figura contigiſſe ait:Afferam & vas illud quadrã
gulum quod Petro oſtenſum eſt,Aſcẽdit enim is in ſuperiora do-
mus vt oraret,videlicet quia mortuus iam cum Chriſto, quæ ſur-
ſum ſunt quærebat.Raptus ergo in extaſim vidit linteum magnũ
quatuor initijs ſubmitti de cœlo,in quo erant omnia quadrupedia
terræ & beſtias & reptilia & volatilia cœli.Oſtendit autẽ protinus
Orige.per hoc animalia mũda & immũda homines intelligi debe
re mũdos & immũdos. Per aquilã igitur & acipitrẽ reliquaſq; ſi-
miles aues quæ ex rapto viuũt,& mortuorũ carnib⁹ inhiãt,rapto-
res & violentos homines intelligimus,aliorũ patrimonijs inſidiã-
tes.Per noctuã vero & veſpertilionẽ,omnes eos qui tenebris dele
ctantur,& lucem oderunt:vt pote qui male agant.Vnuſquiſq; igi
tur hominũ proximo ſuo verbis & exẽplis aut mundũ præbet ci-
bum,aut immundũ.Si ſecundum hãc intelligẽtiã dicamus Deum
omnipotentẽ leges hominibus promulgaſſe,puto quod digna vi
debitur Dei maieſtate legiſlatio.Si vero aſsideamus litteræ, & ſe-
cũdum hoc vel quod Iudæis,vel quod vulgo videtur accipiamus
quæ in lege ſcripta ſunt,erubeſco dicere & confiteri quod tales le
ges tulerit Deus.Videbuntur enim magis elegantes & rationabi-
les hominũ leges,verbi gratia Romanorũ,vel Athenienſium, vel
Lacedęmoniorũ.Si verò ſecundum hanc intelligentiam quã do-
cet Eccleſia accipiatur Dei lex,tunc planè omnes humanas ſuper-
eminet leges,& verè lex Dei eſſe creditur.Hactenus Orige. His er
go legibus typice monemur,ne ſimus tales quales ij,qui per talia
animalia figurantur,atque vt ab eorũ ſocietate & conuictu abſti-
neamus,ne corruptis ipſorũ moribus mentes noſtræ inficiantur.

Magni eſſe periculi,ſed magnę item gloriæ bonum inter malos
eſſe,copioſe idem Origenes & eleganter declarat in lib.Iob ſuper
illo verbo,Vir erat in terra Hus nomine Iob.Iſti ex genere fuerũt
Eſau:à quo & Auſitidæ ſunt vocati.Et quales erant iſti Auſitidæ?
Impij,infideles,obſcœni,inſatiabiles ſicut & pater eorũ Eſau, de
quo dictũ eſt,Nemo ſit obſcœnus & inſatiabilis ſicut Eſau.Quod
ſi dixerit aliquis,Cùm ergo talis fuerit Eſau, atque generationes
eius,quomodo fuit Iob ex illis atq; inter illos pius? Ita fuit ſicut
mox

mox in principio Abel innocens cũ Cain iniusto: sicut Noe iustus inter gigantes illos sceleratos: sicut Melchisedech sacerdos Dei altissimi in medio maledictorũ Cananæorum: sicut Abrahã qui credidit in medio Caldæorum, idola colentiũ. Vir igitur hic erat in regione Ausitidæ. Erat, inquam, sicut rosa inter spinas, sicut liliũ inter tribulos, candidus ac rubens. Candidus fide ac sanctitate, rubens velut rosa planè: quia sustinuit dolores ac passiones. Vir quidem erat in regione Ausitidæ, erat tãquã columba inter raptrices aquilas, tanquam agnus in medio luporum diripientium, tanquã stella in medio nubium teterrimarum. Vir quidem erat iustus inter iniustos, inter profanos sanctus, inter obscœnos mundus, pius inter impios, bonus inter malos, tanquam smaragdus in luto, tanquam margarita in arena. Sic namque erat memoratus ille vir in regione Ausitidæ. Cùm ergo inter tales esset, non talis fuit quales illi: cum inter impios esset, non declinauit ad impietatem: cùm esset inter iniustos, non est commistus eorum iniustitijs: sed permãsit in medio impiorum tanquam adamas immobilis, tanquam lucerna inextinguibilis, tanquam lumen quod non immutatur, tanquam radius qui non occidit. Sic etiam nos oportet esse ô amici, vt fulgeamus tanquam luminaria cœli in mundo, verbum vitæ continentes in diem Christi. Hactenus Origen. Hic locus magnã cum precedente affinitatem habet. Vterque enim ad peccatorum occasiones vitandas adhortatur.

Peccatum veniale.

Nonnunquam in parua deterius quam in maiori culpa peccatur. Maior enim quò citius quia sit culpa agnoscitur, eò etiã celerius emendatur: minor vero dũ quasi nulla creditur, eò peius, quò & securius in vsu retinetur. Grego. in Pastora. *Gregor.*

Cum per leuia delicta deflectimus, vsu cuncta leuigante, non timemus postea grauiora cõmittere. Greg. in mor. lib. 10. c. 14.

Sicut quædã subito destruuntur, vt mons cadens defluit, & rupes mouentur de loco suo: quædã autem paulatim vt lapides excauãt guttæ, & alluuione terra cõsumitur: ita quędã repẽte cadũt, alia autẽ assiduitate labũtur. Et ideo subdit Iob, Et homines ergo similiter perdes. Dauid cito perijt, Salomõ paulatim consumptus est.

eſt.Gregor.lib.12.cap.13.moral.

Auguſt. Nullum peccatum adeo paruum, quod nõ creſcat neglectum; non enim conſiderandum eſt quid fecerit, ſed quem offenderit, quam bonus eſt, quam benignus, quam pius. Aug. de Pœniten.

Nolite contemnere venialia, quia minima ſunt, ſed timete quia plura ſunt. Plerumque enim beſtiæ minutæ necant. Nunquid minutiſsima ſunt grana arenæ? Sed ſi arenę multum in naui mittatur, mergit illam. Quàm minutæ guttæ pluuiæ, nõne flumina implẽt, & domos deijciunt? Timenda eſt ergo ruina multitudinis, & ſi nõ magnitudinis. Idem libro de decem cordis.

Euſeb. Emiſſe. Interdum nobis leuia ac vilia facit peccata noſtra ipſa cõſuetudo peccãdi: cum certum ſit, nos ſicut de minimis bonis augeri, ita de minimis negligentijs debere compungi. Non eſt enim minimum in vita hominum negligere minima. Neſcio de quibus delictis debeant eſſe ſecuri, etiam de peccatis ignorantiæ iudicandi, ac de otioſis ſermonibus, ac de cogitationibus rationem reddituri Euſeb. Emiſſ. ad mona. hom.5.

Iſidor. Quemadmodum ad virtutis tendentes culmen, non à ſummis inchoãt, ſed à modicis, vt ſic ſenſim ad altiora pertingãt: ita & qui dilabuntur ad vitia, non ſtatim à magnis criminibus incipiunt, ſed à modicis aſſueſcunt, & ſic ad maxima proruunt. Iſidor. de ſum. bon.

COLLIE. ¶Anima in gratia exiſtens velut cryſtallus quidam nitidiſsima eſt: quæ radijs ſolis obiecta, miro modo ſplendeſcit: At ſi luto fœdetur, totum illum ſplendorem amittit: ſi vero puluere conſpergatur, non omnino obſcuratur, ſed minus tamen ſplẽdebit. Lutum autem velut mortiferum peccatum eſt, quod totum animæ nitorẽ fœdat: puluis vero inſtar venialis eſt quod ſplendorem animæ nõ nihil fuſcat: venialia nanque peccata non charitatem, ſed charitatis feruorem adimunt.

Ignis lignũ combuſturus, non protinus ligni formam corrumpit, vt ſuam inducat: ſed paulatim illius accidentia deſtruit: quibus deſtructis, facile forma eius corrumpitur & alia introducitur. Sic igitur Dæmon ad leuiora nos primum incitat delicta (quæ ſunt tanquam ſpiritualis vitæ accidẽtia) deinde ad maiora trahit. Hinc *Eccl. 7.* ſcriptum eſt, Qui timet Deum, nihil negligit.

Clauus

Clauus in pariete alte infixus, si hinc atque hinc repetitis ictibus concuciatur, tandem euelletur. Sic igitur venialia peccata, si frequentius iterentur, constantiam animi, & firmum non peccandi propositum labefactare sæpe solent. Quare quisquis à lethali peccato immunis esse cupit, venialia quoque studiose ac diligẽter vitanda curet.

Quanuis in venialia peccata interdum pij homines labantur, non ideo sancti esse desinunt, qui alias ad vitæ puritatem toto corde aspirant, & sanctitatis affectum & studium habent. Ipsos enim Apostolos Christus Dominus quotidie hoc modo orare docuit. Dimitte nobis debita nostra. Hoc autem Sponsa in Cant. insinuat cum ait: Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem. Fuscatio igitur vel nigredo venialium delictorum, non impedit quo minus anima formosa sit. *Cant. 7.*

Peccatum inueteratum, vel consuetudo peccandi.

VSitata culpa obligat mẽtem, vt nequaquam resurgere possit ad rectitudinem: conatur enim & labitur, quia vbi diu sponte perstitit, ibi etiam cum noluerit coacta cadit. Gregor. in hom. *Gregor.*

Moles imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, qua premitur anima: nec resurgere nec respirare permittitur. Dictum est autem de Lazaro, quatriduanus est. Reuera ad istam consuetudinem de qua loquor, quodam progressu peruenit anima. Prima est, quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertia factum, quarta consuetudo. Idem sup. Matth. hom. 45. *August.*

Nolite fratres mei contemnere peccata, in quibus fortè consuetudinem iam fecistis: omne enim peccatum consuetudine vilescit: & fit homini quasi nullum sit, obduruit iam, dolorem perdidit, & valde putre est, nec dolet. Quod non dolet non pro sano habendum est, sed pro mortuo computandum. Quando aliquid pũgitur & dolet, aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis. Quando autem tangitur, pũgitur, calcatur nec dolet, pro mortuo habendum, ac de corpore præcidendum. Idem in serm. de Aduentu.

Videa-

Euſeb. Emiſſe. Videamus primum quid eſt, peccator adijciet ad peccandum, verbi gratia, mali cuiuſlibet, aut obtrectationis paſsio impugnare me cœpit: ſi non ſtatim me pœnitudo vitij huius momordit: cras tanta mihi huius vitij facilitas veniet, & quædam (vt ſic dixerim) ſuauitas, vt reuocare me ab illo & continere non poſsim. Ita enim euenit, vt qui primo tempore emendari noluerit, incipiat in ſequenti nec velle, nec poſſe. Verbi gratia, ſuperbiæ acquieſcere cœpi, regulam violaui, ſeniorem læſi, iuniorem deſtruxi, ſi non ſtatim me pœnituit tam grauiter fuiſſe præuentum, ita de die in diem libentiſsime me rapiet ipſa violentia conſuetudinis, & impetus paſsionis, vt iam nec delinquere me intelligam, nec peccare me ſentiam. Obſcurat enim & obruit intellectum onus delicti, & aſsiduitas delinquendi. Euſeb. Emiſſen. ad monachos homil. 3.

Habet hoc infœlix conſuetudo peccandi, vt quanto amplius quiſque peccauerit, tantò minus peccata ipſa intelligat, & tanto plus eum peccare delectet: vt eueniat illud quod Propheta peccatoribus clamat, Non eſt Deus in cóſpectu eius, auferuntur iudicia tua à facie ipſius. *Pſal. 9.* Etenim quando ſubrepit peccandi delectatio, ſtatim futuri iudicij diem abſcondit obliuio. Idem ibid. hom. 5.

Clima. Dum adhuc recens atque in ſanguine eſt vulnus, facile curari ſolet: nam quæ diuturna & neglecta, atque obducta vetuſtate ſunt, difficillime ſanantur, ingentique labore & ferro, & cauterio, & igni viſibili, vt curari poſsint, indigent. Plurima ſunt quæ tempore fiunt inſanabilia: Deo tamen omnia ſunt poſsibilia. Clima. de Pœnit. c. 5.

Sicuti ferrum etiam ſi nolit, ad magnetem perfugit naturæ vi ſecretiſsima pertractum: ita & qui anticipationibus delictorum aſſueti, in earum habitum tranſierunt, violenter ab eis opprimuntur. Idem in compend. ſupradict. om. recapit.

Chryſolo. Nihil tam firmum eſt in rebus humanis, quam veteris conſuetudinis tyrannis. Chryſol.

Maxi. Qui non aſſueſcit virtuti dum iuueneſcit, à vitijs neſcit diſcedere quando ſe neſcit. Maxi. in ſerm. de Ioanne Baptiſta.

Iſidor. Iſtis fomitibus quaſi quibuſdam gradibus coaleſcit omne peccatum: cogitatio nanque praua delectationem parit: delectatio cóſenſionem, conſenſio actionem, actio conſuetudinem, conſuetudo ne-

do necessitatem, necessitas mortem. Sicque in his vinculis homo implicatus, quadam cathena vitiorum tenetur adstrictus. Isidor. de sum. bon. cap. 20.

Mortuum medicare, & senem admonere, idem fuerit. *Dioge.*

Naturam accusare non debemus cum iucundam aut iniucundam vitam omnem efficiat consuetudo. Philon. *Philon.*

Consuetudo à paruis initium capit: neglecta autem vim maximam accipit Polyænus. *Polyæn⁹.*

Vt in aspidis ictu nullum est remedium, nisi vt partes cõtactæ amputentur: ita quædam vitia sola morte sanari possunt. Arist. *Aristot.*

Canis antiquus, cathenæ assuefieri non potest. *Ex diuersis.*

Consuetudo quouis tyranno potentior.

Multis ictibus deijcitur quercus.

Qui multa sunt sæpe perpessi, facilius ferunt quicquid accidit, obduruisseque se se contra fortunas arbitrantur. Vt ille apud Euripidem. *Cicer.*

Si mihi nunc tristis primum illuxisset dies,
Nec tam ærumnoso nauigassem salo
Esset dolendi causa, vt iniecto equulei
Fræno, repente tactu exagitatur nouo
Sed iam subiecto miserijs obtorpui. Cicero. 3. Tuscul.

Corruptela malæ consuetudinis, igniculi extinguuntur à natura dati, exoriunturque & confirmantur vitia contraria. Idem. 1. de legib.

Non ingenerantur hominibus mores tam à stirpe generis & seminis, quàm ex ijs rebus quæ ab ipsa natura loci, & à vitæ consuetudine suppeditantur. Idem, de legib. Agrar.

COLLE.

¶ Praue consuetudinis vim explicat illa Salomonis increpatio, vsquequo inquit, piger dormies? quando consurges de somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas vt dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & mendicitas, quasi vir armatus. Viator paulatim progrediens, tandem peruenit quò destinauit: sic qui peccata peccatis addit, ad cumulũ malorũ appropinquat. Vir autẽ armatus difficilis ad superandũ est. Talis autẽ est praua consuetudo, quæ difficillime superatur. Vnde est illud Hieremiæ, si potest æthiops mutare pellem suam, *Prouer. 6* *Hiere. 13.*

& par-

& pardus varietates suas ita & vos poteritis benefacere, cum didiceritis male.

Consuetudo peccandi vel minuit, vel omnino tollit sensum peccati. Sic fodiendi insuetus, cum primum tractare ligonem cœpit, laceratur ac læditur: at vbi diu assuetus, callos obduxit, iam nihil fere sentit: Ita quò quis diutius peccatis assueuit, hoc minus mortifera peccati vulnera sentit.

Obstinatio in peccatis, vel cæcitas mentis.

Gregor. CVM ab autore relinquimur, nec ipsa destitutionis nostræ damna sentimus: fitque anima nostra tanto securior, quanto peior. Gregor. in mor. lib. 9. cap. 36.

Iob. 10. Super illud Iob: Reuersus mirabiliter me crucias sic ait. Relinquendo me, non me afficis, quia insensibilem reddis: sed dum reuerteris crucias: quia dum te insinuas, mihi me quam sim lugēdus demonstras. Greg. vbi supra. c. 42.

Iob. 24. Idem super illud: Ipsi rebelles fuerunt lumini. Sic ait. Quia superbi nolunt facere quod cognoscunt, hac pœna puniūtur vt nec cognoscant mala quæ faciunt. Quia enim prius sciendo rebelles sunt, postea cœcantur vt nesciant. Greg. in mor. lib. 16. cap. 26.

Iob. 24. Super illud. Sic in tenebris quasi in luce ambulant, sic ait, Quia sic in præsenti cœcitate læti sunt, ac si æternæ patriæ luce perfruātur. Vel quia ita gaudent in nocte peccati, ac si eos iustitiæ lux circunfundat. Greg. vbi supra. cap. 29.

Quod in die iudicij visibiliter facturus est Dominus, vt alios in æternum deserat, alios admittat, hoc facit quotidie inuisibiliter, dum aliorum corda ad se trahit, aliorum indurat. Gregor. 25. moral. cap. 9.

August. Illa est pœna peccati iustissima, vt amittat vnusquisque illud quo bene vti noluit, cum sine vlla difficultate posset, si vellet: id est, vt qui sciens rectè non facit, amittat scire quod rectum sit, & qui rectum facere cum posset, noluit, amittat posse, cū velit. Aug. lib. 3. de lib. arbi.

Nequeunt enim oculi assueti tenebris, summæ veritatis radios intueri,

intueri, nec sciunt de lumine aliquid æstimare, quorum est in tenebris habitatio. Tenebras vident, tenebras diligunt, tenebras approbant, de tenebris euntes in tenebras, nesciunt vbi corruant. Miseri qui nesciunt quid amittunt: & miseriores vtique, qui sciunt quid amittunt; qui cadunt apertis oculis, & descendunt in infernum viuentes. O lux beatissima, quæ non nisi à purgatissimis oculis videri potes. Aug. in medita.

Quid est cor durum? ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, sæuum ad iudicia, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens, ipsum est, cui præter solas iniurias, nihil omnino non præterit: futurorum nulla nisi fortè ad vlciscendum prospectio est. Bernard. lib. 1. de considera. *Bernar.*

Longius à salute membrum abest, quod obstupuit, & ægrum se se non sentiens, periculosius laborat. Idem ibidem.

Quis magis mortuus eo qui portat ignem in sinu, peccatum in conscientia: nec sentit, nec excutit, nec expauescit? Idem ibidem.

Ira Dei est non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia. Sicut scriptum est, Et dedit illis Deus spiritum transpunctionis, ne reuertantur, & curentur. Cypria. Epist. 3. *Cypria.*

Viderunt faciem Stephani, tanquam faciem Angeli, quanquã non fuit hoc illis gratia meriti, sed pœna peccati. Nam dum morientis proditur gloria, persequentis torquetur inuidia. Aduerte concepta semel iniquitas in quantum captiuos possideat sensus: impietatem suam in illius decore perspiciunt, & tamen peragere triumphum eius in sua immanitate non desinunt. Euseb. Emiss. in hom. de S. Stephano. *Euseb. Emisse.*

Omnes quidem Dæmones primum intellectum nostrum obnubilare contendunt, atque ita demum ea quæ sibi amica sunt suggerunt: nisi enim mentis nostræ claudantur oculi, thesaurum nostrum furari non poterunt: sed fornicationis spiritus, multo cæteris violentius instat. Clim. Grad. 15. *Clima.*

Insensibilitas, mala sua sic apud Climacũ explicat. Ij, qui mihi

R foedere

fœdere deuincti sunt,mortuos videntes rident,in oratione stantes lapidei toti & duri,tenebrisque pleni sunt:sacramque intuêtes mensam, quasi ad gustandum communem panem conuenerint, affecti sunt.Ego risus mater,ego somni sum nutrix,ego satietatis amica,ego cum reprehendor non doleo,ego falsæ religionis speciei connexa sum.Me satietas roborat,me tempus auget,me pessima consuetudo consolidat:ea vero quæ detinetur,à me nunquã liberabitur.Clim.Grad.17.

Cicero. Est in quibusdam tanta peruersitas,vt inuentis frugibus,glãde vescantur.Cicero.In orat.ad Brut.

Qui maleuolo sunt animo,deteriores sunt rogati. Idẽ Curioni.fam.2.

COLLE. ¶ Ægypti tenebras horribiles fuisse perhibẽtur.Talis planè est eorũ cœcitas quos Deus iusto iudicio excecari permittit. De quibus dicitur,Peccator cũ venerit in profundũ malorũ cõtẽnit: vt pote quẽ nulla res quamlibet magna ad pœnitẽtiã flectat. Id multis exẽplis probari potest.Primũ est Pharaonis, filios Israel per mare insequentis:quo quid demẽtius esse potuit? O miser quomodo eos audes insequi,quibus Deus stupendo & inaudito miraculo, maria patefacit?Idẽ etiã patet exẽplo eorũ qui Lazarũ à mortuis excitari viderunt,qui tamẽ in perfidia sua perstiterunt.Et eorũ item qui retro ceciderũt,cum ad capiendũ Dñm venissent.Idem etiam declarat Iehu regis Israel exẽplum,qui videns domũ Achab propter Idololatriæ crimen ad internecionẽ vsq; deletam, idemque omnes cultores Baal interfici iussisset:nihilominus tamẽ idolis & ipse seruiuit.Itẽ exẽplũ Iudæorum, qui post vastatam à Chaldæis Hierosolymam,ad Egyptum perrexerunt,vt idola colerent: asserentes se,cum idolis sacrificarent,secunda omnia habuisse, nihilque aduersi perpessos fuisse:cum tamen propter hoc scelus vastati fuerint.Quid vero Iudæi,qui tot Domini miraculis inspectis,in incredulitate sua permanserunt?

Moses vbi peccatum populi vidit,legis tabulas fregit,quasi lucis illius beneficio(quæ per legem erat)indignus esset. Præcipua enim peccati pœna, cœcitas mentis est. Hinc illud Prophetæ,

Mich.3. Propterea nox vobis pro visione erit &c. Et,occumbet sol super Prophetas.Item,Mittet Deus illis operationem erroris, vt non

acquie-

acquiescant veritati. Et Apocalyp. 2. Nisi pœnitueris, veniam tibi cito, & mouebo candelabrum tuum de loco suo. Omnia hæc subtractionem diuini luminis, propter admissa flagitia minantur. Quare non mirum est, si adeò stupidi & cœci ad prædicatorum & Ecclesiæ voces sunt, quicunque diutius in peccato perseuerant. *Apoc. 2.*

Ne contendas cum pessimis, & ne æmuleris impios: quoniam non habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum extinguetur. Hoc autem fere obduratarum mentium est. Vt quãuis veram futurorum fidem & cognitionem habeant, sic tamen viuant, sic se gerant ac si nec mortem, nec iudicium, nec aliquid aliud post mortem esse crederent. Vnde multi eorum totam vitam in sceleribus transigunt, nec illis tamen aut conscientia vermis, aut futurorum spes vel metus somnum ab oculis excutit. Hanc autem cœcitatis & obdurationis pœnam designant illa Salomonis verba: Considera opera Dei, quod nemo posit corripere quem ille despexerit. *Eccl. 7.* Cæterum qui eò vsque progresi sunt, vt sine vllo doloris sensu, imo cum gaudio delinquant, timeant illa Eccl. verba, Qui autem exultant in malis, consenescunt in malo.

Timendum semper est ne eò vsque procedat pertinacia & obstinatio nostra vt à Deo tandem deseramur, tradamurque in reprobum sensum. Hoc est enim summum illud periculum à quo vates sanctus liberari petebat cum diceret, Non me demergat tempestas aquæ, neque. a. m. p. neque vrgeat super me puteus os suum. *Psal. 68.* Clauso enim putei ore quæ spes emergendi relinqueretur? Ad hunc statum autem peruenerat qui dicebat. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. *Thren. 3.* Nemo autem hunc lapidẽ amouere potest, nisi is solum qui Lazarum à morte excitaturus, prius dixit, tollite lapidem.

Cùm multa sint inter veterem & nouam legẽ discrimina, hoc vnum solicitè & cum magno metu annotandum est, quod lex vetus vt carnalia potissimum præcipiebat (hoc est vt Apostolus ait iustificationes carnis) ita carnalia tum præmia tum supplicia hominibus frequenter proponebat. At contra, noua lex vt maximè spiritualis est, ita siue præmia siue supplicia spiritualia hominibus potissimum cõstituit, qualia sunt hæreses, Dei contemptus, &c. Inter huiusmodi autem supplicia, grauissimũ est cœcitas cordis: de quo

Psal. 68. Propheta dicit, Obscurentur oculi eorum ne videant. Item Esa. 6. *Isai. 6.* Excœca cor populi hui⁹, & aures eius aggraua, & oculos eius claude &c. Hinc autem sequitur quod ante præmiserat, Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, &. n. p. De hoc item *Deu. 28.* supplicio Deuter. 28. legimus, Percutiat te Dominus cœcitate & amentia: & palpes in meridie &c. Quo quidem supplicio percusi *Isai. 59.* erant, qui apud Esai. dicunt, Palpauimus sicut cœci pariete, & quasi absque oculis attrectauimus, Impegimus in meridie, quasi in tenebris. Vehementer autem suspicor multos hodie Christianorũ hoc affectos esse supplicio: quos videmus nullis Dei nec verbis, nec verberibus, aut coerceri, aut salutis suæ reminisci: nullus enim horum est qui, vt Hieremias ait, agat pœnitentiam super peccato suo dicens, Quid feci?

Quemadmodum inter virtutes omnes quibus anima decoratur primum in ordine locum tenet fides quæ intellectum, (à quo omnis actio proficiscitur) illustrat: ita contra cœcitas mentis vitiorum omnium quibus anima fœdatur, initium est. Intellectu enim cœcutiente (qui humanæ voluntatis ductor est) quid rectè geri & *Matt. 15.* administrari poterit? Si enim cœcus cœco ducatum præstet, nõne ambo in foueam cadent? Hinc orta est vulgata illa Philosophorũ sententia, Omnis peccans est ignorans: Errare enim voluntas nõ potest nisi intellectus prius erret, qui eius velut oculus & antesignanus est. Vnde facile constat mentis cœcitatem malorum omniũ *Ezec. 34.* seminarium esse. Id quod Dominus non obscurè per Ezechielem significauit, cum pollicetur se tandem liberaturum oues suas ex omnibus locis in quibus dispersæ erant in die nubis & caliginis. Quibus verbis hoc innuere voluit, quod quemadmodum densa & atra nebula, quæ visum adimit, in causa est vt oues à se inuicem separentur, & per varios saltus & præcipitia dispergantur, & in cursibus ferarum pateant: ita planè caligo & cœcitas mentis (quã cupiditatum nostrarum nebulæ rationi obfundunt) in causa est, vt rationales oues, hoc est, homines, à via virtutis & veræ fœlici- *Hier. 50.* tatis aberrantes, in varios præcipitentur errores. Quos quidem errores per Hieremi. Dominus lamentatur cum ait, Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos: feceruntque vagari in montibus: de monte in collem transierunt: obliti sunt cubilis sui. Hoc est, ignorato veræ fœlicitatis fonte, circa

turbidas

turbidas & lutulentas carnalium voluptatum lacunas (vt sitim suã explerent) errauerunt.

Quàm sit immedicabile malũ, cœcitas cordis declarãt illa Dñi verba, Non audiet vos Pharao vt multa signa in Ægypto fiant. Quod reipsa Ægyptij ostenderunt, qui emisso iam post tot horrẽdas plagas è finibus suis populo, pœnitentia ducti, se ipsos quasi temeritatis accusant dicentes, Quid est quod facere voluimus, vt dimitteremus Israel ne seruiret nobis? Iunxit ergo Pharao currũ, & omnem populum &c. Quid hac cœcitate atque insania cogitari dementius potuit? Sed eò tamen cœcitatis ac amentiæ deueniũt, qui à Deo deseruntur. *Exod.* 11.

Vbi animus in scelere obfirmatus & obcœcatus est, mirabiliũ quoque signorum conspectu nihil commouetur, Exemplo nobis ad hoc erit Hieroboam Rex, qui nec dexteræ suę ariditate neque eiusdem mirabili restitutione, neque altaris confractione, à sacrilego consilio suo reuocatus fuit. Hoc enim scriptura designauit cũ ait, Post hæc verba non est reuersus Hieroboam de via sua pessima: sed è contrario fecit, &c. 3. Reg. 13. Idem etiam apparet in eo principe quinquagenario, qui ad capiendum Eliam à rege missus est, qui post milites cœlesti igne absumptos, eum capere pręsumebat, qui vno verbo cœlis vt ignem pluerent, præcipere poterat. Quo quid dementius? *3. Reg.* 13. *4. Reg.* 1.

Peccantium multitudo, siue corruptio morum.

DVodecim sunt abusiones seculi: scilicet sapiens sine operibus, senex sine religione, adolescens sine obedientia, diues sine eleemosyna, fœmina sine pudicitia, dominus sine virtute, Christianus contẽtiosus, pauper superbus, Rex iniquus, Episcopus negligens, plebs sine disciplina, populus sine lege. August. de. 12. abus. *August.*

Quod potest redimi non timetur: esse iam inter innocẽtes innoxium, crimen est: malos quisquis non imitatur, offendit. Consensere iura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est. Cypria. Epist. 2. *Cypria.*

Saluia. Ratio prouidentiam tollentium, in hoc sita erat, vt quoniam Christiani essent, cunctis gẽtibus sanctiores, futuri quoque essent cæteris beatiores. Probat autem. 6. libris Saluianus, deteriores penè nos esse cæteris gentibus: partim quod grauiora nonnunquam peccamus: partim quod etiam si eadem committimus, fidei tamen & Christianæ professionis gratia, grauioris apud Deum culpę rei sumus. Nec vero abiecti solum homines peccant, nobiles vero nõ peccant. Quid est enim cunctorum negotiantium vita, quã fraus, atque periurium? Quid est aliud curialium, quam faustus & luxuria? Quid est aliud officialium, quam calumnia? Quid militãtium, quam rapina? Denique sæculum totum in maligno positum esse dicitur. Merito enim totum in malo positum est, vbi boni locum habere non possunt: Statim enim vt quis melior esse tentauerit deteriorum abiectione calcatur: ac per hoc quodammodo omnes mali esse coguntur, ne viles habeantur. Quantus quæso in Christiano populo Christi honor est, vbi religio facit ignobilẽ? Saluia. cont. Gent.

COLL. I. ¶De corruptione morum ac totius vitæ multa leges Esai. 49. Itẽ Ezechielis. 22. Et item Micheæ. 7.

Pœna, vel punitio quæ peccatis irrogatur.

AD LECTOREM.

QVoniam assiduis varijsque calamitatibus quotidie vrgemur (sæpè enim fame, sæpe pestilentia, varijsque morbis & & bellis infestamur) debet vtique pius concionator & humanæ salutis auidus hac temporum occasione vti, vt homines ad veteris vitæ pœnitentiam & peccati odium inducat: cum facile constet hæc omnia mala à iustissimo vindice Deo propter peccata immitti. Qua de causa paulò in hac materia longiores fuimus, varia scripturæ loca præsertim ex prophetis congerentes, vt habeat Ecclesiastes vnde hoc argumenti genus tractare commodius possit.

PEccatum quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantũmodo, sed peccatum eſt & pæna peccati: quia iuſto iudicio omnipotens Deus, cor peccantis obnubilat: vt præcedentis peccati merito, etiam in alia cadat: vt qui malũ ſciens perpetrat, deinceps iuſte in alia etiã nolens cadat. Greg. lib. 24. mor. c. 12. *Gregor.*

Quem præſentia mala non corrigunt, ad ſequentia perducunt. Greg. vbi ſupra.

Iuſtitia exigit, vt quod ſponte fecimus, inuite toleremus. Gregor. vbi ſupra lib. 4.

Super illud Iob. 5. De humo non egredietur dolor &c. Quia nõ de ea creatura naſcitur pæna, quæ percutit: ſed de ea quæ peccando, vim percuſsionis extorſit. Greg. lib. 6. mor. c. 4. *Iob. 5.*

Peccatoris mens tanto altius tenebreſcit, quanto nec damnum ſuæ cœcitatis intelligit. Vnde fit diuino munere vt flagella oculos delinquentis aperiant, quos inter vitia ſecuritas cœcabat. Gregor. vbi ſup. c. 17.

Torpens animus percuſsione tangitur, vt excitetur aſperitas correptionis, origo fit luminis: & argumentum ſalutis eſt vis doloris. Greg. vbi ſup. vide locum.

Quibuſdam Deus per mala præſentia irrogare iam incipit tormenta ſequentia: ſolos quippe pæna à ſupplicio liberat, quos immutat. Greg. vbi ſup. lib. 9. c. 33.

Super illud, Scribis contra me amaritudines &c. quod ſcribimus manet, Deus autem ſcriba amaritudinis dicitur: cum diu ſemper in nos eius flagella perdurant.

Reproborum vita tantò ſine flagello dimittitur, quãtò ad nulla præmia ſeruatur. Greg. lib. 12. mor. c. 15.

Super illud: Qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius, Mali poſt ruinam oculos aperiunt: quia in pæna culpam vident. Boni autem ante culpam oculos apertos habent, quia vident quòd peccare nõ debent. Greg. lib. 15. mor. c. 24.

Sæpe malus indignationem conditoris quam in æternum paſſurus eſt, in hac quoque vita poſitus experitur. Reprobi ſemper vt glareę ad imma tendunt, licet ſuauiter. Greg. vbi ſup. c. 28.

Flagella bonorum aut vitia perpetrata purgant, aut quæ poterant perpetrari deuitant. Greg. lib. 16. mor. c. 19.

Flagellum tunc diluit culpam cum mutat vitã, omnis ergo Dñi

percufsio,aut purgatio vitæ præſentis eſt,aut initium pœnæ ſequẽtis.Greg.in mor.lib.18.c.11.

Iuſtus flagellatur vt corrigatur,quia illum pater ad gloriã ſeruat:iniuſtus in ſuis voluptatibus relaxatur:quia tantò ei temporalia bona ſuppetunt,quantò æterna negantur: ita enim vituli occidendi ſaginantur, laboraturus ſub iugo retinetur. Gregor.21. moral.

Quiſquis etiam pro peccato percutitur,niſi murmurandò renitatur:eò ipſo iam iuſtus eſſe inchoat,quò ferientis iuſtitiam non accuſat.Greg.23.mor.c.18.

Qui benigne hominem qui non erat condidit,eum qui iã eſt, non niſi iuſte flagellat.Greg.vbi ſuprà.

Iuſtos flagella cruciant ne opera extollant:iniuſti non flagellãtur,vt ſaltem hic benè habeant.Greg.24.moral.c.25.

Nunquam ſuam culpam reprobi, niſi in pæna cognoſcũt: quia pæna differtur,culpa deſpicitur.Greg.25.mor.c.9.

Peccatum prius,cauſa ſequentis: ſequens, pæna præcedentis. Greg.15.mor.c.12.

Sancti temporalem iram lucrum computant quò euadant æternam.Greg.26.mor.c.1.

August. Te nemo amittit,niſi qui dimittit.Et qui dimittit, quò it aut quò fugit:niſi à te placido,ad te iratum? Nam vbi non inuenit legem tuam in pæna ſua? Aug.confeſſ.lib.4.

Nihil eſt infœlicius fœlicitate peccantium, qua pænalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hoſtis interior roboratur. Idem in Epiſt.

Exod.5. Super illud,Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem:Subitò enim venit ira eius.Hoc(inquit)Aug.in multis impletur:quibus ob nimia peccata,& in præſenti,Dei ira ſuperuenit,& in futuro ſeruatur.Sed hoc nemo intelligit,nemo cognoſcit,nec quiſquã aduerſa ſuſtinens malis ſuis æſtimat irrogari: ſed quod pertulerit,cõſuetudinis potius putat eſſe,quam criminis.Et idcirco Deus in præſenti non videtur,punire peccãtes, quia cum punit,non cognoſcitur.Aug.de vit.Chriſtiana.

D.Chryſoſto.1.tom.ſermo.de Elia,de ſterilitate trium annorum quæ ſub eodem Elia contigit agens,grauiter aduerſus eos indignatur,qui varijs à Deo plagis attriti & admoniti,in eadem im-

probitate persistunt. Itaq; ait. Proh nefas, nulla ex pœna correctio, & quasi aduersis, hominum malitia prouocetur: sic crescit quotidie, quid puniatur. Amant pœnam, supplicium diligunt: nolunt recordari, vt viuant: nolunt corrigi, vt euadant. Et mox, Crescit malitia populorum, crescit & inopia rerum. Sæuit cunctorum impietas, sæuit & in cunctos necessitas. Vniuersi deficiunt victu, & ab idolorum non deficiunt cultu.

Nostris peccatis Barbari fortes sunt, nostris vitijs Romanus superatur exercitus. Infœlices nos qui tantũ displicemus DEO, vt per rabiem Barbarorũ illius in nos ira deseuiat. Ezechias agit pœnitẽtiam, &. 185000. vna nocte ab vno Angelo deleta sunt. Iosaphat laudes Domini cõcinebat, & Dñs pro laudante superabat. Moyses contra Amalech, non gladio, sed oratione pugnauit. Non intelligimus Prophetarũ voces, fugient mille vno persequẽte. Nec amputamus causas morbi, vt morbus pariter auferatur. Idem in Epitaphio Nepotiani. *Hierony.*

Ipse de seruo tuo exigis seruitium, & homo hominem seruire compellis: Et cum sit vobis eadem sors nascendi, cõditio vna moriendi, corporũ materia consimilis, animarũ ratio cõmunis, ęquali iure & pari lege vel veniatur in hunc mundum, vel de hoc mũdo postmodũ recedatur: tamẽ nisi pro arbitrio tuo tibi seruiatur, nisi ad nutum imperanti pareatur, imperiosus & nimius seruitutis exactor, flagellis verberas, fame, siti, nuditate, frequenter ferro, & carcere affligis & crucias, & non agnoscis Dominum tuum, cũ sic exerceas ipse dominatum? Quid ergo Dominus noster nobis quotidie peccantibus facturus est? &c. Cyprianus com. Demetrianũ. *Cypria.*

Hostem quereris exurgere, quasi & si hostis desit, esse pax inter ipsas togas possit? Hostem quereris exurgere, quasi nõ & si hesterni desint gladij, intus & grauius de calumnijs & iniurijs potentium ciuium domesticæ impugnationis tela grassentur? De sterilitate & fame quereris cum nõ famem maiorem quam siccitas rapicitas faciat? quasi non de captatis annonarum incremẽtis, & pretiorum cumulis, flagrantior inopiæ exardescat ardor? Quereris cludi imbribus cælum, cum sic horrea claudantur in terris? Quereris minus nasci, quasi quæ nata sunt indigentibus præbeantur? Pestẽ & luem criminaris, cũ peste ipsa & lue, vel detecta sint vel aucta crimina singulorum, dum nec infirmis exhibetur misericordia, &

in defunctos auaritia inhiat ac rapina? fugiunt morientium funera, & spolia appetunt mortuorum. Et profecto perire ægrum voluit, qui censum morientis inuasit: atque inter populum frequenti strage morientem, nemo considerat se esse mortalem. Idem cōtra eundem.

Saluia. Cum nihil à nobis penitus diuinæ iusionis fiat, quid est quod nos queramur de Deo, cū queri magis de nobis Deus posit? Quæ ratio est, vt doleamus nos nō audiri à Deo, cum ipsi nō audiamus Deum? & suspiremus non respici à Deo terras, cū ipsi nō respiciamus in cœlum? & molestum sit despici à Deo preces nostras, cum præcepta eius despiciantur à nobis? Saluia. cont. Gentes.

Ideo impatientes flagellorum Dei sumus, quia flagella Dei tantum inspicimus, flagellorum vero causas inspicere nolumus. Et si aliquando forte inspicimus, causas quidem quantum possumus extenuamus, flagella, quantum volumus extollimus. Idem ibidem.

Quid miramur si peccantes nos Deus verberat, cum ipsi peccātes seruulos verberemus? Iniusti iudices sumus. Homunculos nos flagellari à Deo nolumus, cum ipsi conditionis sortisque nostræ famulos frequentißimè verberemus. Idem ibidem.

Clemens Alexan. Mel bilem generat, sinapis & bilem excidit & flegmam, ideo Christus grano sinapis aßimilatur. Clement. Alexan. Pelag. lib. 1. cap. 11.

Origen. Orate, ait Pharao, pro me Dominum. Super quo ita Origenes ait, Nemo flagella Domini perniciem putet. Ecce Pharao durißimus, tamen proficit verberatus. Ante verbera Dominum nescit, verberatus supplicari pro se Dominum rogat. Est profectus quidam in pœnis, hoc ipsum agnoscere quod merueris pœnam.

Contra eos qui de diuina prouidentia queruntur, adduci potest plaga ea qua filij Israel cū in peccatū incidissent, puniti sunt: de qua sic ait Apostolus, Neq; murmuraueritis, sicut quidā eorū murmurauerunt, & à serpentibus perierunt. Obseruemus & nos (ait in hoc loco Origenes) ne simile offensionis incurramus exemplū, quandoquidē & nos quoque murmuramus, & querelas aduersus Deū frequēter habemus. Etenim cùm de cœli intemperie, de infœcunditate fructuum, de raritate imbrium, de prosperitatibus aliorum causamur, hoc est aduersus Deum murmur attollere.

Origenes

Origenes super illud Exod. Reddens peccata patrũm in filios &c. sic ait, Ego opto vt dum in hoc sæculo sum visitet Dominus peccata mea, ne in altero audire merear, Fili recordare quia recepisti bona in vita tua &c. Propterea cùm corripimur à Domino, esse non debemus ingrati: ideo enim corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. *Lucæ. 16.*

Lento gradu ad vindictam sui, diuina procedit ira, & tarditatem supplicij grauitate pensat. Valer. Maxim. libro. 1. de memor. dictis. *Vale. Ma.*

¶ Famẽ immitti à Dño propter peccata, testatur illa fames, quæ tribus annis Dauidis tẽpore vexauit Israelẽ propter Saulis crudelitatẽ & cædes quibus Gabaonitas oppresserat zelo quasi pro filijs Israel. Si ergo propter vnius crimina tam longo tẽpore tot populi pœnas dederunt, quid mirũ, si cùm tã multa tot hominũ crimina nunc regnent in mundo, tot calamitatibus atteramur? ¶ Eadẽ de causa, hoc est propter varia hominũ flagitia sterilitatem & famem à Dño immitti, extat insignis Hierem. 14. locus cuius initium est, Quod factũ est verbum Domini ad Hiere. de sermonibus siccitatis. Item alius, Oseæ. 4. in quo peccata populi enumerans, sterilitatis pœnam minatur. Mirus item locus est Amos. 4. vbi Dñs & hãc & alias huic similes plagas commemorat, queriturque nihil eos his tantis plagis admonitos, de consuetis sceleribus immutasse. COLL.

Quod bella vastationesque ciuitatum propter peccata eueniãt, testatur aperte oratio Achioris ad Holofernẽ. Inquire, ait, an peccatũ aliquod eorum vel offensa sit, alias erimus opprobriũ. Vide locum. Vnde Iudææ Reges cum labefactatum à maioribus regnum, instaurare vellent, ab instauratione templi & religionis fœlicissimum exordium capiebant: vtpote qui intelligerent, salua religione, incolumem remp. fore. *Iudit. 5.*

Ecce sanus factus es, iam amplius &c. Intelligimus ex his verbis propter peccata morbũ illũ adeò diuturnũ illi accidisse. Hinc illud, Propter iniquitatem corripuisti hominem &c. Et, Allisisti nos in manu iniquitatis nostræ, Et, Esai. 64. Ecce in peccatis vestris vẽditi estis &c. Enumeratis quoq; multis huius vitę molestijs Propheta subdit, Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turb. s. quando videlicet propter peccata nostra varijs nos calamitatibus premis. *Ioan. 5.* *Psal. 38.*

premis. Hinc Apoſtolus ait, Cum iudicamur autem à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Ex quibus verbis intelligimus in maximo periculo verſari eos, quibus (dū male viuunt) omnia ſecunda & læta ſuccedunt. Quia cū Deus nihil inultum abire patiatur: ſi in hac vita non corripiuntur, ad futura mala reſeruantur: cum vel hic vel ibi iudicia Dei exercenda ſint; & ne verbum quidem otioſum ſupplicio ſuo vaccare debeat. De his autem per Prophetam dicitur. Cum exorti fuerint peccatores ſicut fœnum &c. vt intereant in ſæculum ſæculi. Itaque in hoc ſæculo florent ſicut fœnum in futuro perpetuo marceſcent.

Pſal. 91. Pſal. 92.

Varias in mundum calamitates propter varia hominū peccata immitti declarat myſtica illa Zachariæ viſio de muliere, cuius nomen erat impietas: quæ ſuper amphoram ſedebat: Ecce autē Talentum plumbi portabatur: ex quo maſſa plumbea in os eius immiſſa eſt. Quo ſymbolo deſignatur plagas & flagella diuina propter hominum impietatem prouenire.

Zach. 5.

Altiſsimus (ait Eccl. 5.) eſt patiēs redditor, Deus enim peccātes expectat, & benignitate ſua eos ad pænitētiam adducere nititur: & pænis interdum mitioribus excitat: quos niſi reſipiſcant, acrioribus pulſat remedijs: ac tādem ſi obfirmato animo reſtiterint, extremis punit ſupplicijs. Sic Pharaonē primum verbis aggreditur, deinde culices in eum immittit, exinde muſcas, tertio ranas, quarto locuſtas omnia deuorantes, quinto grandinē omnia demolientem: deinde acrius ſeuiens, primo genita omnia interfecit: ac poſtremo aquis obruit & æterno ſupplicio mactauit. Hinc Propheta, Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens. n. q. i. p. ſ. d. Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum &c.

Pſal. 7.

Grauiſsima pæna eſt, cum Dominus peccato peccatum punit aut cœcitate mētis. De huiuſmodi enim pæna ſcriptum eſt, plaga inimici percuſsi te, caſtigatione crudeli. Hęc enim non tam paterna, quam hoſtilis caſtigatio eſt, quæ ad reprobos tantum pertinet. Et illud, Ventus vrēs in vijs quæ ſunt in deſerto, filiæ populi mei, non ad ventilandum & ad purgandum. Hoc eſt autem ſeueriſsimū caſtigationis genus, cū videlicet caſtigatio nō purgat animū, neque meliorē reddit. Lōge vero aliter Dauid ſe à Dño vapulaſſe teſtatur cū ait, Bonū mihi quia humiliaſti me. Et, Priuſquā humiliarer ego deliqui. Vnde Propheta hoc modo à Domino caſtigari

Hier. 30. *Hiere. 4.* Pſal. 118.

petebat.

petebat.d.Corripe me Domine in ira,& non in furore, ne forte ad nihilum redigas me.

Contra eos qui negant calamitates Deo peccata hominum vindicante,immitti,est illud Thren.3.Quis est iste qui dixit,vt fieret Domino non iubente?Ex ore altissimi non egredientur nec mala nec bona?Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis suis? Quid igitur hoc tempore cum à Deo corripimur,faciendū? Subdit protinus,Scrutemur vias nostras,& quæramus, & reuertamur ad Dominum:leuemus corda nostra cum manibus in cœlū. Alioqui nisi hoc præstiterimus, conqueri Dominus poterit illis Prophetæ verbis.Percussisti eos & non doluerunt:attriuisti eos, & noluerunt accipere disciplinam. Item Amos.4. post multas plagas populo frustra illatas,tandem Dominus ait,Facti estis velut torris raptus de incendio, & nec sic reuersi estis ad me. Item dissipati sunt,nec compuncti.Item Hiere.6.Probatorem dedi te in populo meo robustum,& scies,& probabis vias eorū. Omnes isti principes declinantes,ambulantes fraudulenter:æs & ferrum,vniuersi corrupti sunt.Defecit sufflatorium,consumptum est plumbi,frustra conflauit conflator,malitiæ eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobū vocate eos,quia Dominus proiecit illos. Quod ait,Defecit sufflatorium,significat,& instrumenta conflantis, & ipsum æs quod conflabatur,consumpta fuisse, nihilque tanto labore profectum esse.Quod vero ait,Argentum reprobum vocate eos,quia Dominus proiecit illos,euidens reprobationis & derelictionis signum est.Deserunt enim medici ægrum, quem medicamenta non iuuant.Vnde & illud eiusdem Prophetæ.Curauimus Babylonem,& non est curata,derelinquamus eam, & abeamus vnusquisque in viam suam,quoniam peruenit vsque ad cœlum iudicium eius.Voces sunt Angelorum Babylonem obstinato animo in malo perseuerantem deserentium.

Hiere. 5.

*Psal.*34.

*Hiere.*51.

Propter vnius Acham culpā castra Israelitarum (quibus Deus terram Cananæorum promiserat)in fugam versa sunt. Quo argumento videre licet,quibus plagis populus Christianus hac ætate dignus sit,in quo tam multa & magna scelera reperiuntur.

Paternæ pietatis esse à Domino vapulare,indicant illa Prophetæ verba,Imple facies eorum ignominia,&.q.n.t.d.Huc & illud pertinet, Compelle eos intrare vt impleatur domus mea : quod plane

*Lucæ.*14.

plane tribulationibus ſæpe fit. Item eſt locus inſignis Machab. 2. cap. 6, Etenim (ait) non ſinere multo tempore peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere, magni beneficij eſt indicium. Non enim ſicut in alijs nationibus Dominus patiēter expectat, vt eas cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat: ita & in nobis ſtatuit, vt peccatis noſtris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet. Propter quod nunquam quidem à nobis miſericordiam ſuam amouet: corripiens vero in aduerſis populum ſuum non derelinquit.

¶Neque plagis ſolum & verberibus, ſed externis etiam beneficijs ad ſe nos trahere Dominus nititur. Atque hac ratione in veteri teſtamento ad pietatem populum ſuum alliciebat, dum omnia fere quæ promittit: quæque minatur, terrena bona vel mala ſunt: Non quod hæc potiora ſint, ſed quod hæc apud illos (qui terreni & carnales erant) potiora cenſerentur. ¶In quo maximè diuina pietas & prouidentia conſpicitur, quæ adeò benigne ſe hominum moribus, & imbecillitati accommodat. Sicut enim prudens mater dum abluere vel pectere volens paruulum (ſi is ad hoc vocatus venire recuſet) puerili aliquo oblonio, vel re aliqua ludicra, illum ad ſe trahit: ita diuina illa ſapientia (quæ pluſquam materna erga nos viſcera geſtat) dum infantiam & ruditatem noſtram attendit, his nos rebus inuitat, quibus infantia noſtra potiſsimum capitur: ideoque & plagas corpori imittit, & terrena bona promittit: quoniam ijs maxime ruditas noſtra excitatur.

Hiere. 1. Quid tu vides Hieremia? Virgam vigilantem ego video. In virga quidem ſeueritas diſciplinæ: in vigilia vero cura Dei ſcelera omnia cernentis & vindicātis agnoſcitur. Vt intelligamus impiorum perditionem & ruinas non dormitare, ſed omnibus impie agentibus imminere. Hinc variæ in mundo calamitates, ſeditiones, bella, fames, & peſtes, cæteraque mala (quibus quotidie mundus premitur, oriuntur.) Quæ tamen carnales homines inferioribus cauſis, non diuinæ prouidentiæ tribuere ſolent, cū tamen ſcri-
Iob. 5. ptū ſit, Nihil in terra ſine cauſa fit, & de humo non egreditur do-
Amos. 3. lor, Et, Nō eſt malū in ciuitate quod Dn̄s nō fecerit. Sic Ioſephus vaſtationē Hieroſolymorū tribuit ijs qui nouarū rerū ſtudio Reipublicæ ſtatū euerterunt: cū tamen hoc ipſum à Dn̄o in ſuppliciū

ima-

immanissimi parricidij in Christi nece admissi decretum fuerit. Quanto aliter vastationis huius causam Dominus assignauit, cũ ait, Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo &c. eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Sic etiam permisit violationem iuramẽti, quod Sedechias Rex præstiterat Chaldęis, vt hac occasione eos propter idololatriæ peccatũ grauissime plecteret. Sic etiã pseudo Prophetarũ mendacia permittit, vt ijs inductus Achaz rex Israel in pręliũ ascenderet cõtra Ramoth, Galaad, vt ibidem debitas perfidiæ suæ pœnas daret. Itaque cum aliquid Dñs secundũ iustitiæ & sapientię suæ leges decernit, media quoq; (vt ita dixerim) ad id apposita decernit: quædam ipse faciẽs, quædam vero permittens. Vnde cum sceleribus hominum exigẽtibus Hierosolymã vastare vellet, omnia ab ea salutis præsidia abstulit: nempe validum, & fortem, & virũ bellatorem, & principem super quinquaginta &c. Esai. 3. Quid vero illud, quod cum nominis sui gloriam supplicijs Ægyptiorum declarare vellet, conuertisse dicitur cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius. Hoc est, hæc mala permisit, vt perfidorum punitione, potentiæ ac iustitiæ suæ magnitudinem conspicuam faceret. Omnium ergo rerum tam minorum quã maiorum causas modo peccata non sint in vnum Deum Theologi referunt, qui ne passerculum quidem in laqueum cadere sine ipso docent. Cæterum varias temporum calamitates Philosophi naturalibus causis, historiographi moralibus, Mathematici vero more suo astris tribuere solent. Cum tamen certum sit primam causam esse cuius nutu omnia ista eueniant, & cuius virtute reliquæ inferiores causæ moueantur. — *Luc. 19.* — *Psal. 104*

Præcipua malorum omnium causa esse videtur, quam Salomon assignat his verbis. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, filij hominum absque timore vllo perpetrant mala. Quam quidem sententiam paulo inferius confirmat his verbis. Vniuersa æquè eueniunt iusto & impio, bono & malo, immolanti victimas & sacrificium contemnenti: Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt: Vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua: & post hæc ad inferos deducuntur. Ex quibus patet, misericorditer nobiscum Deum agere, cum varijs calamitatibus nos premit & flagellis erudit. Eos autem qui — *Eccl. 8.*

varijs castigati flagellis non resipiscunt à Deo deseri, probat Eccl. Israelis exemplo his verbis. In omnibus his non pœnituit populus, & non recesserunt à peccatis, vsque dum eiecti sunt de terra sua, & dispersi sunt in omnem terram, & relicta est gens pauca & princeps in domo Dauid, Eccles. 48. Hoc ipsum in oratione sua,
Dan. 3. Propheta confitetur Domino cum ait: Quia Domine imminuti sumus super omnes gentes, sumusque hodie humiles in vniuersa terra propter peccata nostra. Hoc ipsum etiam multò ante vaticinatus fuerat Moses dicens, Remanebitis pauci numero, qui prius eratis vt stellæ cœli: quia non audistis vocem Domini Dei tui. Leuiti. 28. Nec modò gentium excidia sed calamitates omnes & plagas mundi esse peccatorum supplicia docet Eccles. 40. his verbis, Mors, sanguis, contentio, romphea, oppresiones, fames, cõtritio, & flagella, super iniquos creata sunt hæc, & propter illos factus est cataclysmus.

Frequenter Vates regius cæterique Prophetæ zelo diuinæ gloriæ incensi, vindictam de peccatoribus sumi orant: quò videlicet eorum flagitia supplicijs irrogatis cohibeantur. Hinc optatio illa, Si occideres Deus peccatores. Vox enim, Si, optantis est. Item illud, Vsquequo peccatores Domine vsquequo peccatores gloriabuntur &c? Item, Exurge Domine, non præualeat homo, iudicen-
Psal. 7. tur gentes in conspectu tuo. Item illud, Exurge Domine in præcepto quod mandasti: & synagoga populorum circũdabit te. hoc est, Tu Domine præcepisti rectoribus ciuitatum, vt eos qui violarentur, iniuria prohiberent: nec aliquem sinerẽt iniuste opprimi: tu ergo præsta quod alijs faciendum pręcepisti, & vindica me ab impetu & iniuria hostium meorum.

Sæpe Dominus flagellis & calamitatibus corporum, morbos
Psal. 82. curat animorum. Vnde est illud, Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Item illud, In chamo & freno
Psal. 31. maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Et, Multa flagella peccatoris &c. Quare si propter peccata flagella immittuntur, consequens est, vt peccatis per pœnitentiam sublatis, flagella tollantur. Hoc autem Niniuitarum, hoc Dauidis pœniten-
2. *Reg.* 24 tia probat. Cum enim is Angelum euaginato gladio aduersus Hierusalem venientem intuitus esset, timore correptus, & in terram prostratus, Ego inquit, sum, qui peccaui &c. Hinc etiam Dominus

Hiere. 18.

Hiere.18. Repente, inquit, loquar aduersus gentem & regnum, vt eradicem & destruam illud. Si pænitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus illam agam & ego pænitētiam super malo quod cogitaui, vt facerem ei, & subito loquar de gēte & de regno vt ędificem & plantem illud. Item pro eo quod nos legimus, Pro hac orabit ad te omnis sanctus.i.t.o. veruntamen in *Psal. 31.* diluuio aquarum multarum &c. Hiero. ex Hebræo vertit. Vt cum inundauerint aquæ multæ, ad illum non accedant. Vir enim sanctus opportuno tempore veniam peccatorum impetrare contendit, vt cum calamitatum flumina inundauerint, ipse intactus & incolumis perseueret. Non enim pios homines petit communis calamitas. Noe enim inter tot impios iustus cum domo sua à totius orbis exitio, & Loth à communi Sodomorum incendio liberatur.

Propter peccata immitti à Domino calamitates, declarant illa verba, A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus. Propter iniquitatem corripuisti hominem, e.t.f.s.a.a.e. Huc etiam *Psal. 38.* pertinet & illud, Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in *Psal. 106.* sitim: terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea. Hæc autem Domini flagella, & prouidentiam eius declarāt, & homines ad eius cultum & venerationem inducunt. Propter *Psal. 57.* illud dicitur. Lætabitur iustus cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris & dicet homo, Vere est fructus iusto, vere est Deus iudicans eos in terra. Propter hoc autem dicitur, Cum feceris iudicia tua in terra: iustitiam discent habitatoris *Isai. 26.* orbis.

Inter patris familias seruos, sunt quidam, qui nullo pudoris aut honoris respectu à maleficio reuocantur: sunt contra egregiæ indolis alij, quos & pudor & amor erga Dominos in officio continet. Hi ergo cum delinquūt, admonitionibus, illi autem solis verberibus coerceri solent. Sic enim legimus, Seruus verbis erudiri *Prou. 29.* non potest: quia quod dicis intelligit, & tamen audire cōtemnit. Ad hunc ergo modum se Dominus cum hominibus gerit, cum flagella & calamitates mittit. Quos enim verbis & beneficijs non emendat, velut seruos rebelles verberibus & plagis ad officium reuocare nititur. Non enim flagellat, vt vulneret, sed vt sanet. Vn- *Psal. 44.* de est illud, Virga directionis virga regni tui. Virga enim Christi

non conterit, sed in viam dirigit, & ad vitam perducit. Quod quidem significare videtur, cum nolentes ad cœnam suam venire, cõpelli præcepit. De his autem dictum est, Tantummodo sola vexa-
Isai. 28. tio dabit intellectum auditui.

Manus suas lauat in sanguine peccatoris quisquis improborum supplicijs consideratis, cautior fit, & alieno malo eruditus, mala sua corrigere studet: quòd quidem iusti viri facere solẽt. Nõ enim hoc fecit præuaricatrix soror Israelis Iuda: quæ nec supplicio quidem sororis suæ, & vindicta diuina erudiri ad salutẽ voluit: ideoque simile subijt suppliciũ. Vide Ezech. 23. locum insignem.

Quæ sit peccati grauitas & malitia, quo item odio Deus aduersus illud feratur, pœna subsequens & vindicta declarat. Quid autẽ atrocius quam templum & altare suum quod vnicum in toto orbe erat, & sacram illam arcam, tabulasque eius digito conscriptas propitiatoriũ, vnde ipse responsa dabat, cæteraque sacra vasa, cõsilio & spiritu eius fabrefacta demolitum fuisse? Sic enim legimus, Re-
Thren. 2. pulit Dñs altare suũ, maledixit sanctificationi suæ &c. Thren. Cuius tẽpli excidiũ per Ezech. minatur his verbis. Ecce ego polluam sanctuariũ meũ, superbiam imperij vestri, & desiderabile oculorũ vestrorũ, & super quo pauet anima vestra &c. Vide locũ Ezech. 24. Ad hanc enim calamitatẽ designandã Ezechielis vxorẽ mori voluit, & sine planctu & lamentis funus eius efferri. Quia vero rudes homines fiducia tẽpli & sanctuarij Dñi tutos se fore arbitrabãtur quãuis impiè agerent, ideo illos ab hac inani fiducia reuocat his verbis. Nolite confidere in verbis mẽdacij dicẽtes, tẽplũ Dñi, templũ Dñi, tẽplum Dñi est. Hiere. 7. Non enim propter locũ gentem, sed propter gentẽ locũ Deus elegit. Ideoque & ipse locus degenerãte populo, malorum eius particeps effectus est. 2. Mach. 6.
Psal. 9. Cognoscetur Dominus iudicia faciens: qui videlicet ab improbis non agnoscitur misericordiam exercens. Qui enim clementissimum & beneficum patrem beneficijs prouocantem agnoscere noluerunt, iustum est vt flagellis saltem eruditi & castigati agno-
Psal. 82. scant: Vnde est illud, Imple facies eorum ignominia, & quærent
Isai. 26. nomen tuum Domine. Et alibi, Misereamur impio, & non discet facere iustitiam. Sed eò tamen obdurationis & cœcitatis mundus deuenit, vt nec flagellis attritus vel Dei indignantis furorem, vel suam prauitatem agnoscat.

Timor & dolor ex imminenti Dei vindicta conceptus si cum castigatione vitæ coniunctus sit, salutaris est: qualis Niniuitarum fuit, qui & timuerunt Dominum, & à via sua mala conuersi sunt. At, qui ex solo sui ipsius amore, sine vitæ emendatione proficiscitur non perinde salutem parit. De hoc autem legimus in Psal. 77. Cum occideret eos, quęrebant eum, & reuertebantur &c. Quibus verbis Propheta describit fictam pœnitentiam improborum, qui nonnunquam resipiscere videntur, & grauissimè angi quod deliquerint, & leges Dei violarint. Verum his non iniuria, quam Deo faciunt, est dolori, sed pœna, quam metuunt vel iam sustinent: itaque cum doleant, amore sui non Dei, sublatis flagellis statim in pristina scelera & flagitia relabuntur: nam qui amor improbos ad dolendum excitat, is amor longe facilius eosdem ad peccandum impellit. Hanc autē pœnitentiā fictā fuisse, declarat id quod sequitur, Et dilexerūt eū in ore suo, & lingua sua mētiti sunt ei. Pro quo Hiero. vertit, Et lactauerūt eū in ore suo, ex. l. s. m. s. e. De his autē Dominus ait, Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine intrabit &c. Et Esai. Populus hic labijs me honorat. c. a. e. l. e. a. m.

Seueritatem diuinæ vindictæ propter admissa scelera exponit Propheta Psal. 78. cuius initiū est, Deus venerunt gentes in hæreditatē tuam, polluerunt templū sanctum tuum &c. quæ sequūtur, quibus attrocissimum & miserabile ciuitatis sanctæ excidium describit. Hanc cladem accidisse, vel sub Nabuchodonosore, vel sub Antiocho rege constat: Deus enim vbique Deus, hoc est verè magnus est, siue cùm remunerat merita, siue cùm punit peccata, siue cum consolatur, siue cum minatur. Quare horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Huc pertinet & illud Sion quasi ager arabem, & Hierusalem erit in aceruum lapidum, & mons domus Domini in excelsa syluarum. Qua pœna quid attrocius. Similis vastatio describitur. 1. Machab. 4. Sic enim ciuitas & templum à ciuibus desertū fuerat, vt in atrijs domus Domini essent virgulta nata sicut in saltu. Propter peccata enim populi Dominus nec sanctuario quidem suo pepercit.

Maximum supplicij genus esse nullo affici supplicio prauè agētes, declarant illa Domini verba per Prophetam, Et non audiuit populus meus vocem meam &c. Ideo dimisi eos secundum desideria cordis eorum &c. Pro quo Hiero. vertit, Et dimisi eum in

Osea. 4. prauitate cordis sui &c. Cui simile est illud, Non visitabo super filias vestras cùm fuerint fornicatæ, neque super sponsas vestras cum adulterauerint.

Aliquando Deus peccantes homines punit vt amicus, aliquando vt inimicus: hoc est aliquando vt pius pater, aliquando vt seuerus iudex. De hoc autem puniendi genere dicitur. Hiere.30. Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli. Cæterum, De hoc autem multa sunt in scripturis loca Apoca. 3. Ego inquit Dominus quos amo, arguo, & castigo. Item Prouer. 3. Disciplinam Domini fili mi ne abijcias, nec deficias cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus corripit &c. Et ad Hebr. 12. Tanquam filijs, vobis se offert Deus: quis enim filius quem non corripit pater? &c. quę sequūtur in eandem sententiam. Est item insignis locus Esai. 27. In tempore illo vinea meri cantabit ei, ego Dominus qui seruo eam: repente propinabo ei (nempe calicem indignationis meæ) ne forte visitetur contra eam, (hoc est ne fortè acerbiori sentētia feriatur) indignatio non est mihi. Quam quidem sententiam breuiter &
1.*Cor*.11. apertè exposuit Apostolus cum ait, Cum autem iudicamur à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Simile est & illud Amos. 3. Tantummodo, ait, vos cognoui ex vniuersis cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos vniuersas iniquitates vestras. Idem testatur & illa sancta fœmina Iudith. 8. Reputantes, inquit, peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, quibus quasi serui corripimur, ad emendationem, non ad perditionem nostram euenisse credamus. Ideoque & calicem tribulationis temperat, potumque dat nobis in lachrymis in mēsura, & vires etiam ad tribulationis pondus ferendum subministrat, vnde est illud,
Psal. 117. Castigans castigauit me Dominus &. m. n. t. m. Quibus verbis significat se à Deo non hostili modo sed paterno fuisse castigatum: Quod vires etiam suggerat ostendit cùm ait, Impulsus euersus sum vt caderem, &. D. s. m. Hac autem de causa Dauid se à Domi-
Psal. 17. no castigatum fuisse testatur cùm ait, Et disciplina tua correxit me in finem, &. d. t. i. m. d. Et Hiere. in persona vapulantis à Deo
Hier. 31. populi ait, Castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus. Et rursum, Faciam enim consummationem in cæteris gentibus, te autem non faciam in consummationem, sed ca-
1.*Cor*. 5. stigabo te in iudicio &c. Hac etiam de causa Apost. impurum ho-

minem tradit Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus eius saluus esset in die Christi. Hac etiam de causa, tribus annis & sex mensibus orationis suæ virtute pluuiam continuit Elias, vt attritus calamitatis magnitudine populus, ad pœnitentiam & timorem ferientis Dei excitaretur. Hac item de causa viri sancti paternam hanc & medicam virgam à Domino petunt, vt corporis castigatione anima sanetur, & animaduersione temporali euitent æternam. ¶ Cæterùm quos plaga inimici percutit, varie & multipliciter punit: aliquando enim nullo in hac vita supplicio afficit, sed eos sibi ipsis suisque cupiditatibus ludibrioque fortunæ permittit. Vnde est & illud, Exacerbauit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Hoc est nō punit in præsenti, vt acrius sæuiat in futurum. Aliquando fidei candelabrum subtrahit cum prauos homines in errores labi permittit, vt ipse in Apocal. minatur. Aliquando subtrahit auxilium illud quo fuerat homo conuertendus, quo subtracto dicitur vel obdurare, vel excœcare: quod genus supplicij maxime formidandum est. Hoc enim tempore nec verbis nec verberibus, neque etiam miraculis, proficit homo. Magnum enim miraculum fuit quod triennio Elias orationis suę virtute cœlum clauserit: quo tamen Rex Achab adeo commotus non est, vt gentes & regna omnia adiurauerit, ad necem quærens hominem quem cœlis & astris imperasse cognouerat. Aliquando vero (quod grauissimumque supplicium est) peccatum peccato punit, quod illa Prophetæ siue imprecatio, siue prædictio designat, Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam. Aliud vero castigationis genus est non minus acerbum, cùm videlicet Dominus puniens non agnoscitur, cum tamen scriptum sit, Cognoscetur Dominus iudicia faciens. Huius autem siue cœcitatis, siue obdurationis, multa sunt in scripturis testimonia. De hoc enim & Propheta queritur cum ait, Percussisti eos & non doluerunt &c. Itemque, Et populus non est reuersus ad punientem se &c. Et ipse quoque Dominus de hoc queritur cum ait, Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. Et, Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem &c. Amos autem. 4. habetur locus insignis, in quo varia Dei flagella enumerantur, quibus homines pene attriti atque consumpti, tamen ob-

Psal. 9. *Psal. 68.* *Psal. 9.* *Hier. 5.* *Hiere. 2.* *Isai. 1.*

firmato animo in sceleribus suis perstiterunt, vt de illis quidem
Psal. 38. merito dici posśit, Dissipati sunt, nec compuncti. Tales autem similes
Deu. 4. ijs esse videntur quibus Moses dixit, Oculi vestri viderunt signa illa atque prodigia quæ fecit Dominus in terra Ægypti, & non dedit vobis Dominus oculos videntes & aures quæ possent audire, & cor intelligens vsque in præsentem diem. Tot enim
Exod. 32. miraculis inspectis Vitulum fabricauerunt, & dixerunt, Ecce Dij tui Israel: qui te eduxerunt de terra Ægypti. Qua cœcitate quid fingi horribilius potuit? His ergo similes vidētur, qui cum Deum videant homines quos ipse condidit & redemit gladio, aut peste, aut fame multantem, varijsque plagis furoris sui magnitudinem testantem, neque oculos habent, neque mentem, qua tam euidēti indicio, & furorem Domini indignantis, & scelera sua agnoscant.
Psal. 77. Et quidem de Iudæis dicitur. Cum occideret eos, quærebāt eum & reuertebantur, & diluculo veniebant ad Deum (itaque qui miraculorum magnitudine non excitabantur, pœnarum seueritate coercebantur) at isti ne tot quidem plagis attriti diuini furoris prauitatis suæ magnitudinem intelligunt.

Non solum hoc obseruat supernus ille iudex vt sceleris magni
Apoc. 18. tudini pœnæ seueritas respondeat, (iuxta illud, Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum) sed etiam vt sceleris indignitati qualitas respondeat supplicij. Qua de causa Dominus Pharaonem qui aquis Hebræorum filios interimebat, aquis etiam criminis huius pœnas penderet. Ob hoc autem Sapien. 19. legimus, Ducebat ad hoc illos digna necessitas, & horum quæ acciderant commemorationem amittebant, vt ea quæ tormentis deerant, repleret punitio. Hoc est vt post cæteras plagas, hac nouisśima punirentur, vt aquis interirent, qui aquis innocentes paruulos interficiebant.

Ad gloriam Dei maximè pertinet meritum de impijs suppliciū
Psal. 89. sumere. Quod quidem Propheta testatur cum ait, Honor regis iu-
Leui. 10. dicium diligit. Hinc illa Domini verba, Sanctificabor in his qui appropinquant mihi: hoc est eorum punitione me sceleribus eorum infensum esse declarabo: vt hoc opere sanctitas mea hominibus conspicua fiat. Hoc etiam ostendunt & illa, Glorificabor in
Exod. 14. Pharaone & in omni exercitu eius. Hoc enim supplicio Dominus gloriæ suæ magnitudinem ostendit, dum & potentiam suam de-

declarauit.

clarauit,& de tyrannide ac superbia impiorum supplicium sumpsit: quemadmodum Ietro quoque Moysi socer testatus est.

Quàm variæ & multiplices calamitates, propter peccata hominibus immittantur copiose inuenies. Leuit.26. Harum porro calamitatum finis est, quem in eodem loco Dominus declarat cum ait, Tunc orabunt pro impietatibus suis, & recordabor fœderis mei &c. Iusti enim iudicis mens non ad hominis perniciem, sed ad morbi sanitatem tendit. *Exod. 18.*

Tentatio, quæ est via ad peccandum.

SVper illud Iob. Diuiditur æstus super terram. D. Gregor. sic ait, Prius complexionem vniuscuiusque aduersarius perspicit: & tunc tentationis laqueos opponit. Alius nāque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quo ergo aduersarius occultus facile capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat: quia lætitię voluptas proxima est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facile labitur, tristibus peccatum discordiæ porrigit: quia timidi supplicia formidant, pauentibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæcunque voluerint, blandis fauoribus trahit. Singulis igitur hominibus, vitijs cōueniētibus insidiatur. Greg. 29. mor. *Gregor. Iob. 78.*

Nemo vires suas in pace cognoscit.

Tentatio est vita hominis super terram: quia aut virtutibus vacua mens ad cœlum assurgere non valet, aut aliquando ex earum occasione deterius ruit. Greg. vbi supra lib. 8. c. 6.

Ipsa iusto fit aduersitas prospera, tentarique post virtutes desiderat, ne ex earum confidentia cadat. Greg. vbi supra. c. 10.

Ideo sanctos tentare permittit, vt dum pulsata mens trepidat, in solo Dei adiutorio, spei pedem robustius figat. Gregor. lib. 9. cap. 36. moral.

Circundedit me lanceis suis. Quia tentatione sua ab omni parte nos petit. Dum enim vnum vitiū calcamus, inde aliud suboritur: vt ex continentia, inanis gloria: ex liberalitate auaritia: quia rursum colligere quærimus quod tribuamus. Gregor. vbi supra lib. 13. cap. 9. *Iob. 16.*

Si tentationi nascenti non festine resistitur, eadem qua nutritur mora roboratur. Greg. 21. mor. c. 8.

Data poteſtas Dæmoni dum bona Iob interimere appetit, bonum patientiæ aperuit quod latebat:& quod vulnera intulit, tot coronas miniſtrauit.Greg.23.mor.c.1.

In profectu tentamur quatenus & in ipſo profectu cognoſcamus quid de diuino munere,& in tentatione quid de proprijs viribus ſentiamus. Ideo quatit tentatio,non deijcit,pulſat, non frangit.Greg.23.mor.c.24.

Vitia dum tentant,proficientes in nos virtutes humiliant: flagella autem dum tentant,ſurgentes in corde voluptates eradicāt. Greg.23.mor.c.27.

Si bella deſunt, virtutum experimenta non prodeunt: improuidus miles eſt, qui prouidum ſe in pace gloriatur. Gregor. vbi ſupra.

Diabolus quanto magis nos ſibi rebellare conſpicit, magis expugnare contendit:eos enim negligit pulſare, quos quieto iure poſsidet.Greg.14.mor.c.12.

Sæpe mens quæ aduerſa multa & fortia ſuperat, vnum in ſe & fortaſſe minimum,quanuis magna intentione inuigilet, non expugnat.Quod diuina nimirum diſpenſatione agitur: ne ex omni parte virtutibus ſplendens,in elationem ſubleuetur:vt dum in ſe paruum quid reprehenſibile videt,& tamen hoc ſubigere non valet,nequaquam ſibi,ſed authori victoriā tribuat,in his quæ ſubigere fortiter valet. Quod ad hoc agitur vt mens proficiens ad virtutem iuſtitiæ,ſua melius infirmitate roboretur: & inde verius in bonis luceat, vnde ea etiam nolentem parua reprehenſibilia humiliter obſcurant. Vnde & bene cum Iſraelitico populo percepta promiſsionis terra diuideretur, Ephraim tribui Chananæus gentilis populus non occiſus, ſed factus eſt tributarius.Recte autem tributarius effici dicitur:quia hoc ipſum vitium quod ſubigere non poſſumus, ad vſum noſtræ vtilitatis, humiliter retorquemus:vt eò de ſe mens, & in ſummis vilia ſentiat: quò ſuis viribus etiam parua quæ appetit, non expugnat. Vnde & bene rurſum ſcriptum eſt, Hæ ſunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem. Ad hoc namque quædam minima vitia noſtra retinentur, vt ſe ſe noſtra intentio ſolicitam in certamine ſemper exerceat, & eò de victoria non ſuperbiat, quò viuere in ſe hoſtes conſpicit, à quibus adhuc vinci formidat.

Gregor.

Gregor.mor.lib.4.

Augusti. super illud Pauli. Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, sic ait. Attendite sancti quicunque pugnatis. Prçliantibus loquor, intelligunt qui pugnãt, non me intelligit qui non pugnãt. Quando enim ad illud ventum fuerit, vt nulla omnino exurgat concupiscentia aduersaria, nullus erit hostis cũ quo luctemur, nec expectatur ibi victoria, quia de hoste iam victo triumphatur. Volumus vt nullæ sint concupiscentiæ, sed non possumus. Velimus, nolimus, habemus illas: velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt: sed premuntur quidem nondum extinguntur quandiu caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Nos qui senuimus in ista militia, minores quidẽ hostes habemus; sed tamen habemus. Fatigati sunt quodammodo hostes nostri iam per ætatem: sed tamen etiam fatigati, non cessant, qualibuscunque motibus infestare senectutis quietem: acrior pugna iuuenum est: nouimus eam, transiuimus per eam. sermo. 43. de verb. Domini. *August. Galat. 5.*

Omnes qui volunt pie viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Non enim quia modo Diabolus per reges non sæuit, ideo Christiani non patiuntur persecutionem. Si mortuus est Diabolus, mortuæ sunt persecutiones: si autem ille aduersarius noster viuit, vnde non tentationes suggerit? Vnde non sæuit? Vnde non minas aut scandala procurat? O si incipias pie viuere, videbis quia omnis qui vult pie viuere in Christo, persecutionem patietur. Pugnæ certe non desunt: pugnamus cum concupiscentijs nostris. Pugnamus foris cum infidelibus & inobedientibus hominibus: pugnamus intus cum suggestionibus & perturbationibus carnalibus. Vbique pugnamus adhuc. Augustin. super Psal. 127. *2. Tim 3.*

Adhuc viuunt in memoria mea, de quo multa loquutus sum, turpium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit, & concursant mihi, vigilanti quidem, carentes viribus, in somnis autem non solum vsque ad delectationem, sed etiam vsque ad consensionem factumque simillimum. Et tantum valet imaginis illusio in anima, & in carne mea vt dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt. Nunquid non potens est manus

tua Deus omnipotens sanare omnes languores animæ meæ, atq; abundantiore gratia tua lasciuos motus etiam mei soporis extinguere? Augebis Domine magis magisque in me munera tua, vt anima mea sequatur me ad te, concupiscentię visco expedita. August. confess. lib. 10.

Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus, nec potest coronari nisi vicerit: nec potest vincere nisi certauerit: nec potest certare, nisi inimicum, & tentationes habuerit. Idem Psal. 60.

Tantum admittitur Diabolus tentare quantum tibi prodest, vt exercearis, vt proberis, vt qui te nesciebas, à te ipso inueniaris. Idē, super Psal. 61.

Duplicem aciem producit mundus contra milites Christi: blāditur enim vt decipiat, terret, vt frangat: non nos teneat voluptas propria, non nos terreat crudelitas aliena, & victus est mundus. Idem, in sermo. Sancti Vincentij.

Hierony. Tūc maxime oppugnamur, cum nos oppugnari nō credimus. Inde me persequitur luxuria, inde Auaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi pro Deo esse: Persequitur me (inquā) hostis, cui nomina mille, mille nocendi artes. Hierony. in Epist. ad Heliod.

Venena non dantur nisi melle circumlita, & vitia nō decipiūt, nisi sub specie vmbraque virtutum. Idem ad Lætam.

Nolo turpem sinas cogitationem crescere: dum paruus est hostis interfice: nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine. Audi Psalmistam dicentem, Filia Babylonis misera &c. Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. Quia enim impossibile est, in sensum hominum non irruere innatum medullarum calorem: ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad petram. Petra autem Christus est. Idem ad Eustochium.

Bernar. Petra refugium herinaceis, & reuera refugium. Vbi enim est tuta firmaque requies infirmis, nisi in vulneribus Saluatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad saluandū. Fremit mundus, premit corpus, insidiatur Diabolus, non cado, fundatus enim sum supra petram. Ber. super Cant.

Quotquot

Quotquot degimus in regione vmbrę mortis, in infirmitate corporis, in loco tẽtationis, si diligẽter aduertimus, triplici hoc incõmodo miserabiliter laboramus: nã & faciles sumus ad seducendũ, & debiles ad operandũ, & fragiles ad resistendũ. Itaque si discernere volumus inter bonũ & malũ decipimur: si tentamus facere bonũ, deficimus: si conamur resistere malo deijcimur, & superamur. Nec mirũ, quia vt dicitur Iob. 41. Non est potestas super terrã, quæ possit ei cõparari. s. aduersario nostro. Idem de consid.

Diabolus omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus: & ibi causas quærit nocendi, vbi quemque viderit studiosius occupari. Idem in serm.

Periclitatur castitas in delitijs, humilitas in diuitijs, pietas in negotijs, veritas in multiloquio, charitas in mundo. Idem, sermo.

Fratres, si modo præsentem videremus Adam in eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor eius, & coarctari inter precem vxoris, & præceptum Creatoris, nonne clamaremus aduersus eum dicentes, Caue tibi miser: vide ne feceris: seducta est mulier: non acquiescas ei: Vt quid ergo quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuademus similiter nobis ipsis? Idem, in serm. omnium sanctorum.

Diabolus mali autor, nequitiæ origo, rerum hostis, secundi hominis semper inimicus: ille laqueos tendit, lapsus parat, foueas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia dat amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, conscindit vnitatem, violat diuina, humana tentat. P. Raue. serm. de ieiunio & tentationibus Christi. *Pet. Rau.*

Peruigil ille tentator eos acrioribus pulsat insidijs, quos maxime videt abstinere à peccatis. Nam à quo dolos suos cõtineat, qui ipsum quoque Dominum maiestatis ausus est calliditatis suę fraude tentare? Viderat superbiam suam baptizati Domini Iesu humilitate calcatam, intellexerat quadraginta dierum ieiunio omnem cupiditatẽ carnis exclusam, & tamen nõ desperauit de artibus suæ malitiæ spiritualis improbitas, tantumque sibi de naturæ nostræ mutabilitate promisit, vt quem verum experiebatur hominem, præsumeret posse fieri peccatorem. Leo. Papa in serm. *Leo Papa.*

Super illud Psal. Quoniam humiliata est in puluere &c. Magna

contra

Casiodo. Psal. 43. contra Diabolum arma sunt in suis viribus fiduciam non habere, sed Deum rogare qui aduersarium possit opprimere. Casiod.

Isidor. Quanto propinquius finem mundi Diabolus videt, tanto crudelius persecutiones exercet: vt qui se continuo damnandū conspicit, socios sibi multiplicet, cum quibus gehennæ ignibus addicatur. Isidor. de sum. bon.

Euseb. Emisse. Diabolus per rerum carnalium concupiscentias, & illicitas voluptates, extrinsecus blanditur, intrinsecus insidiatur: interficit spiritum, dum oblectat affectum: & (sicut dixit Propheta) ad tempus indulcat fauces, nouissime autem felle amarior inuenitur: modo delectat peccare, sed post modum non delectabit ardere. Eus. Emiss. de Epipha. hom. 3.

Omnem nocendi potentiam Diabolus se amisisse cognouit, quia noxios virulentorum dentiū morsus, sacro in corpore Christi dereliquit: & ideo nunc infœlices quosque quos sibi assensum facilem accommodare præuiderit, ad fauces suas solis solicitationum carminibus trahit: & voluntariam prædam inermis expectat, ac proinde prostratus à Domino humanum genus non quasi fortior impugnat, sed iniqua consilia quasi debilitatus sibilat. Idē, de Pascha. hom. 3.

Qui intra muros positi vix resistimus, in sæculo expositi, quid faciemus? Qualiter stare poterunt in fluctu, atque in ipso colluctātium tempestatum impetu, qui tam grauiter periclitantur in portu: Idem, ad Monach. hom. 5.

Origen. Sicut caro si sale non aspergatur corrumpitur: ita & anima nisi tentationibus assiduis saliatur, continuo resoluitur, & relaxatur. Orige. lib. Num.

Somnum vulpes simulat, vt auem fallat: Dæmon vero & corporis pudicitiam fingit, vt animam perimat. Ne credideris in vita tua luto carnis tuæ: neque tibi ipsi omnino fidas, donec Christo Domino obuiam pergas. Clim. Grad. 15.

Si vero fraudes Dæmonum obseruemus diligentius, inueniemus eos post fœdam actionem, iustum illum iudicem, durumque atque inclementem appellare. Nam prius quidem, vt nos ad peccatum hortarentur, clementiā illius suggerebant, post lapsum vero iam illius inuiolabilem iustitiam suggerunt, vt nos in desperationem præcipitent. Idem, ibidem.

Cum

Cum nec dum mentis soliditate, orationisque secretissima virtute contra hostes nostros insurgere valemus, fortasse illis cedimus. Exili citò si possibile est, abscondere modicum secretius: eleua animi aciem si potes: sin vero vel exterioribus luminibus in cœlú respice: extende in figuram crucis immobiles manus: vt per ipsam quoque formam & habitum orantis Amalech confundas, & superes, clama ad eum qui saluare te potest, ita semper exordiens. Miserere mei quoniam infirmus sum. Tunc experieris altissimi virtutem: atque inuisibiliter, inuisibiles per inuisibilis persequeris auxilium. Qui sic pugnare assuefactus est, citò, ac solo nutu animi persequi hostes atque fugare poterit. Idem, ibidem.

In omnibus quæ secundum Deum operamur, tres nobis foueas Dæmones parant. Ac primum quidem bonum vti ne fiat impedire conantur. Secundo vero si in primo superati fuerint, vel ne secundum Deum fiat, moliuntur. Quod si hac quoque intentione sua fures ipsi potiti non fuerint, tunc iam silentio nostræ animæ astantes, (vt qui per omnia secundum Deum conuersati sumus) laudibus nos efferunt, & beatos dicunt. Idem ibidem.

Cum mundanis Dæmones per res ipsas magis luctantur, cum monachis autem ferè per rationum disputationes: negotijs enim & operibus per solitudinem soluti sunt. At quanto facilius est mẽte peccare, quam externa actione, tanto est animi bellum difficilius, quam ipsarum rerum. Est enim mens quiddam quod facile mouetur, & ad contrarias legi phantasias effrenata. Euagrius. *Euagri.*

Incipe resistere desiderijs tuis, & tunc intelliges quam fortes sunt spiritus desideriorum malorum qui te persequuntur. Hęc est pugna periculosa, & hæc est gloriosa victoria, qui potuerit odisse quod amat, & amare quod odit. Chrysost. super Matth. *Chrysost.*

Parua scintilla contempta, magnum excitauit incendium. Adilon. *Adilon.*

Nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. Boetius. 3. de consol. *Boet.*

Nulla laus est, ibi esse integrum, vbi nemo est, qui aut possit, aut conetur corrumpere. Cicero 2. Act. in Verrem. *Cicero.*

¶Ne magnitudo reuelationum &c. Quid magis cognitionem sui præstare poterat, quàm diuinorum secretorum reuelatio, & in ter- *COLLE.* *2. Cor. 12.*

tium

tium cœlum aſcenſus? Animaduerte ergo diligenter, quanta ſit tentationis vtilitas, quæ ad elationem animi comprimendam reuelatione ipſa potentior eſt, quandoquidem tentatio Apoſtolo præſtitit, quod non erat reuelatio præſtitura. Hinc illud: Qui non

Eccl. 34. eſt tentatus, quid ſit?

Quemadmodum piratæ nauibus auro pretioſiſque mercibus oneratis magis quàm vacuis inſidiantur: ita Dæmones vehemẽter illos inſectantur, qui ſpiritualibus diuitijs onuſti ſunt.

Videat homo qua cura & ſolicitudine ſibi proſpicere debeat: Intra ſe enim quiſque noſtrum deceptricem Euam geſtat: nempe carnem ſpiritus amicam, ideoque ſæuiorem inimicam: quæ non vulnerando, ſed velut altera Sampſonis vxor blandiendo, periculoſius inſidiatur. Eſt hic hoſtis domeſticus tantò magis timẽdus, quantò interior & proprior nobis eſt. Si enim in gratia conditus & in paradyſo conſtitutus homo, ab hac Eua deceptus eſt, quis à paradyſo expulſus, & illa originali iuſtitia nudatus, non timeat? quis nõ ſtudioſiſsimè ab ea quæ dormit in ſinu ſuo, cuſtodiat ani- ſuam? Quòd ſi ſpiritum & carnẽ fratres eſſe dicas, nõ abnuo, fratres ſunt: Verũ ſicut Iacob & Eſau fratres, & quidem fratres gemini erant, quorũ tamen alter alterũ ſupplantare nitebatur. Itaq; fratres ſunt, ſed valde inter ſe diſsimiles. Ideoque alter ab altero nempe ſpiritualis à carnali ſemper ſibi timere debet, & cũ illo ad Deũ

Gene. 32. aſsidue clamare: Erue me de manu fratris mei: quia valde eum ti-

Pſal. 9. meo. Et, Exurge Dñe non præualeat homo, nempe caro contra ſpiritum lapſa natura contra gratiam, peccatũ cõtra peccati remedium, Adam contra Chriſtũ. Eiuſdẽ periculi nos illa quoque Apo-

Heb. 12. ſtoli verba admonent: Deponentes omne pondus, & circundans nos peccatum. Quo circundandi nomine nos vndique à peccatis obſeſſos eſſe ſignificat. Omnis enim creatura in laqueũ & muſci-

Roma. 7. pulã pedibus inſipientiũ eſt. Verũ longe eſt grauius, quod alibi dicit: Iam nõ ego operor illud, ſed quod inhabitat in me peccatum. Perículoſior enim hoſtis eſt, qui arcẽ occupauit, quàm qui eã obſidet. Illud igitur ad mũdi laqueos, qui extra nos ſunt, hoc ad peccati fomitem intra nos degentẽ refertur: qui adeò acriter nos ad peccatum ſolicitat, vt ipſius peccati nomine deſignetur.

Eccl. 34. Qui nõ eſt tentatus (ait Eccl.) quid ſcit? Multa vidi errando, & plurimas verborum conſuetudines. Pro quo alius vertit, Et plura

quàm

quàm dicam intelligo. Aliquoties vſque ad mortem periclitatus ſum horum cauſa, & liberatus ſum gratia Dei. Eccleſ. 34. Huc ſpectat & illud eiuſdem, Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Mox autem ſubdit: Homo ſanctus in ſapientia permanet vt ſol, ſtultus vt luna mutatur. *Eccl. 27.*

Sunt qui varijs atque monſtroſis cogitationibus cum alias tum præcipue in oratione turbantur. Quos tamen hæc moleſtia ſi conſenſus in peccatũ deſit, torquere non debet. Eſt enim phantaſia, ſiue imaginatio noſtra inſtar ſpeculi, quod res omnes coram oppoſitas repræſentat: ideo nihil mirum ſi tam varijs imaginibus viri etiam pij ſæpe infeſtantur.

Vbi Philiſtæi celebri fama Dauidem in Regem vnctum acceperunt, coactis copijs ad illum expugnandum vno conſilio ac mente venerunt: quos ille ope Domini adiutus in Balpharaſim fudit ac fugauit. Cumque rurſus coacto exercitu aduerſus illum veniſſent, admonitus à Domino, non aduerſo Marte, vt antea, ſed gyrans per tergum eorum, illos in fugam vertit. Ad hunc ergo modum cùm Dæmones ſæcularem hominem Dei obſequio mãcipatum vident, facto agmine aduerſus illum conſurgunt. Sed quid eſt quod aliquando collatis ſignis, aliquando inſidijs & arte aduerſus illos dimicandum eſt? Quid neceſſe fuit vt omnipotens Deus hac arte & inſidijs ad expugnandos hoſtes vti præciperet: quaſi non poſſet niſi arte vincere qui nutu omnia diſpenſat? Nimirum vt hac ratione doceret nos nunc viribus, nunc arte pugnãdum eſſe: quandoquidẽ vtroque modo nos aduerſarius noſter aggreditur: qui propterea in litteris ſanctis nũc leo, nunc draco; ſiue ſerpens callidus appellatur. D. autem Bernar. eius calliditatẽ magis quàm vires & potentiam formidandam eſſe ait. Ideoque magna diſcretione ſuggeſtiones eius ſcrutãdæ atque examinãdæ ſunt, & cauda magis ſcorpionis huius (hoc eſt finis & intentio eius) quã caput inſpiciendum eſt. Ideoque nõ mirum ſi Dauidi Dñs ait, Nõ aſcendas ex aduerſo contra eos, ſed gyra poſt tergum eorũ. Hinc ſapiens quidam voluptates non præſentes, ſed abeuntes, hoc eſt, non faciem & anteriora earum ſed poſteriora ſpectanda eſſe monet. Facies enim earum blandiendo decipit: finis autem pœnitudine & ſceleris deformitate animum exulcerat. *2. Reg. 5.*

Quemadmodum Noe in imo arce irrationalia: in ſummo autẽ

(quod

(quod in cubito finiebatur) rationalia, id est homines collocauit: ita vir iustus, sic vitam suam instituere debet, vt irrationales motus, velut seruos in imo ad seruiendum, rationales verò in summo ad regendum & imperandum collocet, vt in omnibus quæ agenda sunt non affectuum impulsu, sed consilio & ratione ducatur. Si autem inundauerit diluuium carnis, tunc intrat arcã mentis, & licet circumfluant torrentes iracundiæ, fluenta luxuriæ, voragines gulæ, licet ebulliant fontes delectationum, abyssus cupiditatum, maria conturbationum intrat, tamen securus ad arcam, & claudit à foris ostium: hoc est se intra se recipit, nec quid aut caro flagitet, aut mundus obmurmuret, aut Dæmon suggerat, attendit, clausoque ostio, orat patrem suum in abscondito, orationis virtute magis quã armis (hoc est proprijs viribus) aduersus Amalech, hoc est principem huius mundi pugnans.

Matt. 6.

Psal. 25. Nisi pijs hominibus salutare esset aliquando tentari, Propheta non oraret, Proba me Domine & tenta me, vre renes meos & cor meum. Siue vt Hierony. ex Hebr. vertit, Confla renes meos & cor meum. Quo verbo satis indicauit, tentationibus non solum firmitatem, & constantiam animi explorari, sed etiam sordes eius purgari. Vtrumque enim metallis contingit, dum in fornace cõflantur: ibi enim & eorum puritas examinatur & sordes purgantur.

Fides.

Gregor. ELecti, quem fide cognouerunt, videre quoque per speciem anhelant: quia eius dulcedinis suauitatem in ipsa fidei certitudine degustant. Greg. 13. mor. lib. 16. c. 13.

Petrus, quem corde tenuit, ore negauit: & ideo motam & quasi arescentem radicem lachrymis rigando solidauit. Greg. mor. lib. 25. c. 16.

Diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Idem super Euang. hom. 26.

August. Nullę maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla huius mundi maior est substantia, quam est fides catholica, quæ peccatores homines saluat, cœcos illuminat, infirmos curat, cathecumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmen-

tat,

tat, martyres coronat, virgines & viduas & coniugales casto pudore conseruat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, in æterna hæreditate cum sanctis Angelis collocat. August. de verbor. domini.

Sicut in radice arboris nulla prorsus adparet pulchritudinis species, & tamen quicquid est in arbore pulchritudinis vel decoris, ex illa procedit, sic ex fidei humilitate quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima susceptura est, ex fidei fundamento procedit. Idem super Ioan.

Hierony. Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis ab ouili repellenda est, ne tota domus corrumpatur, putrescat, intereat. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est. Hiero.

Ambros. Citò fides inexercitata languescit, & crebris otiosa tentatur incommodis. Remissas excubias callidus insidiator irrumpit: assuetum autem bello virum hesterna fraus instruit, & gloriosæ prouehit palma victoriæ. Ambr. super Beati immaculati.

Ricard. Vtinam attenderent Iudæi, vtinam attenderent pagani, cum quanta conscientiæ securitate pro hac parte ad diuinum iudiciũ poterimus accedere. Nonne cum omni fiducia deo dicere poterimus, Domine, si error est, à te ipso decepti sumus? Nam ista tantis signis, & prodigijs confirmata sunt, & talibus quæ non nisi per te fieri possunt, & certè à summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita, cum summa & authentica attestatione probata, teipso cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Ricard. lib. 1. de Trinit.

Bernar. Quid non inuenit fides? attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immania, apprehendit nouissima: ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circundedit. Ber. super Cant.

Putas ne filium Dei reputat Iesum quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consilijs acquiescit? Nonne is si fateatur se nosse Deum, factis eum negat? Porro fides, sine operibus mortua est. Idem, in sermo.

Cypria. Credite illi, qui omnino non fallit. Credite illi, qui hæc futura omnia prædixit. Credite illi, qui credentibus præmium æternæ

vitæ dabit. Credite illi, qui incredulis æterna supplicia gehennæ ardoribus irrogabit. Quæ tunc erit fidei gloria quæ pœna perfidiæ, cum iudicij dies venerit? Cypria.

Credenti præmium dabitur si quod creditur & geratur. Idem.

Qui euidenter, quæ diu sunt expectata suscepimus, fiducialiter necesse est, quæ sunt expectanda credamus, si fortis fuit fides quæ experimenta præcessit fortior debet esse quæ iam manifesta subsequitur. Idem, hom. 10. de Pascha.

Chrysost. Virtus fidei in periculis secura est: & in securitate periclitatur. Chrysost. super Matth.

COLLE. ¶ Sicut continuatione peccatorum & naturæ dotes, & liberum arbitrium indies debilitantur, atque decrescunt, (quanuis non prorsus extinguantur) ita fides peccatorum repetitione quotidie magis ac magis obscuratur: quanuis non prorsus extingatur. Talis est fides illorum, qui in lætali crimine perdurantes, quotannis tamé, & confitentur, & sacram Eucharistiam non verentur accipere.

Philosophus quidam de immortalitate animæ disputans, asseuerat, eos qui eam immortalem faciunt, non id credere quod affirmant: alioqui, Cur, inquit, mori timent, qui meliorem sui partē immortalem esse, confitentur? Quid hic quæso diceret de fide Christianorum gentiliter viuentium, cùm eorum fidem audiret, & mores animaduerteret? Quamobrem inquisitione dignum est, cur qui talia credunt, taliter viuunt? In causa esse videtur quia illud in hac re cōtingit, quod in consilijs sæpe fieri videmus, vt maior pars vincat meliorem. Multorū enim stultorū suffragia vnius sæpe rectissimo consilio anteferuntur. At fides rectissime cōsulit, quæ ad superna & spiritualia nos vocat: sed vocat tamen non voluntatē impellendo, sed solū vera bona indicando. At cōtra huius dictamen tota carnis militia impugnat: quæ cum omnibus affectibus, & sensibus ad corporalia & terrena deflectitur. Oculi enim appetunt pulchra, nares odorifera, gustus suauia, tactus mollia? Quid vero appetitus ipse? Quid affectus omnes? quid amor sui, ni si terrena, & voluptuaria concupiscunt? Itaque maior pars vincit

Psal. 55. meliorem. Ideo queritur Propheta, Miserere mei Deus quoniam conculcauit me homo, videlicet, exterior: ac deinde quem vnum dixerat, multos appellat. Quoniam multi, inquit, bellantes aduer-

sum

ſum me. Vnus enim hic exterior homo multos habet ſatellites qui agmine facto ſpiritum impugnant: & multitudine non ratione armati, mentem ab honeſto deducunt.

Poſside fidẽ, & bonã cõſcientiam: quam quidẽ repellẽtes circa fidem naufragauerunt. Itaque bona cõſcientia fidei cuſtos eſt, mala vero perniciẽ fidei molitur. Propter hoc ergo Dæmõ ad peccata ſemper inſtigat, vt fidẽ tandem, ſi potuerit, euertat. Eius enim illa vox eſt, Exinanite, exinanite vſque ad fundamẽtũ in ea. Fides enim totius Chriſtianæ vitæ fundamẽtũ eſt. Hæc verò ruina maxima eſt, qualis nimirũ illa, quę ab Iſaia deſcribitur his verbis. Ecce cõteretur cõtritione pręualida, vt nõ reliquatur in ea fragmẽtũ quo tollatur igniculus de incẽdio, aut hauriat parũ aquę de fouea. *1. Tim. 1.* *Pſal. 136.* *Iſai. 30.*

Fides niſi à cõtraria ſibi hæreſi & infidelitate directè nõ corrũpitur. Cæterũ diſpoſitiue & indirectè (vt aiũt) ab alijs quoq; vitijs corrũpi poteſt: oĩa quippè vitia, ad eius corruptionẽ cooperantur. Fides eñ omnibus vitijs quodãmodo aduerſatur, dũ peccãti ſupplíciũ, & iuſtitiã Dei repręſentat, vermẽ cõſciẽtię exacuẽs, vt refragetur, oblatret, obmurmuretq; contra peccãtes. Quo fit vt voluptuarij & auari, cæteriq; malorũ autores, moleſte hũc cõſcientiæ aculeũ ferãt. In quo miſerabili ſtatu vbi Lutherus adueniens, ſolã fidẽ ad ſalutẽ ſufficere pręcicauit, mirãdũ in modũ recreauit iſtos qui iã ſine vllo Dei metu licẽter peccare, & cupiditatibus ſuis frena laxare ſibi poſſe videtur. Propter hoc etiã multi diuinã prouidẽtiam, & immortalitatem animæ negarunt, vt ſine vllo doloris ſenſu in omnia libidinum & flagitiorum genera prorumperent.

Equus ſi diu torpeat in ſtabulo ipſa deambulandi, vel currẽdi deſuetudine (ad quod natus eſt.) frequenter redditur inutilis & mancus. Sic fides, quæ ad bene operandum data eſt, ſi otioſa diu maneat, frequenter interire ſolet: dũ facile homo prauis moribus aſſuetus, in hæreſim labitur, qua fides amittitur. Hinc Dñs, Qui habet, dabitur ei, & abundabit: ab eo autem, qui nõ habet, & quod videtur habere. a. a. c. Id autem fit, dum homo, qui otioſam detinet fidem, iuſto Dei iudicio in hæreſim labi ſinitur. *Matt. 13.*

Fides in quibuſdã Chriſtianorũ adeò antiquata, & quaſi oblitcrata eſt, vt nitore, ac ſplẽdore ſuo amiſſo, meritò informis eſſe dicatur. Itaq; ſimilis eſſe quibuſdã imaginib⁹ videtur, quę vetuſtate & fumo ita oblitæ, & antiquatæ ſunt, vix vt dignoſci poſsint, cuius

diuorum imaginem referant. Qui igitur talem fidem habent, ita fere credunt, vt non tam credere, quàm somniare videantur, quá uis re vera credant. In quos merito illud quadrare potest, quod in *Iob. 28.* Iob scriptum est. Perditio & mors dixerunt, auribus nostris audiuimus famam eius. Ita enim ea quæ fidei sunt audiunt, ac nuntia de terra longinqua, quæ videlicet ad salutem suam, minimè perti nere putant.

Sicut latro, nec iudicem, nec carnificem, nec crucem, nec carce rem esse vellet, ita facinorosus & carnalis homo, qui se à peccatis continere non vult, nec Deum iudicem, nec extremum iudiciũ, nec immortalem animam, nec supplicium vllum, aut prouidentiam (si id quidem fieri posset) esse vellet, vt licentius sine vllo diuini numinis metu in omnium carnalium voluptatum cœno impune volutaretur. Quò fit, vt quisquis hoc affectu & animo est, minimo negotio ad id credendum inducatur, quod ipse vellet. *Tim. 4.* Quod apertè Apostolus testatur, his verbis. Erit enim tempus, cũ sanam doctrinam, non sustinebunt, sed ad sua desideria &c. Hinc fit, vt facile peruersi homines in eos errores inducantur, qui auari tiæ, & libidinibus eorum viam muniunt, & peccandi licentiá con cedunt. Quod si inditum à natura humanæ menti lumen, quo à malis bona discernimus, prauitate vitæ (vt Cicero ait) ita obscuratur, vt in quibusdam pene extinctum sit: quid mirum, si fidei lumen, quod aliunde venit, quodque supra naturam est, diutina pec candi consuetudine ita obscuretur, vt leui hæreticorum, opera corrumpi posit?

Vitæ turpitudinem esse errorum omnium originem Aposto- *1. Tim. 1.* lus declarat, cùm Timotheo præscribit. Posside fidem, & bonam conscientiam, quam quidem repellentes, circa fidem naufragaue *Psal. 13.* runt. Idem etiam Vates regius significare voluit, cùm ait. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Huius autem pestiferæ senté tiæ causam protinus exponit, cùm subdit, Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, &c. His enim verbis designat vitæ corruptelam, & perditos impiorum mores huius execrandi erroris causam extitisse. Vnde interpres quidam hunc locum sic explanat. Pestiferæ huius opinionis (quæ totius vitæ fundamenta conuellit,) origo & fons est ipsa vitæ turpitudo. Nam qui libidinum facibus inflammantur, qui rapinis & maleficio pascuntur, cætera que huius-

modi

modi scelera & flagitia suscipiunt, ij omnem Dei memoriam & notionem, ex animo suo euellere conantur: ne metu supplicij diuini aut exanimentur continenter, aut inuiti à scelerum administratione reuocentur.

Suspendit seruus Abrahæ inaures ad ornandũ Rebeccæ spõsæ domini sui faciem, & armillas posuit in manibus eius. Inaures ad fidẽ, quæ exauditur est: armillæ verò, quæ manus ornant, ad opera referuntur. Vt intelligamus animæ ornatum & pulchritudinẽ nõ fide sola, sed fide & operibus contineri. Quod illos præcipuè dãnat, qui sibi de sola fide sine operum attestatione blandiuntur. *Gene.24.*

Fidei obedientia iungẽda est, vt nobis salutẽ afferat. In cuius rei typum Pharao esurientem & clamantem populum ad Ioseph remittit, quem rei frumentariæ præposuerat, & Saluatorem mũdi appellauerat: remittit autem his verbis. Ite ad Ioseph, & quidquid dixerit vobis facite. Nõ ergo satis est ad verũ Ioseph Christũ per fidẽ ire, nisi quod is præceperit, effeceris. Is enim factus est omnibus non solum credentibus sed etiam obedientibus sibi, causa salutis æternæ. *Gene.41.* *Hebr.5.*

Cũ duplex sit fides, viua scilicet & mortua, discernitur quidem altera ab altera per motũ & energiã operãdi. Omne enim quod viuit, motũ aliquẽ habet, quo caret, quod mortuũ est. Hinc aquæ viuæ appellantur, quæ & mouẽtur & mouent: mortuæ verò, quæ immotæ iacẽt: quales palustres, & lacunares sunt. Ad hũc ergo modũ, fides mortua iacet, viua autẽ ad operandũ viuacitate, sua extimulat, quã Apostolus per charitatẽ operari ait. Hoc ergo indicio, conijcere poteris, qualẽ fidẽ habeas. Sicut enim vita animalis, ita fidei vita ex motu & operatione cognoscitur. *Galat.5.*

Pulchritudo, & veluti armonia vitæ Christianæ in eo sita est, vt mores & vita cũ fide cõsentiãt. Magna verò deformitas est, quando aliter fit, hoc est, quando vox quidem est Iacob, manus autem Esau. Huius autem deformitatis imaginem legati illi Dauidis exhibuerunt, quos rex filiorum Amon media barba rasa, vestibusq; ad nates vsque abscissis turpiter deformatos à se remisit. Vestis enĩ nuptialis, quæ piorum ornamentum est, ex fide simul & operibus contexitur: at cum fides adest, & opera desunt, quasi media tantũ vestis tegendæ animæ nostræ relinquitur, altera parte nudata. *2. Re. 10.*

Sublata diuinitatis & prouidẽtiæ fide, quæ mala sequantur ex-

ponit psal.cũ de impio loquens ait, Nõ est Deus in cõspectu eius, (siue vt alij verterunt, Nõ est Deus in vllis cogitationibus eius) inquinatę sunt viæ illius in omni tempore. Sublato enim Dei metu quid non malorũ consequetur. Vnde Glossa quædã super hoc loco ait. Vt enim equi ferocitate exultãtes, duritia frenorũ cohiberi solent: sic indomitæ animi cupiditates, & libidines effrenatæ, tanquã in gyrũ rationis & modestiæ cõtrahuntur metu diuinæ iustitiæ. Quo metu si careãt homines, in omnia flagitia pręcipites ruũt.

Contra eos, qui sola fide mortua sine vllo virtutum studio salutem sibi pollicentur, præcipuè militat Psal. 23. in quo Dauid quærit à Dño, Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Cui interrogationi ipse respondit, Innocens manibus, & mundo corde, & quæ sequuntur. Inter quæ illud est, Qui non accepit in vano animam suam, Improbi namque frustra animam suã accepisse dicuntur: quando ea in id ad quod data & cõdita est, nõ vtuntur. Hoc enim solũ præstat eis, quod mortuorũ animalium carnibus sal: quas à corruptione pręseruat: vel certe quod anima bruti præstat bruto: cui vitam solum bruti præstat.

Ioan.15. Quid est, quod Dominus ait. Omnem palmitem in me nõ ferẽtem fructum tollet eum? Nimirũ quoniã sunt qui in Christo manent per veram fidẽ, quæ à Christo in illos deriuatur: quia tamen hæc fides sterilis & mortua est, nullũque profert fructũ, ideò qui huiusmodi fidẽ habent, abscindũtur, & in ignẽ arsuri cõijciũtur.

Blasphemia.

August. FLagellatus est Christus flagellis Iudæorum: sed non minus flagellatur blasphemijs falsorum Christianorum, Aug. super Ioan. Idem super Matth. Non minus ait, peccãt, qui blasphemant Christum regnantem in cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris.

Hierony. Sicut ad proprias iniurias patientes esse debemus: ita si aliquem viderimus erga Deum ore sacrilego blasphemantem, illic tenere non debemus patientiam: sed sacrilego resistere: & os blasphemũ veritatis responsione damnare. Hiero.

Raba. Rabanus super Matthe. Mos erat Iudæis, cùm aliquid blasphemiæ audiebant, scindere vestes: sic Paulus, & Barnabas cum cultu

diuino

diuino honorarentur, sciderunt vestes suas.

Qui blasphemiæ spiritu se perturbari sentit, atque eo liberari cupit, pro certo habeat, non suam animam huiusmodi cogitationum esse causam, sed impurum illum spiritum, qui aliquando ad Dñm dixit, Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Ideirco nos quoque contemnentes ipsum, & quæ ab illo dicuntur nihil existimantes: securi & intrepidi dicamus, Vade post me Sathana, Dominum Deum meũ adorabo, & illi soli seruiam. Qui prędter hunc modum aduersus blasphemiæ spiritum pugnare vult, is est similis ei, qui manibus suis coruscationem continere nititur. Nã quomodo vel cõprehendere, vel resistere, aut reluctari aduersus eum poterit, qui repente in cor, venti instar pertransit, habetque verbum momento velocius confestimque euanescit? Nam hostes quidem reliqui instant, perstant, moras trahunt, tempusque aduersum se pugnantibus præbent: hic autem simulac apparuerit, abscedit, statimque vt allocutus est, mentẽ pertransit. Qui hunc spiritũ despicit, liber euasit: qui vero aliter illi reluctari nititur, tandem subiacebit. Monachus quidam studiosus, cum ab eo perturbaretur, ad viginti annos carnem suam ieiunijs, atque vigilijs macerare perstitit. Cùm vero nullam se vtilitatem inde cœpisse sentiret in carta perturbationem atque tentationem suam sancto cuidam, atque probatissimo seni retulit in faciem prostratus: nec in illum intueri valẽs. Vt autẽ legit senior, subrisit, fratrẽ quis erigens. Pone (inquit) fili manũ tuam super collũ meũ: quod cũ fecisset frater, ait illi senior: Super collum meum sit frater hoc peccatum quotquot annis te oppugnarit, vel oppugnaturum sit: tu autem id obserua, vt hoc iam flocci facias, & nihil æstimes. Quibus verbis ita roboratus est frater, vt non ante è cella senis excederet, quàm huiusmodi morbus euanesceret. Hoc autem is qui expertus est, mihi postea narrauit, Deo gratias referens. Clim. Grad. 23.

Climac.

Matt. 4.

Contra blasphemos, & mulieres de diuina prouidentia querulas, valet locus ille. Numer. 11. Sic enim habet, Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cùm audisset iratus est, & accensus in eos ignis Domini, deuorauit extremam partem castrorum. Videãt ergo qui de Deo queruntur, qui diuinam prouidentiam accusant, in quo periculo versentur.

Leui. 26. Aduersus blasphemos Origenes citat illud Leuit. Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Quis porro magis pater, quã Deus? Nonne, inquit, ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, &c.
Matt. 3. Et Saluator item, Patrem nolite vocare super terram, &c. Quanto ergo magis morte digni erunt, qui huic patri spirituũ maledicũt? Extat Leuit. 24. Lex Dñi aduersus blasphemos: quos iubet ab vniuerso populo lapidari. Vbi etiam legimus deprehensum fuisse
Leuit. 23. quendam Ægyptio patre, & Israelitica matre: qui cum altero rixatus, nomen Dñi blasphemauit: quem Moses ad se allatum, in carcerem coniecit, vt oraculũ Dñi consuleret: Is vero ei præcepit, vt illum extra castra educeret, ibique omnis eum populus lapidibus obrueret. Cur omnis populus, cũ alias rei capitis vnius carnificis manu intereant? Nimirũ, vt omnes communis parentis Dei iniuriam zelo gloriæ eius incensi, vindicarent. Deinde, vt hoc exẽplo admonerentur, ne id committerent, quod tam ignominioso horrẽdoque supplicij genere plectendum esset. Lex deinde lata fuit, vt simili supplicio in blasphemos omnes animaduerteretur.

¶ Quo in loco obseruare illud quoque iudices debent, vt magna cautione in sententijs ferendis vtantur: quando is qui Dei spiritu plenus erat, sine eius responso de hominis capite pronuntiare au-
Iob. 29. sus non est. Hinc illud Iob. Causam quam nesciebam, diligentissime inuestigabam.

Credulitas.

Hierony. NON est facile malũ de perfecta ætate credendum, quam vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis. Hiero. in epist. ad Rust.

COLLE. ¶ Nõ minus difficile est aures regere, quàm linguam: huius enim est loquenda tacendaque scire: illius autem credenda, & nõ credenda discernere. David rectè se linguã moderatum fuisse osten-
Psal. 38. dit, cum ait. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me: obmutui, & silui à bonis: qui tamẽ faciles, & nimiũ
2. Reg. 16 credulas aures delationi aduersum innocẽtem Miphiboseth præbuit: & iniustam sententiam tulit. Harum porro moderationem
Eccl. 7. Salomon commendat, cum ait, Sedet cunctis sermonibus qui di-

cuntur,

euntur, ne accommodes aurem: ſcit enim conſcientia tua quod & tu crebro maledixiſti alijs. Quæ quidem ſententia illos ferit, qui nimium acerbe aliorum maledicta ferunt: quum non mirentur interdum ſe etiam, vel parentibus quoque ſuis detraxiſſe.

Spes, Fiducia.

TAnto ſpes in Deum ſolidior ſurgit, quanto pro illo quiſque grauiora pertulerit, quia nequaquam retributionis gaudiũ de æternitate colligitur, quod non hic prius tribulatione pia ſeminatur. Greg. in moral.

Tanto animus à laboris afflictione ſubtrahitur, quanto per ſpẽ ad ſumma ſuſtollitur. Spe (ait) gaudentes. Idem in mor.

Ille bene nouit in exterioribus miſerijs ſubſiſtere, qui ſcit de ſpe interna ſemper gaudere. Greg. ſuper Ezech.

Spes in æternitatem animum erigit, & idcirco, nulla mala exterius quæ tolerat ſentit. Idem. mur. lib. 6.

Quos de Deo ſcimus diſtricta audiſſe, vt timeant: curemus, vt & manſuetudinem pietatis eius audiant, vt præſumant. Greg. 20. mor. c. 5. Varia ad hoc probandum inducit hic exempla.

Greg. ſuper illud Iob. 31. Si putaui aurum robur meum & obrizo dixi, fiducia mea: ſi lætatus ſum ſuper multis diuitijs meis, & quia plurima reperit manus mea, ſic ait, Sanctus vir, nec aurum robur, nec ſibi eſſe obrizum fiduciam credidit: quia ſpem, ac delectationem ſuam in ſolius gratia conditoris fixit. Quaſi in aquis defluentibus fundamentum ponere eſt, in rebus labentibus ſpei fiduciam velle ſolidare. Stante enim in perpetuum Deo, tranſeunt omnia. Prius itaque curandum eſt, ne quis temporalia diligat: ac deinde ne in eiſdem temporalibus, quæ non ad delectationem ſibi, ſed ad vſum retinet, fiduciam ponat: quoniam coniunctus decurrentibus, mox ſtatum ſuum animus perdit. Moral. lib. 22. *Iob.* 31.

Plaſma tuum ſum, manus tuæ domine fecerunt me, & plaſmauerunt me: manus, inquam illæ, quæ affixę clauis ſunt pro me. Opus manuum tuarum domine ne deſpicias, vulnera manuum tuarum precor vt aſpicias. Ecce in manibus tuis domine Deus deſcripſiſte me lege ipſam ſcripturam, & ſalua me. Aug. in Medita. *August.*

Dubitas, quod dabit tibi bona sua, qui non dedignatus est suscipere mala tua? Idem de verbis Domini.

Ille sperat, qui boná cóſcientiam gerit: quem verò pungit mala conſcientia, retrahit ſe à ſpe, & non ſibi ſperat, niſi dãnationẽ. Vt ergo ſperet regnum, habeat bonam conſcientiã: & vt habeat bonam conſcientiam, credat & operetur. Idem ſuper Pſal.32.

Hierony. Omne opus leue fieri ſolet, cum eius pretium cogitatur: & ſpes præmij ſolatium fit laboris. Hiero. in epiſt.

Ambroſ. De diuina miſeratione tunc ſperandum amplius eſt, cum præſidia humana defecerint. Ambro. in Examer.

Spes commodi furatur labores, & metum abſcondit periculi. Idem ſuper Pſal.12.

Iſidor. Non poteſt eſſe in pace, qui ſpem ſuam ponit in homine.

Bernar. Is fidelis eſt, qui nec ſibi credit, nec in ſe ſperat, factus ſibi tanquam vas perditum, ſed ſic perdens animam ſuam, vt in vitã æternam cuſtodiat eam. Bernar. in ſermo.

Tu es Domine ſpes mea, Quicquid agendum, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es Domine ſpes mea. Hæc vna mihi omnium promiſsionum cauſa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, ſuſtinere ſe iactet pondus diei & æſtum, ieiunare bis in Sabbatho ſe dicat, poſtremo non eſſe ſicut cæteros hominum glorietur. Mihi autẽ adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Idem, ſer.9. ſuper. Qui habitat.

Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda ſperabo: ſi inſurgant aduerſum me prælia, ſi ſęuiat mundus, ſi fremat malignus, ſi caro aduerſum ſpiritum concupiſcit, in te ego ſperabo. Idem, ibidem.

Dicit fides, parata ſunt magna, & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus ſuis: dicit ſpes, mihi illa ſeruantur, nam tertia charitas, curro mihi ait ad illa. Idem ſermo.20. ſuper. Qui habitat.

Eſeb. Emiſſe. Deliberatum, ac propoſitum Deo eſt, vt facturam ſubiecti ſibi hominis ſemper in melius pro exercendæ bonitatis ſuæ virtute promoueat. Nouum fecit, perditum reuocauit: & cui primũ imaginem ſuam dedit, in ſæculo ſeipſum pro eo tradidit: vt cum iam tanta perceperis, per ea quæ agnoſcis præſtita, diſcas ſuperare promiſſa; & ſpem rebus nutrias: & de conſequendis ea quæ iam es cõ-

ſequutus

sequutus interroges: ac perceptorum experimentum proficiat tibi in testimonium sperãdorum: ac sic attributa iam beneficia pro retribuendorum fideiussoribus habeas: ac Dei tui præteritã, præsentemque breuitatem, quasi futurorum teneas cautionem. Eus. Emiss. hom. 2. de symbolo.

Spes est incertarum diuitiarum opulentia. Spes est indubitatus ante thesaurum thesaurus: hæc laborum requies, hæc charitatis ianua est: hæc desperationis relegatio, hæc absentium imago est. Spe subnixus monachus accidię iugulator est, ex illa huius gladio triũphans: Spẽ parit diuinorũ munerũ experimentum: nã qui hęc expertus non est, non sine hæsitatione perstat. Ioan. Clima. Grad. 30. *Clim.*

Qui diem dedit, dabit etiam, quæ ad diẽ necessaria sunt. Clem. Alexan. *Clemens Alexan.*

Cum nulla vsquam humani auxilij spes nobis affulget, ne desperemus, nec despondeamus animum: sed fidei anchoram arripiamus, & instrumentum spei iaciamus, non quidem in mare, sed in cœlum, & tempestatum procellis agitata nauis, ab omni periculo liberabitur. Chrysost. *Chrysost.*

Ne desperes, nec à precibus desistas: sed peccator cũ sis, accede, vt glorifices Dominum tuum, & occasionem ei præbeas declarandi natiuam benignitatem suam in scelerum tuorum remissione. Nam si dubites accedere, bonitatem eius impedisti, & benignitatem, quantum in te est, prohibuisti. Idem.

Animalia fecit Deus propter hominem, hominem propter seipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus nõ ministrabit propter seipsum. Idem super Matth.

Omnem creaturam, sensibilem Deus armatam, & munitã creauit: alios veloci pedum cursu, alios vnguibus, alios pennis, alios cornibus: hominem solũ sic disposuit, vt virtus illius sit ipse Deus. Et in eo quo infirmiorem eum fecit in seipso, fortiorem esse voluit in se vt necessitate infirmitatis coactus, semper necesse habeat Dominum suum requirere. Ibidem.

Nec mulier absque viro, nec spes absque labore quicquã parit vtile. Socrates. *Socrates.*

Quæ iucunda sunt, licet nondum adsint præsentia, spe tamen delectant. *Leucip.*

Laudanda

Vale. Ma. Laudáda fiducia est, quę ęstimationé sui certo pódere examinat.
Cicer. Sola spes hominem in miserijs consolari solet.

COLLE. ¶ In velamento alarum tuarum exultabo. Hoc in loco spei præsidiú ac deliciæ declarantur. Hæc enim est robur & exultatio Christianorum. Vnde Apostolus, Spe gaudétes. Quemadmodú enim fides Spiritus sancti donis illustrata non solú credere, sed interdú etiá sę videre quodámodo putat, clamans toto corde cú Propheta, Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: ita spes simili modo illustrata & aucta, non tá sperare, quàm tenere atque posside re se credit. Cuiusmodi possessionem mirabile gaudium, ac deliciæ consequi solent: quas nemo nouit, nisi qui expertus est.

Psal. 62. Psal. 92.

Ad spé potissimú pertinet patienter labores ferre. Cuius rei locupletissimú exéplum habemus in illa septem Machabæorú matre: de qua. 2. Macha. 7. legimus. At mater mirabilis, & bonorum memoria digna: quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore bono animo ferebat propter spem, &c.

Cótra fiduciá sui, mirú exemplú est filiorú Israel, aduersus filios Beniamin in causa iustissima Dño etiá consulto pugnantium, qui tamen bis in bello superati sunt. Plus enim ad perdendos illos fiducia sui, quá ad seruandos, & iustitia causæ, & imperiú, atq; cósilium Dñi (quo autore bellú susceperút) effecit. Hác enim fuisse stragis illius causam, non obscure verba illa declarant: Rursumq; filij Israel fortitudine & numero cófidentes, &c. Est autem valde mirandum, quantoopere in literis sanctis fiducia in creaturis deijciatur. Cur ita? Quia nimirum, quæ nos ad fidendum Deo causæ impellunt, eædem ad creaturis diffidendum hortantur. Fidimus enim Deo, quia bonus, quia misericors, quia diues, quia potens, quia verax est: quorum nihil ferè in creaturis inuenitur. Propter quod merito Propheta monet. Nolite cófidere in principibus &c. Et infra, Beatus cuius Deus Iacob &c.

Iudic. 20. Psal. 145.

Philip. 2. In nomine IESV omne genu flectatur. Omnes creaturæ genu quidem huic nomini flectút. Pater vero cœlestis caput inclinat libéter annués, & cócedés omnia quæ in hoc nomine petútur. Deus enim honorauit patré in filijs, quádo videlicet propter patris merita de filijs bene meretur: qđ erga posteros Dauid sępe fecit. Quod si hoc Dauidi præstitit, qui adulteriú homicidio cumulauit, quid

Eccl. 3.

quæso

quæso in Christi sui gratiam non faciet? Si de Abraham dicitur, *Gene.* 18.
Vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ loquutus est ad eum: quid ergo propter Christum? Adde quod Christus, vnũ nobiscum effectus est. Quo fit, vt cum propter illum petimus, nõ modo nobis, sed illi etiam quodammodo petimus, neque modo tam nostram quàm illius causam agimus. Ester cum salutem & vi *Ester.* 7.
tam populi sui ab Assuero petit, sibi petit dicens, Da mihi animam meam &c. Quid ergo mirum si cùm caput nostrum interpellat pro nobis salutem sibi petat, quam petit nobis, quando vnum nobiscum factus est? Quod si toties in Psalmis peccata nostra appellat sua (quia videlicet ea in se expianda suscepit) quid mirum, si necessitates quoque nostras appellet suas, & pro eis, tanquàm pro suis interpellet?

Quoniam in me sperauit, liberabo eum. Quid ita? Nimirũ quia *Psal.* 90.
re ipsa magnopere Dei bonitatem commendat, quisquis in illo firmiter sperat. Si enim hostis hostem in fidem suam recipit, quoties periculis aliunde vrgentibus, ad illius præsidium atque tutelam confugit (tantum efficit de hostis etiam virtute bene sperasse, seque illius fidei & patrocinio commisisse) quid immensa illa bonitas præstabit ijs, qui ad illum, in omnibus pressuris & calamitatibus tanquàm ad salutis portum, & assylum confugiunt? Prȩtereà *Gene.* 19.
si sanctus Loth, filias Virgines prostituere volebat, ne iniuria afficerentur hospites, qui se illi crediderant, quid faciet supernus ille parens, quoties ad culminis eius vmbram confugimus? Si enim, huc vsque humanæ fidei bonitas peruenit, quò tandem infinita, illa bonitas, peruentura est?

Quousque (ait Dominus) populus iste non credet mihi? Iam *Num.* 14.
per decem vices tentauerunt me. Si ergo adeò grauiter Dominus tulit, quod post tot edita signa, post tot Ægypti plagas nondum illi, fiderent homines: quid faciet si post tot filij plagas, vulnera, ac flagella, cæteraque euidentissima amoris erga nos sui indicia, minus illi fidimus?

Postula ait Pater à me, & dabo tibi gentes, &c. Pondera illud *Psal.* 2.
verbum tibi. Christo enim dat pater, quod nobis dat. Quare cum tibi gratiam per Christum petis, Christo ipsi quodammodo petis, quia propter illum petis. Sicut enim Christus ipse ait, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, quia videlicet propter me

Matt. 25. me fecistis:ita Christus dicit Patri, Pater, quod vni ex minimis istis donas, mihi donas, quando propter me donas. Quod beneficium confertur in pedes, caput recipit: ita Christo cõfertur quod nobis, hoc est, pedibus & membris eius confertur. Hinc surgit in oratione fiducia.

Matt. 23. Patrem nolite vocare super terram: vnus est enim pater vester, & cætera. Quæ maior fœlicitas excogitari potest? Quid tibi sub patris tutela constituto deesse poterit? At inquis multa aduersus illum cõmisi peccata: sed peccata præterita (vt D. Hiero. ait) nõ nocent si non placẽt. Sed ais, exigua admodum ei præstiti obsequia, *Psal.* 113. ad hoc Propheta tibi respondet, Benedixit omnibus qui timent Dñm, pusillis cũ maioribus. Time ergo Dñm, quamuis enim pusillus in hac parte sis, dominicæ tamen benedictionis expers non eris. At video me tẽporalibus bonis egere quæ nondũ ab eo recepi. Quid mirum si pater febricitanti filio, & frigidam, magna cõtentione petenti, non præbet? at non minus interim externa bona hominibus, quàm potus aquæ febricitantibus nocere solent: Neque enim temere Poeta quidam ait, Res ampla superbum, risorẽque hominum, contemptoremque Deorum, sæpe facit.

Spem adiuuant præterita Dñi beneficia: dum homo sperat futura subsidia, à quo tanta ante suscepit patrocinia. Vel ergo tu credis omnia quæ hactenus accepisti, ex diuina tibi largitate prouenisse, vel non. Si non credis, ingratißimus es: si verò credis, cur ergo non speres futura, à quo tam multa iam præterita te recepisse confiteris? Ab hoc autẽ loco saluator argumentatur cum ait: *Matth.* 6. Nonne anima plus est quam esca? &c. Hoc est, qui maiora præstitit, vtique & minora præstabit.

Spes præmij minuit vim laboris. Id intelligitur exemplo canis leporem per dumeta & tribulos acriter insequentis: qui spe prædę illectus, spinas & vulnera non sentit, nec pernicißimi cursus laborem. Quid ergo nos propter illam cœlestem prædam (hoc est, panem Angelorum) facere par est?

Apostolus dũ fidem miris laudibus extulit certum est nõ informem fidẽ (quam sine charitate nihil esse dixerat) sed fidẽ cum ijs quæ fidẽ ipsam cõsequuntur (nisi vitio nostro impediantur) intelligere. Fidẽ autem non impeditã sequitur charitas, & obediẽtia mandatorum Dei. Hinc Eccl. 32. legimus: In omni opere tuo crede ex

de ex fide animæ tuæ: hæc est enim conseruatio mandatorũ. Qui credit Deo, attendit mandatis, & qui confidit in illo, non minoratur. Ideo Apostolus Petrus admonet, Ministrate in fide virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, &c. Itẽ Apost. ad Titum. 3. Fidelis sermo: & de his volo te cõmonere, vt curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Quemadmodũ enim in his locis Apostolus dum fidem commendat, ex antecedẽtibus intelligit sequentia (quod ad tropum Sinedoches pertinet) ita regius Propheta, dum toties spem, & fiduciam in Deum laudat, ex consequentibus per eandem figuram intelligit antecedentia. Spes enim viua, quæ animum in tribulatione roborat, & consolatur, quæ tranquillum in tempestate efficit, & quæ in omni negotio alacriter, & fidenter ad Dominum confugere facit: illorum tantum est, qui omnia humana præsidia, vt fallacia, & infirma pro nihilo ducunt: quique vt se, & omnia sua tradiderunt Deo, & eius intra se amicitiam quodammodo gustauerunt, ita vicissim omnia ab illo expectant, & cum magna ad illum fiducia accurrunt. Hoc enim modo fidelis seruus sperat in fideli Domino, amicus in amico, filius in Patre. Itaque vt bona conscientia semper fidit, ita mala semper trepida est: pessima enim spei contubernalis est mala conscientia, quæ animũ in spem se se attollere volentem, velut in medio cursu reuocat, & ab alto deducit. Cùm ergo regius Propheta illos commendat, qui spem omnem suam in vno Deo reposuerunt, eos vtique designat, qui fidelis serui munus præstiterunt, & testamenti siue pacti Domini leges fideliter seruauerunt. In hoc enim pacto tota Christianæ perfectionis summa posita est: vt videlicet homo omnes curas & cogitationes suas & amorẽ omnem, spretis rebus terrenis in vno Deo collocet: & omnia rursum, quę ad salutem & fœlicitatem suam spectant, ab eo speret, & petat, cui se, & omnia sua tradidit. Sic enim qui in excolenda vinea sua omnem operam ponit, ab ea rursum omnia quæ ad vitæ vsum necessaria sunt, requirit. Sic etiam vxor, quę se totã obsequio viri tradit, omnia vicissim ab eodẽ expectat. Quod quidẽ fideliter Sponsa in Cant. præstare se fatetur, cum ait, Dilectus meus mihi, & ego illi: quia enim ego illius tota sum, ita totus ille meus est.

Sicut fides est de non visis, ita etiã spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Sicut ergo tunc vel maxime locũ habet fides, cũ nulla

2. Pet. 1.

Cant. 2.

Rom. 8.

subest

ſubeſt humana ratio ad credendum ita tum maxime commendatur ſpes, cùm nulla ſubeſt in creaturis cauſa ſperandi, ſed omnia
Roma. 4. exitium, peſtemque minantur: quando videlicet in ſpem contra ſpem credimus: quod cótigit Suſannæ: cuius cor erat fiduciam habens in Domino, cum tamen ad mortem damnata duceretur.

Prouer. 3. Habe fiduciã in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. Verba ſunt ſapientiæ plena: & quæ maximè vitæ veræ Chriſtianæ ſpem alunt: quæ non humanis viribus, ſed cœleſti ope potiſsimum nititur, totaque è cœlo pendet. De hac item ſpe eſt
Prou. 17. illud Eccleſiaſtici. Gemma gratiſsima expectatio præſtolantis: quocunque ſe vertit, prudenter intelligit.

Maximum ſpei incitamentum eſt, miſericordiam Domini non legendo ſolum, ſed multo magis experiendo cognouiſſe. Firma enim fiducia ſperat homo illum profuturum qui frequenter alias
Pſal. 9. profuit. Hinc illud ex Pſalmo. Sperent in te qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine. Cogno-
1. Ioan. 4. ſcendi autem verbum hic vſurpauit, eo modo quo Ioannes in Epiſtola cum ait, Qui non diligit, nó nouit Deum. Eſt enim hæc cognitio non informis, ſed charitate formata: non hac ſola, ſed multis etiam diuinæ pietatis experimentis aucta & confirmata. Talis
Cap. 5. enim cognitio firmiſsimam parit fiduciam. Vnde idem Ioannes ait. Scimus quia audit nos: quia habemus petitiones quas poſtulauimus ab eo. Item illud Pſalm. 16. Ego clamaui, quia exaudiſti me Deus. Q. d. Quia exaudiſti ſæpe, ſpero nunc etiam quod me clamantem exaudies.

Pſal. 26. Mirabile ſpei robur præſeferunt illa Dauidis verba. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea. & cætera quæ ſequuntur. Huius autem ſpei firmitatem ex præteritorum periculorum, ac præſentiũ liberatione Vates ſanctus colligerat. Protinus namque addit, Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo in die malorum, & quæ
Pſal. 45. ſequuntur. Simile eſt & illud ex eodem. Deus noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerũt nos nimis. Quid ex hoc ſequitur? Nimirum hanc eius benignitatem experti, non timebimus, dum turbabitur terra, transferentur. m. i. c. m. Quid fortius, & animoſius dici potuit? Idem robur, eandemque cauſam inſinuant illa verba Pſal. 30. Pro eo enim quod nos legimus, Eſto

mihi in Deum protectorem &c.Hiero.ex Heb.vertit. Esto mihi in lapidem fortissimum,& in domum munitā,vt salues me. Quia petra mea,& munitio mea tu es,& propter nomen tuum,&c. Causam verò huius spei protinus subdit dicens.Exultabo,& lætabor, in misericordia tua:quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam,Nec conclusisti me in manibus inimici,&c.Nihil ergo mirum,si qui hæc beneficia à Deo perceperat,tam firmum ab eo præsidium peteret, & expectaret. Ex præteritis enim futura sperare didicerat,quod sanctis omnibus familiare semper fuit.

Nemo de spe sola sibi blandiatur,nisi suos ei comites,timorem, fortitudinem,iustitiam,& patientiam adiungat.Iustitiam enim simul cum spe exigit Propheta,cum ait,Sacrificate sacrificium iustitiæ,& sperate in Domino.Et Ioannes.Omnis ait qui habet hāc spem sanctificat se , sicut ille sanctus est. Timorem verò , cum Psal.ait,Ecce oculi Domini super timentes eum,& in eis qui sperant super misericordia eius Fortitudinem autem,cum dixit , Expecta Dominum,viriliter age:& confortetur cor tuum,& sustine Dominum.Patientiam verò exigit Apostolus , cùm ait. Patientia vobis necessaria est,vt voluntatem Dei facientes,reportetis promissionem.

Psal. 4. *1.Ioan. 3.* *Psal.32.* *Psal. 26.* *Hebr.10.*

Spei virtutem & perseuerantiam ostendit Propheta , cùm ait, Expectans expectaui Dominum,& intendit mihi,& quæ sequuntur.Hoc enim modo expectat quisquis longanimiter expectando perseuerat.Est autem spei singularis quidam fructus , non solùm à periculis liberatio,sed etiam noua laus , & gratiarum actio,quę Propheta insinuat,cum subdit , Et immisit in os meum canticum nouum,carmen Deo nostro.Nouum autem Canticum appellat, quod inusitato & nouo affectu ac lætitia propter nouæ liberationis gratiam canitur.Hinc etiam illud,Exultabunt labia mea cum cantauero tibi,& anima mea,quam redemisti. Cæterum spei huius fundamentum subdit protinus cum ait,Multa fecisti tu Domine Deus meus,&c.Pro quo Hiero.ex Heb. vertit, Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua & cogitationes tuas pro nobis: non inuenio ordinem coram me.Si narrare voluero & numerare, plura sunt quam vt narrari queant. Quibus verbis innumerabilia diuinæ miserationis exempla sibi proposuit, quibus animum suū

Psal. 39. *Psal. 70.* *Psal. 39.*

ad ſpem roborauit,& confirmauit. Hac enim ratione viri ſancti ad bene ſperandum infirma corda exſuſcitabant. Hoc fecit Iudith, hoc Mathatias, filios ſuos ad pugnã pro religione exhortans, enumeratis priſtinis diuinæ benignitatis fauoribus & auxilijs. Hoc item eius filius Machabęus, cum ad præliandũ, militibus ſuis animos addere vellet. Denique hoc eodem argumento aduerſus Dominum pij homines, vti ſolent, cum ab eo auxilium poſtulant.
Pſal. 24. Vnde eſt illud. Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.

Firma & ſolida ſpes in tribulatione probatur: qualem ſe habe-
Pſal. 55. re Propheta teſtatur. Pro eo enim quod nos legimus, Ab altitudine diei timebo, Hieron. ex Hebr. vertit, In quacunque die territus fuero, ego in te confidã. Alius ſic vertit, In quacũque die timor inuaſerit me, ego in te ſperabo. Contra tamen alij faciunt: qui dũ omnia tranquilla ſunt, ſperare ſe in Deo prædicant: cùm verò vis calamitatis ingruerit, ſpei protinus arma (quæ tunc vel maximè
Matt. 14. capere debebant) abijciunt. Sic Petrus, trãquillo mari ſuper aquas ambulabat: eo verò concitato, timuit: & fiduciæ ſimul ac vitæ naufragium facere cœpit.

Quid eſt, quod ſpei virtus tantopere in Pſalmis laudatur, vt vix Pſalmus aliquis huius virtutis laudibus & commendatione vacet? Multæ ſunt cauſæ: ſed tres mihi præcipuæ eſſe videntur. Prima quod in Pſalmis, vir ſanctus inter diuinarum laudum voces
Pſal. 18. aliquid etiam petit à Domino, iuxta illud, Laudans inuocabo Dominum &c. Cæterum oratio præcipue fiducia & ſpe diuinæ miſe-
Pſal. 90. rationis nititur. Hinc Dominus per eundem, Quoniam (inquit) in
Mar. 11. me ſperauit, liberabo eum. Et in Euangelio, Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Sic autem credere eſt, confidere, & ſperare. Hanc autem ſpem & fiduciam vir ſanctus
Pſal. 30. allegat, vt quod poſtulat, impetret. Vnde ait, In te Domine ſpera-
Pſal. 24. ui, non confundar in æternum. Et, Deus meus in te confido, non erubeſcam. Hæc igitur prima cauſa. Altera vero eſt, quod huiuſmodi ſpes magno ſperantibus emolumento eſt. Quiſquis enim hac ſpe nititur ſolutus curis omnibus, in ſumma pace & quiete vitam agit, cùm omnem ſolicitudinem ſuam in illũ proiecerit, qui ſuper omnia eſt: quéq; ſibi omnibus in rebus ſiue ſecũdis, ſiue aduerſis adeſſe, ſperat: vt qui omnes capillos ſuos numeratos habeat.

Hæc

Hæc autem virtus difficillima ad obtinendum est. Talem enim spem qualem hic describimus qualemque literæ sanctæ tantopere commendant, nemo habere potest, nisi qui magna diuinæ erga se charitatis indicia expertus est. In humanis quippe rebus nemo tuto alicui homini fidit, nec opem illius certo sibi pollicetur nisi à quo se familiariter diligi intelligit, cuiusque sæpe opem expertus est. Idem etiam in rebus diuinis locum habet. Id autem quod & vtilissimum, & difficillimum est, non mirum si & frequenter & studiose commendetur: vt rei vtilitati & difficultati par sit eius laus & commendatio. Tertia verò causa est quoniam virtus hæc maxime propria Christiani hominis est. Vix enim virtus vlla est, cuius non sit apud Gentiles Philosophos vestigium aliquod. Spei autem huius, quam hoc in loco describimus (quæ videlicet cum nulla subsint humana præsidia, diuinæ prouidentiæ fiducia nititur, & supernaturalem de cœlo, reluctante penè humana ratione, opem expectat: qualem in media morte habuit Susanna) apud *Dan. 13.* Gentiles philosophos, quod ego sciam, nulla mentio fit. Vix enim prouidentiam confitentur, nedum vt hanc paternam Dei erga pios curam confiteantur.

Fiducia in se, vel creaturis.

SI obliti sumus nomẽ Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deũ alienũ, nonne Deus requiret ista? *Ad Dei gloriã* maxime pertinet, vt ad illũ tanquã ad malorum omniũ depulsorem & bonorũ omniũ fontẽ, in omni pressura manus supplices tendamus. Quo fit, vt quisquis in calamitatibus suis Dei oblitus, amicis, cõsanguineis, opibus, gratia, & potẽtia, aut propria prudentia nititur, is toties ad deos alienos, manus suas quodãmodo expandat, quod hic Propheta à se alienissimum esse demonstrat. *COBL I.*

Habe fiduciã in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Omnes qui relicto Deo sibi suisque opibus aut viribus fidunt: & his solũ præsidijs ab instantibus malis eripi contendunt, turrim quodãmodo Babylonis ædificant: cuius præsidio ab inundatione variarũ calamitatum liberentur. Quorum omnium finis confusio est. Hinc Esaias, Et confundetur ab Æthiopia spe sua, & ab Ægypto gloria sua, in quibus spem suam & gloriam *Isai. 20.*

Iudæi collocarant. Et dicet habitator Insulæ huius, Ecce hæc erat spes nostra ad quos confugiebamus in auxilium, vt liberarent nos à facie regis Assyriorum: & quomodo effugiemus nos? Et Hier. 2. Ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. Longe tamen aliud sibi Dauid præsidium proposuerat cum ait, Non enim in arcu meo sperabo &c. Et iterum, In te eripiar à tentatione & in Deo meo transgrediar murum. Inter huius autem fiduciæ fructus, ille præcipuus est, quod magnam in tribulationibus pacem & quieté præstat. Vnde est illud, In pace in id ipsum dormiam & requiescam. Quare? Quia tu Domine singulariter in spe constituisti me. Virum quoque iustum qui spem omnem suam posuit in Deo, cóparat Hieremias ligno iuxta decursus aquarum plantato, quod in tempore siccitatis, non erit solicitum: quia videlicet omnem solicitudinem suam proiecit in Deum. Ad hanc tamen Philosophiam vere Christianam pauci admodum pertingunt.

Hier. 17.

Prou. 10. Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius, pauor pauperum egestas eorum. Propter hoc autem Apostolus ab hoc finitimo diuitijs malo diuites deterreri præcipit, cum Timotheo præscribit, Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum: sed in Deo viuo. Scriptum est enim, Qui confidit in diuitijs suis, corruet, iusti autem quasi virens folium germinabunt. Quantum vero discrimen sit inter spem in Deo & in creaturis, late Dauid persequitur Psal. 32. ab eo versiculo qui incipit, De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum, vsque ad finem Psal. vide locum. Contra eos vero qui neglecto Deo, spẽ suam vel in se vel in præsidijs creaturarum ponunt, est illud eiusdem Prophetæ, Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent, Ecce homo qui non posuit Deum adiutorẽ suum: sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & preualuit in. v. s. vel vt alij vertunt, Corroborauit se dolis. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei &c.

Isai. 32.

Psal. 51.

Psal. 67. Pro eo quod nos legimus, Qui exasperant, qui habitant in sepulchris, Hiero. ex Hebr. vertit, Increduli autem habitabunt in siccitatibus, Alij vero, habitabunt terram vastam. Quod eundem sensum reddit. Hunc autem locum late explanat Hiere. Cum ait, Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, Erit enim quasi miricæ in deserto, & non videbit cũ

Hier. 27.

venerit

venerit bonum sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili.

Cōtra eos qui Dei sui obliti, totos se ad humana pręsidia cōferunt, sunt duo insignia loca apud Esai. Væ filij desertores &c. Esai, 30. Et, Vę qui descendunt in Ægyptum ad auxiliū &c. Esai. 31. Spes tamen hæc in Deo non excludit humana consilia. Cuius rei exemplum habemus in Abraham: qui cū Deum haberet protectorem, fame tamen vigente in Ægyptum descendit, vxorique præcepit vt se eius sororem appellaret, ne propter eximiam eius pulchritudinem interficeretur, si vir eius crederetur. Cum hoc tamen consilium inijsset, nequaquam ab Deo spem sustulit, qui eius causam immissis grauissimis plagis tutatus est. Verum illud magis mirabile, quod Ioseph admonitus ab Angelo, vt in Ægyptum cum puero & matre eius fugeret, noctis tenebras, & solitudinem ad fugæ opportunitatem captauit, cum is tamen fugeret, cuius omnia subiacent potestati.

Desperatio, Præsumptio.

Solet mœstum animum spes vel falsa fouere. Gregor. mor. lib. 8. c. 11. *Gregor.*

De creatore desperat, qui in creatura spem ponit. Sicut is qui dicebat, Anima mea habes multa bona. Grego. 22. mor. c. 2.

Superbus dùm multa bona se simulat habere, quæ non habet, perdit etiam illa, quæ habet. Greg. mor. lib. 15. c. 5.

Quidam dum boni aliquid faciunt, iniquitatum suarum protinus obliuiscuntur, atque eo se iam sanctos æstimant, quò peccatorum suorum memoriam declinant: At si districtionem Iudicis attenderent, plus de malis metuerent, quam de bonis imperfectis exultarent. Debitores enim sunt agendorum. Greg. 22. mor. c. 6.

Obdurate viuit, siue qui non conuertitur, desperans de indulgentia peccatorum, siue qui sic de misericordia Dei sperat, vt vsque in finem vitæ suæ in suorum criminum peruersitate permaneat. August. de fide ad Petrum. *August.*

Lubrica spes est, quę inter fomenta peccati saluari se sperat. Idē de singul. Cle.

Latro agnouit, Petrus negauit. In Petro demonstratur quęque iustum non de se præsumere: in latrone nullũ impium debere diffidere conuersum. Timeat ergo bonus, ne pereat per superbiam, & malus non desperet per multam malitiam. Idem in lib. de Sym.

Veget. Clausis ex desperatione crescit audacia: & cum spei nihil est, sumit arma formido. Libenter cupit cõmori, qui sine dubio scit se esse moriturũ. Ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit, viam hostibus qua fugerent, inueniendã. Veget. lib. 2. de re milit.

COLLE. ¶Grauissime offenditur castissima vxor, cum vir de eius pudicitia diffidit. Quam grauiter ergo parens ille misericordiarũ, & bonitatis abyssus feret, quod nos toties de illius bonitate & misericordia, cum pericula nos vrgent, diffidamus? Grauiter enim cum in Euangelica historia contra hanc hominum diffidentiam com-
Mar. 9. motum videmus. O generatio (inquit) incredula, & peruersa: quã diu apud vos ero? quousque vos patiar?

Prou. 26. Quas tenebras obfundat animis præsumptio declarant illa Salomonis verba, Vidisti hominem sapientem sibi videri? Magis il-
Galat. 9. lo spem habebit stultus. Hinc illud Apostoli, Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Hoc est, non eget Dæmone seductore, sed ipse sibi, dum hoc existimat, Dęmon est.

Quæ in literis sanctis de paterna Dei cura, & prouidentia scribuntur ad pios præcipue pertinet: quæ vero de seueritate iustitiæ ad peccatores maxime: quanuis ne hi quidem prorsus à misericor
Psal. 33. dia Dñi excludantur. Vnde est illud, Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorũ. Vultus autem Dñi super faciẽtes mala, vt. p. d. t. m. e. Item Eccl. 12. Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus. Itẽ, Misericordia, & ira ab illo cito pro-
1. Esdr. 8. ximant, & in peccatores respicit ira illius. Item apud Esdram. Manus Dei nostri super omnes qui quærunt illum in bonitate: & imperium eius & furor super omnes qui derelinquunt eum. Item Sapien. 3. Gratia Dei & misericordia in sanctos eius, & respectus in electos illius. Cum hæc igitur ita sint, improbi hanc Dñi lenitatẽ, & misericordiam (quæ ad pios potissimũ pertinet) ad se trahunt: atque hinc, perseuerandi in peccatis occasionem arripiunt: quæ quidem vetustissima, & maxima hostis antiqui fallacia est.

Quantũ Deo diffidentiæ peccatum displiceat, facile declarat

pœna

pœna Moysi & Aaron: qui propter hoc ab ingressu promissæ terræ prohibiti sunt. Quia, inquit, non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos, &c. Numer. 20. Et mox, Pergat, inquit Dominus, Aarõ ad populum suũ, non enim intrabit terram &c. Eo quòd incredulus fuit ori meo ad aquas contradictionis. Quodque mirabilius est, Moses, qui tã tam in oculis Dñi inuenit gratiam, qui facie ad faciem cum eo loquebatur, sicut homo loqui solet ad amicum suum: qui denique toties Domini aduersus populum sæuientis indignationem oratione placauit, pęnæ huius remissionem impetrare nõ potuit: imo cum eam suppliciter à Domino peteret, nõ exaudiuit eum, sed dixit ei, Nequaquã vltra loquaris hac de re ad me. Deut. 4. Qua in re & diuinæ censuræ seueritas, & diffidentiæ & incredulitatis malitia aperte cognoscitur. *Num. 20.*

Amor in communi.

NON amatur, quod propter se non amatur. *August.*

Quid est amor, nisi quædam vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens: amãtẽ scilicet & quod amatur. Idẽ.

Verus amor, nõ sentit amaritudinẽ sed dulcedinem: quia soror amoris dulcedo, sicut soror odij est amaritudo. Idem. 13. confess.

Qui amat non laborat: omnis enim labor non amantibus contrarius est. Solus amor est, qui nomen difficultatis erubescit. Idẽ, ibidem.

Nulla maior est ad amorem inuitatio, quam præuenire amantem: & nimis durus est animus, qui si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere. Idem de catech. rudi.

Hæc est perfecta iustitia, qua potius potiora, & minus minora diligimus. Idem de vera relig.

Mens amore occupata sui iuris non est. *Bernar.*

Non est præsentior spiritus noster vbi animat, quã vbi amat: nisi forte magis putetur esse, vbi vinctus ex necessitate tenetur, quã quo sponte & alacri fertur voluntate. Idem de præcep. & dispens.

Amor corporalis non verus amor est: sed imago potius, seu magis à vero amore prolapsio. Diony. de di. no. cap. 4. *Dionys.*

Amor est vis quædam commiscens: qua superiora prouident infe- *Hieroth.*

inferioribus: æqualia sibi mutuo sociantur: inferiora ad sublimiora conuertuntur. Hieroth. apud Dionysium.

Catullus. Difficile est longum subito deponere amorem.

Verg. Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?

Propert. Solus amor morbi non amat artificem.

Pli. Iuni. Nihil magis amorem incitat, quam carendi metus.

Ouid. Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent,
Illa pudore vacat, liber amorque metu.

Aristot. Amatores facile aggrediuntur terribilia causa concupiscentiæ.
Quod cum maiore labore acquiritur magis diligitur. Idem.

Plato. Amore captus in proprio corpore mortuus est, viuit in alieno.

Cicer. Sine studio & ardore quoddam amoris, in vita nihil quicquam fit egregium. Cicero. 1. de orat.

COLLE. ¶ Sicut mistorum corporum motus naturam sequitur elementi prædominantis (quo fit, vt quædam deorsum quædam sursum ferantur:) ita plane motus & actiones nostræ, naturã amoris in corde nostro dominantis sequuntur. Si enim amor Dei dominetur omnes curas & cogitationes nostras ad Deũ traducit: si vero amor sui velut tyrannus quidam obtineat principatum, simili ratione omnia, & diuina & humana, ad suum trahit commodum, & obsequium. Amor quippe voluntati dominatur: ipsamque cũ re amata conglutinat: voluntas vero cæteras post se vires animæ trahit. Hinc illud Augustini. Pondus meum, amor meus: quocunque feror, amore feror. In quibus verbis, amorem esse omnis motus nostri principium, aperte definit. Quo fit, vt tales animi nostri motus & affectus sint, qualis amor noster est: Itaque terrenorũ amor, terrenos atque carnales: Dei vero atque cœlestium rerum amor, cœlestes, atque diuinos faciat.

Amor in Deum.

Gregor. PRobatio sanctitatis, non est signa facere, sed vnumquemque vt se diligere. De Deo autem vera cognoscere, de proximo vero meliora, quam de semetipso sentire. Greg. in mor.

Per amorem Dei amor proximi gignitur: & per amorem proximi amor Dei nutritur. Gregor. vbi supra.

Minus

Minus proximum amare conuincitur, qui non cum eo in necessitate illius, etiã ea quæ sibi sunt necessaria partitur. Idem.

Sancti viri amando discunt, quod docendo proferunt. Grego. super Ezechi.

Ille in amore Dei maior est, qui ad eius amorem plurimos trahit. Greg. in hom.

Machina mentis vis amoris, quæ illam, & à mundo extrahit, & in alta tollit. Greg. vbi supra.

Charitas iam multiplicata, maioribus æstuat desiderijs ad vitã: quò spiritus, etiam per cruciatus corporis anhelat peruenire. Desideria enim sua vix capiens præ amore cœlestis patriæ, ipsas etiam pœnas amat: omne quod affligit, requiem putat: amarum omne dulce æstimat. Transire etiam per mortem appetit, vt plenius obtinere vitam possit. Greg. mor. lib. 7. c. 7.

Dilectio per timorem nascitur, sed crescendo in affectum permutatur. Greg. vbi supra. c. 11.

Fortis est vt mors dilectio: quia videlicet mentem quam semel cœperit, à delectatione mundi funditus occidit. Gregor. vbi supra. c. 22. *Cant.* 8.

Sæpe hostis callidus, cum imparatam mentem ad tollerantiam videt, quid ab ea maxime diligatur exquirit, & ibi scãdali laqueos inserit: vt quo magis res quæque diligitur, eò per eam facilius perturbetur. Greg. in mora.

Charitatis & pietatis miracula amate: quæ tanto securiora sunt, quanto & occultiora, & de quibus apud Deum, eo maior fit retributio, quo apud homines minor est gloria. Greg. in hom.

Non clarescit anima fulgore æternæ pulchritudinis, nisi prius hic arserit in officina charitatis. Gregor. moral. lib. 18. capit. 15. vide locum.

Gregor. super illud Iob. 28. Lapis solutus calore, in æs vertitur, sic ait, Tunc cum cor durum & diuini amoris igne frigidum, eodẽ igne tangitur & liquatur, vt desideriorum æstu ardeat, qui prius insensibilis manebat. Ex quo ardore emollitur ad amorem, & roboratur ad operationem. mor. 18. c. 16.

Greg. super illo Ezec. 40. Mensus est thalamum vno calamo in longum, & vno calamo in latum, & inter thalamos quinque cubitos, sic ait, Qui sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda

 in qui-

in quibus animæ per amorem Sponſo inuiſibili iunguntur? Sic fit vt eius deſiderio mens ardeat, nulla iam quæ in mundo ſunt concupiſcat, præſentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire feſtinet, & amoris amplexu in cœleſtis Spõſi viſione requieſcere. Mẽs itaque quæ iam talis eſt, nullam præſentis ſæculi conſolationem recipit: ſed ad illam quam diligit, medullitus ſuſpirat: feruet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipſa ſalus ſui corporis; quia transfixa eſt vulnere amoris. Vnde & in Cãticis dicit, Vulnerata charitate ego ſum. Mala autem eſt ſalus cordis, quæ dolorem huius vulneris neſcit. Cum vero anhelare iam in cœleſti deſiderio, & ſentire vulnus amoris cœperit, fit anima ſalubrior ex vulnere, quę prius ęgrotabat ex ſalutę. Hom. 15. ſuper Ezechi.

August. *Pſal.* 85. Auguſt. ſuper illud, Lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te Dñe animam meã leuaui, Recte inquit, admonet Chriſtus mẽbra ſua, vt ſurſum corda habeant. Audiant ergo & faciant: leuent ad cœlum, quod male eſt in terra. Ibi enim non putreſcit cor, ſi leuetur ad Deum. Frumentum ſi haberes in inferioribus, ne putreſceret, leuares ad ſuperiora: frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putreſcere? Stans in terra, in cœlo es, ſi diligas Deum. Non enim ſic leuatur cor, quomodo leuatur corpus. Corpus vt leuetur, locum mutat, cor vt eleuetur, voluntatem mutat. Quoniã ad te Dñe animam meã leuaui. Aug. ſup. Pſal. 85.

Hic, quod eſt aurum, non poteſt tibi eſſe argentum: quod vinũ eſt, non poteſt tibi eſſe panis: quod tibi lux eſt, non poteſt eſſe potus: Deus tuus totum tibi erit. Manducabis eum, ne eſurias: bibes eum, ne ſitias: illuminaberis ab eo, ne ſis cœcus: fulcieris ab eo, ne deficias: poſsidebit te, totum integrum, totus integer. Anguſtias non ibi patieris, propter aliud, cũ quo totũ poſsidebis: totũ habebis, totũ & ille habebit: quia tu & ille vnũ eritis. Aug. ſup. Pſal. 36.

Quid tibi placet in ſæculo? Quid eſt quod vis amare? Quocunque corporeis ſenſibus conuerteris, occurrit tibi cælum, occurrit tibi terra. Quod amas in terra, terrenum eſt: Quod amas & in cœlo iſto viſibili, corporeum eſt. Vtrobiq; amas, & vtrobiq; laudas. Quomodo laudandus eſt ille, qui fecit iſta quæ laudas? Iam ergo diu occupata vixiſti, & deſideriorum diuerſitate verberata portas plagas fauciata: diuiſa per amores multos, vbique inquieta, nuſquã ſecura. Collige te ad te ipſam: quicquid tibi foris placebat, quære

quem

quem habeat authorem. Nihil melius in terra verbi gratia quam hoc, & illud: aurum, argentum, animalia, arbores, amœnitates, totam terram cogita. Quid melius in cœlo, Sole, Luna, syderibus? totum cœlum cogita. Omnia ista simul bona valde, quia fecit Deus omnia bona valde. Vndique pulchritudo operis tibi commendat artificem. Miraris fabricam, ama fabricatorem. Nõ ita occuperis in eo quod factum est, vt recedas ab illo qui fecit. Hæc enim quibus occuparis, sub te fecit: quia sub se ipso te fecit. Si hærebis superiori, calcabis inferiora: si autem recedas à superiore, ista tibi in supplicium conuertentur. Aug. super Psal. 145.

Quid mihi es? Miserere, vt loquar, Quid tibi sum ipse vt amari te iubeas à me, & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingẽtes miserias? Hei mihi. Parua ne est ipsa miseria, si non amem te? August. confess. lib. 1. c. 5.

Scis ergo occultorũ cognitor Deus, quoniã cœlo, terra, & omnibus quæ in ea sunt, tu mihi acceptior, tu mihi amabilior es, diligo enĩ te super cœlũ & terrã, & cætera omnia, quæ in eis sunt, imò amore nominis tui, quæ trãsitoria sunt, proculdubio amanda non sunt. Amo te Deus meus amore magno, magisq; te amare cupio. Da mihi vt amẽ te semper quantum volo, quantum debeo; vt tu solus sis tota & omnis meditatio mea. Te meditor per dies sine cessatione: te sentiã per soporẽ in nocte: te alloquatur spiritus meus: tecum fabuletur mens mea. Fœlices, qui nihil aliud diligũt, nihil quærunt, nihil etiam cogitare dedicerunt. Fœlices, quorum spes tu solus es, & omne opus cor eorum oratio. Aug. in medi.

Immensus es Domine, & ideo sine mensura debes amari, & laudari ab ijs quos tuo pretioso sanguine redemisti. Amator hominũ benignissime, clementissime Domine, & æquissime iudex, cui omne iudicium dedit Pater: discernis hoc rectum & iustum esse, vt filij huius seculi, noctis & tenebrarum præstantiori desiderio, virtute, atque studio diligant & quærant perituras diuitias, & fugitiuos honores, quàm nos serui tui diligamus te Deum nostrũ, per quem facti & redempti sumus? Si enim homo hominem tanta diligit dilectione, vt alter alterum vix patiatur abesse: si Sponsa spõso tanto mentis conglutinatur ardore, vt præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari sui absentiam non sine magno mœrore ferens: qua ergo dilectione, quo studio quo feruore

anima

anima quam sponsasti tibi fide & miserationibus, debet diligere te verum Deum, & pulchrum Sponsum: qui nos sic amasti, & saluasti, qui pro nobis tot, tanta, & talia fecisti? Augustinus in Meditatio.

Væh miseræ animæ, quæ Christum non quærit, nec amat, arida manet, & misera. Perdit quod viuit, qui Deum non diligit. Anima, quæ te non quærit, ac diligit, mundum diligit, peccatis seruit, vitijs subiecta est, nunquam quieta, nunquam secura est. August. in Manuali.

Charitas vt perficiatur nascitur: cum fuerit nata, nutritur: cùm fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur: cum ad perfectum venerit, quid dicit? Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Idem super. 1. cano. Ioh.

Mihi videtur quod diffinitio breuis & vera virtutis est, ordo amoris. Idem. de ciui. Dei.

In dilectione virtus non est, nisi diligere, quod diligendũ est. Id eligere, prudẽtia est: nullis inde auerti molestijs, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, iustitia est. Quid autem eligamus, quod præcipue diligamus, nisi id quo nihil melius inuenimus? Hoc Deus est: cui si aliquid diligendo vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Idem in epist.

Minus Domine te amat, qui aliquid tecum amat, quod nõ propter te amat. O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas Deus meus accende me. Continentiam iubes? da quod iubes & iube, quod vis. Idem in lib. confess.

Pondus non ad ima tantum est, sed ad locum suum. Ignis enim sursum tendit, deorsum lapis. Minus ordinata, inquieta sunt: ordinantur, & quiescunt. Pondus meum, amor meus: eo feror quocunque feror. Idem ibidem.

Charitas in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. Idem de laude charitatis.

Charitas inter opprobria secura est, inter odia benefica, inter iras placida, inter insidias innocens, in iniquitate gemens, in veritate respirans, in virtute congratulans. Idem ibidem.

Non melius, neque decẽtius, quã per dilectionẽ repẽdi potest, quod

quod per dilectionem datum est. Idem in medita.

Illas quatuor virtutes, quarum ita in mentibus vis, vt nomina in ore sunt omnium, sic etiam diffinire non dubitem: vt temperātia sit amor integrum se prębens ei quod amatur. Fortitudo, amor facilè tolerans omnia propter id quod amatur. Iustitia, amor solo amato seruiens, & propterea recte dominans. Prudentia, amor ea à quibus adiuuatur, ab eis quib. impeditur, sagaciter eligēs. Idē de mor. Eccl.

Recta voluntas est bonus amor, & voluntas peruersa, malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est. Id autem habens, eoque fruens, lætitia est. Fugiens, quod ei aduersatur, timor est: idque si acciderit sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor: bona, si bonus. Idem de ciuitate Dei.

Apud nos iuxta scripturas, sanamque doctrinam ciues sanctæ ciuitatis Dei in huius vitæ peregrinatione secundum Deum viuentes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque: & quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent. Idem ibidem.

Tanta est charitatis virtus, vt etiam Prophetia, & martyrium sine illa nihil esse credantur. Idem.

Sordes animi sunt amor quarumlibet rerum præter animum, & Deum, à quibus sordibus quāto quisque est purgatior, tantò verius & facilius intuetur. Idem de vtili. cred.

Duas ciuitates, duo faciunt amores. Hierusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor sæculi. Interroget igitur se vnusquisque quid amet, & inueniet, vnde sit ciuis. Idem super psal. 64.

Ad Deum qui vbique præsens est, vbique totus, non pedibus licet ire, sed moribus. Mores autem nostri non ex eo quod quisque nouit, sed ex eo quod diligit, diiudicari solent: nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni, vel mali sint amores. Idē in Epist. ad Macedo.

O si possemus incitare homines, & cum ipsis pariter excitari, vt tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis. Idem de doctrina Christia.

Scriptura & creatura, ad hoc sunt, vt ipse quæratur, ipse diligatur qui ipsam creauit, & illam inspirauit. Idem. 2. de Trinit.

Hæc

Hæc ſcientia nihil præcipit, niſi charitatem: nihil culpat, niſi cũpiditatẽ. Quicquid ergo ad hoc pertinet, proprium eius eſt. Idẽ. 3. de doctrina Chriſtiana.

Radix omnium bonorum eſt charitas, & radix omnium malorum eſt cupiditas: ſimul ambæ eſſe non poſſunt: quia niſi vna radicitus euulſa fuerit, alia plantari non poteſt: ſine cauſa aliquis conatur ramos incidere, ſi radicem non contendit euellere. Idem homil. 7. ſuper Ioan.

Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei, & filios Diaboli. Signẽt ſe omnes ſigno crucis: reſpondeant omnes amen: cantent omnes alleluia: baptizentur omnes, intrent eccleſias, impleant parietis baſilicarum, non diſcernuntur filij Dei à filijs Diaboli, niſi charitate. Qui habent charitatem, nati ſunt ex Deo.

Magna hominis miſeria cum illo non eſſe, ſine quo non poteſt eſſe. Et tamen ſi eius non meminit, nec diligit, cum illo non eſt. Idem de Trinit.

Deo nos fides excitat, ſpes erigit, charitas iungit. Idẽ in ſoliloq.

Bernar. Vide quo modo, imo quam ſine modo à nobis Deus amari meruit, qui prior ipſe dilexit nos, tantus & tantum, & gratis tantillos, & tales. Bernar. de diligendo Deo.

Non ſine præmio diligitur Deus: & ſi abſque præmij intuitu ſit diligendus: Vacua namque vera charitas eſſe non poteſt: nec tamen mercenaria eſt: quippe nõ quærit quę ſua ſunt: affectus enim amoris non eſt contractus venditionis. Idem ibidem.

Seruite in charitate illa, quæ timorem expellit, labores nõ ſentit, meritum non intuetur, præmium non requirit, & tamen plus omnibus vrget. Idem de præcepto, & diſ.

Mens quam ſemel affecerit charitas, ſui iuris eſſe non ſinitur: metuit quod neſcit, dolet quod non oportet, ſolicitatur pluſquam voluerit, & vnde noluerit. Idem in Epiſt.

Sapientia eſt Deus: & vult amari non ſolum dulciter ſed & ſapienter: alioqui facillime zelo tuo ſpiritus illudet erroris, ſi ſcientiam negligas. Non enim habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quàm ſi efficere poſsit, vt in ea incaute, & non cum ratione ambuletur. Idem ſup. Cant. 30.

Non poteſt capere ignitum eloquiũ frigidũ pectus: quomodo enim

enim Græcè loquentem non intelliget, qui græcam linguam nó nouit:nec latine loquentem,qui latinus non eſt:& ita de cæteris: Sic lingua amoris ei qui non amat,barbara erit:erit inquam, ſicut æs ſonans,& cymbalum tinniens.Idem in ſermo.

O iugũ ſancti amoris,quàm dulciter capis, glorioſe illaqueas, ſuauiter premis,delectabiliter oneras,fortiter ſtringis, prudenter erudis.O fœlix amor,ex quo oritur ſtrenuitas morum, puritas intentionum,ſubtilitas intellectuum,deſideriorum ſanctitas, operũ claritas,virtutum fœcunditas,meritorum dignitas , præmiorum ſublimitas.Idem lib.de diligendo Deum.

Vultis à me audire,quare & quomodo diligendus eſt Deus?& ego dico,quod cauſa diligendi Deum,Deus eſt : modus ſine modo diligere.Ob duplicem cauſam dico Deum propter ſe diligendum,vel quia nihil iuſtius,vel quia nihil fructuoſius diligi poteſt. Idem lib.de amore Dei.

Omnino propter manſuetudinem quæ in te prædicatur,currimus poſt te Domine Ieſu:audientes quod non ſpernas pauperem, peccatorem non abhorreas.Non horruiſti confitentem latroné, non lachrymantem peccatricem,non Chananęam ſupplicantem, non deprehenſam in adulterio,non ſedentem in teloneo,nõ ſupplicantem publicanum,non negantem diſcipulum,non perſecutorem diſcipulorum,non ipſos crucifixores tuos.In odorem horum vnguentorum currimus.Idem ſuper Canti.

O bona mater charitas:quæ ſiue foueat infirmos,ſiue exerceat prouectos,ſiue arguat inquietos diuerſis diuerſa exhibens , ſicut filios diligit vniuerſos:Cum te arguit,mitis eſt,cum bláditur,ſimplex eſt:pie ſolet ſæuire,ſine dolore mulcere, patienter nouit iraſci,humiliter indignari.Idem in Epiſt.

Dignus plane eſt morte,qui tibi Chriſte recuſat viuere:& qui tibi non ſapit deſipit:& qui curat eſſe niſi propter te, pro nihilo eſt,& nihil eſt.Propter te ipſum Deus feciſti omnia : & qui eſſe vult ſibi , & non tibi,nihil eſſe incipit inter omnia. Idem ſuper Canti.

Super illud Pſalmi,Quid retribuam Domino,&c. Quando ignorabam,me inſtruxit:quando errabam me reduxit:quando peccabam me correxit:quando ſteti,me tenuit : quando cecidi , me erexit:quando iui,me duxit:quando veni ad ipſum me ſuſcepit:

nec

nec pro his omnibus quid rependam habeo, nisi tantùm, vt diligam. Non enim melius, nec decentius, quàm per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est. Idem vbi supra.

Dicit fides. Parata sunt magna, & inexcogitabilia à Deo fidelibus suis. Dicit spes, Mihi illa seruantur. Sed charitas ait. Curro velociter ad illa. Idem super, Qui habitat.

Lactan. In cæteris quidem rebus laudatur mediocritas: in amore vero qui plurimum habuerit, is Deo charior fit.

Ricard. Amor est dulcedo saporis intimi: & quanto ardentius amat, tanto suauius gustat. Cingulum, quo cingitur amor est gaudium spei: quia vbi est amor, ibi est spes, ibi gaudium: vbi spiritualis amor, ibi spirituale gaudium.

Beda. Verus amor veritatem amat, in veritate iudicat, pro veritate certat, cum veritate opera consummat. Beda super Lucam.

Rabanus. Si vis perfecte purgari à vitijs, inquantum præuales accende in te ignem diuini amoris: Si dulcedinem diuini amoris perfecte gustaueris, de temporali dulcedine non curabis. Rabanus in sermone.

Amor diuinus est ignis, lux, mel, vinum, sol. Ignis in meditatione, purificans mentem à sordibus. Lux est in oratione mentem irradians claritate virtutum. Mel est in gratiarum actione, mentem dulcorans dulcedine diuinorum beneficiorum. Vinum est in cõtemplatione, mentem inebrians suaui & iucunda delectatione. Sol est in æterna beatitudine, mentem clarificans serenissimo lumine, & suauissimo calore: mentem exhilarans ineffabili gaudio, & perenni iubilatione. Idem in sermo.

Ioã. Caß. Principium nostræ salutis sapientiæque, timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris. De compunctione cordis procedit abrenuntiatio, id est nuditas, & contemptus omnium facultatum. De nuditate humilitas procreatur. De humilitate mortificatio voluntatum generatur. De voluntatum mortificatione extirpantur, atque marcescunt vniuersa vitia. Vitiorum expulsione virtutes fructificant, atque succrescunt. Virtutum pullulatione puritas cordis acquiritur. Per cordis puritatem Apostolicæ charitatis perfectio possidetur. Cassia. de institutione monachorum lib. 4.

Euseb. Emiss. Ecce quid à te requirit immensa illa pietas, quod facile possit

implere

implere nuda paupertas, despecta mediocritas, indocta simplicitas. Non per multas distraheris ambages, nec duris difficultatibus occupandus inuolueris: quod à te, & pro te reposcitur, intra te est: id est oris famulatus, & cordis affectus. In anima ergo tua reposuit omnia animæ tuæ præsidia Deus tuus: vt vnde peccatum egreditur, inde & peccati medicina peteretur. Quàm vicinum remediũ! quàm salubre consilium! De hoc sine dubio legimus per Prophetam: Prope est (inquit) in ore tuo, & in corde tuo. Euse. Emiss. homil. 2. de symbolo.

Nihil durum, nihil amarum, nihil graue, nihil læthale computat amor verus: Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœnæ, quæ mortes amorem præualent separare perfectum? Amor est impenetrabilis lorica: respuit iacula, gladium excutit, periculis insultat, mortem irridet: si amor est, vincit omnia. Ama ergo ô homo Deum: ama totus, vt possis omnia sine labore vincere & delere peccata. Teneræ militiæ & delicati conflictus est, amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam. Petr. Raue. *Pet. Rau.*

Nescio quid maius (ô charitas) in laude tua dicere possum: quam vt Deum de cœlo traheres, & hominem de terra ad cœlum eleuares: Magna virtus tua: vt per te vsque ad hoc humiliaretur Deus, & vsque ad hoc exaltaretur homo. Hugo. de laude charitatis. *Hugo.*

Dura ibi necessitate non seruitur, vbi diligitur, quod iubetur. Leo Papa. *Leo Papa.*

Discamus Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quicquam ille præposuit. Cypria. de oratione Dominica. *Cypria.*

¶ Qui diligit, legem impleuit: Summa itaque totius diuinæ legis in dilectione sita est. Ait autem Aristot. 8. ethi. quod ex defectu charitatis orta est iustitiæ necessitas. Charitas enim non permittit ea mala quibus vitandis iustitia instituta est, videlicet, rapinas, adulteria, homicidia, & cætera. Itaq; si vera inter nos charitas esset, iustitia hæc necessaria non esset. Cum enim charitatis sit alteri se per amorem vnire, & vnum cum illo fieri, ac proinde illum tanquam se diligere: sicut nemo sibi nocet, ita alteri non nocebit. Ideo Christus remp. suam hac vna legis amore stabiliuit atque fundauit: hoc enim generale aduersus omnia vitia propugnaculũ erat. COLLE. *Rom.* 13.

Esdr. 9. erat. Huius vnitatis illustrissimum exemplum habemus in Esdra: hic enim vir sanctus aliena peccata ita sua esse ducebat, ita deflebat, ac si ipse ea admisisset. Denique ita propter ea verecundabatur, vt non auderet, nec oculos ad cœlum leuare.

Cum duplex sit amor Dei naturalis, videlicet & supernaturalis, siue gratuitus: cum amorem Dei in nobis aliqua ratione sentimus, dubitari merito potest, an is naturalis sit, an supernaturalis: habent enim duo hi amores inter se similitudinem quãdam. Quare, sicut difficile est inter duos eiusdem capitis capillos discrimen agnoscere, ita inter hos duos amores, cum vterque Dei amor sit. Ricardus autem tribulatione superueniente, id maxi-
Rom. 5. me declarare asserit, Iuxta illud Apostol. Tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem &c. Itaque nemo sibi de suis orationibus, spiritualibusque studijs, sensibilique Dei amore blandiatur: donec superueniente insigni aliqua tribulatione firmius aliquod argumentum habeat. Atque hæc est præcipua causa, cur viri sancti in tribulationibus glorientur: quia ipsarum tolerantia, Dei amicitiam hoc tam illustri indicio probabilius colligunt. Vnde quemadmodum mulier prolis auidissima instante hora partus cruciatur simul & gaudet propter filium quem desiderat: ita viri Sancti quanuis eos tribulatio torqueat, probationis tamen indicium vehementer oblectat.

Tres præcipue gradus D. Thomas in charitate designat. Primus, atque infimus est, nõ admittere aliquid charitati contrariũ: quale esset creatori creaturam præferre. Secundus est, diligenter, ad tollenda omnia amoris impedimenta niti, siue peccata sint, siue quæcunque alia: vt curarum & negotiorum multitudo. Tertius est, actualis & continuus amor: qui alias vnitiuus amor dicitur, & beatorum amorem suo modo imitari conatur.

Indicium veræ charitatis carnalium affectuum mortificatio est. Ignis enim effectus est, contrarias sibi qualitates fugare: quod facile fumus indicat viridantium lignorum in ignem coniectorum. Quare si in te ignis charitatis ardet, fumare vtique debes: hoc est, contrarias huic igni affectiones ex animo tuo velut euaporare. Vnde sicut ignem fere semper fumus con-

sequitur, ita charitatem, terrenorum affectuum expulsio. Quod plane indicat fumus ille montis Synai, qui totus plane fumabat, quia in igne Dominus in illum descenderat. Fumum enim hunc mysterio & significatione vacare, quis credat? Quid autem aliud commodius significare possit, quàm ignem diuinæ charitatis, vbicunque sit, fumare: hoc est, affectus sibi repugnantes ab anima pellere? Quos qui pellere non contendit, absque dubio hoc cœlesti igne non æstuat.

Alia est charitas imperfectorum, alia perfectorum: quæ perfectorum est, fere non datur, nisi in omni genere virtutum exercitatis. Sicut enim rationalis anima non infunditur, nisi corpusculo organis suis distincto, ac formato, vt habeat organa, quibus officijs suis funguntur: ita cum perfecta charitas maxime operosa sit, non datur nisi animæ virtutum habitibus perfecte instructæ & ornatæ: quo videlicet habeat instrumenta, quibus vim suam exercere posſit. Hoc fere ita fit, nisi quando aliter diuina bonitas & sapientia ordinat. Facile enim est in oculis Domini subito honestare pauperem. *Eccl. 12.*

Meliora sunt vbera tua vino. Pro hoc alij legunt, meliores sunt amores tui vino: in viro enim minus proprie vbera laudantur. Amor autem merito vino comparatur. Vinum enim cor hominis lætificat, incendit, roborat, mentemque alienat. Diuini autem amoris proprium est, animum lætificare. Idem quoque incendit: quia nimirum in bonorum operum studio homines ardere facit: & ita ardere, vt aquæ multæ non extinguant charitatem, & flumina non operiant illam. Idem etiam mente contra aduersa munit ac roborat. Quid enim imbelles aues, & infirma etiam animalia pro tuendis pullis, quos ardenter amant, non aggrediuntur? Fortis enim est, vt mors dilectio. Quod martyrum exempla declarant, quos nulla tormenta à charitate Christi separare potuerunt: Amorem enim vitæ, Christi amore vicerunt. Idem etiam hominis mentem inebriando alienat, & in Deum rapit: quod illa Apostoli verba significant, Siue mente excedimus Deo, siue sobrij simus vobis. Est tamen latum inter vtramque ebrietatem discrimen: quia vinum quidem alienat hominis dignitatem, deiiciendo eum infrà se: amor autem Dei eleuando illum supra se, & diuinæ *Cant. 1.* *Cant. 8.*

menti coniungendo. Sic enim aqua dum igni admota, ignem in se concipit, contra naturam suam more ignis sursum fertur. Sic igitur per amorem Dei homo à se deficiens, mirabiliter in Deum quodammodo transit. Qua dignitate quid præstantius? quid diuinius? Quid enim illa mente fœlicius, quæ se ipsam deserit, & extra se rapitur, vt omni vinculo soluta, facilius in cœlum euolet, vt possit opes diuinas acrius & acutius intueri? Deserit enim se mens quodammodo dum sibi diffidit, dum nihil in se ponit, dum nihil ingenio suo, sed omnia Dei lege moderatur: dum postremo omnibus opibus humanis interdum destitui atque nudari cupit, vt diuinis multo clarius & magnificentius illustretur. Sic fit, vt cœlestium rerum cupiditate non terram modò deserat, nec tantum se se à corporis contagio seiungat, omnesque sensus corporis aspernetur; verum etiam à se ipsa discedat, vt multo liberius aspectu diuinæ pulchritudinis, quoad fas est in hac vita, iucūdissime perfruatur.

Cum omnes diligendi rationes & causæ (quas in creaturis inuenimus) in vno Deo infinitis partibus excellentius reperiantur, quæri merito potest, cur tam multi homines in quarundā creaturarum amore ita exardescant, vt pene insaniant: in tātæ pulchritudinis amore adeo frigeant? Ad hoc forsitā aliquis dicet, in amore creaturarum conuenientiam quādam, & proportionem, vnius rei ad alteram inueniri: vt viri ad vxorem, & vxoris ad virum. Ex hac autem conuenientia vehementem hunc ardorem oriri: cùm vnaquæque natura quod sibi conueniens est, & cum quo maximè cohæret, sitienter appetit: quod in Deum cadere non videtur: qui cum spiritus purissimus & altissimus sit, infinitis partibus naturā superat humanam. Hæc ratio apud eos valet qui in homine nihil nisi corpus spectant, at qui animum (qui præcipua eius pars est) intuentur, nihil nec in cœlo, nec in terra inueniet, quod cū animi nostri natura ita cohæreat, quam diuina mens: cum is, ad fruendū Deo conditus sit, atque vt diuinitatis ipsius esset velut quoddam receptaculum, in hoc à summo illo conditore fabricatum. Cuius rei illud abunde magnum argumentum est, quod nullius creaturæ, imo nec omnium creaturarum possessione, sed solius Dei fruitione & possessione mens hominis quiescere, & satiari potest. Si ea igitur in hoc solo bono & in nullo alio quiescit, ad hoc ergo

vnum fruendum condita est.

Venditus est Dominus triginta argenteis, hoc est, quatuor, vel quinque aureis: emit verò nos sanguine suo. Quam vili se pretio tradidit, & quam caro nos pretio redemit: quanti nos fecit, quam parui vero se ipsum pro nobis æstimauit?

Vera est illa sententia, Qui vere amat, præter vnum amare non potest. Hoc autem se præstare Propheta docet, cùm ait. Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terrã? &c. Hinc Glossa quędam, Dum inquit vir Sanctus canit infinitam Dei bonitatem erga se, incredibile eius amore exardescens, emittit has voces: Quis mihi placeat in cœlo præter te? quem ego in terris amem, colam, suspiciam præter te? Certè reliqua omnia mihi sordent: te vnum ego amplector: te vnum opto, te vnum suspiro atque ardeo: qui vnus es amandus, & colendus & toto animo desiderandus. Tabescit desiderio tui animus & corpus meum: tu Domine vis, & robur es mentis meæ: tu opes, tu copiæ, & sempiterna hæreditas mea.

Veri amoris argumentum dilectæ rei cogitatio est, dicente Domino, Vbi est thesaurus tuus: hoc est, id quod maxime diligis, & maximo in pretio habes, ibi est & cor tuum: hoc est, cogitatio cordis tui. Hinc illud, Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi. Rursumque. Quomodo, siue alias. Quam dilexi legem tuam Domine? Tota die meditatio mea est. Vere enim ab Aristotele dictum est; Vnicuique concupiscenti delectabile est ea cogitare quæ concupiscit. *Matt.* 6. *Psal.* 118.

Eo vsque in quibusdam Dei amicis procedit charitatis vis, vt totam animam post se absorbeat, liquefaciat, & in extasim rapiat. Quod Sponsa in Canticis significauit, cum ait. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Constat amantes interdum præ amoris excessu tam grauiter languere, vt nec cibum, aut somnum capere valeant: atque ita macie conficiantur & contabescant. Quod Amoni Thamar sororem depereunti contigisse legimus. Hinc sumpta comparatione ex eo quod in amore carnali ad sensum euenire nonnunquam cernitur, Sponsa ad exprimendum singularem amoris sui affectum, lãguere se dicit amore: atque ob hoc, quasi à circunstantibus puellis postulat fulciri, siue confirmari odoriferis floribus, odoriferisque pomis, vt eorũ odore recrea- *Cant.* 2. 2. *Re.* 13.

 ta su-

ta sustentetur, ne prorsus à sensu & vita deficiat. Láguor autē iste, cuius hic Sponsa meminit, tunc in anima fideli inuenitur, quádo sic tota in Sponsi amorem fertur, & quasi liquefacta resoluitur, vt sui prorsus oblita, quid de se agatur nesciat: & ad omnia quæ hic inferne aguntur, quasi stupida & insensibilis iaceat, vt nec videre aliud posit, aut velit, nec audire, nec gustare, nisi suū dilectum. Qui etiam languor amoris in sequētibus per liquefactionem ani-
Cant. 5. mæ videtur significari, dicente eadem Sponsa, Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est, cum post longam absentiam & vehemens desiderium faciem vident, aut vocem audiunt Sponsi præsentis. Per flores autem, & mala quibus Sponsa nostra fulciri debet & stipari, cum languet amore, recte odorifera illa, saluberrimaque dicta, & facta Domini nostri, intelligimus, vt ipsius verba mellitissima floribus, facta autem & opera præclara fructibus comparemus. His enim floribus, ac fructibus in suo languore Sponsa Ecclesia fulcitur, stipatur, reficitur, sustentatur, & roboratur, ne prorsus deficiat donec tempus adueniat, quo facie ad faciem Sponsum videat, & ore ad os eundem alloquatur, quemadmodum Sponsa dum amore Sponsi absentis lãguet, illius verbis, & promissis, literisque, & munusculis, quæ apud se tenet, interim se consolatur, quasi fastidium redimens, & tempus fallens, donec ipsius fruatur præsentia.

Canti. 4. Pro eo, quod nos legimus, Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea Sponsa: pulchriora sunt vbera tua vino, & odor ves.t.s.o.a. alij legunt, Quam pulchri sunt amores tui. Ex quibus verbis intelligimus, quàm sit grata, & iucunda cœlesti Sponso virtus dilectionis: quam ille vino, hoc est, omnibus alijs delicijs & opibus merito præfert. Odorem autem vestimentorum eius, super omnia aromata esse ait. Quibus verbis quam grata Deo præclara virtutum officia sint, quæ charitatem ipsam consequuntur, apertè designat.

Cum amoris obiectum & incitamentum sit pulchrum sicut voluntatis bonum, ideo quisquis ad cœlestis Sponsi amorem aspirat, inęstimabilem eius pulchritudinem animo sæpe multumque versare debet. Hanc enim de causa magnam sermonis partem in libro Canticorum Sponsa in laudibus & commẽdatióne pulchritudinis Sponsi sui cōsumit: quo illum & sibi, & omnibus maxime amabi-

amabilem ostendat. Vnde est illud, Sicut malus inter ligna Syluarum, sic dilectus meus inter filios. Solus enim ille innocens, solus sine peccato: solus inter mortuos liber. Licet enim per eius gratiam multi verè iusti & boni sint, ad ipsum tamen comparati, vix hoc nomen tueri possunt. De eius quoque pulchritudine sunt illa eiusdem Sponsæ verba, Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus, &c. De cuius pulchritudine disserit Psalmus. 44. cuius sunt illa verba, Speciosus forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis, &c. Quid enim tam pulchrum, tam elegans, tamve formosum, quàm Iesus Christus: qui ab omni labe peccati purissimus, & omnibus virtutum numeris absolutissimus fuit? Quæ species tam amabilis, tam suauis, & iucunda, quàm huius mansuetissimi regis aspectus? qui neminem pœnitentem, quanuis improbum, & impium aspernatur, atque adeo omnes laborantes & afflictos in suum sinum vltro vocat, dulcissimis verbis, eos ad hunc modum appellans: Venite ad me omnes qui laboratis, & grauati estis, & ego reficiam, hoc est, recreabo vos? Nec speciem solum, sed etiam verba commendat Propheta, cum ait, Diffusa est gratia in labijs tuis. Quo minus mirandum est, si toties populus in doctrina Domini admiraretur: adeo vt hostium suorum quidam qui ad illum capiendum venerant, doctrinæ eius suauitate stupefacti, vacui ad principes suos redirent dicentes, Nunquam sic locutus est homo. Sponsa quoque hanc eandem sermonis & doctrinæ gratiam sub consuetis metaphoris suis cōmendat, cum ait. Genæ illius, sicut areolæ aromatum, consitæ à pigmentarijs: guttur illius suauissimum & totus desiderabilis. Postquàm enim cæteras corporis eius partes commendasset, hanc veluti coronidem laudibus eius affixit. Genarum autem nomine sacra eloquia, & Scripturas sanctas intelligi volunt: Sicut enim homo ex facie: ita Christus ex scripturis & verbis suis agnoscitur. Vnde ipse ait, Scrutamini scripturas: quoniam illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Hæ igitur Scripturæ verè areolæ sunt aromatum: quoniam singula Christi verba mira deuotione, & suauitate super aromata cuncta fragrant. ¶ Vnde consequens est quod deinde sequitur, Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis, Gutture autem Sponsi dulcissima eius verba intelligi apertum est. Post quam tādem cōmendationē subdit

Canti. 2.

Canti. 1.

Matt. 11.

Ioan. 7.

Canti. 5.

Ioan. 5.

Sponsæ. Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Hierusalem: hoc est, non solum ego diligo eum, sed ipse quoque vicissim, cum talis ac tantus sit, abiectam me, & vilem, talique amatore indignam, familiari amicitiæ amore diligere non dedignatur. Quod quidem in illo summæ dignationis beneficium, in me vero summæ dignitatis indicium est. Vtinam quicunque has tantas cœlestis huius Sponsi laudes agnoscimus, in eius pariter cum Sponsa amorem exardescamus: & quæ deinde verba sequuntur, ex toto corde proferamus. Quo abijt dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum? Quod proinde est ac si diceret. Hæc tanta Sponsi tui pulchritudo, quam commemorasti, effecit, vt nos quoque simili dilectionis iaculo vulnerati, tecum illum quæramus.

Charitatem in pijs hominibus præcipue vigere, declarant illa
Canti. 7. Sponsi verba: quibus Sponsam commendat, dicens, Caput tuum sicut Carmelus: comæ capitis tui, sicut purpura regis, siue regia. Capillorum autem nomine (qui à capite profluunt & nutriuntur sicut à vite palmites) fideles qui à Christo capite vitam trahunt, intelligi notissimum est. Hos autem regiæ purpuræ cõparat propter ardorem charitatis, qui in eis maxime viget, & in cunctis eo-
1. Cor. 16 rum actionibus cernitur: iuxta illud Apostoli, Omnia vestra in charitate fiant.

Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. Cant. 8. His verbis veræ charitatis natura describitur. Primum enim bonis operibus coniuncta esse debet: sicut flamma igni coniuncta est: Amor
Matt. 5. enim Dei non est otiosus: operatur enim magna si est, &c. Deinde etiam fulgere ita debet, vt illud impleat quod Dominus ait, Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c. Vera enim charitas sibi ardet, & proximis lucet: non enim lucris suis contenta est, nisi alios etiam lucrifecerit Christo. Flammarum etiam nomine sancta desideria intelligimus: quæ eandem charitatem consequuntur: quæ nimirum sanctorum desideriorum (sicut ignis flammarum) feracissima est. His ergo tribus notis vera charitas à ficta discernitur.

Dignitatem & pretium charitatis non obscure illa Cant. 8. verba designant, Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Huc autem pertinent

laudes omnes, quæ frequentißime in libris Salomonis Sapientiæ tribuuntur: quæ fere idem, quod charitas est: vel eidem indiuidua societate coniuncta, Quales sunt illæ, Et præposui illam regnis, & sedibus: & diuitias nihil esse dixi in comparatione illius, & quæ sequuntur. Cuius etiam miræ laudes in libro Iob. 28. habentur. *Sapien. 7.*

Hoc etiam charitatis virtus promeretur, vt secretorum Domini particeps sit. Sic enim Dominus ad discipulos ait, Iam non dicam vos seruos, sed amicos: quia omnia. q. a. a. p. m. n. f. v. Hinc Dominus cum ad Sodomitas vastandos procederet, Num inquit, celare potero Abraham quæ gesturus sum, &c. Velut enim indignum esse ducebat, & cōtra leges amicitiæ fieri putabat si quidquam amicum celaret. Vnde quasi nouum quiddam & insolitum miratur Eliseus quòd mors filij hospitæ suæ non fuerit ei à Domino præmonstrata. Denique pro eo quod nos legimus, Firmamentum est Dominus timentibus eum: Hiero. ex Hebr. vertit, Secretum Domini timentibus eũ, & testamentum f. v. m. i. *Ioan. 15.* *Gene. 18.* *4. Re. 14.* *Psal. 24.*

Magna est veræ & germanæ charitatis potentia Iacobo videbātur anni pauci præ amoris magnitudine: & Sichem filius Emor amore Dinæ incensus, circuncisionis cauterium, & grauißimum huius vulneris dolorem non recusauit: Neque hoc contentus, parentem quoque senem, & vniuersum populum ad hoc impulit, vt eundem subirent cruciatum. Neque vero hanc adeo iniquam conditionem grauiter, & moleste iuuenis tulit. Ait enim Scriptura, Neque distulit adolescens, quin statim quod petebatur, expleret: amabat enim puellam valde, &c. O si charitas Dei in pectore nostro ita flagraret, quàm leue, ac suaue nobis mandatorũ ipsius iugum efficeretur. Hoc argumento credibilia fiunt, quæ de sanctorum Martyrum mirabili constantia deque sanctorum Cōfessorũ vigilijs, Ieiunijs, & continuis laboribus, deque eorundem mentis excessu & alienatione prædicantur. Si enim tātum potuit vnius puellę pulchritudo, quæ vel morbo vel ætate marcesit, quid immensa illa & infinita pulchritudo efficiet, quādo illā Dñs (quāuis in speculo & enigmate) fidelibus amicis suis velut spectādā proponitur, quādo demũ Saluator implet illud quod promisit, Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum? *Gen. 19.* *Gen. 34.*

Non hoc tantum exigit Dominus, vt illum diligamus, sed vt illum toto corde tota mente & cætera diligamus: ac illud etiam, ne creaturis nimio amore (qui nos ab eius dilectione diuellere possit) hæreamus. Hoc autem indicant illa Mosis verba, Dominus zelotes nomen eius: Deus est æmulator. Quia vero res ab eo, quod in eis præcipuum est denominantur, apparet, sane hoc maxime in Deo obseruandum, à quo ipse zelotis nomen accepit. Zelotypus autē amor omnem alium amorem reformidat, ne quod alteri tribuitur, sibi adimatur. Hic autem zelus tantum apud eum valuit, vt propter homines homo fieret, quo totum eorum amorem à creaturis auulsum, sibi vni vendicaret. Sic enim ait Propheta: Zelus Domini exercituum faciet hæc.

Exod. 34.

Ex odio, & cōtēptu sui poterit quisque iudicare de amore Dei. Cū amor Dei ad contēptū vsque sui perueniēs supernā Hierusalē ædificet. Hæc enim duo sicut lux, & tenebræ, dies, & nox, sibi inuicē aduersantur, ideo simul in eodē subiecto esse nō possunt. Itaq; cū Sol hic diem efficiens est supra nos, nox iacet infra nos. Vbi vero nox est supra nos, iacet vtique iustitiæ Sol infra nos. Denique sicut in bilance contingit, vt altera eleuata, altera deprimatur: ita plane in vtriusque huius amoris, sui videlicet, atque Dei bilance, contingit, & cætera. Nemo ergo sibi amare se Deum persuadeat, qui non ad sanctum sui odium, ac contemptum peruenit.

Omnis adeps, siue qui adhæret renúculis, siue qui vitalia operit, Dño semper offertur, & sacro altaris igne crematur. Sic enim legimus, Omnis adeps Dñi erit iure perpetuo. Quid autem hoc aliud est, nisi quod omnia interiora nostra suo sibi iure à nobis Dñs requirit? Hæc autē Dño offerebat Propheta, cū diceret, Benedic anima mea Dño, & omnia interiora mea nomē sanctum eius. Hæc ergo interiora nostra sacro dilectionis igne ardere debent. Quod si hoc igne non arserint, superest, vt talia permaneant, qualia eorum, de quibus scriptum est, Prodijt, quasi ex adipe iniquitas eorū. Quæ quidē verba, partim impiorū mētem carnis illecebris obtusam designant, partim vim, & impetū quo præcipites in mala ferūtur. Hoc est enim, quod ait; Prodijt, quasi ex adipe iniquitas eorum.

Leuit. 3. *Psal. 102.* *Psal. 72.*

Quemadmodū Dido, vbi Æneæ amore capta est, omnem regni curā abiecit, sicut Vergilius ait. Non cæptæ assurgunt vrbes, nō

arma iuuentus,exercet,&c.Pendēt opera interrupta,&c.ita vbi diuini amoris igne tota mens occupata & incensa est, omnia quæ mundi sunt,obliuiscitur,nihilque ante eius oculos, diu noctuque nisi solus Deus obuersatur.Sic illa de qua dictum est, Æneasque oculis semper vigilātibus hæret,Æneamque animo noxque diesque refert.Inter varios amores diuini gradus vnitiuum amorē ponunt.Quod sit autē huius vnitiui amoris officiū hoc exēplo carnalis amoris pij homines facile intelligent.Talē autē amorē D.Aug. à Dño petebat,cū diceret.Te mediter per dies sine cessatione, te sentiā per soporem in nocte.Fœlices qui nihil aliud diligūt, nihil quærūt,nihil etiā cogitare didicerunt. Fœlices quorum spes tu solus es,& omne opus eorū oratio. Aug.in Medita. Huius vero rei gratia fortis esse dicitur vt mors dilectio:quæ vbi mentē occupauit,ad omnia alia velut mortuam & insensibilem efficit. *Cant.8.*

Zelus honoris Dei.

Gregor. Apud misericordem iudicem nequaquam sine venia culpa relinquitur,eum per feruorem zeli ex eius amore peccatur.Greg.in mor.

Zeli iram,quia Heli non habuit,motum contra se implacabiliter supernæ vltionis excitauit.Greg.in mor.

Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum.Greg.super Ezech.

August. Qui errantem non corripuerit,de negligentia iudicabitur: qui autē clā pro eo,non orauerit de pernicie,cōdēnabitur.Aug.in ser.

Quid magis persequitur vitam bonorum,quàm vita iniquorū non cum cogit imitari quod displicet,sed cum cogit dolere quod videt:quoniam coram pio viuens impie,& si non obligat consentientem,cruciat sentientem.Idem in Epist.

Bernar. Zelus minus absque scientia efficax minusque vtilis inuenitur: plerumque autem,& perniciosus valde sentitur.Quò igitur zelus feruidior,vehementior spiritus,profusiorque charitas,eò vigilantiori opus est scientia:quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem.Bernar.super Canti.

Zelum tuum inflammet charitas,informet scientia, firmet cōstantia:sit feruidus,sit circunspectus,sit inuictus:nec teporem habeat,nec discretione careat,nec timidus sit.Idem,ibidem.

Hoc

Hoc vera & casta contemplatio habet, vt mentem quam diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, vt otium contemplationis pro studio prædicationis libentißime intermittat. Idem, ibidem.

Chrysost. Ne mundus quidem vniuersus animæ pretium æquaret: quare licet pecuniam, absque numero pauperibus largiare, nihil tãtum efficies, quàm vnius animæ conuersione, Chrysost.

Socrates interrogatus, quid bonis viris molestum esset, dixit, Fœlicitas malorum.

COLLE. ¶Cur aduersus peccantes indignaris magis quàm compateris? Quid enim mirum si homo aliquis Dei gratia destitutus sit: cum tam exiguus sit numerus piorum? Hac vero destitutus, quid homo est nisi caro? At manifesta sunt opera carnis, quę sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, Luxuria & cætera, quæ Apostolus enumerat. Quid igitur in carne opera carnis demiraris? Præsertim cum caro ipsa exterius quidẽ à mundo, interius vero agitetur à Dæmone? Indignationi ergo piè miseratio iungenda est: qualẽ in Domino Saluatore Mar. 3. legimus, qui cum ira Pharisæos circunspiciens, contristatus est super cœcitate cordis eorum. *Galat. 5.*

Indignari vehementer aduersus aliorum delicta eorum est, qui humanæ naturæ miserabilem lapsum, non satis intelligunt. Natura enim humana ante peccatum, velut horologium quoddã erat rectißime constitutum: quod tamen per peccatum deordinatum fuit. Erat item velut cithara quædam chordis aptißime temperatis instructa: quæ tamen post peccatum, pristinum illud temperamentum amisit. Quis vero miretur, si vel horologium ita deordinatum perperam horarum spacia designet? vel cithara illa temperamento chordarũ dissoluto, incõcinnos, & insuaues sonos edat?

Eccl. 4. Zelum prudentia, & moderatione, temperandum esse docet Ecclesiast. his verbis, Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluuij. Ita tamen temperamentum hoc seruari vult, vt statim subdat, Pro iustitia agonizare, pro anima tua: & vsque ad mortem certa pro iustitia: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Quis autem inter hæc duo extrema temperamentum debitum seruare poterit, ne à recto virtutis tramite declinet?

Ne

Ne despicias(ait Ecclesiasticus)hominem auertĕtem se à pec- *Eccl. 78.*
cato, & non improperes ei: Memento quòd omnes in corru-
ptione sumus.

Zelum esse debere secundum scientiam, monet Ecclesiast. 29.
his verbis. Recupera proximum secundum virtutem tuam,& at-
tende tibi ne incidas.

Maximum diuinæ gloriæ studium,& aduersus scelera, mundi
odium præsefert illa Prophetæ vox, Vsquequo peccatores, Domi
ne? vsquequo peccatores gloriabuntur? Effabuntur & loquentur *Psal. 93.*
iniquitatem?& quæ sequuntur. Et infra, Quis consurget mihi ad-
uersus malignantes? aut quis stabit mecum aduersus operãtes ini
quitatem? Eodem pertinet & illa vox, Deficiant peccatores à ter- *Psal. 103.*
ra,& iniquitata vt non sint. Et illa quoque, Si occideres Deus pec- *Psal. 108.*
catores. Habet enim optandi vim coniunctio, Si. Et, Tabescere *Psal 108.*
me fecit zelus meus. Et, zelus domus tuæ.c.m. Vbi autem nos le- *Psal. 68.*
gimus, Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus le *Psal. 118.*
gĕ tuã. Alij verterunt, Horror tenuit me. Quod quidĕ verbum
maiorem habet emphasim, eoque Vates significat, quo odio pec-
cati malitiam detestaretur, ac Dei gloriam desideraret, quando to
tus horrore concutiebatur, cùm peccantes homines cerneret.

Gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam *Psal. 149.*
in nationibus,&c. Gloria hæc est omnibus sanctis ejus. In hac au-
tem vindicta sæpe ipsi etiam parentes feriendi erunt: non minori
gaudio, quàm quicunque alij. Sic enim D. Petrus Martyr parentes
hæreticos(à quibus velut rosa de spinis ortus est) simili animi ala
critate feriet. Et tamen gloria hæc est omnibus sanctis eius, nem-
pè conditoris sui iniurias vlcisci. Vnde colligimus, quantus sit er-
ga conditorem amor, cum ij maximæ gloriæ loco ducant, sic ad-
uersus etiam parentes suos ac liberos sæuire. Sed quid mirum, si
hoc animo electi post beatam Dei visionĕ sunt, quo Leuitæ olim, *Deute. 33.*
ex diuina dilectione fuerunt qui dixerunt patri, non noui te, & fi-
lios suos non agnouerunt: in quos propter adorati vituli scelus si-
ne vllo miserationis affectu gladios strinxerunt?

Zelus animarum, & diuinæ gloriæ studium fidelibus cunctis,
& præcipuè Episcopis & prælatis maximè dominari debet. Quã
rem vel ex eo colligimus, quòd Moses(quem ad hoc munus Do-
minus elegit, quanuis esset alias vir mitissimus) hac virtute maxi-
mè

mè excelluit. Vbi enim de monte descendit, & vitulum conflatilem, quem Aaron fabricatus fuerat, vidit, adeò ira excanduit, vt tabulas digito Dei scriptas ad radices montis proiecerit, & fregerit: & deinde vitulum arripiens, in frusta comminuerit, & potandum populo dederit, quò imbecillitatem noui Dei ipsis apertè monstraret. Tum præterea Leuitis ad se conuocatis præcepit, vt per medium castrorum pergentes, manus suas fratrum, & filiorũ suorum sanguine cruentarent, imo & consecrarent. Ad hæc
Exod. 32. tanto affectu pro illorum salute Dominum deprecatus est, vt peteret se de electorum libro deleri, nisi peccantibus ignosceret: quasi qui sine illis salutem percipere à Deo nollet. Prætereà 40. iterum diebus in eodem monte suppliciter pro eodem populo orabat. Vbi verò eiusdem Domini transeuntem glo-
Exod. 34. riam vidit, prima eius petitio fuit, Si inuenimus inquit, gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro vt gradiaris nobiscum: populus enim duræ ceruicis est, vt auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas. Vide quæso quomodo totus in salutem sibi crediti populi erat semper intentus. Obserua autem quomodo vtriusque partis causam egerit. Causam enim populi apud Deum egit lachrymis: causam verò Dei apud populum egit gladijs: cùm Deo misericordiam petens, cum populo seueritatem exercens.

Improborum hominum, qui proximorum salutem negligũt,
Gene. 4. est illa amarulenta Caini vox, qua Domino de fratre quærenti respondit, Nunquid ego, custos sum fratris mei? Hi enim ig-
Eccl. 17. norant vnicuique mandasse Deum de proximo suo: & vt qui
Exod. 36. audit, dicat, Veni. Sic enim cortina trahit cortinam: quemadmodum in Leuiti. præcipitur. Qui verò hoc animo non sunt,
Luca. 16. deteriores quodammodo diuite illo epulone sunt, qui inter flámarum suarum tormenta constitutus, de quinque fratrum salute solicitus erat.

Mirum est, quàm acriter aduersus aliorum crimina indigna-
2. Re. 12. mur, qui ad nostra fortasse grauiora conniuemus. Sic Dauid grauiter aduersus illum qui alienam ouem sustulit, cum plures haberet, commotus est: cum ipse tamen aliena vxore rapta, & viro eius interfecto, nequaquam aduersum se fuisset indignatus.

Qua

Qua pœna indiſcretus zelus puniatur, facile oſtendit Saulis ſupplicium: cuius poſteritas ſublata, & extincta eſt, propter ſæuitiam quam in Gabaonitas exercuerat, crudeli zelo commotus, quaſi pro filijs Iſrael. 2.Reg.21

Opprobria Domini tanquam ſua, vir pius lugere debet. Vnde eſt illud. Opprobria exprobrantium tibi &c. Et illud, Nóne qui oderunt te Domine, oderam? & ſuper inimicos tuos tabeſcebam. Hinc vbi Elias ad Achab dixiſſet, Occidiſti inſuper & poſſediſti, Achab contra reſpondente, Num inueniſti me inimicum tibi? Ille reſpondit, Inueni: eò quod venundatus ſis, vt faceres malum. Quia igitur impius rex inimicus Deo factus erat, ſibi quoque illum inimicum eſſe Propheta ait: non quod is hominem odiſſet, ſed quod hominis ſcelus, & Dei iniuriam execraretur. Pſal. 68. Pſal. 138. 3.Reg.21.

Amor vel odium proximi.

Minus proximum amare conuincitur qui non cum eo in neceſsitate illius etiam ea quæ ſibi ſunt neceſſaria, partitur. Greg. in hom.

Tantum quiſque portat proximum, quantum amat: ſi enim amas, portas: ſi deſijſti amare, deſijſti tolerare. Gregorius ſuper Ezechielem.

Habens intellectum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, à miſericordia non torpeſcat: habens artem qua regitur, vſum illius cum proximo partiatur: habens loquendi locum, apud diuitem pro pauperibus intercedat: talenti enim nomine cuilibet reputabitur, quod etiam minimum accepit. Greg. in homilia ſuper parabolam talentorum.

Anima cum proximo condeſcendit, inclinatione ſua erigitur: attractione tenditur: compaſsione roboratur. Cumque ſe in amore proximi dilatat, inde colligit quanta fortitudine in authorem ſurgat. Greg. mor. lib. 7. c. 7.

Dicturus de amore proximi, dicit prius de amore Dei. Deutero. 6. Quia qui Deum non amat, nec proximum: & tunc in dilectione Dei proficimus, quando proximum amamus. Grego. vbi ſupra. c. 11.

August. Non poterit habere concordiam cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Idem de verb. Domini.

Inimicitiæ vitandæ cautissime, ferendæ æquissime, finiendæ citissime. Idem.

Minus bonus est, qui tantum bonis bonus est. Idem.

Nihil mirabilius in rebus humanis, quàm diligere inimicos. Idem lib. Confess.

Quemuis contemnere, pretium eius attende, & cum morte Christi totum mundum appende. Idem de verb. Domini.

Tale bonum est bonum pacis, vt in rebus creatis nihil gratiosius soleat audiri, nihil delectabilius concupisci, & nihil vtilius possideri. Spiritus enim humanus nunquam viuificat membra, nisi fuerint vnita. Sic Spiritus sanctus nunquam viuificat Ecclesiæ membra, nisi fuerint in pace vnita. Idem lib. de ciui. Dei.

Non diligis proximum tuum tanquam te ipsum, si non ad id bonum quo ipse tendis adducis. Idem lib. 1. de mori. Eccl.

Multa sunt genera eleemosynarum, quas cum facimus, adiuuamur, vt dimittantur peccata nostra: sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus quod in nos quisque peccauit. Idem in Enchi.

Ambros. Non minus vos diligo quos genui ex Euangelio, quàm si suscepissem ex coniugo. Gratia quippe vehementior est ad diligendū, quàm natura. Ambr. de offi.

Beneficium se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cum rogaretur Ignoscere: & tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio maior iracundiæ: & optabatur in eo quod timebatur in alijs, vt irasceretur. Idem de obitu Theodosij.

Bernar. Oratio peccatoris execrabilis erit: frustra quoque offeret munus suum ad altare, qui conscius est sibi, quod frater suus habet aliquid aduersum se. Denique non respexit Dominus ad Cain munera: eo quod non recte ambularet cum fratre suo. Bernar. super Canti.

Cypria. Deus est qui inhabitare facit vnanimes in domo. In domo Dei concordes & simplices perseuerant. Idcirco & in columba venit Spiritus sanctus, simplex animal & lætum, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum, hospitia humana diligere, vnius domus consortium nosse, cum generant simul filios edere: cum cōmeant volatibus inuicem cohærere, cō-

muni conuersatione suam vitam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legẽ circa omnia vnanimitatis implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda: vt columbas dilectio fraternitatis imitetur: vt mansuetudo & lenitas agnis & ouibus æquetur. Quid facit in pectore Christiano luporum feritas? & Canum rabies? & venenum lætale Serpentum? & cruenta sæuitia Bestiarum? Cyprianus de simplicitate Prælatorum.

Super illud, Qui Solem suum oriri facit, Videmus inseparabili æqualitate bonis & malis Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere, Omne genus hominúm largitate ac bonitate diuina æqualiter perfruitur: sic æqualiter dies illuminat, Sol radiat, imber rigat, ventus aspirat, & stellarum splendor, ac Lunæ communis est. Idem in Sermo. de Patientia.

Petrus Rauenas super illud, Dimitte nobis, &c. Homo, sine peccato esse non potes: & vis semper tibi dimitti: totum dimitte semper. Quantum vis dimitti tibi, tantum dimitte. Imo homo intellige, quod remittendo alij, veniam tibi tu ipse dedisti. Chrysolo. in sermone.

Magna virtus est, si non lædas, à quo læsus: magna est gloria, si cui nocere potuisti, parcas. Nobile vindictæ genus est, ignoscere victo. Hugo. lib. 7. de Anima. *Hugo.*

Ego autem tanquam surdus &c. Nihil potest esse fortius, nihil egregius, quàm audire noxia, & non respondere contraria. Cassiodor. super Psal.

Libera conscientia ante tribunal Christi dicere poterit: Da Domine, quia dedi: dimitte, quia dimisi. Cæsarius in admoni. 2.

Si non dimittis iniuriam quæ tibi facta est, non orationem pro te facis, sed maledictionem super te inducis, cum dicis, Dimitte nobis debita nostra sicut &c. *Anasta.*

Vbi amicitia permanet, nihil facile creditur, nihil facile recipitur quod dissidium possit operari. Si vero semel inimicitiæ occupauerint animos, omnia quæ sunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita recipiuntur, vt ad maiores proficiant inimicitias. *Chrysost.*

Chryfoſt.ſuper Matth.

Cicero. Animum vincere,iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduerſarium non modo extollere iacentem,ſed etiam amplifica-re eius priſtinam dignitatem,præclarum eſt.Hæc qui faciat, non ego eum ſummis viris comparo,ſed ſimillimum Deo iudico. Cicero pro Marcello.

COLLE. ¶Martyria inter fideles non ſunt hoc tempore finita,ſed mutata. Olim enim Martyres propter fidei confeſsionem,morte afficiebantur : modo propter charitatis cuſtodiam Martyres quodammodo effici neceſſe eſt.Multa enim frequenter pati debet, quiſquis integram,& illæſam proximorum dilectionem ſeruare nititur:cum multa ſæpe iniuriæ,multæque & graues propter hoc cõtumeliæ patienter ferendæ ſint.

Intellige, quæ proximi tui ſunt,ex te ipſo Eccleſiaſt.31. Nihil breuius,nil vtilius dici potuit. Quidquid ſiue acerbum, ſiue lætum,ſiue triſte alijs euenerit,ad te transfer,& te proximi tui loco conſtitue:tũc enim illius proſperitatem aut miſeriam velut tuam duces.Cæterum,quæ noſtra ſunt rectius in alium tranſlata, æſtimantur.Sic Dauid,qui flagitium ſuum in ſe non agnoſcebat, in altero per figuram tranſlatum agnouit : & ſe reum confeſſus eſt.
*2.Reg.*21 Si igitur quale ſit flagitium tuum intelligere vis,finge ab alio cõmiſſum eſſe, vt de illo pronunties:ſi vero alterius miſeriam diiudicare,in te illam aſſume: hoc enim modo eius acerbitatẽ melius ſenties.

Prima poſt diluuium ad conſtituendam humanæ vitæ ſocietatem charitatis lex ſancitur,& ab odio eiuſdem naturæ conſortes acerrima comminatione arcentur.Sicut enim reipublicæ humanæ iuſtitia,ita Chriſtianæ charitas eſt fundamentum : quæ multo latius quam iuſtitia patet: vtpote quæ non ſolum ab iniuſtitia manus abſtinet,ſed etiam beneficijs conferendis cœtus inter ſe ſe hominum beneuolentiæ communione deuincit. Vnde Ariſtoteles. 8. Ethic. leges & iura omnia ſuperuacanea futura eſſe
Gene.9. ait, ſi charitas inter homines vigeret.Lex autem Dei fuit,ne carnem cum ſanguine homines comederent. Hac enim lege crudelitatem prohibere voluit, ne videlicet ſanguinarij homines efficerentur. Eodem etiam tendit, quod ait, Sanguinem anima-

rum,

rum vestrarum de manu cunctarum bestiarum requiram,&c. Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Hac enim loquendi figura seueritatem diuinæ vltionis aduersus homicidas designare voluit.

Amor erga inimicos.

IVste de inimicorum morte lætamur, si in vtilitatem vergitur proximorum: sed attendendum est, ne cum nostra odia exequimur, fallamur sub specie alienæ vtilitatis. Gregor. 22. mor. cap. 11. *Gregor.*

Contristatus sum, ait Propheta & conturbatus sum in exercitatione mea. Vbi contristatus? vbi conturbatus? In exercitatione mea inquit. Homines malos quos patitur commemoraturus est: eandemque passionem, & infestationem malorum hominũ, exercitationem suam dixit. Ne putetis gratis esse malos in hoc mũdo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus, aut ideo viuit, vt corrigatur: aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur. Vtinam ergo qui nos modo exercent, conuertãtur, & nobiscum exerceantur. Ergo quoniam hæc tibi dilectionis regula figitur, vt imitans patrem diligas inimicũ. (Diligite enim inquit, inimicos vestros) in hoc præcepto quomodo exerceberis, si nullum inimicum pateris? Aug. super Psal. 54. *August. Psal. 54.*

In hoc perfecta est (inquit Ioannes) dilectio eius in nobis, vt fiduciã habeamus in die iudicij. Quare habebimus fiduciã? Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Audisti causam fiduciæ tuæ. Dñs in Euangelio dicit, Si diligitis eos qui vos diligunt, quã mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Quia ergo ad hanc perfectionem nos inuitat Deus, vt diligamus inimicos nostros, sicut & ipse dilexit suos, ea nobis fiducia est in die iudicij: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo: quia sicut ille dilexit inimicos suos, faciendo Solẽ suũ oriri super bonos & malos, & pluendo super iustos & iniustos: ita nos quia inimicis nostris non possumus præstare temporalem Solẽ & pluuiã, præstemus lachrymas, cum pro illis oramus. Aug. ex tracta. super epist. Ioãnis.

¶Contra proximorũ odium & vindictæ appetitũ quædam inue- COLL.

nies Ecclesiast.28. Vbi incipit. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam. & peccata illius seruans seruabit, & quæ se-
Psal. 38. quuntur. Posui custodiam ori meo cū consisteret. p.a.m. Sic enim se Dauid gessit, cum tot aduersus illum maledicta impudentissimo ore Semei iactaret.

Psal. 34. Quo nam modo se homo erga inimicos gerere debeat, exemplo suo declarat regius Propheta cum ait. Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio: humiliabam in ieiunio animam meam. Quasi ad amicum, quasi ad fratrem meum sic ambulabam: quasi lugens mater, sic incuruabar: eorum videlicet ærumnas materna charitate deflens. Sic etiam in Psal.37 postquam idem Propheta hostium suorum dolos exposuisset, subdit protinus, Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, &c. Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies Domine, &c. Pro quo Hiero. vertit: Te enim Domine expectabam: tu exaudies Dñe Deus meus.

Ioan. 10. Qui odit fratrem suum in tenebris ambulat. Ioan. 1. In Euange-
Prou. 24. lio Dominus ait, Qui in die ambulat, non offendit: quia lucem huius mundi videt. At cùm iustus qui in hac die ambulat, septies in die cadat, quoties cadere credendus est, qui in tenebris ambulat? Sed ille tantum leuiter aut venialiter: hic lætaliter semper iacet. Non times ergo miser in hoc statu & cibum, & somnum capere, iam iam à Dæmone suffocandus nisi illi Deus obsisteret, eiusque furorem & rabiem clementer, & potenter comprimeret?

Inimicorum dilectionē veteris quoque testamenti literæ (quas Scribarum malitia peruertit) commendant. Sic enim Exod. 23. legimus, Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo. Cui hæc facere præcipitur, quomodo illi erga inimicos odium habere permittitur?

Singulare mansuetudinis, dilectionis & veræ nobilitatis, atque magnanimitatis exemplum extat in Dauide, qui Sauli attrocissimo hosti suo toties pepercit, qui eius mortem adeò lamentabiliter prosequutus est, cum eius vita sibi exilium, & mortem mors vero regnum & vitam adimeret. Quin & illud non minori laude dignum quod gratias egerit, & munera pollicitus sit ijs qui corpus eius à Philisthea sublatum, in terram Israel tule-

runt,

runt,& in paterno tumulo condiderunt. Nec minus insigne virtutis huius exemplum, exhibuit, cum interfectores Isboseth filij Saulis occidit, & funus Abner lachrymis prosequutus est, & cibum eo die ad vesperam vsque capere noluit. Quo facto amorem erga se populi magnopere conciliauit. *2. Re. 4.* *2. Re. 3.*

Amicitia.

CVM quis in prosperitate diligitur incertum est, valde vtrũ prosperitas, an persona diligatur. Amissio autem fœlicitatis interrogat vim dilectionis. Greg. in mora. *Gregor.*

Vt aliquid sæcularis authoritatis loquar cum amicis omnia tractanda sunt, sed prius de ipsis. Greg. in Regist.

Vera illa amicitia est, & Christi glutino copulata, quam nõ vtilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola, & palpans adulatio, sed Dei timor, & diuinarum Scripturarũ studia conciliant. Hiero. ad Pauli. *Hierony.*

Solatium huius vitæ est, vt habeas cui pectus tuum aperias, cui arcana communices, cui secreta tui pectoris cõmittas, vt colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur, in tristibus compatiatur: in persecutionibus adhortetur: facilis vox, & cõmunis, tuus sum totus: sed paucorum est effectus. Ambr. officio. lib. 3. *Ambros.*

Habet vera amicitia nonnunquam obiurgationem, adulationẽ nunquam. Bernar. in Epist. *Bernar.*

Non sunt fideles in amicitia quos munus non gratia copulat: hi cito deserunt, nisi semper acceperint. Dilectio enim quæ munere glutinatur, eo suspenso dissoluitur. Isidorus. de summo Bono. *Isidor.*

Amicitia est diuitibus pro gratia, pauperibus pro censu, exulibus, pro patria, imbecillibus pro virtute, pro medicina ægrotis, pro vita mortuis. Petrus. Bles. in libello de amicitia. *Pet. Bles.*

Vera amicitia eodem oculo respicit amicum diuitem, & mendicum: fortem, ac debilem, humilem, ac sublimẽ. Idem, ibid.

Qui fratribus relictis alios amicos quærunt, consimiles sunt ijs qui rus suum deserunt, & alienum colunt. Socrates. *Socrates.*

Probum amicum gaudijs quidem vocatum decet adesse: aduersis autem casibus sua sponte non vocatum. *Democri.*

 Equi

Menander. Equi vsum aspera via prodit,& amicum beneuolum calamitates discernunt.

Epictet. A nemine amari se cogitet,qui neminem amat.Primum iudicare,deinde amare decet,non viceuersa.

Nicocles. Rarum ad amicum ingreditor,ne tui satur,te oderit.

Solon. Idem fuerit ex aureo poculo remedium bibere , & ab amico beneuolo consilium capere.Idem.

Isocrates. Nullum tibi amicum sumas, priusquam inquisiueris:quo modo secum prioribus amicis gesserit. Expectabis enim talem erga te quoque futurum,qualis fuit erga illos Isocrates.

Adilon. Nullus futurus est amicus, qui nihil vitiorum in amico ferre potest.

Plato. Amici,conciliatoris Dei ductu fiunt.

Cicer. Amicitijs non est vtendum vt floribus, tandiu gratis,quandiu recentibus.

Excepta sapiétia nihil melius datum est homini à Dijs immortalibus amicitia.Quid enim dulcius,quam habere cum quo omnia audeas sic loqui,vt tecum?Quis esset tantus fructus in prosperis rebus,nisi haberes amicum, qui illis æque ac tu ipse gauderet? Aduersa enim ferre difficile esset,sine eo, qui illa grauius etiam quam tu ferret.Idem de Amicitia.

Amicitia res plurimas continet:quocunque te verteris, præsto est:nullo loco excluditur,nunquam intempestiua,nunquam molesta est.Itaque non aqua,non igne,locis plurimis indigemus,quá amicitia.Nam & secundas res splendidiores facit,& aduersas partiens communicansque,leuiores.Idem,ibidem.

Amicitia absentes adsunt,egentes abundant,imbecilli valent: & quod difficilius dictu est,mortui viuunt.Idem,ibidem.

Si ex rerum natura amicitiæ coniunctionem demeris, nec domus vlla,nec vrbs stare poterit,nec agricultura permanebit. Quá ta etiam vis eius sit,ex dissensionibus atque discordijs percipi potest.Quæ enim domus tam stabilis,quæ tam firma est ciuitas, quæ non dissidijs funditus possit euerti?Idem ibidem.

Hæc lex in amicitia sanciatur,vt neque rogemus res turpes, neque rogati faciamus.Turpis enim excusatio hæc est, & minime accipienda,tum in cæteris rebus, tum si quis contra Rempublicá se amici causa fecisse fateatur.Idem,ibidem.

Solem à mũdo tollere videntur, qui amicitiam à vita tollunt. Idem, ibidem.

Sunt igitur firmi, & stabiles, & constantes eligendi, cuius generis magna penuria, & iudicare difficile est, nisi sit expertũ. Ideo verum est, id quod dicitur, Modios multos salis simul edendos esse, vt amicitiæ munus expletum sit. Idem, ibidem.

Virtus conciliat amicitias, atque conseruat. In ea enim est conuenientia rerum, in ea est stabilitas, in ea est constantia.

Quoniam res humanæ fragiles caducæque sunt, semper aliqui acquirendi sunt, quos diligamus, & à quibus diligamur. Charitate enim beneuolentiaque sublata, omnis est è vita sublata iucũditas. Idem, ibidem.

Est ea iucundissima amicitia, quam similitudo morum coniugauit. Idem. 1. de officijs.

Omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior, quã cum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti. Nihil enim amabilius, nec copulatius, quàm morum similitudo bonorum. Idem.

In quibus sunt eadem studia, eædem voluntates, in his fit, vt æque quisque altero delectetur ac seipso: efficiturque id quod Pythagoras vult in amicitia, vt vnus fiat ex pluribus. Idem, ibidem.

Est in amicitia necessarium vt alter nihilo sese plusquam alterum diligat: quod si tantillum intersit, iam amicitiæ nomen occiderit: cuius est ea vis, vt simul atque sibi aliquid quam alteri maluerit, nulla sit. Idem. 1. de legibus.

Vetus est lex illa, iustæ veræque amicitiæ, vt idem amici semper velint: neque est vllum certius amicitiæ vinculum, quàm consensus & societas consiliorum & voluntatum. Idem pro Plancio.

Non est sancta amicitia, nisi ipse amicus per se ametur toto pectore, vt dicitur: qui quidem amandus est, desperatis emolumentis & fructibus. Idem. 1. de legibus.

Non facile diiudicatur amor verus & fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, vt quasi aurum igne, sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici possit. Cætera sunt signa communia. Idem.

Nihil eſt appetentius ſimilium ſui, nihil rapacius, quàm natura. Hinc conſtat bonis inter bonos quaſi neceſſariam beneuolentiam eſſe. Idem in Lælio.

Vt hirundines æſtiuo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt: ita falſi amici ſereno vitæ tempore præſto ſunt: ſimul atque fortunæ hyemem viderint, deuolant omnes. Idem. 4. ad Herenium.

COLLE. *Prou.* 19. ¶Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem & ij quos habent, ſeparantur. Item, Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt dona tribuentis. Fratres omnes pauperis oderunt eum, inſuper & amici eius receſſerunt ab eo. Hoc autem de falſis amicis accipiendum. De vero namque amico ſcriptum eſt, *Prou.* 17. Omni tempore diligit qui amicus eſt: & frater in anguſtijs comprobatur. Quod quidem non de amicitia ſolum erga homines, ſed de amicitia erga Deum maxime accipiendum eſt. Veri enim *Pſal.* 16. amici Dei vox illa eſt, Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in *Pſal.* 43. me iniquitas. Et illa, Hæc omnia, venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te, &c.

Prou. 6. Si poſsides amicum in tentatione poſside eum, & ne facile credas ei te ipſum. Hoc eſt, etiam ſi in aduerſis rebus probatus ſit, non tamen illi facile, omnia committenda ſunt. Quis enim eſt hodie amicus, quem inimicum poſſe aliquando fieri deſperes? Hinc rurſus ait. Ab inimicis tuis ſeparare, & ab amicis tuis attende. Hoc fortaſſe de imperfectis amicis dici poſſet. Vt enim Diuus Hieronymus ait, Amicitia quæ eſſe deſijt, vera nunquam fuit. De perfectis enim idem Eccleſiaſti- *Eccl.* 6. cus ait, Amicus fidelis, medicamentum vitæ, & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, inuenient illum. Multa de amicitia leges Eccle. 6.

De amicorum moribus quædam leges Eccleſiaſt. 22. vbi inter cætera dicit, Mittens lapidem in volatilia, deijcit illa: & qui conuitiatur amico, diſſoluit amicitiam. Ad amicum ſi produxeris gladium, non deſperes: Eſt enim regreſſus ad amicitiam. Si aperuerit os triſte, ne timeas. Eſt enim concordatio: excepto conuitio, & improperio, & myſterij reuelatione, & plaga doloſa. In his omnibus effugiet amicus. Fidem poſside cum amico in

 pauper-

paupertate illius, vt in bonis illius læteris. Et infrà. A facie amici non me abscondar, & si mala mihi euenerint per illum, sustinebo.

Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inueniet amicum ad animum suum. Multa in hanc sententiam inuenies Ecclesiast. 27. Vbi tandem concludit. Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infœlicis.

Secundo Regum. 9. ait Dauid. Putas ne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, vt faciam misericordiam cum eo propter Ionatham, & quæ sequuntur. Et infrà, Miphiboseth comedet super mensam meam quasi vnus de filijs Regis, &c. Habes hic veræ & solidæ amicitiæ exemplum: quæ ne morte quidem, & iniuria temporum extincta, ea quæ amici sunt, studiose curat. Hoc item est veræ, & germanæ nobilitatis exemplum: cuius est sine vllius emolumenti spe sola virtute ad bene merendum, de alijs induci.

Pax externa.

PAX cunctis est placida, non quærit alienum, nihil deputat suum: docet amare, quæ odisse non nouit: nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo qui accepit, teneat: qui perdidit, repetat: qui amisit, requirat: quoniam qui in ea non fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exhæredatur à filio, nihilo minus à Spiritu sancto efficitur alienus. August. de verbis Domini. *August.*

Quisquis corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed non laudat in choro. Hierony. super Epistolam ad Romanos. *Hierony.*

Hieronymus super illud Psal. Quoniam cogitauere vnanimiter &c. Infœlix inquit populus Dei non potest in bono tantã habere concordiam, quantam mali habent in malo. *Psal. 82.*

Pacis primum fundamentum est, substantiam mundialem in contemptu habere. Iniustum enim atque impium est, si post ab renuntiatam mundi & omnia, quæ in eo sunt vanitatem, pretiosissimæ dilectioni fratris suppellex vilissima præferatur. Secundum est, vt vnusquisque suas resecet voluntates: ne se sapientem atque consultum esse iudicans, suis malit quàm fratris diffinitionibus obedire. *Cassia.*

obedire. Tertium est, vt sciat omnia etiam quæ vtilia, ac necessaria æstimat, postponenda bono charitatis & pacis. Quartum est, vt credat nec iustis nec iniustis de causis penitus irascendũ. Quintum, vt aduersus se iracundiam fratris etiam sine ratione conceptam, eo modo quo suam curare desideret. Casia. in Collatione abbatis Ioseph.

Philon. Pax vel cum magno damno coniuncta, vtilior bello.

Isocrates. Praua ingenia eadem solent esse & contentiosa: vt non prius finem faciant pugnæ & contentionis, quàm lætalem acceperint plagam.

Q. Curti. Seditionis maiora sunt damna, quam remedia. *Boetius.* Nostine igitur, quòd omne quod est, tamdiu manere atque subsistere solet, quãdiu sit vnum: sed interire, atque dissolui pariter quando vnum esse desierit. Boetius lib. 4.

COLLE. *Proue. 6.* ¶ Contra eos qui iniquis artibus dissidiorum & factionum causæ sunt, plurimum faciunt illa Salomonis verba, Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius: oculos sublimes, &c. ac tandem septimo loco addit, eum qui seminat discordias inter fratres. Cum enim pessimis rebus longe peius sit quòd Dominus detestetur, cum cætera solum oderit, apparet quantum sit malum, quod tam magna mala superet. Cum enim diuina bonitas tanta charitate homines prosequatur, quid mirum si eos abominetur, qui ita lædunt, quos ipse tantopere diligit, quorumque saluti perpetuo inuigilat, imo pro quibus sanguinem fudit? *Galat. 5.* In hoc quoque illa Apostoli verba quadrant. Vtinam abscindantur qui vos conturbant. Et item, Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicunque est ille.

Quisquis pacem diu, & misericordiam retinere vult, prudẽtissimum illud Salomonis consilium sequatur qui ait, *Prou. 20.* Honor est homini, qui separat se à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumelijs. Et iterum, Sicut qui apprehendit auribus Canem: sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius. Sicut enim is qui furentem Canem auribus prehensum tenet, nec dimittere illum, nec retinere potest, ita qui irato animo alterius rixæ commiscetur, partim alieno conuitio, partim suo affectu ita detinetur, vt vix se inde explicare queat.

Tanta

Tanta veræ pacis dignitas est, vt cum cæteras virtutes literæ sanctæ sequendas esse doceant, hanc vero vnam sequendam, & persequendam. Sic enim Propheta, Inquire pacem, & persequere eam. Hinc illud Apostoli, Si fieri potest quod in vobis est, cũ omnibus hominibus pacem habentes. *Psal.* 55. *Psal.* 12.

Quam sit arduum atque difficile id præstare, quod Apostolus à nobis exigit, nempe vt idipsum dicamus omnes, simusque perfecti in eodem sensu, eademque sententia, non obscure insinuauit Propheta, cum dicit, hoc esse proprium Dei opus, Ait enim, Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo. Vere enim supra naturam est, dissimiles animos in vnam coire voluntatem atque sententiam. Quæ sit vero huius pacis & vnitatis vtilitas, declarat idem Propheta cum ait, Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres, & cætera. Sicut vnguentum in capite, &c. Sicut ros Hermon qui descendit. i. m. S. Quibus verbis comparat concordiam vnguento suauissimo: quo illiniebantur Sacerdotes, & rori Hermon, qui descendens in montem Sion loca illa feracia & vberrima reddit. Quorum illud ad suauitatem odoris boni nominis, hoc vero ad fructum & vtilitatem refertur: vtrumque enim hæc vnanimitas præstat. I. Cor. I. *Psal.* 97. *Psal.* 132.

Quomodo implere propheticum illud consilium debeamus, Inquire pacem, & persequere eam: apertissime Sanctus Abrahã ostendit, qui propter pastorum suorum rixas cum pastoribus fratris ait, Ne quæso sit iurgium inter pastores tuos, & pastores meos. Ecce vniuersa terra corã te est, si tu ad dexteram ieris, ego sinistram tenebo, &c. Itaque sui rerumque suarum negligens, optionem fratri dedit, vt commodiora loca eligeret: ipse quauis vel iniquiore sorte contentus: modo pacis fœdera inuiolata seruarentur. *Psal.* 33. *Gene.* 13.

Pax interna.

QVI iræ seruit, qui luxuriæ, qui superbiæ innumerabilem exercitum intus patitur. Econtra vir bonus, quia omnia ista contemnit, magna mentis tranquillitate perfruitur. Gregor. mor. lib. 4. cap. 23. *Gregor.*

Prauæ

Prauæ mentes tumultus intra se versare non cessant, etiam cũ vacant: seruant enim in cogitatione depicta quæ amant: & quanuis nihil faciant exterius, apud se tamen sub pondere inquietæ quietis laborant. Piæ vero mentes, & cum desunt, non quærunt, & cum adsunt, ferunt grauiter. Gregor. moral. lib. 5. cap. 6.

Iob. 3. Gregorius super illud Iob. 3. Qui ædificant sibi solitudines. Sic ait, Sancti viri, quia nihil huius mundi appetunt, nullis proculdubio in corde tumultibus premuntur. Omnes quippe inordinatos desideriorum motus à cubili cordis manu Sanctæ cõsiderationis eijciunt: & quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur: Solam nanque æternam patriam appetunt: & quia nulla huius mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur: Vnde & recte dicitur. Qui ædificant sibi solitudines. Solitudines quippe ædificare est, à secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere: & intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. An non cunctos à se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat, *Psal. 26.* Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ? A frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat, & ad magnam solitudinem semetipsum contulerat. A tumultu rerum corporalium magnum quendam secessum petierat hoc est quietam mentem: in qua tanto purius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inueniret. Gregor. mor. libro. 4.

August. Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Augusti. de verbis Domini.

Super illud Psalmi. 84. iustitia & pax osculatæ sunt. Duæ sunt inquit amicæ, iustitia & pax. Tu forte vnam vis, & alteram non facis. Nemo enim est qui non velit pacem: sed non omnes volunt operari iustitiam. Interroga omnes homines, Vis pacem? vno ore respondebit tibi genus humanum, opto, cupio, amo, volo. Ama iustitiam, quia duæ amicæ sunt, iustitia & pax: Ipsæ se osculantur. Si amicam pacis nõ amaueris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Idem.

¶ Fides

¶Fides non impedita, ad amorem Dei, & spem viam munit. COLLE.
Ex amore autem gaudium, ex spe vero (charitate formata) pax oritur: dum homo per spem firmiter Deo nixus, nihil habet quod vel timere, vel cur perturbari debeat: quoniam cœlesti præsidio fultus, sæculo iam maior effectus est. Vnde Dominus ait, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Non turbeatur cor vestrum, neque formidet: quia videlicet ego vobis adhero: hoc enim est, quod ait. Vado & venio ad vos. Quod Helisæus euidenter ostendit, qui ab exercitu Syro obsessus, intrepidus permanebat, propter spem quam in Deo repositam habebat. *Ioã.* 14. 4.*Reg.*6.

Qui (inquit) me audierit, absque terrore erit, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato. Hoc pacis & internæ quietis maximum bonum Scripturæ passim pijs pollicentur. Vnde paulo inferius intulit idem Salomon, Custodi legem atque consilium: & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua & pes tuus non impinget. Cum dormieris non timebis, quiesces, & suauis erit tibi somnus. *Prou.* 28. *Prou.* 3.

Perfectam hostium, & cupiditatum nostrarum victoriã (quatenus in hac communi fragilitate fieri potest) diuina gratia præstat. Quod Psalmista testatur, cum de hisce hostibus suis ait, Et comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos. Item Esai. 41. Quæres eos, & non inuenies viros rebelles tibi. Erunt, quasi non sint, & quasi consumptio hominis bellantis aduersum te. Per Ezechielem vero Dominus pollicetur dicens, Et scient, quia ego Dominus, cùm contriuero cathenas iugi eorum: & eruero eos de manu imperantium sibi. His autem internis hostibus domitis, vera pax, veraque spiritus libertas in anima iusti dominatur. *Psal.* 17. *Isai.* 41. *Ezec.* 34.

Esse valde mirabilem eam pacem, & animi tranquillitatem, qua perfecti viri ope diuina freti, in tribulatione fruuntur, declarant illa verba Psal. 65. Venite & videte opera Dei, terribilis in cõsilijs super filios hominum. Qui cõuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi le.i.i. Quem locum in Martyrum natalitijs exponit Ecclesia, cùm ait. Sancti tui Domine mirabile consecuti

ſecuti ſunt iter,ſeruientes præceptis tuis:vt inuenirentur illæſi in aquis validis,terra apparuit arida,& in mari rubro via ſine impedimento.An non in fluctibus & mari hanc viam inuenerat, qui
Philip. 2. in carcere vinctus,poſita ante oculos morte dicebat. Sed & ſi immolor ſuper ſacrificium fidei veſtræ,in hoc gaudeo,& congratulor omnibus vobis.Id ipſum vos congaudete , & congratulamini mihi.Hoc autem diuinæ gratiæ miraculum ſtupens Propheta di-
Abac. 3. cebat. Viam feciſti in mari equis tuis.i.l.a.m.Audiui, & conturbatus eſt venter meus,à voce contremuerunt.l.m.Idem etiam Propheta deſignauit,cum expoſita iactatione ſæcularium hominum,
Pſal. 106 de ijſdem poſt hauſtum Dei ſpiritum ſubdit,Et ſtatuit procellam eius in auram:ſiue vt Hierony.ex Hebræo vertit, Statuit turbinẽ eius in tranquillitatem, ſiluerunt fluctus eius:lætabuntur, quoniã quieuerunt,& deducet eos ad portum quem voluerunt.

Quàm pacata & fœlix ſit eorum vita,qui ſe totos diuinarum legum obſequio manciparunt, declarant illa Prophetæ verba,
*Pſal.*108. Et ambulabam in latitudine:quia mandata tua exquiſiui. Cum corda terrenis rebus per amorem affixa, varijs curis & deſiderijs angantur (eſt enim res ſoliciti plena timoris amor) piorum tamen corda,quæ in cœleſtium rerum amore affixa ſunt, quique omnem ſolicitudinem ſuam in Deum proiecerunt,in magna pace & tranquillitate degunt. Vnde eſt illud Auguſtini de cœleſti præmio loquentis,Ibi ſit mens,& hic erit requies.Qui enim deſiderijs ſuis modum poſuit : curis etiam & anxietatibus,& iræ modum poſuit.Cum enim vis ea quæ dicitur iraſcibilis, læſæ concupiſcentiæ vindex ſit,ſublata vel certe ſopita concupiſcentia , non eſt cur iraſcendi vis ſolicitari,angi,atque ſæuire debeat. Denique illud conſtat,omnes animi noſtri affectus (qui vndecim à Philoſophis numerantur)ab vno amore proficiſci:eiuſque velut ſatelites & commilitones eſſe:qui eo tendunt, quo ille tendit. Vnde eſt illud Auguſtini.Pondus meum,amor meus,eò feror,quocunque feror.Itaque ſi amor ad ſola interna & ſpiritualia (quæ nemo auferre poteſt)feratur,tranquilla ſunt omnia:ſi verò ad externa, quæ in aliena poteſtate ſunt,varijs modis angitur , & diuerbera-
Ioan. 16. tur.Vnde illud conſequitur,quod Saluator ait,In mundo preſſuram ſuſtinebitis,in me autem pacem.In pace autem eſſe , id eſt in latitudine ambulare. Ad eandem ſententiam pertinet & illud,

Statuisti in loco spatioso pedes meos. Et, in tribulatione dilatasti mihi. Et illud item, omnis consummationis vidi finem: latum mãdatum tuum nimis. Hoc est, vidi rerum omnium, atque desideriorum, & laborum humanorũ finẽ: quæ omnia ad fœlicitatem, & latitudinem cordis destinantur, deprehendique latum mandatum tuum nimis, hoc est, maximam cordis latitudinem & pacem in sola mandatorum tuorum obedientia sitam esse. Insaniunt ergo, qui iustitiæ cultu relicto, pacem & tranquillitatem animi se in bonis externis inuenturos putant. Hinc Melchisedech, rex iustitiæ, idemque rex pacis appellatur. Quisquis iustitiam habet, eius quoque comite pace carere non potest. *Psal. 30.* *Psal. 4.* *Psal. 118.*

Quàm sit placida & iucunda piorum vita, paucis Propheta comprehendit, cum ait. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Quo in loco glossa quædam sic ait. Amantes legũ diuinarum Deo charissimi sunt: eoque fauente, in tempestate quiescunt, in tenebris vident, ex rebus nocentibus vtilitatem capiunt, honores, opes, vitamque ipsam, vno Deo contenti, cõtemnunt. Qua quidem re omnia pacis offendicula è medio tollunt: cùm pro hisce rebus parandis, & conseruandis homines ad sanguinẽ vsq; decertare soleãt: quas qui cõtẽnit, nihil habet, pro quo digladietur. Non est autẽ illis scandalum: quia spiritus Christi in animis eorum infusus, viam virtutis planam, & facilem reddit: atque omne impedimentum de medio remouet. Non illi falsis opinionibus inducti, à virtute descifcunt, non malefacta alterius intolleranter ferunt. Quin potius imbecillitatem fragilitatemque humani generis miserantur: & multa accipiunt in melorem partem. Ad summam, aliena peccata legũ diuinarum cultores non solum non impediunt, sed etiam ad virtutem iuuant. Deus enim suos hoc pulcherrimo domo afficit, vt omnia illis ad beatam vitam cõsequendam sint vtilia. Quæ igitur opes, quæ imperia, aut quæ voluptates cùm hoc cœlestis vitæ statu, ac tàm dulci pace, & trãquillitate animi sint conferendæ? sunt & alia huius pacis in literis sanctis non minus illustria testimonia: quale est illud vtinam attendisses ad mandata mea: fuisset quasi flumen pax tua: &c. Item si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram. Contrà verò de improbis dicitur, contritio & infœlicitas in vijs corũ, & viam pacis non cognouerunt. *Psal. 118.* *Esai. 48.* *Baruc. 3.* *Psalm. 13.*

Ex

Ex interna illa pace, quæ prægustationem quandam continet æternæ pacis & fœlicitatis, omnia virtutum germina prodeunt: sed præcipue tamen fortitudo quędam ad labores omnes propter Deum perferendos, & alienæ salutis studium. Quo enim maius illud bonum est, quo mens fruitur eo magis cupit omnes eius tāti boni participes facere. Hoc autem illa Sponsæ verba designāt,

Canti. 8. Ego murus, & vbera mea quasi turris: ex quo facta sum coram illo quasi pacem reperiens. Muro enim fortitudinem vberibus vero quibus infantes nutriuntur, alienæ salutis curā designant. Hæc autem duo bona assecuta est Sponsa, ex quo ad internam pacem diuino munere peruenit. Quam tamen non plenam pacem, sed quasi pacem appellat: quia nec æterna, neque modis omnibus perfecta in hac vita esse potest.

Colligitur Iosias Rex in pace: quam ei Dominus promisit: qui tamen in bello occisus est: vt intelligamus internam illam pacem, quam pijs Dominus tribuit, neque bellis externis turbari, neque morte auferri. Sic Dominus inuictum & insuperabilem pollicetur Hieremiam futurum: qui tamen à furente populo lapidatus occubuit: quoniam extincto corpore, victor semper animus permansit.

Accidia.

Caſſ. EXperimento probatum est accidiæ impugnationem nō declinando fugiendam, sed resistendo superandam. Cassian. lib. 10. de instit. Monacho.

Ioā. Cli. Accidia est animi remissio, mentis resolutio neglectio vitæ, monasticæ professionis odium. Hæc sæculares beatos dicit, Deū vt in clementem, & immisericordem calumniantur. Est in Psalmodia inualida, in oratione imbecillis, in ministerio ferrea, in opere manuum impigra, in obedientia improba. Clima. Grad. 13.

Cœnobium accidię resistit, viro autem solitario hęc indiuidua in æternum comes est: nec illum ante mortem deseret: quotidieque dum vixerit, illum oppugnabit. Hæc anachoritæ cellam intuita, subrisit: atque appropinquans, iuxtà sibi tabernaculum fixit. Ibidem.

Hospitum susceptionem accidia suggerit, ac per laborem manuum

nuum eleemosynas fieri precatur, visitare infirmos hortatur alacriter: illius admonens, qui in Euangelio dixit, Infirmus eram, & visitastis me. Ad mœrore aliquo affectos ac pusillanimes vt proficiscantur inducit: consolari pusillanimes ipsa pusillanimis suggerens. Ad orationem stantes, necessariæ cuiuspiam rei admonet: omnemque mouet artem, vt inde eos aliquo veluti rationabili fune irrationabilis ipsa retrahat. Ibidem.

Vinciatur & hic Tyrannus (scilicet accidia) à peccatorum memoria: cędatur ab opere manuum: trahatur à futurorum bonorũ intenta cogitatione: adstansque, vt conuenit, interrogetur, Dic nobis o tu remisse atque dissolute, quis te male genuit? aut qui sunt nepotes tui? quive te oppugnantes? vel qui sit interfector tuus? Ille vero percunctantibus ita respondeat. Ego in his qui vere obedientes sunt, non habeo vbi caput reclinem: qui verò mihi per solitudinis quietem cedunt, cum his vna dego. Quæ mihi nomen dederunt, plurimæ sunt: interdum enim insensibilitas animæ: quandoque vero obliuio cœlestium bonorum: nonnũquam etiam immensa laborum magnitudo. Stirpes vero meæ, locorum mutationes sunt, quæ mecũ fiunt, inobediẽtia spiritualis patris: futuri iudicij obliuio, nõnunquã etiã professionis derelictio. Porro aduersariæ meę, à quibus nũc vinctus teneor, Psalmodia operi manuũ cõiuncta: mortisq; memoria: quæ vero me penitus necat, oratio est, adiuncta futurorum bonorũ firmissimæ spei. Idem, ibidẽ.

Sicut per naturam viui absque cibo non potest, ita & ei, qui saluari cupit, ad mortem vsque, vel ad breue momentum negligere non licet. Idem in compen. supra dict.

In periculoso negotio non est dormitandum.

Innumera mala parit securitas. *Ex diuersis.*

Negligentia semper habet comitem infœlicitatem.

Noui accidiæ spiritum præparare ac præire fornicationis spiritum solere: vt valide corpus resoluens, ac in somnum pręcipitans, per somnum inquinationes quiescentibus inducat.

Negligentia nascitur plerunque ex re bene gesta. *T. Liuius.*

Diligentia, Feruor Spiritus.

DIligentia in omnibus rebus plurimum valet. Hæc præcipue colenda est nobis, hæc semper adhibenda, hæc, nihil est quod *Cicero.*

non assequatur:qua vna virtute omnes reliquæ virtutes continētur. Cicero lib.2.Oratore.

Marcus Crassus in oratione quam cōtra Collegam Censor habuit, dicebat. Quæ natura aut fortuna darentur hominibus in his se vinci posse animo æquo pati. Quæ autem ipsi sibi homines parare possent, in ijs rebus, se pati vinci non posse. Idem ibidem.

COLLE. ¶ Quemadmodum qui cōtra aduersantis aquæ & auræ impetum nauigant, continuo remigandi labore egent: vbi autem vel paululum cessauerint, vis aquæ decurrentis & auræ impetus eos retrocedere compellunt: ita oportet nos continue ad virtutis studium aspirare, & solicitè supra custodiam nostri vigilare: vbi enim paululum hæc cura remissa fuerit, illico mortalitatis nostræ pondere ad terrena deijcimur. Quanuis enim spiritus noster sponte sua ad spiritualia, & cœlestia tendat, caro tamen cui cōiunctus est, illum ad inferiora deflectit: quod in facula accensa videre licet: cuius cum flamma ad sublimia nitatur, nisi tamen illam in sublimi suspensam teneas, protinus pondere materiæ, cui inhæret, ad ima ruit. Redeunt quippe facile in suam naturam omnia: & peregrina & aliunde insita repudiant. Idem quoque in natura nostra videre est, quæ ad malum per peccatum prona, ægre ad virtutem assurgit, protinusque si negligentius agas, ad ingenium redit.

Eccl. 9. Omni tempore vestimenta tua candida sint. Quemadmodum, qui puras ab omni sorde vestes gestare semper cupiunt, perpetuā quandam curam secum gerunt, prospicientes quo in loco sedeāt, quid manibus contingāt: ne vestes vlla occasione sordibus inquinentur: ita qui puritati conscientiæ studet, continua quadam solicitudine & vigilantia attendere debet, quid agat, quid cogitet, quid moliatur, quidque in operibus suis intendat: ne vlla in re ab honesto deflectat, & animam suam aliqua peccati labe respergat.

Quo studio, & feruore vir pius in omni bono opere incumbere debeat, declarant illa verba Sapien. 7. Omnibus enim mobilibus mobilior est Sapientia: quæ videlicet alumnos suos facit velut flamma ignis, qui inter elementa omnia velocissimus est. Ani-
Ezec.1. malia item illa quæ Ezechiel vidit, non solum pennata propter agilitatem esse perhibentur, sed etiam ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. Nescit enim tarda molimina

Spiritus

Spiritus sancti gratia. De eadem etiam Sapientia dicitur, quod attingit à fine vsque ad finem fortiter. Non enim contenta perseuerantes eos in studio virtutis fecisse, facit etiam fortes & infractos. *Sapien. 8.*

Terra sponte quidem sua spinas, & tribulos germinat: fruges autem non nisi assiduo labore culta, & repurgata: sic planè corrupta per peccatũ natura vitiorũ spinas ex se germinat: virtutes autẽ nisi studio & labore iuuetur, minime profert. Itaque malitiæ caussam permanentem habemus, idque intra nos: virtutis autẽ & pietatis aliunde venientẽ, atq; extra nos. Quantã ergo vigilantiã adhibere conuenit, vt in tam corrupta natura incorrupte viuamus?

Otiositas, Negligentia, Pigritia.

FVgienda otiositas, mater nugarum, nouerca virtutum. Inter seculares quippe nugæ, nugæ sunt: inter sacerdotes blasphemiæ. Interdum tamen si incidant, ferendæ fortassis: referendæ nunquam. Bernar. de considerat. *Bernar.*

Mens otiosa nihil aliud cogitare nouit, quam de escis, atque de ventre. Cassia. lib. 10. de spiritu accidiæ. *Cassia.*

Quis putas erit eiusmodi, qui tempus suum omne tam pie, ac religiose in monastica conuersatione consumpsit, vt nullum diẽ, nullam horam, nullum momentum, aliquando perdiderit, quod non in diuino seruitio, & religiosis operibus expenderit: id apud se iugiter, ac solicite reputans, possibile non esse eundem diem bis in vita conspicere? Ioannes Climacus de luctu. Gradu. 7. *Ioan. Cli.*

Finem, qui quæris amori, *Ouid.*
Cædit amor rebus: res age, tutus eris. *Ex diuersis.*

Indigentia ex segnitie nascitur.

Otium est sentina malorum.

Otium est ingenij rubigo.

Portus penuriæ est hominibus ars.

Quærendi defatigatio turpis est, cum id, quod quæritur, sit pulcherrimum. Cicero. 2. de finibus. *Cicero.*

¶Scriptura sacra non solum præstantia doctrinæ, sed modo & ratione docendi, scripturas omnes lõge antecellit. In quo illud in primis spectandũ esse videtur: ꝙ quæ maxime fieri cõuenit, ea fre- COLLE.

quentiſsime repetit, vt altius piorum animis infigat, quod maxime gerendum ſit. Sicut enim venatorum Canes, cum ad alicuius cubilis hoſtium vehementius latrant, nec ab eo diuelli poſſunt, prædam ibi latitare indicant: ita cum Scriptura frequentiſsime vno in loco commoratur, & idem iterum, atque iterum, alijs in locis repetit & inculcat, aliquid ſine dubio ſingulare maximeque neceſſarium ibi eſſe declarat. Scitum eſt enim omnibus in rebus diligētiam, ſtudium, atque laborem plurimum poſſe: imo ab hoc fonte omnes artes & diſciplinas prodijſſe (quod videlicet labor omnia vincat improbus) contra vero inertiam & negligentiam, iacturarum omnium atque malorum altricem eſſe. Quod cum in alijs rebus omnibus, tum vel maxime in ſtudio & in acquiſitione virtutum perſpicitur. Id animaduertens ſapientiſsimus Salomon, dictu mirum eſt, quoties in exiguo Prouerbiorum libello opportune, & importune laborem, & diligentiam commendet, & pigritiam atque inertiam deteſtetur. Si enim vnum in locum omnia quæ hac de re dicenda putauerat, congeſiſſet, faſtidium legentibus ingeneraret. Ideoque diuerſis in locis, idque ſub diuerſis tum nominibus, tum rationibus, tum metaphoris eandem repetit ſententiam. Hac autem ratione intelligent, qui ſe totos virtutum, & perfectionis ſtudio dediderunt, quanto opere omnem à ſe inertiam & negligentiam excutere: quantumque in hoc pulcherrimo virtutum ſtudio laboris, ſtudij, & ſolertiæ ponere debeant. 6. Igitur Prouerbiorum cap. 6. his verbis aduerſus pigrum inuehitur: Vade ad formicam piger &c. Et, Vſquequo piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo? &c. Si vero impiger fueris, veniet vt fons meſsis tua, & egeſtas longe fugiet à te. Item Prouer. 9. Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, manus autem fortium, diuitias parat. Et infrà. Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt: qui autē ſtertit æſtate, filius confuſionis. Item infra. 10. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt illum. Item. 15. Bene conſurgit diluculo, qui quærit bona. Item. 12. Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus: qui autem ſectatur otium, ſtultiſsimus eſt. Idemque ibidem, Manus fortium dominabitur: quæ autē remiſſa eſt, tributis ſeruiet. Item. 19. Pigredo immittit ſoporē, anima diſſoluta eſuriet. Item. 20. Noli diligere ſomnum ne te egeſtas opprimat. Item. 21. Cogitationes robuſti, ſemper in abundantia:

omnis

omnis autem piger in egestate est. Item. 21. Desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quicquam manus eius operari. Tota die concupiscit, & desiderat, qui autem iustus est, tribuet, & non cessabit. Item. 22. Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, & non erit, ante ignobilis. Præcipuus autē cōtra pigros locus habetur. 24. qui incipit, Per agrū hominis pigri transiui, & per vineā, & cætera quæ sequuntur: vsque ad finē capitis. Quòd vero in fine huius capitis ait, Veniet tibi quasi cursor egestas, & mendicitas quasi vir armatus, duo innuere videtur: nēpe quod paulatim inertiæ atque socordiæ habitus generetur: quemadmodū cursor multiplicatis gressibus eò quo tendit, peruenire solet. Deinde ꝙ hic ipse habitus, vbi diutina cōsuetudine cōfirmatus est, quasi vir armatus penè insuperabilis fit. Potest etiā cursoris nomine improuisa, & inexpectata, vel certe accelerata animę ruina designari. Nec his contentus. Idem. 26. ait, Dicit piger. Leo est in via: in medio platearū occidendus sum. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. Et, Abscondit piger manum sub ascella: nec ad os suum applicat eam. Iam vero vbi. 31. mulierē fortem describit inter præcipuas eius laudes fortitudinem, ac diligentiā numerat, quæ inertiæ, & languori contraria sunt. Vnde ait, Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachiū suum. Et iterum, Fortitudo & decor indumentum eius: quia videlicet in omnibus operibus suis se fortiter ac modeste gerit: atque hoc veluti pallio se, & omnia opera sua, vestit & ornat: vtpote in qua nihil languidū, aut incōpositum, siue indecorū appareat. Iam verò quod ait, De nocte surrexit, &c. Et, Syndonem fecit, & vendidit. Et, Considerauit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum plantauit vineā: & quæ sequuntur: quid hic nisi solertiæ diligentiæ & fortitudinis opera commendat? Quis est autem qui hac eadem sententia toties tam multis rationibus à Spiritu sancto repetita, non sibi certissime persuadeat totius vitæ spiritualis pestem esse languorē & inertiam: contraque summum eius incitamentum, & fundamentum esse studium, fortitudinem, atque diligentiam? quę vt omniū artium, ita etiam virtutum omnium parens est.

Multam malitiam docuit otiositas. Terra exculta illum solummodo fructum reddit, quem ei cōmiseris, siue triticum, siue ordeum. At, quæ inculta & otiosa est, varia spinarum & tribulorum *Eccl. 33.*

 germina

germina pro libidine fundit:ita &c.

Proue.15. Iter pigrorum, quasi sepes spinarum:via iustorum absque offendiculo. Item, pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Feruore enim dilectionis facile quidquid eos in via Dei remorari potuisset, superant: quo cum pigri careant, vbique hærent, vbique velut à spinis obiectis læduntur: & ita à cursu boni operis facile retardantur. Semper queruli, semper anxij, omnia aspera, omnia acerba, & molesta iudicantes.

Prou. 18. Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. His verbis negligentia hominum damnatur. Virtus enim odit inertes. Vnde consequens est, vt qui mollis est, ad virtutem aspirare non possit.

Apoc.3. Vtinam esses calidus aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Magnam dubitandi causam verba hæc prębent. Cur enim potius sit frigidum esse quàm tepidum, cum tamen tepidus calido propinquior sit. Quantum autem coniectura colligere possum, tepidus mihi esse videtur, qui quanuis in gratia sit, adeò tamen negligenter & segniter se gerit, adeoque spiritualibus exercitijs destitutus est, vt facile quauis tentatione paulo vehementiore oblata, à statu suo deijciatur. Quem quidē statū designat domus illa, quā Dæmones vacantē, & scopis mūdatā inuenerunt: hoc est, dispositā atque paratā, vt eam inuaderent, & occuparent. Tales ergo tepidi sunt, quos Dn̄s quanuis à pectore suo nondum euomuerit, iam tamen cœpit euomere: cū eos iusto suo iudicio negligētius viuere, & in multa delicta labi permittit: quæ quanuis magna non sint, aditum tamen ad maiora præbent. Possumus etiam eos tepidos appellare, qui externis quibusdam religionis operibus instructi sunt: quibus se aliquid esse persuadent, cum tamen interna iustitia vacui sint: qualis erat Pharisæus ille, qui orans aiebat, Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, &c.

Matt.12.

Lucæ. 18.

Contra otium & inertiam pro studio atque labore nonnulla inuenies Ecclesiast.34. Cibaria, & virga, & onus asino: panis & disciplina, & opus seruo. Iugum & lorum curuant collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ. Seruo maleuolo, tortura & compedes: mitte illum in operationem ne vacet: multam enim malitiam docuit otiositas. Hæc omnia ad corporis nostri tractationem

tionem referri commode possunt: quod (vt Seneca ait) durius tractandum est, & varijs laboribus exercendum, ne delicijs & otio torpeat, & aduersus spiritum insurgat. Contra aliter facientes, clamat Dn̄s per Prophetam. Vsque quo delicijs dissolueris filia vaga? *Hiere.31.*

Dormiente Saule, & seruis eius, Dauid hastam & sciphum surripit. Hastæ nomine quæ à longe ferit, orationẽ quæ in terris effusa, in cœlis operatur: Sciphi vero, quo aquam bibimus, Sacram lectionẽ conuenienter accipimus. Aqua enim in litteris sanctis pro Sapientia ponitur. Hæc ergo duo, vitæ spiritualis adiumenta negligentibus, & in via Dei dormitantibus surripere Dæmon solet.

Occupatio immoderata.

QVid de se intrinsecus agatur, cor nostrum obliuiscitur dum extrinsecus occupatur. Gregorius vigesimoquinto moralium capite.8. *Gregor.*

Sæpe Deus, quos tenere diligit, ab externis actionibus abscondit. Gregor.25.mor.cap.22.

Vt tabernaculum cilicio, & pellibus tegebatur, intus autẽ bysso coruscabat: ita prælati tegunt eos qui deuotionis teneritudini dediti sunt. Greg.25.mor.cap.22.

¶ Quidam sic terrenis curis, vel proximorum negotijs implicantur, vt nullum animæ suæ quieti, & vacationi locum relinquant. Alij vero hoc temperamento aliorum negotia curant, vt salutem suam non negligant, sed otium quotidie sibi ad vacandum Deo eligant, seque ipsos intra se colligant, & recipiant: Illi igitur per coruum qui ex arca egressus, ad eam non est reuersus, hi vero per columbam (quæ ad arcam regressa, virentis oliuæ ramum in ore tulit, quod pietatis, & misericordiæ indicium est) designantur. Vtraque ergo res istis fœliciter cedit, dum egrediuntur, ac misericordiæ merita congerunt: & dum regrediuntur, & diuinæ dulcedinis quiete perfruuntur. Hinc sancta illa Ezechielis animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulgoris coruscantis. *COLL.* *Ezech. 1.*

Isti sunt qui salutare illud prudensque Ecclesiast.29. consilium amplectuntur, Recupera proximum secundum virtutem tuam,

& attende tibi ne incidas. Hinc Apost. Timotheo, Attende ait tibi & doctrinæ. Hoc enim modo & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. Hac enim moderatione vir pius, ac præcipue doctrinæ minister aliorum curam gerat, vt priori etiam loco sui curā non negligat.

Misericordia, Eleemosyna.

Gregor. TVnc plena cordis nostri compassio est, cum mala inopiæ proximi suscipere non metuimus vt illum à passione liberem⁹. Plus est aliquādo cōpati ex corde, quā dare, quia quisquis indigēti perfecte cōpatitur minus æstimat omne, quod dat, & rē quālibet plerumque dat, qui non cōpatitur. Greg. lib. 20. mor.

Tanto quisque perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos. Greg. 19. mor.

Sic mens per compassionem doleat, vt & larga manus affectū doloris ostendat. Greg. in homil.

Qui indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam à nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, & se peccato. Hoc quod minus est, obtulit authori, & hoc quod maius est, seruauit iniquitati. Greg. 19. moral.

Ille perfectè tribuit, qui cum eo quod afflicto porrigit, afflicti quoque animum in se sumit, vt prius in se dolentis passionem transferat, & tunc contra dolorem illius per ministeriū concurrat. Greg. vbi supr.

Gregor. super illud Iob. 27. Diues cùm dormierit, nihil secum auferet: sic ait: Tolleret tunc res secum, si ad petentis vocem sibi tulisset: nam terrena seruando, amittimus: largiendo seruamus. Diu cū rebus nostris durare non possumus: agēdū ergo vt res perituras, in nō peritură faciamus transire mercedē. Mor. 18. c. 10.

Diues epulo serò oculos aperuit, compulsus in damnatione cognoscere quid perdidit, quando Lazarum non agnouit. Iustè autem qui de abundantia peccauit, æstuanti crematur inopia: guttā aquæ petijt, qui micas panis negauit. Greg. mor. 18. c. 10.

Cùm suppetunt temporalia, celerius dantis manus dationem inuenit, quàm animus dolorem. Ille ergo perfectè tribuit, qui cùm pecuniam afflicto porrigit, eius in se animum sumit. Grego. 20. mor. c. 27.

Tunc

Tunc plena est cordis compassio, cum inopiam pro proximo suscipere non metuimus, vt illum liberemus. Quare Christus nequaquam nobis vim suæ dilectionis ostenderet, si hoc quod à nobis tulit, non ad tempus ipse sustineret. Greg. vbi suprà.

Qui exteriora largitur, rem extra se positam tribuit: qui autem fletum aut compassionem, aliquid sui ipsius dat. Gregor. vbi suprà.

Gregor. super illud Iob.31. Si comedi bucellam, sic ait: Pietati se præiudicium facere existimat, si solus comederet, quod Dominus omnium communiter creasset. 21. mor. c. 12.

Quidam prius pauperum contumelijs afficiunt, quam dent eleemosynam. Videtur ergo quòd illatæ iniuriæ satisfactionem soluunt, dum dona largiuntur. Greg. 21. mor. c. 13.

Gregor. super illud Luc. 16. Vt cùm defeceritis, recipiant vos, &c. sic ait: Ergo patronis potius munera offerimns, quàm egenis largiamur. 21. mor. c. 14.

Cùm pauperes conspicimus, quanta nobis desint interiora pensemus, quatenus sese cogitatio nostra super inopes nó eleuet, cùm videt, quòd quanto interius, tantò verius pauperes sumus. Greg. 21. mor. c. 14.

Gregor. super illud Iob. 31. Si despexi prætereuntem, &c. sic ait: Nempe quia apud piam mentem plus natura valet, quàm notitia. Qui enim indiget, eo ipso quo est homo, ei non est ignotus. 21. mor. c. 14.

Gregor. homi. 27. in Euangelia super his verbis. Et fructus vester maneat, sic ait: Omne quod secundum præsens seculum laboramus, vix vsque ad mortem sufficit. Mors namque interueniens fructum nostri laboris ascindit. Quod verò pro æterna vita agitur, etiam post morté seruatur. Et túc apparere incipit, cum laborum carnalium fructus cœperit non videri. Ibi ergo illa retributio inchoat, vbi ista terminatur. Tales fructus operemur qui maneant: tales fructus operemur, qui (cùm mors cuncta interimat) ipsi exordium à morte sumant. Nam quod à morte incipiat fructus Dei, testatur Propheta, qui dicit: Cùm dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini. *Psal. 126.* Omnis qui dormit in morte, perdit hæreditatem terrenam: sed cùm dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Dñi: quia electi Dei post-

quam peruenerint ad mortem, tunc inueniunt hæreditatem. Greg.vbi sup.

Terrena omnia seruando amittimus, largiendo seruamus. Idem.

August. Memento quid purpurato diuiti contigerit: qui non ideò damnatus est, quòd aliena tulerit, sed quòd egenti pauperi sua nõ tribuerit: & in inferno positus ad petenda minima peruenit, qui hic parua negauit. August. de Conflictu vit.

Qui dat eleemosynam, vt careat tædio interpellantis, non vt reficiat viscera indigentis, & rem & meritum perdit. Idem super Psalm.

Ante Dei oculos nunquam est vacua manus à munere, si arca cordis plena est bona voluntate. Idem super Ioan. in hom.

Hiero. Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libẽter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores: & impossibile est multorum preces non exaudiri. Hiero. ad Nepot.

Sanctus Exuperius Tholosanę vrbis Episcopus, esuriens pascit alios: & ore pallente ieiunijs, fame torquetur aliena: omnemque substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat vitro: qui auaritiam eiecit à templo, & cathedras vendentium euertit. Idem in Epist. ad Rust. monach.

Velimus nolimus senescimus. Paret sibi viaticum, quod longo itineri necessarium est. Secum portet quod inuitus dimissurus est: imò præmittat in cœlum, quod si negauerit, terra sumptura est. Idem ad Furiam.

Beata Paula pauperes omnes ac debiles curiosissimè tota vrbe perquirens, damnum putabat, si quisquam eorum cibo sustentaretur alieno. Spoliabat filios, & inter obiurgantes propinquos, maiorem se eis hæreditatem Christi misericordiam dimittere loquebatur. Et mox. Fateor errorem meum, cùm in largiendo esset profusior, arguebam, illud proferens de Apostolo, Non vt alijs refrigerium, nobis autem tribulatio. Et, Qui habet duas tunicas, &c. Illa contrà testem inuocabat Deum, se hoc habere voti, vt mendicans moreretur: vt vnum numum filiæ non dimitteret, & in funere suo aliena syndone inuolueretur. Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra ac

2. Cor. 8.

Luc. 3.

seculo transituri sunt: sed in viuis lapidibus, de quibus in Apocaly. ciuitas magni Regis extruitur: quos in saphyrum, & smaragdum, & iaspidem esse vertendos Scriptura commemorat. Idem in Epitaph. Paulæ.

Misericordia non de meritis iudicare consueuit, sed necessitatibus subuenire: iuuare pauperem, non examinare iustitiam. Ambro. in Epist. *Ambros.*

Affectus dantis, collatorem aut diuitem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit. Idem de offi.

Aurum Ecclesia habet nō vt seruet, sed vt eroget, & subueniat etiam necessitatibus. Idem ibidem.

Necessitates aliorum quantum possumus iuuemus, & plus interdum quam possumus. Nihil tam secundum naturam est, quàm iuuare consortem naturæ. Idem de offi.

Si non potest alteri subueniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quam grauari alterum. Idem ibidem.

Non minoris est criminis, habenti tollere, quàm cùm possis & habes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum, quod tu includis: miserorum redemptio & absolutio pecunia, quam tu in terra fodis: tantorum scias te inuadere bona, quantis possis præstare, & nolis. Non sunt bona hominis quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum. Idem in quodam sermone.

Super illud, Dormierunt somnum, &c. Hoc est dicere: Nihil inuenerunt in operibus suis diuites, qui nihil pauperibus contulerunt. Nullius iuuerunt inopiam, nihil ad vtilitatem suam proficiẽtes reperire potuerunt. Idem. *Psal. 75.*

O vanitas vanitatum, sed non vanior quàm insanior! Fulget Ecclesia in parietibus, & eget in pauperibus: suos lapides auro induit & suos filios nudos deserit: de sumptibus egenorum seruitur oculis diuitum. Bernar. in apolog. *Bernar.*

O insignem paupertatis excellentiā! hæc Dei persona fit, Deus in paupere absconditur, & pauper quidem porrigit manum, Deus autem suscipit quod offertur. Chrysolo. *Pet. Rau.*

Eleemosyna non æstimatur ex mensura largitionis, sed ex animi liberalitate. Idem.

Obturatis auribus diuitis, nihil esset vox vnius clamantis.

Vnde Dominus ad aperiendum cor eius, totum corpus Lazari vlceribus cooperuit, vt tot essent ora clamantia, quot vlcera existentia. Idem in serm. de diuite & Laz.

Super illud Matth. Esuriui, &c. In regno cœli coram omnibus Angelis, in conuentu resurgentium, quòd Abel passus sit, quòd mundum conseruauit Noe, quòd Abraham fidem seruauit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus crucem Iesu primus ascendit, Deus tacet: & clamat solum, quod pauper commedit dicens: Esuriui, &c. Qui enim misericors est, misericordia dignus est. Idẽ in quod. serm.

Fratres, esurit ieiunium, ieiunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. Alget ieiuniũ, ieiunium deficit, quod non eleemosynæ vellus tegit: quod non miserationis operit vestimentum. Fratres, quod est terris ver, *Simil.* hoc misericordiam scimus esse ieiunio. Sicut verni flatus tota faciunt germina florere camporum: ita misericordia tota ieiunij semina producit in florem, in cœlestem messem totam ieiunij facit fructificare virtutem. *Simil.* Quod oleum lucernæ est, hoc ieiunio pietas: sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, & moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere: sic pietas *Simil.* facit splendere ieiunium, & ad totam radiare continentiæ claritatem. Quod diei Sol est, hoc eleemosyna noscitur esse ieiunio. Sicut iubar Solis clariorem perficit diem, & totam nubium dispergit obscuritatem: sic eleemosyna ieiunij sanctificat sanctitatem: totamque cupiditatis mortem lumine pietatis excludit. *Simil.* Ac ne multis immorer, quod est anima corpori, ieiunio largitas hoc habetur. Sicut enim mortificatur corpus, cùm à corpore anima recedit: ita mors est ieiunij largitatis abcessus. Idem de ieiunio & eleemosy.

Manus pauperis Abrahæ sinus est: vbi quicquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus cœli est manus pauperis: quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cœlum. Thesaurizate vobis (inquit) thesauros in cœlo. Manus pauperis est gazophilacium Christi: quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, vt accipias cœlum: da numum, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum: da pauperi, vt des tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non

ri non dederis, habebit alter: Clamat Deus, Misericordiam volo. Qui quod vult Deus, Deo negat, à Deo sibi quod desiderat vult negari. Misericordiam volo. Homo, petit Deus, sed tibi, non sibi. Misericordiam volo. Humanam misericordiam petit, vt largiatur diuinam. Est in cœlis misericordia, ad quam per terrenas misericordias peruenitur. Domine (inquit) in cœlo misericordia tua. Dicturus causam in iudicio Dei, patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiæ certus est, de venia sit securus, de absolutione non dubitet: Beati (inquit) misericordes: quia ipsi misericordiam consequentur. Gratis misericordiã sperat ibi, qui hic non fecerit misericordiam. Qui facit misericordiam, currit ad præmiũ: qui non facit misericordiam, decurrit ad pœnam. Idem ibidem. *Oseæ. 6.* *Psal. 35.* *Matt. 5.*

Nulli paruus est census cui magnus est animus, nec de rei familiaris mensura pendet modus pietatis. Maiora quidem sunt impendia diuitum, & minora mediocrium: sed nec discrepat fructus operum, vbi non deest affectus operantium. Leo Papa in apparit. Domi. *Leo Papa.*

Semper illi quod largiatur occurrit, cui bene velle non deficit. Idem ibidem.

Misericordiæ virtus tanta est, vt sine illa cæteræ, etsi sint, prodesse non possunt. Quanuis enim aliquis fidelis sit & castus & sobrius, & alijs maioribus ornatus insignibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur. Idem in sermo. de apparit. Domin.

Compassio ex virtute est, quando propter Deum alienis doloribus compatimur: cùm scilicet iustitiam premi, vel innocentiam affligi videmus. Compassio ex vitio culpabilis est: compassio ex natura irreprehensibilis est: compassio ex virtute laudabilis est. Prima reprehenditur, tertia laudatur: secunda nec culpam habet, quia ex natura est, nec præmium, quia ex virtute non est. Hugo de. 3. volunt. Christi. *Hugo.*

Differunt misericordia & miseratio, sicut fons & riuulus. Misericordia enim quasi fons est affectus: miseratio quasi riuulus effectus. Idem.

Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa exorabit pro te: orationibus autem & eleemosynis purgantur peccata. Per *Euseb. Emiss.*

vtramque

vtranque ergò rem, sed maximè per eleemosynam, Dei misericordia requirenda est. Oportet itaque vt sibi res vtraque consentiat: illa rogat, hæc imperat: illa quodammodo iudicis audientiam deprecatur, hæc gratiam promeretur: illa ostium pulsat, hæc aperit: illa prodit desiderium, hæc desiderij procurat effectum: illa supplicat, sed supplicantem ista commendat. Deinde Tabithæ exemplum profert, & amplificat. Euseb. Emiss. in homi. de initio Quadrag.

Charitas prona sit ad misericordiam, non insultans peccantibus, sed condolens: facilis enim est lapsus ad vitia, & fragilitas cõditionis humanæ quicquid cernit in alio, hoc in se debet pertimescere: cumque alius fuerit pro errore correptus, illius emendatio nostra sit cautio. Idem in hom. 8. de Pascha.

Cassiodo. Oleum pietatis & miserationis vnguentum, quantò copiosius in fraternas necessitates effunditur, tantò donis potioribus augmentatur. Alludit ad viduæ oleum, quod effusione augebatur. Cassio. in Epist.

Marcus. Magna vis est eleemosynæ: siquidem nutritores suos multa cum fiducia in regnum cœlorum introducit. Nota est enim ianitoribus cœli, qui thalami fores custodiunt: nec nota solùm, sed etiam venerabilis: & à quibuscunque se honoratam cognouerit, illos confidenter introducet. Nam si Deum in terram deduxit, & hominem fieri persuasit, multò magis hominem in cœlum adducere poterit. Marcus.

Penes nos situm est, vt Deus misereatur nostri: ipse nobis hanc gratiam condonauit. Nempe si offeramus ei, quæ misericordia & benignitate eius indigna non sint, miserebitur nostri. Si verò nos nulla nostri misericordia tangamur, quis nobis parcet? Miserere proximi, & misericordiam à Deo consequeris. Non ita laudãdus est, qui magnum aliquem suscipit, vt qui miserum & ærũnosum. Et qui colit hominem præstantem & clarum, & sæpe ad ostentationem coram hominibus id facit: qui verò abiectum & desperatum curat, propter solum Dei præceptum id agit. Idem.

Misericordia expers est omnis sceleris, omnia reddit pura. Hæc & ieiunio & cubitu super humum (quanuis molestioribus magisque laboriosis) melior est, vtpote vtilior: hæc animam colorat, subtilem, pulchram & formosam efficit. Idem.

Animo

Anima sine misericordia sterilis est. Hoc illud est, quo Deo similes nos euadere licet: misereri, inquam, & condolere. Hoc nisi habeamus, priuati sumus omnibus. Christus non dixit, si ieiunetis, similes eritis Patri vestro: nec si castitatem tueamini. Quid igitur? Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est. Et, Misericordiam (inquit) volo, non sacrificium. *Lucæ. 6.* *Oseæ. 6.*

Nisi essent pauperes, non tam multa peccata abolerentur. Pauperes nobis vulnerum nostrorum medici sunt. Remedia nobis porrigunt manus suæ. Non adeò medicus extendens manus, & imponens pharmaca, sanationem efficit, quàm pauper manus extendens, & quæ porrigimus, accipiens, abstersio est malorum nostrorum. Idem.

Cœcus misericordiam consecutus ad regnum cœlorum deducere nouit: & quãuis ad parietes offendens, & incidens in foueas, ducem se præstat ascensionis in cœlum. Idem.

Quid frustra laboras, ò diues, res pauperum in thesauris tuis recondens? Cur indignaris petentibus illis, tanquam de tuo expendas? Bona paterna petunt non tua: quæ tibi cõmissa sunt ipsorum gratia, non tecum nata. Da quæ accepisti, & vsum eorum tibi concessum in lucro ponas. Satis est tibi, quod dare non accipere destinatus sis. Idem.

Sacerdotes antiquo ritu inungebãtur oleo, vt & sacerdotium à misericordia inchoaret. Reges etiam vngebantur oleo. Omniũ enim (inquit) misereri debes, cùm possis omnia. Nempe hoc ipsum misereri, proprium est principatus. Cogita quòd mũdus per misericordiam constitutus sit, & imitare Dominum. Misericordia hominis in proximum suum, Domini autem in omnes homines extenditur. Idem.

Facilè posset Deus neminem facere pauperem: sed ita beneficentiæ ansam adimeret, nec amplius vellet aliquis condolere. Nũc verò alij aliorum gratia vel diuites vel egeni sunt, vt locus & materia beneficentiæ suppetat. Idem.

Omne quod nostrum est, tunc magis nostrum est, si sit nobis commune cum fratribus. Chrysost. in serm. *Chrysost.*

Non benefacit, qui benefacit: sed beneficium ipse accipit potius quàm dat. Maiora enim accipit quàm largiatur: quoniam Deo mutuum dat, non hominibus. Auget opes, non minuit. Minuit

nuit autem, si nihil elargiatur. Idem.

Simil. Qui parcè seminat, parcè & metet. Qua igitur quæso ratione parcis ac retines? Si terram fertilem coleres, non tantùm illam seminando propria horrea vacuares, verum etiam mutuares aliũde quod sereres. In cœlo verò operans, atque ibi fructum requirens, vbi nulla aeris inæqualitas, corruptio nulla ventorũ est, sed plurimo vbique cum fœnore semina cuncta proueniunt, cunctaris atque dissimulas: nec intelligis, quia possumus & parcendo perdere, & spargendo colligere. Idem super Matth. hom. 5. oper. perfect.

Philon. Talem te famulis tuis præbe, qualem tibi Deum optas: audiemur enim à Deo, sicut nos audimus: & aspiciemur ab ipso, vt nos aspicimus. Offeramus igitur misericordiam pro misericordia, vt pro simili simile adipiscamur. Philon.

Quintil. Nihil ingeniosius vera pietate est.

Ouid. *Regia (crede mihi) res est, succurrere lapsis.*

Adilon. Miseratio comes est calamitatis.

Cicero. Homines ad Deum nulla re propius accedunt, quàm salutem hominibus dando. Cicero pro Ligario.

Nihil est tam regium, tam liberale, tamque munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines. Idem. 1. de Oratore.

COLLE. *Augus. in medita.* ¶Miratur iure D. Augustin. quòd filij huius seculi longe plura & grauiora pro perituris huius seculi rebus patiantur, quàm nos propter Deum nostrum, qui nos cùm nondum essemus condidit, & cùm perditi essemus, redemit. Considera quid agricolę, quid opifices, quid nautæ, quid milites in bello exigui lucelli gratia patiantur: quantumque diuitiarum nobiles viri inanissimi honoris obtentu profundant. Nos verò vix obolũ petenti pauperi propter Christum damus, vixque vno aut altero die carnem inedia maceramus.

Contra auaros & immisericordes in pauperes illud merito iactari potest, quòd cum eis velut in altera libræ lance proponatur Deus, gratia, gloria, remissio peccatorum, regnum cœlorum, cæteraque similia benignitatis præmia: in altera verò parua pecunia

indigentibus eroganda, plus isti ad hoc lucellum, quam ad pretiosissima illa bona afficiantur: quod certè indignissimum est.

Omnia propter seipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum. Varijs autem in locis Dominus alias atque alias virtutes suas declarat. In cœlo namque bonitatem, in inferno iustitiam, in terra verò misericordiam potissimum exercet, atque ostendit. Vnde scriptum est: Misericordia Domini plena est terra. Quisquis ergo miser es, ne spondeas animum, neve ad illum accedere verearis, quando illi declarandæ misericordiæ suæ materiam tribuis, ad quam is declarandam hunc medium mũdi globum condidit. *Prou.* 16. *Esai.* 118.

Anima quæ benedicit, impinguabitur, & quæ inebriat, ipsa quoque inebriabitur. Hoc illud est, quod Dominus ait, Beati misericordes. q.i. m.c. Hinc consequens est & illud: Benefacit animæ suæ vir misericors. Hinc etiam & illud: Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Item, Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur. Contrà verò de eleemosyna & misericordia sequitur: Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu, indignationem maximam. ¶ Fructus autem eleemosynæ colligitur ex illis verbis: Qui dat pauperi, non indigebit, qui autem despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Item, Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis, & Deus prospector est eius qui reddit gratiam: meminit in posterum, & in tempore casus sui, inueniet firmamentum. Quia enim ipse periclitanti opem tulit, idem à Domino beneficium sortietur. Si enim grati & humani hominis officium est, rependere beneficia, & par pari referre, & illum laborantem iuuare, à quo fueris ipse dum laborares, adiutus: quid ille bonitatis & misericordiæ fons faciet? qui ait: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Cæterùm de huius virtutis commendatione multa Ecclesiast. 4. leges. Inter quæ illud maximè notandum est, quod ait: In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri eorum: & eris tu velut filius altissimi, & miserebitur tui magis quàm mater. Cur velut filius altissimi? Nempe quia ipse in scripturis pater orphanorum, & iudex viduarũ nuncupatur. Quamobrẽ quisquis hunc erga pupillos affectũ ac animũ gerit, cœlestem patrẽ moribus exprimit. *Prou.* 11. *Matth.* 5. *Prou.* 11. *Ibidem.* *Ibidem.* *Prou.* 28. *Eccles.* 3. *Matt.* 25. *Psal.* 67.

Eccl. 10. Omnis misericordia faciet vnicuique locum secundum merita operum suorum. In quibus verbis meriti nomen expressum vides, aduersus Lutheranos.

Misericordiam esse defunctorum comitem (vt D. Ambro. ait) confirmant illa Eccles. verba. 17. Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso: gratiam hominis quasi pupillam conseruabit, & retribuet illis retributionem, vnicuique in caput ipsorum. Pro quo alius vertit. Tandem verò exurgit, & suum singulis dat pretium, suamque cuique in caput suum vicem regerit. Item apud eũdem. Fratres in adiutorium in tempore tribulationis: & super eos misericordia liberabit. Eccl. 40.

De virtute & laudibus eleemosynæ, multa scitu digna inuenies Eccl. 29. Propter mandatum (inquit) assume pauperem, &c. quæ sequuntur. In his autem verbis, illud animaduertere oportet, non tam misericordiæ naturalis affectum, aut alienæ calamitatis leuamentum, quàm diuinorum mandatorum obedientiã in eleemosyna spectandam esse: quanuis hic quoque affectus laudandus sit, vtpote qui nos ad liberalitatis virtutẽ extimulet. In hoc enim ab autore naturæ datus est. Amor enim Dei erga homines, quos ipse condidit, hunc nobis misericordiæ affectum impresit, quò laborantibus proximis opem ferremus, vt quod ab eo conditum est, mutuis auxilijs seruaretur.

Adeò cum virtute liberalitas & misericordia coniuncta sunt, vt viros virtutis studiosos & iustos Isai. 57. viros misericordiæ appellet. Ait enim, Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo, & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat. Hinc super illo verbo: Scitote quoniam mirificauit Dñs sanctum suum: Glossa quædã ait, vocabulum Hebræũ quod latinus interpres Græcum sequutus, sanctum transtulit, ijs propriè conuenire, qui sunt animo benefico & liberali. Adeò enim liberalitas & beneficentia sanctitati coniuncta sunt, vt sanctum hominem, beneficum appellet. Hic de viro sancto dicitur: Tota die miseretur & commodat. Quibus verbis significatur, hoc esse præcipuum, & quasi continuũ eius officiũ, de omnibus hominibus semper bene mereri. In quo Dei mores potißimùm imitatur, qui nunquã à benefaciendo quiescit, ad cuius imitationem Saluator nos hortatur, cùm ait: Estote misericordes: sicut & pater vester misericors est.

Officia charitatis cùm erga omnes, tum maximè erga domesticos fidei exercenda esse, exemplo suo Dauid ostendit cùm ait: Sanctis qui in terra sunt eius. m. o. v. m. i. e. Pro quo alius vertit: Erga sanctos, qui sunt in terra, & præclaros, omnis voluntas mea in eis. Quia enim antè dixerat, bonorum suorum Deum non indigere, ideò studium benefaciendi conuertit in sanctos eius: vt hac saltem ratione ipsum Dñm (dum seruos eius beneficijs prosequitur) promereri posset: quando nihil in illum bonorum suorum conferre valet. Hinc dicimus ea beneficia quæ in pios homines conferimus, non tam in homines, quàm in Deum ipsum cõferri. Hoc enim modo officia nostra puriora & Deo gratiora sunt; vtpote quæ ab omni humano respectu & intuitu aliena sunt. *Luc. 6.* *Psal. 15.*

Quæ bona & in præsenti & in futura vita illos maneãt, qui pauperum curam gerunt, latè persequitur Propheta in eo Psal. cuius initium est, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Vbi aduerte omnia optandi verba, quæ deinde sequuntur, in versione Hieronymi futura esse indicatiui modi. Sic enim is vertit: Dominus custodiet eum, viuificabit eum, & beatus erit in terra, & non tradet eum animæ inimicorum suorum. Dominus confortabit eũ in lecto infirmitatis: totum stratum eius vertisti in ægrotatione sua. Quo in loco Dominum contemplare vicem boni operis misericordi viro reddentem: vt quoniam ipse Christum in paupere ægrotantem recreauit & fouit: ipse quoque à Domino in ægritudine sua similem beneficij vicissitudinem recipiat. *Psal. 40.*

Esse viri iusti maximè propriũ, vti misericordia, illud argumẽto est, quod viros iustos litteræ sanctæ viros misericordiæ appellat. D. item Hierony. pro eo quod nos legimus, Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicãt tibi, ex Hebræo vertit: Et misericordes tui benedicant tibi. Huc pertinet & illud: Nouit iustus animas iumentorum suorum, viscera autem impiorum crudelia. Item illud. Mutuabitur peccator & non soluet: iustus autem miserebitur, & retribuet. Multa his similia loca in Scripturis habentur. *Psa. 144.* *Proue. 12.* *Psal. 36.*

Cùm in extrema illa cœna Saluator discipulis, & in illis, omnibus nobis dixit. Accipite & comedite, hoc est enim corpus meũ, quod pro vobis tradetur, perinde est ac si dixisset: Huc vsque peruenit charitas mea erga vos, vt quoniã sine corporis mei cibo *Matt. 26.*

ſalus & vita veſtra conſtare non poterat, ipſum vobis & corpus & ſanguinem in æternæ vitæ pabulum tradiderim: Nunc cōtrà vos expendite, quid viciſsim mihi pro hoc tanto munere præſtare debeatis. Quantus ergo pudor eſt, nec fruſtum quidem panis pauperi Chriſto, qui in membris ſuis eſurit, velle porrigere, qui pro te alendo ſeipſum dedit? Quanto verò maior, ſi conſideremus quæ homines propter inanem mundi gloriam faciunt, quia tam parū liberales in Chriſtum ſunt? Hunc locum elegantiſsima ſimilitudine copioſe perſequitur Cyprianus in ſermone de eleemoſyna, in quo aduerſus ingratitudinem fidelium indignatur, quòd cùm tā multa improbi homines propter perſequentem & cruciantē Diabolum faciant, leuia ipſi onera, propter redimentem & ſaluantem Dominum ſubire recuſent. Quid enim propter Diaboli obſequiū homines non & faciunt & patiuntur? Quid enim vel difficilius, vel atrocius, quàm quod Propheta dixit, Immolauerūt filios ſuos & filias ſuas Dæmonijs. Et effuderunt ſanguinem innocentem, &c. Neſcias igitur quid magis mirari debeas, an talia propter honorem Dæmonis feciſſe, an tam leuia incommoda propter veri Dei gloriam ſubire nolle?

Cypria.

Hoſpitalitatis illuſtria exempla extant Geneſ. 18. & 19. in Abraham & Loth: cuius etiam meminit Apoſtolus ad Hebr. dicēs: Hoſpitalitatis autem, & beneficentiæ nolite obliuiſci: per hanc enim quidam placuerunt Deo, Angelis hoſpitio receptis. Sed in Abraham alacritas officij cōſpicitur, cùm ad hoſpitum obſequiū & ipſe feſtinauerit, cæteroſque in huiuſmodi miniſterio vxorem videlicet ac puerum feſtinare præceperit. In Loth verò vehemens pietatis ardor & ſtudium cernitur, quòd recuſantes Angelos compulit in domum: & ne vlla eis fieret iniuria, filiarum ſuarum pudori iniuriam inferri patiebatur.

Cùm Aaron inaures aureas ad execrandi vituli fabricam à populo petijt, promptiſsimè & has, & annulos, & dextralia, &c. tribuit. Hoc enim modo quidam verba illa interpretantur, Spoliauerat quippe illum Aaron, & inter hoſtes nudum conſtituerat. At cùm Chriſtus in paupere fruſtum panis petit, ſæpe indigne repellitur, & interdum contumelijs afficitur. Qua quidem ex re apparet, quam liberales, imo verò prodigi homines ad Diaboli mundique obſequia ſint, quamque ad ſubueniendum pauperi Chriſto

Exod. 32.

tenaces & inhumani. Ad illud in quauis etiàm fortuna semper diuites: ad hoc autem semper pauperes, & indigentes. Quo quid esse vel indignius, vel lamentabilius potest?

Fecit Salomon in ingressu oraculi ostiola de lignis oliuarum. 2. Reg. 6.
An non pulchrius ex lignis sethim, aut cedrorum, quàm oliuarũ in hoc tanto opere ostia oraculi fierent? Num hac ratione insinuare cœlestis Spiritus voluit, aditum ad orationis officium esse opera misericordiæ? Deum enim in oratione misericordem inueniet, quem homines in paupertate sua misericordem experti fuerint. Contrà verò de misericordibus dicitur: Qui obturat áures suas ne audiat pauperem, ipse clamabit, & non exaudietur. Prou. 12.
Non vult enim Dominus quenquam in conspectu suo vacuum apparere.

Quicunque mendicorum voces molestè ferunt, & illis vel improbitatem, vel otium exprobrant, similes esse videntur Nabal Carmelo, qui audita humili seruorum Dauidis prece, respondit, Quis est Dauid? & quis est filius Isai? Hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos. Tollam ergò panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vnde sint? Hanc autem inhumanitatem Dominus improuisa morte mulctauit: transactis enim decem diebus percussit eum Dominus, & mortuus est. Vnde etiam colligimus, eos qui in Christi pauperes auari, in se verò atque voluptates suas profusi sunt, Nabalis huius discipulos & sectatores esse: qui cùm adeò inhumanus fuerit in Dauid, in domo sua conuiuium celebrat quasi conuiuium Regis. De his vero sanctus Propheta conqueritur, cum ait: Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Ioseph. 2. Reg. 25 Amos. 6.

Consolatio mœstorum.

NON est pondus veræ virtutis insensibilitas cordis: quia valde stupida membra sunt, quæ incisa dolorem non sentiũt: & ita charitatem proximi S. Iob tenuit, dum de filiorum morte doluit: Dei autem dum procidens in terram adorauit. Greg. in mor. lib. 2. cap. 17. Gregor.

Iob. 2. Si bona suscepimus &c. Magna consolatio in aduersis memorati dona Dei. Non enim frangit dolor, quem muneris memoria subleuat. Ideo dicitur: In die bonorum memorare malorum: & econtra. Sic enim sunt iungenda, vt vnum ex altero fulciatur. Quatenus & dolor temperetur ex memoria doni, & doloris memoria temperet doni lætitiam. Gregor. moral. lib. 3. capit. 7.

Ordo consolandi est, vt mærendo prius afflicto concordemur: minus enim eius consolatio recipitur, cuius vitæ qualitas seiuncta est. Ideo amici Iob mærentium prius induunt habitum. Greg. vbi sup. c. 8.

1. Reg. 5. Super illud, Mugiebant vaccæ, sed gradiebantur. Sic Iob mugiebat in morte filiorum, sed à Dei gratia non declinabat. Grego. vbi sup. lib. 7. ca. 17.

Iob. 16. Super illud: Consolatores onerosi &c. Luctus tempore verba increpationis non sunt inferenda: ne increpãdo dolorem augeat, qui lenire debuerat. Greg. vbi sup. lib. 13. c. 1.

Non dicit Diabolus abstulit, sed Dominus: quia quæ sua sunt recepit, & ideo non dolendum. Sicut creditor cui tempus non est præfixum, potest quando libuerit repetere pecuniam. Gregor. 2. mor. c. 18. Et iterum, Postquam non abstulit, nisi quod dedit, sua recepit, non nostra abstulit.

Facilis erit consolatio si inter flagella quæ patimur, quæ fecimus, ad memoriam delicta reuocamus: atque hæc non flagella, sed dona cognoscimus. Greg. in Regist.

Magna est consolatio in eo quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui non nisi iustum placet. Greg. in mor.

Festina consolatio bonorum est, consideratus finis malorum: dum enim ex eodem interitu malum conspiciunt quod euadunt, leue æstimant quidquid patiuntur. Greg. 21. mor. c. 4.

Hiero. Ante Christum, Abraham apud inferos: post Christum latro in paradyso. Ex hac sententia Hieronymus colligit, mortuos in Christo non esse lugendos. In Epitap. Nepotiani.

Taceo Periclem & Xenophontem: quorum alter amissis duobus filijs, coronatus in concione disseruit: alter cum sacrificans filium audiuisset occisum, deposuisse coronam dicitur, & eandem capiti reposuisse, postquàm fortiter in acie dimicantem reperit

perit concidisse. Quid memorem Romanos duces, quorum virtutibus quasi quibusdam stellis latinæ micant historiæ? Prætermitto tamen hos omnes, ne videar potius aliena quàm nostra quæsisse. Quãquam hæc breuiter in suggillationem nostri dicta sunt, si non præstet fides, quod exhibuit infidelitas. Igitur ad nostra veniens, Non plangam cum Iacob cum Dauid filios in lege morientes, sed cum Christo in Euangelio recipiam resurgentes. Iudæorum luctus, Christianorum gaudium est. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Idem, ibidem.

Fœlix ille tantum est, qui vsque ad extremum vitæ actum, vitam ab omni malo seruauit illæsam. In tanta igitur fœlicitate gaudendum tibi profectò magis est, quod talem habueris, quàm dolendum quod talem amiseris. Ibidem.

Ennius, In hoc (inquit) plebs regi antestat loco, licet plebi plangere, regi honeste non licet. Vt regi, sic Episcopo. Et infrà. Caue ergo ne cõmittas quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur: aut qui imitari, cogantur delinquere. Ibidem.

Nequeo satis scripturæ laudare mysteria & diuinum sensum in verbis licet simplicibus admirari. Quid sibi vult, quòd Moses plangitur, & Iesus Naue vir sanctus sepultus refertur, sed planctus eius non scribitur? Nempè illud quod in lege veteri (quæ per Mosem intelligitur) omnes sub peccato Adæ tenebantur, & ad inferos descendentes, consequenter eos lachrymæ prosequebantur: In Iesu vero, id est in Euangelio, per quem est paradysus apertus, mortem gaudia prosequuntur. Idẽ ad Paulam.

In Leuitico sacerdos magnus ad patrem, matrem, fratresque mortuos prohibetur accedere: ne videlicet anima Dei sacrificijs vacans, aliquo impediatur affectu. Nonne alijs verbis id ipsum in Euangelio præcipitur, vt mortuo patri filius non exhibeat sepulturam? Ibidem.

Quid vetera replicem? Præsentia exempla sectare. Sancta Melania nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, calenti adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios. Rem dicturus sum incredibilem, sed teste Chri-

ste Christo non falsam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, laceris crinibus, & veste concisa, lacerum pectus inuadere? Lachrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes aduoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit. Expeditius (inquit) tibi seruiturus sum Domine, quia tanto me onere liberasti. Ibidem.

Quas nunc existimas Blesillam nostram pati cruces, quòd tibi propter istas lachrymas Christum videt iratum? Clamat nunc illa lugenti. Si vnquam me amasti mater, si tua vbera suxi, si tuis instituta sum monitis, ne inuideas gloriæ meæ, ne hoc agas, vt à nobis in perpetuum separemur. Putas me esse solam? Habeo pro te Mariam matrem Domini. Multas hic video quas ante nesciebam. O quanto melior est iste comitatus. Misereris mei, quia mundum reliqui, atque ego vestri sortem doleo, quos adhuc seculi carcer includit quos adhuc præliantes, nunc ira, nunc auaritia, nunc libido, nunc variorum incentiua vitiorum pertrahunt ad ruinam. Si vis mater mea esse, cura placere Christo. Non agnosco matrem meo Domino displicentem, &c. Ibidem.

Cypria. Quid nitimur & reluctamur ante conspectum Domini peruicacium more seruorum peruenire? Quomodo volumus ab eo præmijs cœlestibus honorari, ad quem venimus inuiti? Quid rogamus ac petimus, adueniat regnum tuum, si captiuitas terrena delectat? Quidam de collegis nostris cum de morte solicitus, commeatum sibi precaretur, adstitit ei iuuenis admiranda quadam specie, qui non sine magna vocis indignatione infremuit, & dicit, Pati timetis, exire non vultis, Quid faciam vobis? Audiuit frater noster quod cæteris diceret: Nam qui moriturus audiuit, ad hoc audiuit vt diceret. Quid enim diceret moriturus? Et mox. Spei nostræ ac fidei præuaricatores sumus: simulata, fucata, & ficta videntur esse quæ dicimus. Nihil prodest verbis proferre virtutem, & factis destruere veritatem. Si enim Paulus dicit, Ne contristemur de dormientibus sicut cæteri qui spem non habent, quomodo eos lugemus, quos cum Christo viuere & regnare fatemur? Cypria. in sermo. de mortalit.

Cicer. Quoniam multum potest animi prouisio & præparatio, ad minuendam

ferendum dolorem, sint semper omnia homini humana præmeditata. Cicero. 3. Tuscul.

Quod possit accidere, diu cogitare oportet: hæc cogitatio vna maximè omnes molestias extenuat, & diluit. Idem, ibidem.

Hostium repentinus aduentus, magis aliquanto conturbat, quã expectatus: & maris subita tempestas, quàm ante prouisa terret nauigantes vehementius. Idem ibidem.

Sæpe vtile est non scire quod futurum sit: miserum est enim nihil proficientem angi. Idem. 3. de Diuinat. Deo.

In dolore maximè est prouidendum, ne quid abiectè, ne quid timidè, ne quid ignauè, ne quid molliter, ne quid seruiliter, muliebriliterve faciamus. Idem. 2. Tuscul.

Turpe nec viro dignum videtur, gemere, eiulare, lamentari, frangi, debilitari dolore. Ibidem.

Homines nos esse meminerimus, ea lege natos, vt omnibus telis fortunæ proposita sit vita nostra: neque esse recusandum, quominus ea qua nati sumus conditione viuamus: neve tam grauiter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus: euentisq; aliorum memoria repetendis, nihil accidisse noui nobis cogitemus. Idem Titio Epist. 5. Famil. 5.

Necessitas ferendæ conditionis humanæ, quasi cum Deo pugnare prohibet, admonetque esse hominem: quæ cogitatio magnopere luctum leuat. Ibidem.

Nihil est quod plus valeat ad ponendum dolorem quam cum est intellectum nihil proficere & frustrà esse susceptum. Idem, ibidẽ.

Quando præstitimus quod debuimus, moderate quod euenit, feramus. Idem Torq. fam. 6.

Quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos præripere consilio prudentiaque debemus: nec expectare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possumus. Idem Titio Fam. 5.

Eo simus animo, vt horribilẽ illũ diẽ alijs, nobis faustum putemus: nihilque in malis ducamus quod sit vel à Dijs immortalibus, vel à natura parente omniũ cõstitutũ. Nõ enim temerè nec fortuitò sati & creati sumus: sed profectò fuit quædã vis, quæ generi cõsuleret humano, nec id gigneret aut aleret, quod cũ exantlauisset omnes labores, tũ incideret in mortis malũ sempiternũ. Idem. 1. Tuscul.

COLLE. ¶ Quicunque varijs tribulationum angustijs premuntur, illa Salomonis verba, quæ Apostolis ad Heb. citauit, animo impressa gestare debent. Disciplinam Domini fili mi ne abijcias, nec deficias cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi. Quam quidem sententiam in Apoc. confirmat Dominus cum ait. Ego quos amo, arguo & castigo. Eliphas quoque Iob. 5. ait. Beatus vir, qui corripitur à Domino: increpationem ergo Domini ne reprobes. Quam quidem beatitudinē inter magnifica Domini beneficia Vates sanctus cōmemorat, cum ait. Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Virga enim Dominus, corrigit peccantes, baculo sustentat imbecilles. Vtraque res certe animis piorum vtilis pariter & iucunda. Hac enim ratione electos suos Dominus ab immoderato desiderio huius ærumnosæ vitæ reuocat, & ad se adducit. Vt omittā interim, quòd hac ipsa ratione, & à peccatis purgat, & in virtutibus proficere facit. Hinc illa toties in sacris litteris repetita sententia. Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus &c. Sicut enim aurum camino, ita tribulatione iusti puriores, & ab amore mundi purgatiores redduntur.

Hebr. 12. *Prou. 3.* *Apoca. 3.* *Sapien. 3.*

De immatura piorum morte sic Sapien. 4. legimus. Iustus autē & si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Raptus est ne malitia mutaret mentem eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Consummatus in breui, expleuit tēpora multa. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatis &c. quæ sequuntur. Hæc consideratio, vbi fides acriter viget, adeo piorum hominum orbitatem & luctū ex morte filiorum temperat, vt frequenter etiam mœrorem in gaudium vertat: dum considerant sobolem suam in fœlicitatis æternæ sinū commigrasse: in quo diuinæ visionis gaudio perfruuntur.

Quonammodo in charorum nostrorum amisione nos gerere debeamus, docet Ecclesi. 38. his verbis. Fili, in mortuum produc lachrymas: & quasi dira passus, incipe plorare: Et consolare, propter tristitiam: & fac luctum secundum meritum eius vno die vel duobus propter detractionem. A tristitia enim festinat mors, & cooperiet virtutem, & tristitia cordis flectit ceruicem. Hoc est (vt alius vertit) animi tristitia vires infringet. Ne des in tristitiam

certuum; sed repelle eam à te: & memento nouissimorum, & noli obliuisci: nec enim est conuersio (hoc est, reditus à morte ad vitam) & huic nihil proderis, te ipsum pessimabis. Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie: Vel (vt alius vertit) Memento meam sortem perinde esse, ac tua futura sit. His verbis defunctus ipse inducitur cum viuo loquens, & quid eum facere oporteat, præscribens.

Scandalum.

HOC certissime scito, quòd placere Deo & prauis hominibus nullus potest: in tantum ergo se existimet fraternitas tua omnipotenti Deo placuisse, quantò se peruersis hominibus displicuisse cognouerit. Greg. in Registr. *Gregor.*

Inquantum sine peccato possumus, vitare proximorũ scandalũ debemus. Si autem de veritate scandalũ sumitur, vtilius permittitur nasci scandalũ, quã veritas relinquatur. Greg. sup. Ezech.

Scire prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Greg. vbi suprà.

Nemo amplius in Ecclés. nocet, quam qui peruerse agẽs, nomẽ vel ordinẽ sanctitatis tenet. Delinquentẽ namq; hunc, redarguere nullus præsumit: & in exẽplũ culpa vehementer extenditur, quãdo pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Greg. vbi suprà.

In nostro bono opere aliquãdo cauendum est scandalum proximo: aliquando vero pro nihilo reputandum. Greg.

Omnis qui in conspectu eorum quibus præpositus est, male viuit, quantũ in ipso est, omnes occidit: & forte qui imitatur, moritur: qui non imitatur, viuit: tamẽ quantũ ad illum pertinet, ambos occidit. Aug. le. de Pasto. *August.*

Homicida dicitur Diabolus: non gladio armatus ad hominem venit, sed verbum seminauit, & occidit. Noli ergo putare te homicidam non esse quando fratri tuo mala persuades. Idem sup. Ioan.

Libenter carebo quantolibet etiam spirituali quæstu, qui non possit acquiri nisi cũ scandalo. Vbi enim scãdalũ, ibi proculdubio charitatis est detrimentum: vbi autem diminutio charitatis, mi- *Bernar.*

ror

ror. quod vel quale posit spiritalis exercitij sperari lucrum. Bern. in Epist.

Si Dominus proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur grauiorẽ sustinere ab eo persecutionem, qui suggestione mala, exemplo pernicioso, scandali occasione auertit ab eo animas, quas redemit, quã ab illo qui sanguinem suum fudit? Idem in ser.

Isidor. Omnibus rationem reddere seruile est, & ab autoritate alienũ: omnes autẽ cõtemnere, hominis est superbi & stolidi. Isidor.

Cleob. Cleobolus illam ciuitatem maxime dixit compositam esse, vbi infamiam magis quàm legem ciues metuant.

Adilon. Custodia famæ magnæ, magnus est labor.

Adilon. Fortis est falsam infamiam contemnere.

Cicero. Non est negligenda fama: nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet beneuolentiam ciuium. Cicer. in Lælio.

COLLE. ¶ Grauissime offendi homines solent, si quando aut sacerdos aut monachus, aut aliquis eorũ qui frequenter ad Eucharistiæ sacramentũ accedunt, in aliquo publico delicto deprehendũtur: adeoque præcipites in hac parte sunt, vt eandem opinionem de reliquis probis hominibus concipiant. Quod quam sit temerarium vel hoc argumento colligi potest. Dic mihi si fœmina aliqua, quę pulchria credebatur, in adulterij crimine deprehensa est, nũ omnes aliæ simili crimine damnandæ sunt? Quis nisi insanus hoc audebat asserere? Tempore D. August. monachus quidam monasterij eius, in crimine quodam publicè deprehensus est. D. autẽ August. contra scandalum populi ita perorauit. Dicite mihi, num domus mea melior quam arca Noe, in qua ex tribus eius filijs vnus nequam deprehensus est? Num melior quam domus Iacob, in qua ex duodecim fratribus solus Ioseph innocens, fuit? Num melior quàm domus Isaac, in qua ex duobus fratribus, alter eligitur à domino, alter reprobatur? Num melior quam domus Christi, in qua ex duodecim ab eo electis Apostolis, vnus proditor effectus est? Num melior quã septem diaconorum ab Apostolis electorum collegio, quorum Nicolaus hæresiarcha extitit? Num melior quam ipsum cœlum, ex quo tot Angeli ceciderunt? Et quã peradisus à quo duo generis humani parentes in gratia conditi, ab eodem

ab eodem loco propter peccatum eiecti sunt. ¶Inter laudes Constantini magni ea præcipue numeratur, quod is dixerit: Si sacerdotem in aliquo crimine deprehenderē, ego illū pallio meo operirem. Hic erat vere religionis & honoris Christi zelus. Decus enī sacerdotis, Dei honor & publica vtilitas est. Qui quo tempore sacerdos aliquis lapsus est, gestiunt, & veluti gaudio aduersus generationem rectorum triumphare videntur, non Christi, sed Antichristi ministri, & publicæ vtilitatis hostes esse comprobantur.

Vox infirmorum & adhuc paruulorum in Christo est, si me viderint homines frequentius communicantem, quid dicent? Erubesco plane. Ergo erubescis inter Christianos apparere discipulus Christi? Ex hac erubescentia Petrus negauit Christum. Sed ille tamen erubuit discipulus apparere hominis cum facinorosis ad mortem damnati: tu autem in cœlo & terra regnantis, & ad dextrā patris sedentis. Contra tales timendum est, ne Dominus in extremo iudicio Laurentium assumens, & cicatrices eius ostendens dicat, Hic non dubitauit, vulneribus istis sauciari, vt me confiteretur: tu propter inania mundi verba sæpissime à iustitia desciuisti. Itaque Domine, mundus à nobis te derelicto colitur, mundus adoratur, mundus consilijs tuis, ac tibi etiam præponitur. Si mūdus probauerit obsequium nostrum, obsequemur: si vero damnauerit, nihil illo refragante conabimur. In arbitrio ergo mundi positum est obsequium erga te nostrum. An non igitur hoc maximum dedecus tuum est? Aduersus hos autem idem Dominus, Qui me inquit erubuerit coram hominibus, & filius hominis erubescet, cū venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum Angelorum.

Duplicem animæ pulchritudinem designant illa Sponsi verba, Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es: internam videlicet & externam. Et internam quidem in fide, spe, charitate, humilitate, prudentia, cæterisque spiritualibus virtutibus positam esse constat. Externam vero in præclaris actionibus, & misericordiæ operibus, sacrisque ceremonijs. Vtramque autem fortis illa mulier habere curabat: de qua scriptum est, Quæsiuit lanam & linum &c. Ex lana quippe vestis externa, ex lino autem interna conficitur: quarum vtraque fidelis anima ornari debet. Hoc autem illos arguit qui internis officijs & orationibus vacantes, segnes & pigri ad externa pietatis opera sunt. Arguit etiam eos qui testimonio

conscientiæ

conſcientiæ ſuæ contenti, boni nominis curam negligũt, ideoque alijs offendiculo ſunt. Hi enim externa hac veſte carent.

Quiſquis proximo ſuo delinquendi occaſionem dedit, malorum quæ ex hoc ſecuta ſunt reus eſſe conuincitur. Hinc leges illæ Domini manarunt. Si quis aperuerit cyſternam, & foderit, & nõ operuerit eam, cecideritque bos aut aſinus in eam, reddet dominus cyſternæ pretium iumentorum. Item ſi bos (inquit) cornupeta fuerit ab heri & nudiuſtertius, & cõteſtati ſunt dñm eius, nec recluſerit eũ, ceciderítq; virũ aut mulierẽ: & bos lapidibus obruetur, & dñm illius occident. Rurſumque, ſi egreſſus (inquit) ignis inuenerit ſpicas, & cõprehenderit aceruos frugũ, ſiue ſtantes ſegetes in agris, reddet damnũ qui ignẽ ſuccenderit. His legibus appa ret ſcandali peccatũ, hoc ſupra cętera peccata quãlibet grauiſsima habere, quod alia quidẽ peccata autori ſuo tantũ nocent: hoc vero, & ſibi, & alijs. Illa vnã ſolam animam perimunt: hoc vero omnes illas quibus offendiculo & ruinæ fuit. Vt appareat mihi peccatum hoc nouum illud & inauditum tormenti genus imitari, quod ętate noſtra excogitatũ eſt, quo videlicet multi ferrei globuli vno calamo cõprehenſi, & ſulphureo puluere acti, vno iactu non vnũ hominem, ſed omnes quotquot obuios inuenerint, perimunt.

Non maledices, ait Dominus Leuit. 19. ſurdo, nec coram cœco pones offendiculũ. Cõtra hanc vero legẽ facit, qui prauæ vitæ exẽplo infirmis occaſionẽ delinquendi præbet. ¶ Paulo vero inferius ait, Si habitauerit aduena in terra veſtra, non exprobretis ei: ſed ſit inter vos ſicut indigena, & diligetis eum ſicut voſmetipſos: fuiſtis enim & vos aduenæ in terra Ægypti. Contra hanc autem legem diuinæ pietatis & miſericordiæ indicem peccant, qui neophytos indignis nominibus & contumelijs afficiunt. Hi namque ſunt veluti aduenæ & peregrini in Eccleſia: cum cæteri ciues ſanctorum ac domeſtici Dei eſſe dicantur. Hos autem benigne accipi Apoſtolus quoque præcipit cũ ait, Infirmũ autẽ in fide aſſumite &c.

Conſtituit Pharao magiſtros operum, qui populum ad palearum & luti opera vrgerent. O quam multos habet princeps huius mundi magiſtros, qui nos ad ſcelerata opera ſua vrgeãt! Quot prauos conſultores, quot adulatores, quot praua improborum hominum exempla, quibus plenus eſt mundus. Vnde fit vt pretioſa alterius veſtis, domus, menſa, familia, variaque ſupellex, mihi vanitatis

nitatis & auaritiæ magiſtri atque incentores ſint.

Si quis percuſſerit prægnantem,& illa abortum fecerit,ſiquidẽ fœtus nondum erat animatus reddet quantum illi iudices indixerint:ſi vero animatus erat,reddat animam pro anima &c. Hoc attendant,qui prægnantes animas & verbo Dei iam grauidas , hoc eſt(quia timore Domini melioris vitæ propoſitum conceperunt) prauis conſilijs,aut exemplis,aut etiam irriſionibus ab hoc pietatis propoſito auocant.Qua enim re interitũ animæ,hoc eſt fuſum Chriſti ſanguinem penſare poterunt,niſi vt qui alterius animam perdidit,amittat pro perdita ſuam?

Raymundum virum ſanctiſsimum & miraculis etiam clarum, (qui dercetales pontificum epiſtolas in vnum corpus redegit)hac occaſione iugo ſe ordinis D.Dominici ſubdidiſſe perhibẽt, quod dum in ſeculo ageret,iuuenem quendam à religionis ingreſſu cõſilijs ſuis reuocauerit.

Exempla bona & mala.

Volantia animalia Ezech.1.viciſsim ſe feriunt alis ſuis : quia ſanctorũ mentes in eo quod ſuperna appetunt, cõſideratis inuicẽ alternis virtutibus excitantur.Ala enim ſua me percutit,qui exemplo ſanctitatis me ad melius accendit : & ala mea vicinum animal ferio,ſi aliquando alteri opus bonum quod imitetur,oſtendo.Greg.24.mor. *Gregor.*

Sic ſit opus in publico,quatenus intentio maneat in occulto: vt & de bono opere proximis præbeamus exemplum,& tamen per intentionem(qua ſoli Deo placere quærimus) ſemper optemus ſecretum.Greg.vbi ſupra.

Qui bona occulte faciunt,& cum quibuſdam factis publicè mala de ſe opinari permittunt,cum ſeipſos recte virtute viuificant, alios in ſe per exempla malæ æſtimationis occidunt : & cum ſalubris vini potum ſorbeant,peſtiferum veneni poculum alijs infundunt.Greg.in Paſtor.

Qui nos amãt,quærũt quid laudẽt in nobis.Qui autẽ nos oderũt,detrahũt nobis.Nos autẽ in medio conſtituti, adiuuante Dño Deo noſtro,& vitã noſtrã & famã ſic cuſtodire debemus , vt non erubeſcãt de detractoribus laudatores.Aug.de mo.& vi.cler. *August.*

Deuotus

Bernar. Deuotus miles non ſentit ſua, cum benigni ducis contuetur vulnera. Ber. ſer. 30.

Seminemus hominibus bonum exemplum per aperta opera: ſeminemus Angelis gaudium magnum per occulta ſuſpiria. Idem in ſermo.

Lactan. Homines malunt exempla quam verba: quia loqui facile eſt, præſtare difficile. Lactantius.

Cato. Multorum diſce exemplo quæ facta ſequares,
Quæ fugias: vita eſt nobis aliena magiſtra.

COLLE. ¶Plato non admittebat in illa ſua Rep. Homeri libros, propterea quod tales Deos atque Deas fingeret, quales nemo filios aut filias ſuas vellet; Nihil enim nocentius prauis exemplis quæ in perſonis ſublimibus reperiuntur. Præſtantia enim dignitatis ſuæ, res fœdas atque indignas quodammodo nobilitant, & commendant.

Sicut exemplari vno apud Typographos vitiato, omnes deinde libri qui per illud excuduntur, vitiati prodeunt (qui ſunt pene innumerabiles) ita cum regis ad exemplum totus componatur orbis, vnius principis vitium, totius fit populi offendiculum. Vnde recte à Cicerone dictum eſt, Principes plus exemplo, quàm peccato nocere. Quamobrem ſicut cœleſtium orbium motus ordinatiſsimi ſunt (vtpote qui nunquam preſcriptas à conditore leges prætereunt) ita qui præſunt Populo & vniuerſalium cauſarum in Repub. locum tenent, ſumma moderatione & conſilio totius vitæ curſum dirigere debent.

Non accipies, inquit Dominus Leuit. 25. à fratre tuo vſuras, nec amplius quàm dederis. Time Deum, vt viuere poſsit apud te frater tuus. Qui ſunt, ait Flauianus, qui vſuras à fratribus exigunt, & amplius quàm dederunt, niſi qui ad ea diſcipulos cogunt, quę ipſi non faciunt, quorumque illis exemplum non præbuerũt? Hi ſunt enim qui alligant onera grauia & importabilia, & imponunt ea ſuper humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere. At contra Paulus, Non (inquit) audeo loqui aliquid eorum quæ per me non efficit Chriſtus.

Non feras ait Dominus Leuit. 16. agrum diuerſo ſemine. Ager eſt ſancta Eccleſia, de qua Paulus ait, Dei agricultura eſtis &c. Diuerſum autem ait Flauianus, ſemen in hoc agro ſeminat, qui ſuper

cathedram

cathedram Moysi constitutus, dicit & non facit: bona loquitur, & contraria operatur: verbo triticum spargit, exemplo autem suo stipularum semen in discipulorum cordibus iacit.

Correctio vel castigatio.

QVI emendare potest & negligit, participem se proculdubio delicti constituit. Greg. in Regist. **Gregor.**

Qui proximi mala respiciunt, & tamen silentio linguam præmunt: quasi conspectis vulneribus vsum medicaminis subtrahũt: & eò mortis authores fiunt, quò minus quem poterant curare nolunt. Greg. in Pastor.

Regat disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem: & sic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. Greg. lib. 19. mor.

Qui non corrigit, resecanda committit: & faciẽtis culpã habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Greg. in Reg.

Manus sordida aliam non lauat: oculus plenus puluere, maculã non considerat: ita mundus debet esse, qui vult aliena corrigere. Greg. in mor. lib. 7. c. 23.

Hoc Christus suis miraculis mirabilius præbuit: quòd delinquentium corda, mansuetudine potius, quàm terrore correxit. Greg. vbi sup. lib. 9. c. 31.

Doce iustum, & festinabit accipere: qui erudit derisorem ipse sibi facit iniuriam. Prouer. 9. Nempe quia peior plerumque fit ex doctrina: incipitque vitia contra arguentem inquirere: tum demum ratus se non esse criminosum, si crimina & alijs imponat. Greg. vbi sup. lib. 10. c. 3.

Si districte nostra punimus, iustum est, vt etiam contra mala aliena insurgamus: quatenus quæ in nobis puniuimus, & in alijs superemus. At mali sibi parcunt, & alios insequuntur. Non tamen iudicare recte merita aliena valet, cui conscientia propriæ innocentiæ nullam iudicij regulam prębet. Ideo dicitur, Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat. Et tribum Beniamin delentes, prius bis ipsi vincuntur: quia prius ipsi purgandi sunt, per quos aliena scelera puniuntur. Gregor. vbi suprà libro. 14. cap. 18.

Iob. 19. Super illud. Quare persequimini me sicut Deus. Deus tantò iustius aliena percutit, quantò nihil ipse puniendum habet: homines vero ferientes ad suam infirmitatem debent oculos reuocare: vt ex semetipsis considerent, quantum alijs parcant. Ideo queritur Iob, quòd amici ita eum persequãtur: ac si (more Dei) infirmitatem non haberent. Greg. vbi sup. c. 25.

Tanto humili corde alios corrigamus, quantò nos ipsos in his quos emendamus, agnoscimus. Greg. 23. mor. c. 14. vide locum.

Arrogantes, sicut inflantur laudibus, ita inflãmãtur correptionibus: & in malis suis fomitem defensionis exquirunt. Greg. 26. mor. cap. 1.

Ille est vere humilis in bonis qui non est defensor in malis: aliter ornari appetit, non doceri. Est enim propria arrogantiũ fraus, vt tunc de errore requirant, quando nouerunt se non errasse. Gregor. 26. mor. c. 1.

In omni correptione subesse menti debet iracundia, non præesse: nec executionem iustitiæ dominando preueniat, sed famulãdo subsequatur, iudiciumque impleat, non præcurrat. Gregor. 26. moral. c. 26.

August. Species illa columbæ in qua venit Spiritus sanctus, per quem nobis charitas infunderetur, ipsam charitatem expresit. Quare hoc? Fel columba non habet, tamen rostro & pẽnis pro nido pugnat, sine amaritudine sæuit. Hoc facit & pater quando filium castigat. Pater enim vt corrigat, sine felle castigat. Tales estote ad omnes: sæuire videtur pater: amor sæuit, charitas sęuit. Quomodo sęuit? Sine felle sæuit, more columbino sæuit, non more coruino. Aug. ex tract. super Epist. Ioan.

Tu vulnus fratris contemnis, tu eum vides perire, & negligis: peior es tu tacendo, quam ille conuitiando. Idem super Matth.

Quidquid lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigẽtis: dilige & dic quidquid voles. Idem sup. Epist. ad Galat.

Qui peccant coram omnibus, coram omnibus corripiendi sunt, vt omnes timeant. Qui secretò peccauit in te, secreto corripe: nam si solus nosti, & eum vis coram alijs arguere, non es corrector, sed proditor. Idem super illud Matth. Si peccauerit in te frater tuus &c.

Non omnis qui parcit, amicus est, nec omnis qui verberat inimicus: qui phreneticum ligat, & lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat: ambos sanat: ambo quamdiu ægri sunt, indignantur: sed ambo sanati gratulantur. Idem in Epist. ad Vincēt. donatist.

Ambros. Leniter castigatus, exhibet reuerentiā castiganti. Sustēta æquanimiter vt infirmos, quos emendare non potueris castigatos. Blanda pietate portandi sunt, qui increpari pro sua infirmitate nō possunt. Idem.

Plus proficit amica correctio, quàm accusatio turbulenta: illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet. Idem super Luc.

Leo Papa. Facientis proculdubio culpā habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare: nihil prodest alicui nō puniri proprio, qui puniendus est de alieno peccato. Leo Papa. & ponitur. 86. di.

Bernar. Impunitas, incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudicitiæ, transgressionum nutrix est. Ber. lib. 3. de Considera.

Isidor. Qui veraciter fraternam vult corripere infirmitatem, talem se præstare fraternæ vtilitati studeat, vt eum quem corripere cupit, humili corde admoneat: hoc faciens ex compassione quasi communis periculi, ne fortè & ipse subijciatur tentationi. Isidor. de summo bono.

Ioan. Cli. Fit plerumque quod alteri medicina est, alteri venenum sit: nonnunquam vero eadem res, si suo tempore offeratur, medicina est: sin autem intempestiuè, venenum efficitur. Vidi medicum ignauum & obtusum, infirmum confractum & collisum affecisse contumelijs: nihilque ei præter desperationem parauisse. Vidi itē medicum ingeniosum & peritissimum, inflatum cor per ignominię ferrum curauisse: omnique illud fœtoris putredine euacuasse. Clim. Grad. 26.

Chrysost. Malos qui monet offendit: incurrit odium, qui arguit criminosos. Chrysost. super Matth.

Omnis correptio similis est cæteris tentationibus: sicut enim omnis tentatio fideles quidem magis ædificat, infideles autē amplius destruit: sic & omnis increpatio disciplinæ religiosum hominem & timentem, meliorem facit: irreligiosum autem & malum conturbat, & in deterius ire compellit. Idem ibid.

Veritas quidem amara & ingrata est stolidis: mendaciū autem

suaue & gratum:nimirum vt illis qui dolent oculos, molestus est lucis aspectus, tenebræ autem visum reprimentes, charæ & minimæ molestæ sunt.

Quintil. Quo sæpius quis monet, hoc castigat rarius.

Ex diuersis. Seueritas assidua perdit autoritatem.

Inter veros amicos nihil veritate iucundius.

Nihil dulcius amico monitore.

Qui se peccare nescit, corrigi non vult.

Cicero. Omnis animaduersio & castigatio, contumelia vacare debet. Cicero, in Lælio.

Prohibenda est maxime ira in puniendo. Nunquam enim iratus, qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum. Idem. 1. de officijs.

Obiurgationes etiam nonnunquam incidunt necessariæ: in quibus vtendum est fortasse & vocis contentione maiore, & verborũ grauitate acriori: atque etiam illud ipsum quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est ipsius id causa, qui obiurgetur, susceptum esse. Id agendum etiam est, vt ne ea facere videamur irati: sed vt adurendum & secandum, sic ad hoc genus castigandi raro inuitique veniemus: nec vnquam nisi necessario si nulla reperietur alia medicina. Sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest. Idem. 1. offi.

Vt medici membrum sæpe putrefactum incidunt, atque in totum eradicant, ne aliam corporis partem labefactare atque corrumpere possit: sic necesse est, si Rempubli. saluam esse volumus, vt perditissimos homines ex vrbe penitus extirpemus, ne corruptus integro, violatus casto labem infringat. Idem in Vatin.

COLLE. ¶Sicut chirurgus cum vulneribus ferrum adhibet atque ignem, magna cura prouidet, ne dolorem imperitia secandi cumulet. Ita quisquis castigationis, aut admonitionis ferrum adhibet subdito siue proximo, simili cura niti debet, ne castigationis acrimoniam per se acerbum, imperitia sua reddat acerbiorem.

1. Pet. 5. Pascite (ait) qui in vobis est gregem, prouidentes non coactè, sed spontaneè, Non interdicitur his verbis potestas legitimis pœnis & censuris improbos & rebelles coercendi: sed hoc tamen

prælati

prælati admonentur, vt quemadmodum medici prius quidẽ blandis medicamentis vulnera curare solent, quæ si minus sufficiant, mordacia tunc & amara adhibent: ita animarum medici &c. Considera vero Paulum mirum vtriusque rei in Epistolis ad Corinthios artificem. Primum enim blande monet: deinde profitetur se nisi resipiscant, grauius sæuiturum.

Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam: qui autem acquiescit increpanti, glorificabitur. Non amat pestilens, eum qui cũ corripit, nec ad sapientes graditur. Item doctrina mala deserentiũ viam Domini: qui increpationes odit, morietur. *Proue.* 13. *Prou.* 15.

Quam sit salutaris admonitio, qua virum bonum corripimus aut monemus, declarant illa Salomonis verba. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem. *Prou.* 25. Sed vbi tamen inueniemus, qui sic corripi gratum habeat? qui culpam suam agnoscat? qui non in iurgia cõcitetur? qui nõ mille prætexat excusationes? Quamobrem orandus est cum Propheta Dñs, *Psal.* 140. Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Hoc inter Dauidis & Saulis peccatum (vt alia prætermittamus) discriminis fuit: quia Saul partim non agnouit peccatum suum, cũ ad Samuelem dixerit, Benedictus tu à Domino, impleui verbum Domini: partim illud obtentu religionis excusauit: Dauid autem vbi primum commissi sceleris admonitus fuit protinus confessionis & pœnitentiæ salutare verbum protulit dicens, Peccaui Domino.

Admonitionis vtilitas colligitur ex illis verbis. Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet magis apud eum, quàm qui per linguæ blandimenta decipit. *Prou.* 28. Est autem reprobationis indiciũ, increpationibus non acquiescere. Sic enim Salomon ait: Viro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus: & eum sanitas non sequetur. *Prou.* 29. Vtilitas vero admonitionis & intermissio eius colligitur ex illis verbis, Virga atque correctio tribuit sapientiam: puer autem qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. *Ibidem.*

Non incendas carbones peccatorum arguens eos: & ne incẽdaris flãma ignis peccatorũ illorum. *Eccl.* 8. Hoc est autẽ quod Saluator ait: Nolite sanctũ dare canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte &c. *Matt.* 7. Vera est enim illa Salustij sententia: Frustra

autem niti,& laborando,nihil nisi odium quęrere, extremæ dementiæ est. At inquis Prophetæ hoc fecerunt. Sed illi tamen multos ad meliorem mentem reuocarunt,& improborum causam inexcusabilem fecerunt, Deumque ab omni humana querela vindicarunt. Quare hi non frustra nitebantur.

Vir prudens & disciplinatus, non murmurabit correctus, & inscius non honorabitur. Huc pertinet & illud, Argue sapientem,& diliget te: doce iustum & festinabit accipere. *Prou.9.*

Indigne alterum castigat, qui eiusdem criminis reus est, quod in altero reprehendit. Iure enim ei dici potest, Medice cura teipsum. Sic Iudas, qui nurum suam ad comburendum produci præcipiebat: vbi se eiusdem maleficij consortem agnouit, non modo ream absoluit, sed etiam iustiorem se esse asseruit. *Gene.38.*

Leuit.19. Si habitauerit, ait Dominus Leui.19. aduena in terra vestra &c. ne exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena:& diligetis eum quasi vosmetipsos. Fuistis enim & ipsi aduenæ in terra Ægypti. O præceptum pietatis. O digna sacris legibus institutio. Prima sanè huius litteræ superficies tanta benignitate plena est, vt pium ad se lectorem trahat. Vbi tamen non illum solùm acceperim aduenã, qui solum transit de gente in gentem sed maximè adolescentem illum, qui patre relicto, profectus est in regionẽ longinquã. Iam quasi alienus effectus,& à sanctorum cœtu separatus, si redire voluerit, non exprobremus ei &c.& diligamus illum, vt hac nostra benignitate recreatus, quotidie ad meliora proficiat.

Iosu.7. Fili mi (ait Iosue ad Acham) da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum. Eum qui peccauerat filium vocat, quia quem corrigendo punimus, vt amicum, non vt inimicum punire debemus: ducti videlicet non libidine vindictæ, sed zelo iustitiæ. Hinc etiã discimus quod D. Gregorius prælatis omnibus iniungit, vt videlicet in coercendis subditorum delictis, lingua quidem sit blanda, manus autem seuera: quod in hac castigatione videmus.

Cùm in omni opere virtutis prudentia sit necessaria, tùm vel maximè in alienis vitijs corripiendis. Ideoque merito Isbosethi imprudentia notatur, dum Abner militiæ principem obiurgat, Hac enim de causa regnum amisit. Prudentior vero Dauid, qui debitum sceleri Ioab supplicium dissimulans, in opportunum tempus illud distulit.

Inuidia.

DVM electi proficiunt, reprobi ad rabiem furoris & inuidiæ excitantur: & bona nascentia quæ nolunt imitari, grauius persequuntur. Greg. in mor. *Gregor.*

Nec honorem reputo, in quo fratres meos honorem suũ perdere cognosco. Idem.

Quamuis per omne vitium quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur: in hac tamen nequitia, id est, inuidia, tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem vomit. Greg. in mor.

Ex eo quod iustus videt florentem hypocritam, ipse ad amorẽ cœlestium robustius stringitur: sciens quia bonis desiderijs prę-mia æterna non deerunt: dum prauis cordibus bona temporalia non negantur: & tantò amplius despicit ipsa, quantò cernit ea malis etiam abundare. Greg. mor. lib. 13. c. 19.

Auertat Deus inuidiæ pestem ab animis omnium, ne dũ Christianorum. Vitium enim diabolicum est inuidia: quo solo diabolus reus est, & inexpiabiliter reus. Nõ enim dicitur Diabolo, quod damnetur, quia adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti, sed quia homini stanti tu lapsus, continuo inuidis. Aug. de doctr. *August.*

Per inuidiam Christus crucifixus est. Ideo autem qui inuidet fratri suo, crucifigit Christum. Idem.

Magnus est vir qui inuidiam humilitate superat. Idem.

Inuidia est filia superbiæ: sed ista mater superbia nescit esse sterilis: vbi fuerit, continuo parit: suffoca matrem, & nõ erit filia. Idẽ de verb. Domi.

Inuidia est odium alienæ fœlicitatis, respectu superiorum, quia eis non æquatur: respectu inferiorum, ne sibi æquentur: respectu parium, quia sibi æquantur. Vnde Cain inuidit Abelis prosperitati, Rachel Liæ fœcunditati, Saul Dauidis fœlicitati. Per inuidiam procuratus est lapsus mundi, & mors Christi. Idem in sermo.

Late patet zeli multiplex & fœcunda pernicies, radix est omnium malorum, fons cladiũ, seminariũ delictorũ, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit: auaritiam zelus inflammat, *Cypria.*

inflammat, dum quis non potest suo esse contentus, videns alterũ ditiorem: ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem. Hinc Dominicę vinculum pacis rumpitur: hinc charitas fraterna violatur: hinc adulteratur veritas, vnitas scinditur: atque in hæreses atque schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum Episcopis inuidetur, dum quis quæritur aut se non ordinatum, aut indignatur alterum se ferre præpositum, &c. Cypria. in ser. de inuidia.

Qualis animi tinea est, aut quę cogitationum tabes, inuidere in altero virtutem eius aut fœlicitatem, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia diuina in malum proprium bona aliena conuertere, aliorum gloriam facere suam pœnam, & velut quosdam pectori suo admouere carnifices, & cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta maleuolentiæ vnguibus pulsent. Quibus & longe miserabilior fiat idē ipse qui inuidet, quam is qui inuidi rabidas persecutiones continuo patitur. Quisquis ille est, quem zelo persequeris, subterfugere & vitare te poterit, tu te fugere & vitare non potes: aduersarius tuus tecum est, ineluctabili cathenarum nexu ligatus & vinctus es: zelo dominante captiuus es, nec solatia tibi vlla proueniunt. Non cibus talibus lætus, non potus potest esse iucundus: suspitatur semper, & gemitur, & doletur. Dumque ab inuidis nunquam liuor exponitur, diebus ac noctibus sine intermissione pectus obsessum dilaniatur. Mala cætera habent terminum, & quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro. In latrone conquiescit zelus homicidio admisso: & prædoni rapacitatem statuit possessa præda: & falsario modum imponit impleta fallacia: zelus terminum non habet permanens iugiter malum & sine fine peccatum est. Quantoque ille cui inuidetur successu meliore profecerit, tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit. Hinc vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrænata conuitia, manus ad cædis violentiam promptę etiam si gladio interim vacuæ, odio tamen furiosæ mentis armatæ. Idem, ibidem.

Pet. Rau. Inuidet quidem Dæmon sed hominibus, nulli vero Dæmoni: tu vero

tu vero cum sis homo hominibus inuides: & quomodo cõsequeris veniam? Pet. Raue.

Huic inuido vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, in dentibus stridor, verba rabida, & effrenata conuitia & manus ad violentiam prompta: iuxta illud Poetæ: Pallor in ore sedet, macies in corpore toto. Non recta est facies, lucent rubigine dentes. Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno. Risus abest, &c. Idem.

Inuidia intestinus hostis non carnis quatit muros, non elidit septa membrorum, sed ipsam cordis arietat arcem: & antequam viscera sentiant, ipsam dominam corporis animam prædo capit, & adducit inclusam. Si ergo volumus cœlestem mereri gloriam, si æterni patris inhabitare domum, peruigili fide, terras inuidię pellamus & excludamus insidias: quia sicut nos Deo iungit charitas, à Deo inuidia sic seiungit. O zeli tumor, duos non capit domus ampla germanos. Et quid mirũ fratres? Fecit inuidia, fecit vt mundi tota duobus esset angusta fratribus latitudo: namque ipsa Cain iunioris erexit mortem, vt esse solum zeli liuor faceret, quem primum fecerat lex naturæ. Idem in ser. 3. de fili. prodig.

Frater credidit damnum, qui redijsse conspicit cohæredem. Et quando inuidus non auarus, quando quidquid habet alter, se cõputat perdidisse? Idem hom. de fili. prodig.

Quot homines his temporibus aliena bona propter inuidiam mala sua esse credunt? Cui sufficit fœlicitas sua, vt alium etiam velit esse fœlicem? Nouum & inæstimabile nunc in plurimis malum est. Parum alicui est, si ipse sit fœlix, nisi alter fuerit infœlix. Saluia. contra Gentes. *Saluia.*

Inuidis aliena prosperitas aduersa, aliena aduersitas prospera iudicatur: hi in aliena gratulatione tristantur, in aliena tristitia gratulantur. Isti suas in aliena paupertate diuitias, suam paupertatem in alienis diuitijs metiuntur. Isti autem alienæ famæ serenitatem detractionis nubilo obnubilare conantur. Alanus de Complanctu natu. *Alanus.*

Inuidia quod monstruosius monstrum? aut quod damnosius damnum? quæ culpabilior culpa? quæ pœnalior pœna? Hęc est erroneæ cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, corruptionis aculeus. Qui sunt inuidiæ motus, nisi humanæ

manæ tranquillitatis hostes? mundanæ tentationis satellites? animi laborantis vigiles hostes? alienæ fœlicitatis excubiæ? Ibidem.

Si quis liuoris rubiginē, inuidiæ tineam à mentis thesauro velit proscribere, in alieno dolore suum dolorem inueniat condolendo: alienum gaudium suum faciat, congaudendo: in alienis opibus suas penset diuitias: in aliena paupertate suam lugeat paupertatem. Ibidem.

Ansel. Qui bonis alterius arridet, Sanctis consentit: qui vero inuidet, Diabolis similis est. Siquidem magis puto esse saluationem sperandam eius qui parum aliquid boni facit, quàm illius qui multa, & inuidet alijs. Ansel. de similit.

Clemens Alexan. Quemadmodum columna si recta sit, accepto pōdere amplius confirmatur, si autem modicè obliquata fuerit, non solum non confirmatur, sed amplius vadit ad latus: sic & cor hominis si fuerit rectum, videns opera viri iusti, audiens doctrinam sapientię eius, amplius confirmatur: sed si cor peruersum fuerit, non solum non confirmatur, sed magis ad inuidiam excitatur, & magis peruertitur. Clemen. Alex. super illud Matth. 21. Indignati sunt &c.

Anacharsis. Anacharsis Scytha interrogatus cur homines subinde tristētur, dixit: quia non solum propria mala eis molesta sunt, sed etiam aliena bona.

Socra. Socrates dixit, inuidiam animæ serram esse.

Bion. Bion sophista cum vidisset inuidum quendam valde tristātem demisso in terram vultu, dixit: Aut huic magnum malum cōtigit, aut alteri cuipiam magnum bonum. Bion.

Ouid. Summa petit liuor, perflant altissima venti.

Vale. Ma. Nulla tam modesta fœlicitas est, quæ malignitatis dentes vitare possit. Vnde quidam interrogatus quomodo inuidos non haberet, respondit. Si nihil (inquit) ex magnis rebus habueris: aut nihil fœliciter gesseris: nam sola miseria caret inuidia. Val. Max. lib. 4.

Cicero. Inuidia virtute parta, gloria, non inuidia putanda est. Cicero in Catil.

Mos est hominum vt nolint eundem pluribus rebus excellere. Idem de Clar. Orat.

Durior est conditio spectatæ virtutis quàm incognitæ. Brut. Ciceroni.

Esse

Esse quid hoc dicam, viuis quod fama negatur,
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt inuidiæ nimirum Regulæ mores
Præferat antiquos semper vt illa nouis. *Martialis.*

¶ Venerunt discipuli Ioannis ad eum dicentes, Magister, cui tu testimonium perhibuisti, baptizat, & plures illum sequũtur. Quibus ille respondet, Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autẽ Spõsi &c. Hoc ergo gaudium meum impletũ est, sensus est. Quẽadmodum amicus sponsi vxorem ducentis, de coniugio gaudet amici, deque eximio sponsæ erga illum amore, ita ego magnam capio lætitiam, cum homines (ex quibus Ecclesia Christi sponsa constat) ad illum confluunt. Idem illa Apostoli verba innuunt, Siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Idem penè responsum tulit à Mose Iosue, cum Heldad & Meldad in castris prophetabant. Vide locum. Hoc ergo animo hac mente esse debemus, cum aliorum opera & studio homines ad Christum conuertuntur, non ex hoc inuidiæ facibus inflammari, quod (proh dolor) multi faciunt. COLLE.

Neque lux sine vmbra, neque fœlicitas sine vlla molestia reperitur. Hinc illud, Affricano virtutem industria, virtus gloriã, gloria æmulos comparauit. Is cum Annibalem atrocissimum Popul. Rom. hostem vicisset, & Affricam Romano imperio subiecisset, & Antiochum Syriæ atque Asiæ regem bello superasset: tamẽ inuidiæ cedens inimicorum, sponte subijt exilium.

Rursus contemplatus sum omnes labores hominum & industrias patere inuidiæ proximi. Inuidia enim pestilentissimum virus vbique diffunditur. Ea vero nec coniunctissimis parcit. Romulus Remum fratrem occidit. Cain aduersus fratrem Abel deseuit. Rachel inuidisse scribitur sorori suæ, quod fœcundior esset. Fratres vero Ioseph quantum aduersus innocentem fratrem inuidiæ liuore æstuauerunt? non quod illis superior esset, sed quod somniauerit se superiorẽ futurũ? Qua de causa in mortẽ illius cõspirarũt, haud veriti manus suas propter ea somnia, fraterna cæde cruẽtare. Sed hæc leuiora sunt: lõge mai⁹ est, qđ Maria prophetissa, & Aarõ sanct⁹ Dñi, fratri sanctissimo atq; omniũ mitissimo nõ ꝓpter opes regias, sed ꝓpter diuinorũ munerũ pręstãtiã inuiderẽt. *Eccl. 4.*

Iudicium

Iudicium temerarium.

Gregor. STulti tanto intensius de alieno iudicant, quanto sua profundius ignorant. Greg. in mor.

Humanæ mētis est proprium, hoc sibi fieri suspicari quod facit. Greg. in mor. lib. 14. c. 1.

August. Quid agit pax in ista peregrinatione mortalitatis nostræ, cum adhuc nemo est alteri conspicuus, nemo videt cor alterius, quid agit pax? De incertis non iudicat, incognita non confirmat. Procliuior est ad bene credendum de homine, quàm ad male suspicādum. Non se multum dolet errare, cum bene credit etiam de malo. Perniciosum est autem, cum quis male senserit forte de bono nesciens qualis sit. Quid perdo, si credo quia bonus est? Si incertū est, vtrum sit malus, licet quidem vt caueas ne forte verum sit: nō tamen damnes tanquam verum sit. Hoc pax iubet, Quære pacem ait, & sequere eam. Aug. super Psal. 147.

Bernar. Caue alienæ conuersationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex, etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum: magis autem excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionē, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud te ipsum. Vehemēs fuit tentatio: quid de me illa fecisset, si accepisset in me similē potestatem? Bernar. super Cant.

Si is qui de claustro est, eum qui versatur in populo interdum minus discrete sese agere deprehendat: verbi gratia, in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio, non ad iudicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum: Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Nam tu quidem in tui custodia vigilans, benefacis: sed qui iuuat multos melius facit, & vtilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, id est, absque aliqua inæqualitate vitæ & conuersationis suæ, memento quia

1. Pet. 4. charitas operit multitudinem peccatorum. Idem, ibidem.

Matth. 7. Nolite iudicare & non iudicabimini. Alienissimus est ab aqua ignis: ita & iudicare ab eo qui pœnitere cupit. Etiam si in ipso animæ à corpore digressu quempiam peccare videris, ne tum

ne tum quidem illum damnare audeas. Incertum est enim hominibus iudicium Dei. Clim. Grad. 10.

Qui celeres nimiumque diligentes proximi delictorum iudices sunt, hoc idcirco patiuntur, quia nondum suorum peccatorũ fixam atque perfectam memoriam curamque susceperunt. Nam si quis amoto proprij amoris velamine, mala sua diligenter inspiciat, nullius iam rei alterius in hac vita curam geret: id apud se reputans, tempus sibi sufficere non posse, quo seipsum lugeat, etiam si centum annos vixerit: etiam si Iordanem fluuium in lachrymas versum ex oculis suis manare perspexerit. Notaui luctũ, nec vllũ in eo detractionis, aut condemnationis vestigium inueni. Aut peccare nos Dæmones vrgent, aut cum non peccauerimus iudicare peccantes: vt per hoc secundum primum illud homicidæ inquinent. Idem, ibidem.

Iudicare est impudens direptio diuinæ dignitatis: condemnare autem, animæ propriæ interitus. Sicuti elatio sola absque alio vitio comite perdere se habentem potest: ita & iudicandi vitium & si solum in nobis fuerit, perfectè nos perdere valebit: Siquidem Pharisæus ille ex hoc condemnatus est. Bonus & probus vuæ lector, matura accina comedens, acerba legere nunquam patietur. Porrò grati viri ac prudentis animus, quotquot in alijs virtutes inspexerit, studiosissimè notabit: insipiens vero querelas defectusq; perscrutabitur. Ibidem.

Neque si oculis tuis peccantem videris, condemnes: nec illis credas, sæpius enim falluntur & ipsi. Ibidem.

Sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui bonus est: sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui ipse malus est. Chrysost. super Matth. *Chrysost.*

Omnis homo ex se æstimat alterum: fornicarius neminem putat castum: castus de fornicario non facile suspicatur: superbus neminem putat humilem, humilis neminem putat esse superbum.

Æsopus dicebat vnusquisque nostrum duas peras secum ferre: vnam ante, alteram à tergo: & in anteriore quidem aliorum peccata reponere, in posteriorem vero nostra. Æsopus. *Aesopus.*

Vt quisque est vir optimus, ita difficile esse alios improbos suspicatur. Cicero ad Q. fratrem. *Cicero.*

Quàm

COLLE. ¶ Quàm difficile improbi homines eam virtutem alijs tribuunt
2. Reg. 10 qua ipsi carent? Sic optimates Anon regis filiorum Amon nequaquam persuadere sibi potuerunt, Dauidem grato & beneuolo animo legatos ad visitandum & consolandum ipsum venisse. Quo errore decepti, insigni contumelia eius legatos affecerunt: quę res interitum & ruinam eorum regno attulit.

Prudentia, Imprudentia.

Gregor. PLerumque virtus, cum indiscrete tenetur, amittitur: cum discrete intermittitur, plus tenetur. Greg. in mor.

Solerter animus ante actionis suæ primordia, cuncta debet aduersa meditari: vt semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientię munitus, quicquid accesserit, lucrũ putet. Greg. in moral.

Infirmi dum ventura mala præuidere nesciunt, tantò eis grauiora fiunt, quantò ab eis inopinata tolerantur: prouidis autem repente aduersa non veniunt. Aduersa autem plus sentiunt, qui de prosperis extolluntur. Greg. in mor. lib. 13. c. 8.

August. Eleganter dictum est, cum quis in puteum cecidisset, & aqua eum suffocaret, accessit alius, & eo viso admirans ait, Quomodo huc cecidisti? Obsecro (inquit) cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo hic ceciderim, quæras. August. in Epistol. ad Hierony.

Hæc pax domestica, & cohabitantium ordinata à Deo concordia & clara iustitia: vt scilicet, qui excellunt ratione, excellant dominatione. Idem in lib. senten.

Vbicunque fuerit prouidentia, frustrantur vniuersa contraria: vbi autem prouidentia negligitur, omnia contraria dominantur. Idem lib. de sing. clerico.

Ille iuste & sancte viuit, qui rerum integer æstimator est: ipse est qui ordinatam habet charitatem, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum: aut amplius diligat, quod minus est diligẽdum: aut minus diligat quod amplius est diligendum. Idem lib. de doctri. Christ.

Prudentia

Prudentia absque bonitate, malitia est: & simplicitas absque ratione, stultitia nominatur. Hierony. super Oseam. *Hierony.*

Discretio est quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitiũ erit. Ber. sup. Canti. *Bernar.*

Virtus discretionis absque charitatis feruore iacet: & feruor vehemens absque discretionis temperamento, præcipitat. Idem super Canti.

O vtinam saperes, & intelligeres, ac nouissima prouideres. Saperes quæ Dei sunt: intelligeres quæ mundi sunt: prouideres quæ inferni sunt. Profectò inferna horreres, superna appeteres, quę ad manus sunt, contemneres. Idem in Epist.

Scopulus ille vitandus est, vbi alter offendit: Pecora ipsa vitare noscunt quæ se læsisse cognoscunt: neque itinera illa repetunt, vbi in foueam corruerunt. Tenaces laqueos auis capta declinat: rete auis suspecta non incidet. Isidor. lib. 4. Epistol. *Isidor.*

Neq; vox in piscibus, nec virtus in hominibus imperitis quærenda. Sextus. *Sextus.*

Tutius est chordas remitti intensius quàm protendi: remissarum nanque intensio artificis peritia conualescit: sed quæ semel rupta est, nullo artificio reparatur. Hoc animaduertere discretionis est. Chrysost. de cur. alie. mag. *Chrysost.*

Sicut ij qui olfatus sensu integerrimè vigent, eum qui clam habet aromata ignorare non possunt: ita & anima purissima fragrantia odoris quam ipsa ex Deo acquisiuit: fœtoremque à quo ipsa perfecte liberata est, si sit in alijs, agnoscere (cæteris sine odoris sensu permanentibus) solet. Clim. Grad. 26. *Clima.*

Solus sapiens liber est, ac princeps, etsi innumeros corporis dominos habuerit. *Philon.*

Prudentiam Solon aiebat tantum cæteris virtutibus antestare, quantum visus reliquos sensus excellit. *Solon.*

Non quadratis aut amplis lateribus viri tutissimi sunt: sed qui rectè sapiunt, vbique vincunt. *Sophocl.*

Sapientem decet prouidentia, non pœnitentia. *Epichar.*

Multarum rerum magister est tempus. *Ex Ethnicis.*

Illud est sapere, non quod ante pedes modo est videre, sed etiã illa quæ futura sunt prospicere. *Terent.*

Diogenes

Diogenes. Diogenes nonnullos homines esse dicebat, qui cum belle dicerent, recteque loquerentur, seipsos non audirent: lyrarum more, quæ cum belle sonent, nihil tamen sentiunt.

Pythag. Magnã eam peritiã existimato, per quã ferre poßis imperitiã.

Cato. Demissos animo tacitos vitare memento
Qua flumen placidum est, forsan latet altius vnda.

Idem. Cum sis incautus, neque rem ratione gubernes,
Noli fortunam, quæ non est, dicere cœcam.

Plinius. Sapientior mortalium omnibus horis non sapit.

Idem. Pudendum est omnia animalia quæ sint ipsis salutaria nosse, præter hominem.

Salust. Fortunam vbi abire permiseris, frustra fugientem implorabis. Hoc autem animaduertere prudentia est.

Aristo. Difficile est, simul multa conspicere.

Ex diuersis. Audere non est sapientis.
Desipere in loco summa sapientia est.
Prudentis est multa dißimulare.
Peccare denuo haud prudentis est viri.
Præterita compellunt nos futurorum rationem habere.
Parua sunt arma foris, si non est consilium domi.

Cicero. Sapientis est, nihil admirari cum acciderit, nihil antequàm euenerit, non euenire posse arbitrari. Cicero in Epist.

Nó potest in eo esse succus diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assecutum. Idem. 2. de Orat.

Nihil est turpius, quàm sapientium vitam, ex insipientium sermone pendere. Idem. 2. de Finib.

Qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, is in magnis viris non est habendus. Idem. 2. de Officijs.

Multa sunt incommoda in vita, quæ sapientes commodorum compensatioue leniunt: stulti nec vitare venientia possunt, nec ferre præsentia. Idem. 1. de nat. Deo.

Prudentia est rerum expetendarum scientia. Idem lib. 1. offi.

Est philosophia paucis cõtenta iudicibus, multitudinemq; consultò fugiens, eique ipsa & suspecta & inuida. Idem. 2. Tuscul.

Vt multo maiora sunt opera animi quàm corporis: sic eæ res quas persequimur ingenio ac ratione, gratiores sunt quá hæ quas viribus. Idem. 2. offi.

¶ Sunt

¶ Sunt quædam finitima virtutibus vitia: quæ nisi diligenter aduertas, facile in animum latenter irrepunt. Verbi gratia: prudẽtiã vides astutiæ finitimam: iustitiam crudelitati: fortitudinem temeritati: liberalitatem prodigalitati: religionem superstitioni: spem præsumptioni: timorem pusillanimitati: & cæteras item virtutes suis contrarijs (inter quæ sunt positæ) vicinitate quadam similes apparere. Vigilet itaque diligẽter quisquis magnos in virtute voluerit facere progressus: ne ad vitia propinqua & vicina dilabatur incautus. Prudens itaque Dei seruus sic virtutes amplectatur: vt cum se dederit prudentiæ, fugiat astutiam: cum iustitiæ, crudelitatem: cum fortitudini, temeritatem &c. Hac enim moderatione potissimum virtus indiget moralis: quę inter duo extrema sita est. Quin & humilitas ipsa, à socordia & negligentia, finitimis sibi vitijs, cauere debet. Cum enim humilis seipsum agnoscat, ac suarũ viriũ imbecillitatẽ sæpe sit expertus (ex eo enim quod toties ad virtutis culmẽ aspirat, nec eò perueniat) diffidit plane sibi: spemque suam omnem sic collocat in Deo, vt periculum sit, ne totum onus in ipsum reijciens, nihil sibi operis relinquat. Humilitati ergo diligentia & vigilantia iungenda est: ne aut humilitas sine diligentia torpeat, aut diligentia sine humilitate de se aliquid præsumat. COLLE.

Duo sunt infantium propria: ignorantia, & imbecillitas: duoq; item sunt virorum propria, iudicium, ad discernendum, & robur ad labores perferendos. Quo fit paruulos existimandos esse, qui & ignorantes & infirmi sunt: robustos autem, prouectęque ætatis qui potissimum discretione, & fortitudine, atque patientia fortitudinis comite vigent.

In vno homine duplex homo est, interior videlicet & exterior: alter spiritualis, alter carnalis: quorum vterlibet sibi connaturalia appetit, ille spiritualia, iste carnalia. Itaque similis mihi homo esse videtur alicui viro nobilissimo atque sanctissimo, qui vxorem habeat male sanam, pessimisque moribus imbutam, quæque omnibus mariti cœptis ac sententijs aduersetur. Quãobrem si vir recte sapiat, illud præcipue statuere apud se debet, vt nunquàm mulieris huius consilijs acquiescat, & quidquid illa suggesserit, eò ipso suspectum habeat.

Epictetus philoſophus duas vnicuique rei anſas ineſſe ait, quibus aliter atque aliter prendi poteſt. Stulti autem eam prendere ſolent, quæ ipſis incōmodum afferat: ſapientes vero eam quæ omnem illis moleſtiam adimat: hoc eſt id in quacunque re (pręcipue aduerſa) conſiderant, quod pacem foueat, quodque illos à ſtatu & tranquillitate mentis non deijciat.

Quemadmodum Ianus duas apud veteres dicebatur habere facies: ita fere vnaquęque res totidem quodammodo facies habet: alteram quidem à fronte, alteram à tergo. Stulti autem primam fere rerum faciem contemplantur, ideoque falluntur. Sapientes
1. Reg. 16. vero vtranque ſimul aſpiciunt: Res enim fere omnes, aliud in receſſu abſcondunt, aliud in fronte promittunt. Et ſpecies quidem prior ſæpe fallit. Quo circa recte Salomon, Ne intuearis inquit, vi
Prou. 23. num quando flaueſcit: cum ſplenduerit in vitro color eius &c. Itē
Prou. 5. illud, Fauus diſtilans labia meretricis: nouiſsima autem eius amara quaſi abſynthiū. Itaque vir ſapiens caudam magis ſcorpionis, quàm blandientem faciem attendit.

Quemadmodum dialectica ad hoc potiſsimum inuenta eſt, nō in veritatis inquiſitione deciperemur: & vt vera à veriſimilibus diſcerneremus (cum multa falſa imaginem veritatis præſeferant) ita nobis pro dialectica diſcretio eſſe debet: qua veram virtutem à falſa virtutis ſpecie diſiungamus: ne videlicet (quod multis contingit) vitium virtutis ſpecie nos fallat.

Naturales affectus qui in corde noſtro ſunt, velut ſtimuli quidam ad paranda ea quæ ſunt vitæ neceſſaria, conditoris prouidentia dati ſunt. Sed quoniam affectus iſti cœci & vehementes exiſtunt, ratio veluti auriga ab eodem opifice donata eſt: quæ illos velut præcipites in curſu equos moderetur. Ad hunc ergo modum ſancta deſideria nobis, ad ſpiritualia bona, virtuteſque parandas à Spiritu ſancto donantur: quæ tamen diſcretione tanquam auriga egent qua regantur, & ordinis, modi, temporis, locique rationem habeant. Quare ſine huius aurigæ conſilio non eſt illis ſemper fidendum. Vnde multos Dei ſeruos multa paſsim opera grandia moliri vidimus, quæ parum fœlices exitus habuerunt. Quæ res docet diſcretionis illis iudicium in hac parte de-
Prou. 32. fuiſſe. Hac de cauſa Salomon ait. Ne erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes: quia facient ſibi pennas vt aquilæ, & vo-

labunt

labunt in cœlum.

Diuina prouidentia non excludit humana consilia: quæ salutem afferre possunt. Vbi tamen hæc desunt, præsto adest diuina tutela. Hoc aperte videmus in Dauide rege, qui cum certo sciret ex diuina prouidentia se regnaturum, nihilominus tamen diligentem salutis & vitæ suæ curam gessit: Itaque partim fuga, partim prudentia (dum se apud Achis morionem simulauit) pericula contra se intenta depulit. Vbi vero humana industria nihil opis afferre poterat, ibi diuina prouidentia affuit: nam & Saulem ab obsidione Dauidis repentino Philistinorum aduentu reuocauit: iterumque eodem Saule & satellibus eius, spiritu prophetico arreptis Dauidem ab eminenti interitu vindicauit. Quare recte à Philone dictum est, tunc potissimũ pijs hominibus adesse diuinum, cum humanum cessaret auxilium.

Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Adde etiam aliud festinationis incommodum, nempe illud: Qui festinus est pedibus, offendet. Vtrique enim pedes videlicet corporis & animæ, inconsiderata festinatione labuntur. Quamobrem viri sapientis est lentè festinare: quod quidem anchora delphino coniuncta, veteres olim significabant. *Prou.* 23. *Prou.* 19.

Qui patiens est, multa gubernabitur sapientia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. Patientia igitur est vera prudentiæ probatio. Gubernatoris artem declarant tempestates: prudentiam autem, res incommodæ & aduersæ. Quod idem Salomon alibi quoque testatur his verbis, Doctrina viri per patientiam noscitur. Non ergo religiosa verba, non longa oratio, non ieiunia, non eleemosynæ (quanuis hæc clarissima virtutum officia sint) sed malorum humilis perpessio, perfectam virtutem & prudentiam declarat. Vt autem patientia prudentiæ, ita impatientia stultitiæ comes est. Vnde, Idem Salomon: Impatiens operabitur stultitiam. Quid autem aliud, ira & affectus præceps & impatiens, poterit nisi stultitiam operari? *Prou.* 14. *Prou.* 19. *Prou.* 14.

Non laudes virum in specie sua, nec spernas hominem in visu suo: breuis est in volatilibus apis & initium dulcoris habet fructus illius. Hoc est autem quod Dominus ait, Nolite iudicare secũdum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Huc pertinet & illud. *Eccl.* 11. *Ioan.* 7.

Eccl. 11. Priusquàm interroges, ne vituperes quenquam: & cum interrogaueris, corripe iuste. Priusquàm audias, ne respondeas verbum: & in medio sermone ne adijcias loqui. Prudentiæ quoque munus est, quod deinde subditur, De ea re quæ te non molestat, ne certeris: & in iudicio peccantium ne consistas. Pro quo alius vertit, Ne contendas de eo quod tua nihil interest: nec te iudicem adiungas consensui sceleratorum.

Eccl. 27. Consummatio timoris Dei sapientia & sensus. Ex quo patet perfectæ virtutis fructum esse consummatũ iudicium atque sapiẽtiam: hoc est omnia prospicere, & de rebus omnibus rectè iudicare. Sicut enim adultum ab infante, iudicium: ita perfectum ab imperfecto prudentia distinguit. Prudentiæ est & illud Eccl. 27. Ante sermonem ne laudes quenquam: hæc enim tentatio est hominum. Quæ nam hic tentatio est? Nimirum velle protinus effutire quidquid primo rerum aspectu concipiunt. Vix enim continere se possunt multi, quin quod sentiunt, protinus euomant.

Prudentiæ virtus ad hoc maximè necessaria est, vt hostium nostrorum insidias & fraudes à longe odorari valeamus. Quam nasi nomine Sponsus Cant 7. in Sponsa commendat his verbis, Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit cõtra Damascum. Damascus caput erat regni Syriæ: quod Israelitico regno infestum semper erat: Aduersus autem hostilis huius regni insidias Solomon in confinibus Libani montis, altissimam turrim erexit: vnde exploratores, omnes hostium insidias à lõgè videre, & denũtiare possent. Rectè ergo huic turri prudentia comparatur. Hoc enim inter cætera præcipuum prudentiæ munus est, procul odorari bellum, & omnia hostium nostrorum consilia animaduertere, & ad illa opportunè præmuniri, & ante languorem adhibere medicinam valeamus: vt hac cautione muniti, non circumueniamur à Sathana:

2. Cor. 2. non enim (vt ait Apostolus) ignoramus cogitationes eius. Ideo autem altissimæ huic turri nasus Ecclesiæ comparatur, quod nõ vulgari, sed maxima & insigni prudentia prædita & instructa esse debeat: qua non modo instantia, & oculis obiecta pericula videat, sed procul etiã posita odoretur, & ad illa se muniat. Propter quod

Ezech. 1. sacra illa Ezechielis animalia, non binis oculis vt cætera, sed oculis ante & retrò plena sunt vndique. Est enim prudentia tùm virtutum omnium auriga, tùm periculorum omnium prospectrix.

Melior

Melior est enim prudentia quàm vires, & vir prudens quàm fortis. Quia cum dispositione initur bellum, & erit salus. v.m.c. Hinc illud Solomon. Ciuitatem fortium ascendit sapiens, destruxitque robur fiduciæ eius. *Sapien. 6.* *Prou. 21.*

Superhumerale sacerdotis, quod humeros tegebat, & rationale quod pectus, sic à Deo fieri præcepta sunt, vt fibulis quibusdam connexa, à se nunquam separari possent. Superhumerale, onera laborum, rationale, rationis iudicium & prudentiam designant: quæ duo separari à se nunquam debent, vt videlicet rationale sit obsequium & labor noster. Nullum enim sacrificium nisi discretionis sale conditum, gratum Deo est. Vnde Leui. 2. præcipit Dominus, Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies: nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. Ideò sal sine mensura à rege Persarum dari præcipitur in vsus templi.

Non raro contingit, vt qui in aquis periclitanti subuenire incautius properant, nullam perituro opem ferant, & ipsi cum illo simul pereant. Quoniam verò hoc eodem modo periclitari possunt, qui animarũ saluti studẽt, ideo Eccl. monet, Recupera proximum secundum virtutem tuam: & attende tibi ne incidas. *Eccl. 29.*

In arcam Noe non solũ munda, sed etiã immunda fuerunt animalia: habuit homines, habuit & serpentes. Sed cũ tot tamẽ essent animalia, homines octo tantũ fuere, qui in summò arcæ loco cum Noe versabantur. Quare Origenes illud significari ait, quod cùm infinitus penè sit numerus eorũ qui affectibus & cupiditate brutorum more ducuntur, pauci tamen sunt, qui spretis affectibus & cõculcatis, ratione omnia metiantur, & ratione gressus suos dirigãt. Res planè miseranda, & quæ naturæ lapsum facile indicet: quòd videlicet in rationali creatura tam pauci sint, qui ratione vitã suã moderentur: cùm domos, vestes, cæteraque ad vitæ cultum pertinentia non nisi magna solertia & consilio faciant.

Stultitia.

SÆpe reprobi per hoc quod vnum, vel minimum donũ suum incautè conspiciunt, mala multa & grauia in quibus demersi sunt, non agnoscunt, Greg. in mor. *Gregor.*

Tanto quisque intus amplius stultior fit, quanto conatur exterius sapiens videri. Greg. in mor.

August. Maior & miserabilior egestas nulla est, quàm egere sapiētia: & qui sapientia non eget, nulla re omnino egere potest. Est ergo animi egestas nihil aliud quàm stultitia. Aug. de vit. beat.

Bernar. Quando excusare ignorantia possit hominem, qui se magistrū infantium, & doctorem insipientium profitetur? Ignorans vtique ignorabitur, imo & multos ignorare faciet, & ignorari. Bernar. de Contemp.

Chrysost. Nō est parū scire quod nescias: frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui, vt liberius peccent, libenter ignorant vel infirmantur. Idem sup. 12. Grad. humil.

Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut inquirendi verecundia: & quidem huiusmodi ignorantia non habet excusationem. Idem in Epist.

Non potest eis esse excusatio condemnationis, ignorantia veritatis, quibus fuerit inueniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas. Nam si veritas salus est & vita cognoscentium se, magis debet quæri, quàm quærere. Chrysost. sup. Matth.

Cicero. Est proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, obliuisci suorū. Cicero. 3. Tuscul.

Curiositas.

August. HVC accedit alia forma tentationis. Præter enim concupiscentiam carnis, quę inest in delectatione omniū sensuum & voluptatum, inest animæ per eosdem sensus corporis quædam non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnē vana & curiosa cupiditas nomine cognitionis & scientiæ palliata. Ex hoc autem euidentius discernitur, quid voluptatis, quid curiositatis agatur per sensus, q̄ voluptas pulchra, canora, suauia, sapida, lenia sectatur. Curiositas autē etiam his cōtraria tentandi causa, non ad subeundam molestiam, sed experiendi noscendique libidinē. Quid autē voluptatis habet videre in laniato cadauere quod exhorreas, & tamen sicubi iaceat, cōcurrunt, vt contristentur, vt palleant. Hinc ad perscrutāda naturæ secreta, quæ præter nos est operata proceditur, quæ scire nihil prodest, & nihil aliud quàm scire

homines

homines cupiunt. Hinc etiam in ipsa religione Deus tentatur, cum signa, & prodigia flagitantur, nõ ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata. A te Domine Deus meus (cui humilem famulatũ ac simplicẽ debeo) quantis mecum suggestionũ machinationibus agit inimicus, vt signũ aliquod petam. Sed obsecro te per Regẽ nostrũ, & patriã Hierusalẽ, simplicẽ, castam, vt quemadmodũ à me lõge est ista consensio, ita sit semper longa atque longius. Verumtamẽ in quam multis minutissimis & contemptibilibus rebus curiositas quotidie nostra tentatur, & quàm sæpe labamur, quis enumeret? Aug. Confess. lib. 10.

O Dina, quid necesse est, vt videas mulieres alienigenas? qua necessitate, qua vtilitate? an sola curiositate? Etsi otiose vides, non tamen otiose videris. Bernar. de. 12. Grad. *Bernar.*

❡ Cùm summus Sacerdos semel in anno intra velum oraturus ingrediebatur thymiama prius incendere præcepto Domini iubebatur, vt vapor & nebula ex ea consurgens, oraculum operiret, ne (ait Dominus) moriatur. Rursumque. Num. 4. præcipitur Sacerdotibus vt cùm mouẽda essent castra, sacerdotes filij Aarõ pallijs hyacinthinis sacra vasa, & omnem tabernaculi supellectilem inuoluerent: inuolutaque Leuitis portanda distribuerent. Alij vero (ait Dominus) nulla curiositate videant, quæ sunt in sanctuario, priusquam inuoluantur, alioqui morientur. In priori decreto ait, ne moriatur: in secundo verò (vbi de curiositatis vitio apertius agitur) sine vlla dubitatione affirmat, Alioqui morientur. Propter hoc autem mortui sunt Bethsamitæ, quia simili curiositate arcam Dei videre præsumpserunt. Obserua quàm aperte & sub quibus pœnis in his duobus locis omnis in rebus diuinis vitiosa curiositas interdicatur: quæ vt superbiæ & leuitatis filia, ita etiam multorum errorũ ac malorum mater est. Ex his etiam locis discimus, qua reuerentia ad sacrum corpus Domini accedere, & sacerdotes & cæteri debeant: quando tantam Dominus reuerentiam ad solas sacramentorum nostrorum vmbras exigebat. Quod si propter hæc toties dixit, Pauete ad sanctuaria mea: quis pauor ad illud sanctuarium, in quo ipse vere est, à nobis exigetur? *COLLE.* *Leuit. 26.*

Non esse omnia Dei opera, iudicia, atque præcepta curiose scru-

tanda, satis apertè insinuat, summa illa mundi calamitas, priorum parentum vitio in vniuersum genus hominum inuecta: quæ ab hac serpentis curiositate exordium duxit, Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradysi? Rectè igitur Ecclesiast. voce monemur, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris &c.

Gene. 3. *Eccl. 3.*

Terent. Euentus stultorum magister.

Aristo. Iuuenis non potest esse sapiens: quia prudentia requirit experientiam: quam iuuenis non habet. Aristot.

Ex diuersis.

Aliena mala spectans, doctus euadit.

Ante annos prudentia nulla.

Facilius memorantur semel visa, quam septies audita.

Optimum aliena insania frui.

Producere in lucem verum, dies solet.

Quæ nocent, docent.

Experientia.

August. FRatres charissimi non poteritis probare, quàm vera cantetis, nisi cœperitis facere quod cantatis. Quantumlibet illud dicam, quomodolibet exponam, qualibuscunque verbis versem, non intrat in cor eius, in quo non est opus eius. Incipite agere, & videte quid loquamur: Tunc ad singula verba lachrymæ profluent: tũc psalmus cantatur, & facit cor quod in Psalmo cantatur. Aug. super Psal. 119.

Dionys. Hierotheus addiscit, nõ modo discendo, verum patiendo diuina: atque ex passionis societate, ad indocibilem eorũ mysticamque bonitatem atque fidem consummatus. Diony. de di. no. c. 2.

Veritas.

August. NON aliam putes esse sapientiam nisi veritatem, in qua tenetur & cernitur summum bonum, nullo loco est, nusquàm deest: foris admonet, intus docet: demẽtes in se omnes in melius commutat, à nullo in deterius cõmutatur: nullus de illa iudicat, nullus siue illa bene iudicat. Idem de lib. arbitr.

Veritas dulcis est, & amara: quando dulcis est, parcit: & quando amara, curat. Idem ad Christinũ.

Veritas

Veritas panis est: mentes reficit, nec deficit: mutat vescentem, nec ipsa in vescentem mutatur. Idem sup. Ioan.

Si de veritate scandalum sumitur, vtilius permittitur nasci scādalum, quam veritas relinquatur. Idem, de lib. arbitr.

Errat quisquis se veritatem cognoscere putat, qui adhuc nequiter viuit. Idem lib. de agone Christiano.

Veritas rerum atque vtilitas semper à paucis sapientibus melius inuenitur, quàm per multitudinē clamosam discutiatur: multitudo enim onerosa nihil habet honesti. Casio. in Epist. *Ioā. Caß.*

Talis est conditio falsitatis vel erroris, vt etiam nullo sibi resistente, consenescat, ac defluat: talis autem è diuerso veritatis status, vt etiam multis impugnātibus suscitetur, & crescat. Chrysost. de laud. Paul. hom. 3. *Chrysost.*

Veritas temporis filia. *Aul. Gel.*

Inter veros amicos nihil veritate iucundius. *Adilon.*

Nihil efficacius simplici veritate. *Adilon.*

Tu quoque si vis lumine claro cernere verum, Tramite recto carpere callem, Gaudia pelle, pelle timorem, Spemq; fugato, nec dolor adsit. Nubila mens est, vinctaque frænis, hæc vbi regnant. Boet. lib. 1. de Consol. *Boet.*

Plura iudicant homines, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quàm veritate, aut præscripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus. Cicero. 1. de Oratio. *Cicero.*

Omnibus veris falsa quædam adiuncta sunt, tanta similitudine, vt nulla insit iudicandi & assentiendi nota. Idem. 1. de Nat. Deorum.

Nihil est temeritate turpius neque quicquàm, tam indignum sapientis grauitate, & cōstantia, quàm aut falsum sentire, aut quod non satis exploratè perceptum sit, & cognitum, sine vlla dubitatione defendere. Ibidem.

Non tam autoritatis in disputando, quàm rationis momenta quærenda sunt. Ibidem.

O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias, facile se per se ipsa defendat. Idem. Pro M. Cælio.

Quod verum,simplex,syncerumque est, id est naturæ hominum accommodatissimum. Idem.1.offi.

Vbi quis semel peierarit,ei credi postea,etiá si per plures Deos iuret,non conuenit. Idem pro.C.Rab.Posth.

Terent. Hoc tempore,obsequium amicos,veritas odiú parit. Terētius.

Quintil. Affirmationem sumit ex homine,quidquid non habet ex veritate. Quintil.

Rabi Moyses. In natura hominis est amor sequendi illum cum quo habet societatem,& diligere ea,in quibus nutritus est:adeò quòd videbis habitatores villarú,licet sint ipsi in sordibus,& in defectu delectionũ,& in malitia ciborũ,vt odiant habitationẽ ciuitatũ,nec delectantur in delicijs earum,& eligunt potius ea, in quibus nutriti sunt,quã ea in quibus nõ sunt,licet sint meliora. Simile contingit homini in scientijs & opinionibus in quibus nutritus est ab infantia sua,quoniam diligit illas,& confirmat rationes earum,& anxiatur in contrarijs : & ideo propter hanc causam deficit intellectus hominis in apprehensione veritatis,& sequitur ea,in quibus nutritus est. Rabbi Moyses lib.1.cap.30.

COLL.I. ¶Eos qui errãt ad pauca respicere:prudētissime dixit Arist. Cum omnia quæ rẽ aliquã circũstãt(ne fallamur)diligēter inspicienda sint. Filij Israel in Ægyptũ regredi decernebant, cũ aspicerent ad ollas carniũ,allia,& cepe,quibus se ibidẽ ingurgitabãt. Nec tamẽ ad exactores,ad flagella,ad onera grauissima, ad iugũ & fornacẽ ferreum,ad palearum comportationem,ad laterum conficiendorum numerũ attendebant. Si enim hoc simul attendissent, nũquã id in animum induxissent. Hoc etiam modo deliberant, qui virtutem,vt asperam reijciũt:& vitia,vt suauia amplectũtur: illic enim sola aspera,non etiam blanda:hic vero sola suauia,non item acerba contemplantur:ideoque ad pauca,non ad omnia respicientes, hallucinantur.

Sicut luciosi lucem fugiunt,& tenebris gaudent, & ægroti salutares cibos fastidientes,noxios appetunt (adeo vt frequenter etiam serpentum more terram comedant)ita multi adeò deprauato ingenio & affectu sunt,vt veritatem oderint,& mendacijs delectentur:cum tamen magna fœlicitatis humanæ pars,in cognitione veritatis sita sit.

Consilium.

Consilium.

ADuertendum, quòd in accipiendis consilijs, plurimum valet vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolétiæ vsus, facilitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria est, vbi intemperátia, vbi vitiorum confusio: quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? quis vtilem iudicet causæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? Quomodo enim potero eum iudicare consilio superiorem, quem video moribus inferiorem? Supra me debet esse cui me committere paro. An eum idoneum putabo qui mihi det consilium, quod non dedit sibi: & mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat? cuius animum voluptates occupant, libido deuincit, auaritia subiugat, cupiditas perturbat? Ambro. de offi. lib. 2. *Ambro.*

Quantò vtiliùs regem Pharaonem Ioseph consilio prouidentiæ iuuit, quàm si pecuniam contulisset: Pecunia vnius ciuitatis vbertatem nó redimeret, & prospicientia Ioseph, totius Ægypti per quinquennium famé repulit: Facile enim pecunia consumitur: consilia exhauriri nesciunt: hæc vsu augentur, pecunia minuitur, & cito deficit: vt quò pluribus largiri volueris, eò pauciores adiuues: & sæpe tibi desit quod alij conferendum putaueris. Consilij opisque collatio, quò in plures diffunditur, eò magis redúdat, & in suum fontem recurrit. Idem, ibidem.

Licet vel apud hominem infimum & abiectissimú aliquid rectum, quodque deceat inuenire, quod apud sapientem & magnú sæpe non reperitur. Chrysolo. *Chrysolo.*

Quicunque re vera voluntatem Christi addiscere vult, suam prius voluntatem studiose mortificare debent: deinde vero fide, atque innocua simplicitate orantes, patrum siue fratrum animas summa cordis humilitate, ac sine cordis hæsitatione interrogantes, quæ illi consulunt, tanquàm ex Dei ore suscipiunt: etsi contraria intentioni suæ sint, quæ ab illis fuerint dicta: etiam si hi qui interrogantur, non valdè spirituales fuerint. Neque enim est iniustus Deus, vt animas decipiat, quæ semper fidem & innocentiam proximi consilio atque iudicio humiliter submiserint Ioan. Clim. Grad. 26. *Ioã. Cli.*

Alij

Alij ex ea quæ conatum ſequitur, vexatione & diſturbatione hanc eſſe Dei voluntatem didicerunt:ſecundum eum qui ait, Volumus venire ad vos & ſemel,& ſecundò,& impediuit nos Sathanas. Contrà alij rurſus ex inſperato rei adiutorio, hoc gratum Deo, atque acceptum eſſe cenſuerunt. Idem, ibidem.

Chryſoſt. Conſilium (vitæ lucerna) vbique præeat.

Si millies ſapientes ſimus, & ea quæ fieri oportet conſpectemus, homines tamen ſumus,& conſultore indigemus. Solus enim Deus citra indigentiam eſt, ſoluſque conſultore non eget: quamobrem & de ſolo ipſo dicitur: Quis enim cognouit mentem Domini, aut quis conſiliarius ei fuit? Homines vero, etſi millies ſimus ſapientes, millies redarguimur, & naturæ noſtræ imbecillitas ſe prodit. Non enim poſſunt (ait) ille omnia in hominibus eſſe: quippe non immortalis eſt filius hominis. Quemadmodum iubar fulgens à Solis lumine, caligo ſuperueniens occultat: ita ſæpenumero intellectum quoque noſtrum veluti in ipſa meridie ſplendentem,& luce ſua conſpicuum, ſtultitia vel amentia ſuperueniens obſcurat: & vir ſapiens quod facto opus eſt, non deſpicit, alius autem multò inferior eo, acutius rem deprehendit: atque hoc ita fit, ne vel ſapiens ſuperbiat, vel obſcurus & vilis homo miſerum ſe reputet. Idem.

Iſocrates. Qui de ſuis rebus male ſtatuit, nunquã bene cõſulet de alienis.

Choricius Sine bono conſilio nihil efficit robur: prudentia vero quanuis robur non aſſumpſerit, multa multoties excogitat.

Philon. Meditatio ſera lucrum non habet: & in exitu rei inutilis eſt pœnitudo.

Euripi. Conſilium bonum multas vincit manus.

Saluſt. In capiendis conſilijs, feſtinatio rationis inimica, mẽtis perſtringit oculos.

T. Liuius. Nihil tam inimicum conſilijs quàm celeritas.

L. Florus. Duo ſunt conſilijs inimica, ira & feſtinatio.

Ouid.

Crede mihi: miſeros prudentia prima relinquit,
Et ſenſus cum re, conſiliumque fugit.

Ex diuerſis.

Conſiliarius nemo eſt melior tempore.
Conſilijs euentus non ſemper reſpondet.
Feſtinationis comites ſunt error & pœnitentia.

Fœliciter

Fœliciter sapit, qui alieno periculo sapit.
Parua sunt foris arma, nisi est consilium domi.
Præceps consilium, inauspicatum.
Pessimi sunt consultores, ira & cupido.
Præterita reprehendi possunt, corrigi non possunt.

Non viribus aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, & autoritate, & sententia. Cicc. in Cat. Maior. *Cicer.*

Maximæ Respublicæ per adolescentulos labefactatæ, à senibus sustentatæ & restitutæ sunt. Cum enim ad gubernacula Reip. temerarij atque audaces homines accedunt, maxima atque miserrima naufragia fiunt. Ibidem.

Nõ debemus quicquàm agere, cuius non possimus causam probabilem reddere. Idem. 1. offi.

Ad rem gerendam qui accedit, caueat ne id modo consideret, quàm illa res honesta sit, sed etiam vt habeat efficiendi facultaté: in quo considerandum est illi, ne aut temerè desperet propter ignauiam, aut nimis confidat propter cupiditatem. Ibidem.

Homo qui erranti comiter monstrat viam, quasi lumé de suo lumine accendat, facit: vt nihili minus ipsi luceat, cum ille accéderit. Ennius apud Cicer. 1. de offi.

Summi gubernatores in magnis nonnunquam tempestatibus, à vectoribus admoneri solent. Idem Philip. 3.

¶Prauorum consilia huiusmodi sunt: Eamus, & disponamus testamentum cum gentibus: quia ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos mala multa. Et bonus visus est sermo in conspectu eorum. 1. Machab. 1. Ex hoc consilio totius & religionis euersio consequuta est. Simile fuit consilium Cayphæ de nece Domini: simileque consilium malorum Hiere. 404. Sic enim ad Hieremiam post ciuitatis vastationem dixerunt: Sermonem quem loquutus es ad nos in nomine Domini non audiemus ex te &c. Vide locum. COLLE. *1. Mach. 1*

Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus. Hæc prima prudentiæ regula sit, vt nihil non modo temere, sed nec properanter faciamus. Præcipitatio enim vt iustitiæ, ita iudicij nouerca est. Ergo (vt sapiens monet) Ante omnem actum, cõsilium stabile, subaudi, præcedat. Hoc prudentis viri officiũ esse, *Prou. 4.* *Eccl. 37.*

declarat

declarat Ecclef. cum hac vna re à ſtulto ſapientem diſtare dicat.
Eccl.2. Et cognoui (inquit) quòd tantum differt ſapiens à ſtulto, quãtum diſtat lux à tenebris, Sapientis oculi in capite ipſius: ſtultus in tenebris ambulat. Sapiens enim naturæ ductum, & veluti magiſterium ſequitur: quæ oculos in ſublimi corporis parte, velut in ſpecula quadam collocauit, vnde greſſus omnes, & omnia membra dirigerent: Sic igitur ſapiens ratione & conſilio velut oculis quibuſdam vtitur, qui facienda omnia prius præuideant, quã in opus prodeant. At ſtulti ratione ſopita, velut capti oculis, non iudicio & ratione, ſed turbulentis affectibus, more pecudum ducuntur: propter quod meritò in tenebris ambulare perhibentur, quanuis tenebras ipſi ſuas non agnoſcant. Similes nanque illi puellæ eſſe videntur, de qua Seneca refert, quòd cum cœca eſſet, cœcã ſe eſſe negabat: ſed domum tenebroſam cauſabatur. Ad hunc enim modum flagitioſi homines ſcelerum ſuorum culpam non agnoſcunt, ſed in mundi leges & mores transferunt.

Aurum & argentum conſtituet pedem (hoc eſt ſtabiliunt, & firmant hominem) & ſuper vtrumque conſilium beneplacitũ Eccleſ. 40. Conſtat enim plurima multo fœlicius mente & conſilio, quàm pecunia fieri.

Conſilium à ſapiente perquirendum eſſe docet Thobias filiũ ſuum. Quis autẽ hic ſapiens? Fortaſſe ille eſt de quo Eccl. 37. legimus. Anima viri ſancti enunciat aliquando vera, quàm ſeptẽ ſpeculatores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. Et in his omnibus deprecare altiſsimum, vt dirigat in veritate viam tuam. Huc pertinet & illud ex Pſal. Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet. Pſal. 36.

Eccl. 6. Conſilium, ait ſanctus Tobias, à ſapiente perquire. Rectè ſanè. Ait eñ ſapiẽs, Multi pacifici ſint tibi, ſed cõſiliarius vnus de mille. Cęterũ ſi rudis & indoctus homo ſanũ dederit cõſiliũ, nõ eſt ideo aſpernandũ. Verũ enim à quocũque dicatur, à Spiritu ſancto eſt, qui Spiritus veritatis eſſe dicitur. Vnde Aug. Ego ſenex & Epiſcopus paratus ſum à puero doceri. Huius rei locupletiſsimũ exẽplũ in Moſe habemus, qui Ietro ſoceri Gẽtilis nõ repudiauit cõſiliũ. Qua de re Orig. ſuper hoc loco ita ait, Cũ perſpicio quod Moyſes Deo plenus Propheta, cui Deus facie ad faciẽ loquebatur, cõſiliũ accepit à Ietro ſacerdote Madiã, admiratione nimia ſtuporẽ mentis in-

tis incurro. Dicit enim scriptura, Et audiuit Moyses vocē soceri sui,& fecit quæcūque dixit ei. Nō dixit, Quia mihi Deus loquitur, & quid agere debeā, cœlesti ad me sermone defertur,& quomodo cōsiliū ab homine accipiā,& ab homine gētili alieno à populo Dei? Sed. Audit vocē eius,& facit omnia quæ dicit,& nō quis dicat, sed quid dicat auscultat. Vnde & nos si forte aliquādo inuenimus aliquid sapienter à gētilibus dictū, nō continuo cum autoris nomine illud spernere debemus, nec pro eo quod legem datam à Deo tenemus, cōuenit tumere superbia,& spernere verba prudētū, sed sicut Apostolus dicit, Omnia probate, quod bonū est tenete. Quis autem eorū qui populis præsunt, nō dico si iam aliqua ei à Deo reuelata sunt, sed si in legis scientia aliquid meriti habeat, cōsilium dignatur inferioris saltē sacerdotis accipere, ne dixerim laici, vel gentilis? Sed Moyses qui erat homo māsuetus super omnes homines, accepit cōsiliū inferioris, vt & formā humilitatis populorū principibus daret,& futuri sacramēti designaret imaginē. Sciebat enim futurum quandoque vt Gentiles bonum consilium proferrent ad Moysem, vt bonum & spiritualem intellectum adferrent ad legem Dei, & sciebat quia audiet eos lex & faciet quæcunque dicunt. *Exod.* 18. *1. Thess.* 5

Vnicū temerariæ pręcipitisq; iuuētutis cōsiliū, Salomonis regnū,& religionē euertit: à qua decē tribus miserabili errore defecerūt. Esse autē perniciosissima humanæ prudētiæ à Deo destitutæ cōsilia, Hieroboā expressit, cū adepto regno ait, Nunc reuertetur regnū ad domū Dauid, si ascēderit populus iste vt faciat sacrificia in domo Dñi in Hierusalē, interficiētq; me & reuertētur ad eum. Et excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos,& dixit eis, Ecce Dij tui Israel, qui te eduxerūt de terra Ægypti. Cōstituitq; diem solēnē in mēse octauo, quintadecima die mēsis in similitudinem solēnitatis quæ celebrabatur in Iuda,&c. Propter hāc causam peccauit domus Hieroboā,& euersa est,& deleta de superficie terræ. Simile fuit cōsiliū Pharaonis, cū crescente Hebræorū populo ait, Ecce populus filiorū Israel multus,&c. Venite sapienter opprimamus eū,&c. Simile itē huic illud filiorū Iacob fuit, cū Ioseph fratrē à longe venientē videntes dixerunt, Ecce somniator venit: venite occidamus eū,& videbimus quid illi prosint somnia eius. Euētus autē quàm vana hæc humana cōsilia fuerint, facilè declarat. *3. Reg.* 12. *Exod.* 1. *Gene.* 37.

In rebus

In rebus dubijs nõ viros ſapiẽtes modo, ſed ipſum quoq; Dñm ſuppliciter cõſulẽdũ, & cũ propheta orãdũ, Emitte lucẽ tuã &.v.t. Et, Deus meus illumina tenebras meas: cũ multa alia, tũ illud maximè declarat quod cũ Ocozias rex Iſrael nuntios ad cõſulendũ Beelzebub miſiſſet, occurrit eis Elias dicẽs, Nunquid nõ eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulẽdum Beelzebub Deum Accarõ? Quãobrem hæc dicit Dominus, De lectulo in quem aſcendiſti, nõ deſcendes, ſed morte morieris. Hac pœna iuſtè puniuntur, qui ijs rebus ſalutem quærunt, quibus ſalutis & vitæ autor violatur. Simile eſt & illud Iſaiæ. 9. Et cùm dixerint vobis quærite à Phitonibus qui ſtrident in incantationibus ſuis. Nunquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem pro viuis & mortuis? Qui hoc dicit, paratũ vtique ſe pie quærentibus ad reſpondendum oſtendit. Sic Daniel ſocios admonuit vt à Deo regij ſomnij ſolutionem precibus quærerent: quorum petitioni Dominus libenter annuit. Sed hoc tamen pios præſumere par eſt. Improbi nanque qui per Ezechielem reſponſum à Domino quærebant, acerbè ab illo repelluntur, & obiurgantur. Ezech. 14. Vide locum.

4. Reg. 7.

Simplicitas.

Grego. Nihil ſimplici corde fœlicius: quia ex quo innocentiam erga alios exhibet, nihil eſt quod pati ab alijs formidet. Habet enim quaſi artem quandam ſimplicitatem ſuam: nec ſuſpectus eſt, pati quod ſe feciſſe non meminit. At contra mens praua ſemper in laboribus eſt, quia aut molitur mala quæ inferat: aut metuit ne ſibi hæc ab alijs inferantur. Greg. in mor.

Auguſt. Malitiæ comes indiuidua eſt miſeria.

Simplex eris ſi te mundo non implicaueris, ſed explicaueris: explicando enim te à mundo, ſimplex: implicando, duplex eris. Idem hom. 2. ſuper Ioan.

Hiero. Super illud Matth. Quicunque humiliauerit ſe ſicut paruulus &c. Sicut paruulus non perſeuerat in iracundia, non læſus meminit: non videns pulchram mulierem delectatur: nõ aliud cogitat, & aliud loquitur: ſic & nos niſi talem habuerimus innocentiam, & animi puritatem, regna cœlorum non poterimus intrare. Hiero. vbi ſuprà.

Nihil

Nihil ditius viro simplici. Quid enim simplicitate ditius? quæ sicut bonus pater familias satis sibi abundat, & sua puritate contēta, non quærit alienum, nec abrodit: nec se in varias artes sæpe cōmutat sicut astutia: quæ vt sit cauta, timet omnia, nec suis consilijs credit: versat ipsa suas sententias, simplicitas autem timere nihil nouit. Idem sup. Oleæ.

Quibus vires desunt, rem astu, & insidijs moliuntur. *Philon.*

Fucatis hominibus in conuictu nihil est pestilentius. *Adilon.*

Inuisus est omnibus qui aliud celat animo, aliud loquitur. *Adilon.*

¶ Altare (inquit Dominus) de terra facietis mihi, vel de lapidibus quos ferrum non tetigit: si leuaueris super eo cultrum, polluetur. Quid quæso religionis habēt lapides rudes & impoliti, quidve pollutiónis quadrati & secti? Verum in lapidibus impolitis simplicitas designatur, quæ Deo maximè grata est. Cæterum quadrati lapides hoc habent, quòd superficies eorum externa, quæ spectantibus cōspicua est, politur, atque quadratur: interna vero quæ latet, rudis & inculta relinquitur. His ergo lapidibus homines duplices animo: atque item ea opera designantur, quæ fiunt, vt ab hominibus videantur: quæ coram Domino polluta sunt. Contra ordinem quippe naturæ est (inquit D. Tho.) vt quod opus æterna vita dignum erat, ad popularem auram captandam conuertatur. COLLE. *Exod.* 20.

Contra duplicitatem cordis sunt illa verba Psal. 12. Saluum me fac Deus quoniam defecit sanctus &c. Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suū: labia dolosa in corde & corde loquuti sunt. Phrasis est Hebræa: qua simulatio significatur: quam aperte reddidit Symmachus qui sic vertit: In corde aliud est, aliud loquūtur. Huc pertinet & illud, Diuisi sunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius. Pro quo alij clarius verterunt: Leniora sunt butyro verba oris eius, & in corde eius est bellum. Quam sententiam alia quoque similitudine repetit & exornat, cū subdit: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. *Psal.* 54.

Magnopere in litteris sanctis simplicitas cordis commēdatur. Scio Deus meus (ait Dauid) quod corda probes, & simplicitatem diligas. Et ego in simplicitate cordis mei obtuli &c. Sunt etiā Psalmi hoc titulo prænotati, Ne perdas Dauid simplicē &c. Iacob Dei electus, vir simplex erat, habitans in tabernaculis. Iob quoque vir *1. Par.* 29.

erat simplex, & rectus, & timens Deum. Sponsa vero in Canticis hoc nomine commendatur, quòd habeat oculos columbarũ, qui videlicet nón serpentum malitiam, sed columbarum simplicitatẽ referunt. Denique Prouer. 3. legimus, Abominatio est Dño omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius. Quid igitur, tã laudatæ virtutis nomine accipiemus? Multa planè. Primũ enim simplicitas distinguitur à malitia, quod vitiũ Nabali scriptura tribuit, qui erat pessimus & malitiosus. Huiusmodi autem viros Dauid in Psal. detestatur, cũ ait; Qui loquũtur pacẽ cum proximo suo, mala autẽ in cordibus eorũ. Simplex ergo primũ est, qui ab huiusmodi malitia, & calliditate, seu fraudulentia immunis est. ¶ Simplicitas deinde cõtra duplicitatẽ distinguitur. Sunt eñ viri duplices animo, quos & bifrontes appellamus, de quibus etiã scriptũ est, quod verba malitię in corde, & corde loquũtur: hoc est, qui aliud corde cogitãt, aliud ore profitentur, qui loquũtur pacẽ cũ proximo suo, mala autẽ in cordibus eorũ: qui etiã fraudulẽti atque fallaces appellãtur. De his porrò Hieremias ait, Vnusquisq; à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo nõ habeat fiduciam: quia omnis frater supplãtãs, supplantabit: & omnis amicus fraudulenter incedet: & in fratrẽ suũ deridebit: & veritatẽ nõ loquetur. Simplex igitur est, qui hac duplicitate caret, qui quod sentit, loquitur: nec aliud verbis, aliud animo versat, mẽdacij osor, & veritatis amator: cui vt nihil geminas habet facies (quia omnia candide interpretatur) ita nec ipse geminas cuiquã facies ostẽtat. ¶ Postremò simplicitas cõtra multiplicitatẽ distinguitur: quã quidẽ virtutẽ Ecclesiasticus cõmendat, cũ ait, Fili, ne in multis sint actus tui. Hoc autem faciũt, qui imbecillitatis suæ cõscij, multis se negotijs & curis onerare nolunt, & quęcũque faciunt, ad vnũ Deũ referũt, vnũ illũ intuẽtur, & quãuis per multa spargãtur, in vno tamẽ illo defixos semper oculos habẽt. Ad quod nos quidã ex sanctis illis patribus apud Climacũ inuitat, qui monet in membris agilibus exercere intellectualẽ quietẽ. Ad hoc autẽ præstãdũ maximè iuuat, quod quidam alius ex antiquis patribus alteri dixit, Nõ eris (inquit) verè monachus, quousque sic te erga Deũ geras, ac si nihil aliud in hoc mundo præter te & illũ esset: sentiẽs, ita oculos in Deũ fixos semper, in quouis opere habere debere, ac si nihil aliud in mundo esset. Ita enim fieri, vt cætera pietatis officia, quæ in homines conferimus, mentem

1. Reg. 25. *Psal. 27.* *Hiere. 9.* *Eccl. 11.*

mētē nr̄am à diuinorū cōtēplatiōe nō abstrahāt. Ad hoc autē simplicitatis genus à curarū & operū multiplicitate, táquāad meliorē partē, Dn̄s Marthā vocabat, cū diceret, Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima: porrò vnū est necessariū, nēpe per assiduā cōtēplationē & amorē Deo vniri. De hac verò operū multiplicitate vitāda vide Senecā in Collectaneis nostris, Tit. Occupatio. ¶ Ex hoc verò tertio simplicitatis gradu oritur quartus nēpe, puritas intētionis: qua piū opus in vnū Deū simplici intētione referimus, nō opes, nō honores, nō aliquā aliā cōmoditatē, sed solū diuinæ volūtatis beneplacitū attēdētes, illique vni placere gestientes. Hæc enim esse videtur simplicitas de qua Saluator ait, Si oculus tuus fuerit simplex. t. c. t. l. e. In qua simplicitate Dauid se donaria illa Domino ad templi fabricam obtulisse memorat. *Luca.10.* *Matth.6.*

Iustitia, Iniustitia.

VEra iustitia compassionem habet: falsa vero dedignationem: quanuis etiam iusti soleant rectè peccatoribus indignari. Sed aliud est qđ agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. Gre. in ho. sup. illud, Erāt appropinquātes ad. I. &c. *Gregor.*

Sancti viri quando cum personis minoribus contentionū negotia subeunt, dū grauare vel in minimis timent, ipsi contra iustitiā grauari nequaquam refugiunt. Greg. lib. 5. mor.

Nec ibi Domine dees, vbi lōge es: quia vbi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui enim te non habet placatum nequaquā euadet iratum. Aug. in Manuali. *August.*

Nimia iustitia incurrit peccatum: temperata iustitia facit perfectos. Salsitudinem correctionis amor Christi temperet, & dilectionem proximi sal iustitiæ condiat. Idem de ver. relig.

Remota iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia latrocinia quid sunt, nisi praua regna. Ideo eleganter & veraciter Alexandro Magno quidam Pirata comprehensus, respōdit, cum ab eo interrogaretur, quid sibi vt mare haberet infestum, ille libera voce, Quid tibi (inquit) vt orbem terrarum? Sed ego quia exiguo nauigio facio, latro vocor: quia tu magna classe, imperator. Idem lib. 4. de ciui. Dei. c. 4.

Qui non repellit à socio suo iniuriam si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit, Ambro. de offic. *Ambro.*

Iustitia magis alijs quàm sibi prodest:& vtilitates suas negligit, communia emolumenta præponens. Idem lib. de Paradyso.

Iustitia est quæ nihil alienum vendicat, quę cuilibet dat quod suum est, quæ negligit propriam vtilitatem, vt seruet communẽ æquitatem: Prima iustitia est in Deum: secunda in patriam: tertia in parentes: quarta in omnes. Idem .1. de offic.

Bernar. Iustitia est reddere vnicuique quod suum est. Tribue ergo tribus quæ sua sunt: Superiori, æquali, inferiori. Redde reuerentiã prælato, & obedientiam: quorum altera cordis, altera corporis est. Tribue æquali consilium, quo ignorantia erudiatur: & auxiliũ quò infirmitas iuuetur. Tribue subiecto custodiam, vt posit caue re peccatum, & disciplinam: vt quod minus cauit, minimè maneat impunitum. Bern. in Epist.

Ansel. Iustitia est animi libertas, tribuens vnicuique suam propriam dignitatem: maiori reuerentiam, pari concordiam, minori disciplinam: Deo obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patiẽtiam, egeno operosam misericordiam. Anselmus in lib. Cur Deus hõ.

Cassio. Iustitia non nouit patrem, veritatem nouit, personam non accipit, Deum imitatur. Cassiod. Super illud Psalm. Et operatur iustitiam.

In vitis Pat. Cui nocetur, aut iniuriatur, & voluntate parcit proximo, hic secundum naturam Christi est: Qui nec lædit, nec læditur, hic secũdum naturam Adæ est. Qui vero nocet, aut iniuriatur, aut calumniam ingerit, aut vsuras exigit, hic secundum Diabolum est. In vitis patrum.

Cicer. Vt si vnumquodque membrum hunc sensum haberet, vt posse putaret se valere, si proximi membri valetudinẽ ad se traduxisset, debilitari & interire totum corpus necesse esset: sic si vnusquisque nostrum ad se rapiat commoda aliorum, detrahatque quod cuiq; posit, emolumenti sui gratia, societas hominum, & communitas euertatur necesse est. Cicero .3. offic.

Vt qui in stadio currit, eniti & contendere debet quam maximè posit vt vincat: supplantare eum quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet: sic in vita sibi quęque petere quod pertineat ad vsum, non iniquũ est: alteri diripere, ius nõ est. Idẽ ibid.

Officijs scientiæ anteponenda sunt officia iustitiæ, considerate enim agere plus est, quàm cogitare prudenter. Idem .1. offi.

¶Fre-

¶ Frequentissima & grauissima Diaboli tentatio est, quòd multi qui pietatem per bona opera profiteri videntur, tardissimi ad ea sunt, quibus ex debito iustitiæ tenentur: cum tamen promptissimi & alacres ad alia bona opera sint, ad quæ minimè Dei lege astringuntur. Difficulter enim famulis, & mercenarijs, atque creditoribus debita soluunt: qui tamen eleemosynas facile præbent, & quædam alia pietatis opera libenter exercent. Contra hos autem est, quod Dominus per Prophetam dicit, Ego Dominus diligens iudicium, odio habens rapinam in holocaustum. Rapina autem est, cum Deo offers, quo petenti creditori satisfacere potuisses. Cuius rei causa est, partim malitia Diaboli tentantis, partim propria voluntas, quæ libentius sua decreta & placita, quàm aliena imperia exequitur. Hac ergo ratione sub virtutis imagine, multos Dæmon illaqueat. COLLI. *Esai.* 61.

Quàm gratum Deo sit de peccatoribus supplicium sumi, declarat memorabile supplicium illud, quod de Acham sumpsit Iosue, Tulit namque ipsum argentum, & pallium, & auream regulam, filios quoque, & filias eius, boues, & asinos, & oues, ipsumque tabernaculum, & cunctam supellectilem, & omnis Israel cum eo, & duxerunt eos ad vallem Achor lapidauitque eum omnis Israel: & cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt. Quo facto auersus est furor Domini ab eis. Hoc exemplo collige, quàm detestabile sit peccatum, quamque Deo grata sint peccatorum supplicia. Idē etiam declarat trium annorum fames, quæ (regnante Dauid) propter Saulis aduersus Gabaonitas tyrannidem vexauit populū. Ea enim morte filiorū Saulis sublata est. Iustus enim Dñs, & iustitias dilexit, æquitatem vidit &c. Idē etiā colligimus ex illis Prophetæ ad regem Achaz verbis. Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius. *Iof.* 7. 2. *Reg.* 21. P*sal.* 20. 3. *Re.* 20.

Vehementer nobis misericordiam pariter & iustitiam cōmendatas esse Salomon voluit, cum ait: Misericordia & veritas te non deserant. Circunda eas gutturi tuo, & scribe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo & hominibus. Vide quo amore erga virtutes has nos affici voluit: qui nō cōtentus dixisse, Misericordia & veritas te nō deserant, voluit etiam vt eas tanquam torquem auream collo circundaremus, & in tabu- *Prou.* 3.

lis cordis scriberemus. Simul & illud vide, quomodo cum misericordia veritatem coniunxit Sunt enim qui Diabolo ita suadente, in pauperes profusi, in suos verò sunt auari atque tenaces. Cùm tamen vel vnum iustitiæ opus neglectum, satis sit ad damnationem: innumera autem bona opera, neglecta iustitia, ad salutem minimè sufficiant. Idem etiam Salomon hoc ipsum docet his verbis. Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem

*Prou.*20. quis inueniet? Fidelitatis nomine, hoc in loco Salomon iustitiam intelligit: Is enim has duas virtutes vbique cõiungit. Fidelis enim est, qui fideliter præstat quod debet, & muneri suo plenè satisfacit. Fidem autem pro iustitia accipi, ex eo colligimus, quòd cũ idem

Prou. 31. Salomon dixisset, Per misericordiam & fidem purgantur peccata, paulo post eandem sententiam repetens, ait: Misericordia & veritate redimitur iniquitas. Veritas autem in litteris sanctis, iustitia appellatur. Vt Paralypo. 2. c. 32. Post quæ, & huiusmodi veritatem, venit Senacherib rex &c. Vbi veritatem pro iustitia posuit.

Quanta cura prouidendum sit, nè pauperibus, & infimæ conditionis hominibus noceamus, declarant illa Salomonis verba.

Prou. 23. Ne attingas, inquit, paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas: propinquus enim illorum fortis est, & iudicabit contra te causam ipsorum.

Magnum diuinæ gloriæ studium Moses in peccato Phogor ostendit: qui quamuis super omnes homines mitißimus esset, ad

Num. 25. cædem tamen & sanguinem omnes conuocauit dicens, Occidat vnusquisque proximum suum, qui initiati sunt Beelphegor. Occisique sunt hoc eius præcepto viginti quatuor millia hominum. Quis vnquàm iudex adeò seuerus fuit, vt tot hominũ millia vno impetu cædi iuberet? ¶ Nec minus tamen gratus Deo Phinees fi-

Num. 25. lij Eleazari zelus fuit qui honoris diuini offensione ita commotus fuit, vt in lupanar ingressus, scortatores in locis genitalibus gladio transfoderit. Atque hic animus tàm Deo gratus fuit, vt magnificis propter hoc verbis à Domino fuerit honoratus, Phinees, inquit, auertit iram meam, qui zelo meo commotus, &c.

Iustitiæ regulam & integritatem illa Domini. Nume. 35. verba commendant, Homicida sub testibus punietur, ad vnius testimonium nullus condemnabitur. Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur. Exules & profugi

fugi ante mortem pontificis nullo modo in vrbes suas reuerti poterunt, ne polluatis terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore maculatur: nec aliter expiari potest, nisi per eius sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit. Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum. Ego enim sum Dominus, qui habito inter filios Israel.

Neglecti iuris & obedientiæ supplicium imago illa, & vmbra Samuelis declarauit Sauli his verbis, Faciet tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, &c. quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris eius in Amalech: idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. Cras autem tu, & filij tui mecum eritis: sed & castra Israel tradet Dominus in manus Philistijn. Statimque Saul cecidit porrectus in terram. Extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo. *1. Reg. 28.*

Non facias violentiam pauperi, quia pauper est: nec conteras egenum in porta: quia iudicabit Dominus causam pauperis, & confringet eos, qui confixerunt animam eius. Prouerbi. 22. Item Ecclesiastici. 35. Non accipiet Deus personam in pauperem, & deprecationem læsi exaudiet. Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundant loquelam gemitus. Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt? & exclamatio eius super deducentem eas? Hoc est (vt alij vertunt) aduersus cientem eas opem inuocat? A maxilla enim vsque ad cœlum ascendunt: & Dominus exanditor non delectabitur in illis: hoc est Dominus libenter exaudiet eas. Eandem sententiam inuenies Exod. 22. in hæc verba, Aduenam non contristabis, nec affliges eum: aduenæ enim & ipsi fuistis in terra Ægypti: viduæ, & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me: & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus: percutiamque vos gladio: & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. Inter præcipua verò scelera, quæ Dominus per Prophetas populo suo improperat, oppresio pauperum est. Hinc illud Esai. 3. Quare atteritis populum meum? & facies pauperum commolitis? Item apud eundem. 10. Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserũt, vt opprimerẽt in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei:

 vt essent

vt essent viduæ pręda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longe venientis? Ad cuius confugietis auxilium? &c. Item Hierem. 2. In alis (inquit) tuis inuentus est sanguis animarum pauperum & innocentium. Hoc dicit, quia pauperes à potentioribus spoliabantur, eorumque se opibus ornabant. Alludit autem hoc in loco elegāter ad eas aues, quæ ex rapto viuunt: quæ correpta præda, ita in eius deuoratione efferantur, vt non rostra modo, sed alas etiam eius sanguine cruentent.

Misericordiam nobis sub interminatione diuinæ vindictæ, illa lex Domini Exod. 22. commendat, Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum: ante Solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum quo operitur indumentum carnis suæ, nec habet aliud in quo dormiat. Si clamauerit ad me, exaudiam eum: quia misericors sum. Verè misericors. Vndè enim hæc misericordiæ plenissima lex, nisi à pleno pietatis fonte manauit? Cæterum si clamorem iuste patientis exaudit Deus, quid per violentiam, & iniustitiam oppressi?

Haliæetus immundum in lege animal est: quod quidem rapina pascitur. Sed quia viribus destituitur, minutis tantùm animalibus infestus existit. Sunt huius generis quàm plurimi: qui in solos pauperes violenti, ostendunt non in alijs sibi deesse voluntatem, sed potestatem.

Restitutio.

Grego. GRegorius super illud, Esuriui, & non dedistis, &c. Si tanta pœna mulctatur qui non dedit sua, qua feriendus est, qui abstulit aliena? Grego. mor. lib. 15. c. 10.

August. Quanuis largiaris tuum, meliorem eleemosynā facis, si reddis alienum. August.

Si in ignem mittitur, qui non dedit rem propriam, vbi putas mittendus erit, qui inuasit aliena? Si cùm Diabolo ardet, qui nudū non vestiuit, vbi putas arsurus est, qui expoliauit? Idem de ver. Domini. c. 20.

Quod inuenisti, & non reddidisti, rapuisti, quantum potuisti fecisti:

fecisti: quia non plus potuisti, ideò non plus fecisti. Qui alienum negat, si poterit, tollit. Idem de verb. Apost.

Si res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Idem in episto. ad Maced.

Fulgent. Tractans illud Matth. Omnis arbor. &c. Si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? aut quid recipiet, qui aliena tulerit, si semper ardebit, qui de suo nõ dederit? Etsi iudicium sine misericordia erit illi, qui non fecerit misericordiam, quale iudicium erit illi, qui fecerit & rapinam? Fulgent. *Fulgent.*

Pauperibus non dare, tulisse est. Pudeat illis tollere, quibus iubemur offerre. Vltra omnes crudelitates est, diuitem velle fieri de exiguitate mendici. Cass. lib. 5. Epist. *Cassio.*

Quæsitũ erat à Socrate cur rideret, respondens ait, video magnos latrones ducentes paruum latronem ad suspendium, qui digniores sunt suspendio. Sacrilegia, inquit, minuta puniuntur, sed magna in triumphis feruntur. Valer. Max. lib. 7. *Vale. Ma.*

Vsura.

Nihil vsura turpius, nihil crudelius: alienas enim hæc negotiatur miserias: & lucrum, alterius infœlicitatem facit: & mercedem expetit misericordiæ, velut timẽs nè appareat immisericors: & fictione misericordiæ profundiorẽ fodit foueã: in auxiliando conterens inopem: & in porrigendo manũ, expellens: & suscipiens quidem vt in portum: naufragio autem submittens hunc. Chrysost. super Matth. *Chrysost.*

Super illud Matth. 5. Et volenti mutuare, &c. Similis est pecunia vsurarij morsui aspidis. Percussus enim ab aspide, quasi delectatus pergit in somnum, & per suauitatem soporis moritur: quia tunc venenum latenter per omnia membra decurrit. Sic qui sub vsura accipit, sub tempore quasi beneficium sentit: sed vsura per omnes eius facultates decurrit, & totum conuertit in debitum. Idem vbi suprà.

Sacrificium.

COLLE. ¶Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino, quã victimæ. Misericordia enim & iudicium gratissima Deo victima est. Cæterum de impiorũ victimis idẽ Salomõ ait: Hostiæ impio-
Prou. 15. rũ abominabiles Dño: quæ offerũtur ex scelere. Hinc Dñs, Deute. 23. mercedẽ prostibuli sibi offerri acriter prohibet, ꝙ ea sit abominabilis Dño. Diligit enim iudiciũ, & odio habet rapinã in holo-
Eccl. 34. caustũ. Eò spectat & illud, Qui offert sacrificium ex substãtia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris. Talibus ergo victimis frustra quis salutem sibi pollicetur.

Eccl. 35. Dona iniquorũ non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum: nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis Eccl. 34. Animaduertant hoc qui tota vita perseuerantes in peccatis, huiusmodi donis & sacrificijs salutem sibi in
Ibidem. morte pollicentur. Cæterum de sacrificijs ac donis piorũ Eccl. 35. dicitur: Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu altissimi. Et infrà. In omni dato hylarem fac vultum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Da altissimo secundum datum eius: quia Dominus retribuens est, & septies tantum reddet
Ibidem. tibi. Eccl. 35.

Sacrificium salutare Deoque gratissimum esse orationem, laudem, & gratiarum actionem, late tractat Dominus Psal. 49. cuius initium est. Deus Deorum Dominus &c. Subdit nanque. Audi populus meus, & loquar Israel &c. Non in sacrificijs tuis arguã te &c. quæ sequuntur vsque Immola Deo sacrificiũ laudis &c. & inuoca me in die tribulationis &c. Deniq; in fine ait: Sacrificiũ laudis honorificabit me, & illic iter &c. Pro quo Hiero. ex Hebr. vertit, Qui immolat cõfessionẽ, honorificat me: & qui ordinat vitã, ostẽdam ei salutare Dei. Hæc autẽ laudis cõfessio, sunt vituli illi, de quibus
Oseæ vlt. Oseæ vlt. legimus, Reddemus vitulos labiorum nostrorum. ¶Est
Psal. 50. & aliud sacrificij genus Deo gratissimum: nempe illud, Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus. c. c. e. h. d. n. d.

Num. 18. Leuitis Dominus Num. 18. ait, Omnia quæ offertis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erũt cuncta. Et mox, Non peccabitis super hoc, egregia vobis & pinguiora reser-

uantes,

uātes, ne polluatis oblationes filiorum Iſrael, & moriamini, ideſt, ne veſtro exemplo filij Iſrael inducti, deteriora Deo offerant: quę quidem oblatio polluta eſſe dicitur. Noſtro autem ſæculo, ſi qui parentibus filij aut filiæ contingant mutili, aut amentes, hos monaſticæ vitæ addicunt, eos verò qui ingenio & corpore præſtant, mundo reſeruant.

Obedientia, Inobedientia.

CVM huius mundi ſucceſſus præcipitur, cū locus ſuperior imperatur, is qui ad percipiēda hæc obedit, obediētia ſibi virtutē euacuat, ſi adhæc etiam ex proprio deſiderio anhelat. Greg. in mor. *Gregor.*

Obedientia non ſeruili metu, ſed charitatis affectu ſeruāda eſt: non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ. Greg. mor. lib. 12.

Tractans illud. 1. Reg. Melior eſt obedientia quā victimæ &c. Obedientia ſola virtus eſt, quæ menti cæteras virtutes inſerit, inſertaſque cuſtodit. Melior eſt obediētia quā victimæ. Obedientia victimis iure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Greg. 35. mor. *1. Reg. 15.*

Citius exauditur vna obedientis oratio, quàm decem millia cōtemptorum. Aug. in opere monach. *August.*

Bonum eſt obedire maioribus, parere prefectis & poſt regulas ſcripturarū vitæ ſuæ tramitem ab alijs diſcere, nec præceptore vti peſsimo, præſumptione ſua. Hiero. in epiſt. *Hierony.*

Tantū virtuti adijcies, quātū propriæ voluntati detraxeris. Idē in epiſt.

Non ſemper velle debemus quod Deus vult: ſed hoc velle debemus, quod Deus vult nos velle debere. Anſelm. de ſimilit. *Anſel.*

Age eia age, qui relinquere omnia diſponis, te quoque primū inter relinquenda numerare memento: imo vero maximè & principaliter abnega teipſum, ſi deliberas ſequi eum, qui exinaniuit proter te ſemetipſum. Bernar. de contempt. mundi. *Bernar.*

Extorta ſeu coacta licentia, licētia non eſt ſed violētia. Idem in Epiſtol.

Nō dabit inobediēti copiā ſui tātus obediētię amator, vt mori, quā nō obedire maluerit: ſed nec approbat tuæ cōtēplationis inane otiū, qui dicit per Prophetā, Laboraui ſuſtinēs. Idē ſup. Cant.

Sic profectò, sic multorum vsque hodie pusillanimitas & peruersitas exigit, vt ab eis quæri oporteat, quid vis vt faciam tibi? Non ipsi quærunt, Domine quid me vis facere? Considerare nempe necesse habet minister & vicarius Christi, quid sibi præcipi velint, non ipsi considerant quæ sit voluntas præceptoris. Idem in sermo.

Qui vel apertè vel occultè satagit, vt quod vult ipse, hoc ei prælatus iniungat, ipse se seducit, & frustrà sibi blanditur de obedientia: non enim in ea re ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit. Idem, ibidem.

Si in die ieiunij mei inuenitur voluntas mea, non tale ieiunium elegit sponsus: nec sapit illi ieiunium meum, quod nō lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis decoxit. Ergo ego non solum de ieiunio, sed de silentio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni obseruatione monachi, vbi inuenitur voluntas sua in ea, & non obedientia magistri, id ipsum sentio. Idem super Cant.

Regnū Dei intra nos est. Quid est hoc regnū? Sana & libera voluntas hominis, ita se cōformans volūtati Dei, vt nihil velit quod sciat ei displicere: nihil nolit, quod sciat ei placere. Idē in epist.

Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur: nec contenta angustijs professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis. Idem de præcept. & dispensa.

Verus obediens mandatū nō procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit, vt mandatum peragat imperantis. Idem.

Non attendit verus obediens quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur. Idem.

Non est dubium quin ampliorem gratiam mereatur, qui paratum se exhibet ante mandatum, quàm qui obedire satagit post mandatum. Idem in sermo.

Ioā. Caß. Nullo alio vitio tam præcipitem Diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cum eum neglectis consilijs seniorum, suo iudicio persuaserit diffinitionique confidere. Ioan. Casia. in collat. abb. Moysi.

Tantum est abbatis transire præceptum, vt legas, quantum si contemnas vt dormias. Idem in collat. Daniel. abba.

Non

Non erit caro subiecta animæ, nec vitia rationi, si animus non est subditus creatori. Tunc autem rectè nobis subijciuntur omnia quæ sub nobis sunt, si nos subijciamur ei, à quo nobis illa subiecta sunt. Isidor lib. 1. de sum. bono. *Isidor.*

Quanto obedientiores fuerimus præpositis & patribus, in tantum obediet Deus orationibus nostris. Videamus quàm acceptabilia sunt Domino opera & ieiunia eorum, qui suis potius quàm seniorum voluntatibus obsequuntur. Clamant illi, quare ieiunamus & non aspexisti? humiliauimus animas nostras & nescisti? & ille respondet: Ideo, quia in diebus ieiuniorum vestrorum inueniuntur voluntates vestræ. Videmus per inobedientiam animarũ opera non respici, ieiunia non audiri, vota non suscipi. Eus. Emiss. hom. 3. ad monach. *Eusceb. Emiss.*

Stant quidem obedientes non iunctis pedibus: sed alterum quidem ad ministeria prætenduut, alterum vero fixum in orationibus atque immobilem tenent. Obedientia est animæ propriȩ perfecta abnegatio per corpus certius ostensa. Clim. Grad. 4. de obedientiæ gradu. *Climac.*

Obedientia est inexaminatus atque indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, metus mortis contemptio, tuta nauigatio, confectum dormiendo iter. Obedientia est sepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis. Obedientia est discretionis depositio inter diuitias discretionis. Idem, ibidem.

Tunc demum & labore fatigari deprehenditur hic beatus mortuus, cum se animaduerterit voluntati propriæ obtemperasse, metuens scilicet propriæ voluntatis onus. Idem, ibidem.

Qui patri spirituali nunc quidem obedit, nunc vero inobediẽs est, is ei comparandus est, qui oculis suis modo collyrium, modo calcem imponit. Idem, ibidem.

Sit nobis ô fili forma optima subiectionis argẽtum, quod viuũ dicitur: quod quantumlibet infra omnia voluatur, manet tamen omni sordium cõmistione liberum. Idem vbi suprà.

Ex obedientia humilitas nascitur: ex humilitate discretio: vt à magno quoque Cassiano in eo sermone quem de discretione cõscripsit, venustissimè atque altissimè disputatum est. Ex discretione vero animo clarissimum lumen infunditur, ex quo præuisio

nascitur.

nascitur. Quis igitur ad hoc tam præclarum obedientiæ iter non læto animo occurrat, cum ante se tantam bonorum copiam propositam videat? Idem, ibid.

Non ero occultator iniquus, nec fraudator inhumanus, vt ea apud vos sileam, quæ silere omnino nefas est. Ioannes Sabbaita summus vir mihique charißimus, res mihi retulit auditu mirabiles, & memoratu dignißimas. Quod autem is vir à perturbationibus atque paßionibus sit liber, atque à mendacio procul, verboque opere mundus, & cum eius experimentum cœperim, noui pater optime. Hic ista mihi ita narrauit. Erat (inquit) in monasterio meo quod est in Asia (inde enim iustus ille aduenerat) senex quidam negligentißimus ac parum modestus: quod non iudicãdi causa, sed veritati studens dico. Huic erat discipulus iunior Acatius nomine, quem nescio quo pacto sibi acquisierat: simplex quidem animo ac voluntate, sed sensu & ratione prudentißimus: qui tanta ab huiusmodi sene passus est quæ si referre voluero, plurimis certe videbũtur incredibilia. Et post pauca. Cum igitur egisset annos nouem sub immiti illo & acerbo sene, migrauit ad Dominum: sepultusque est in cimiterio patrum. Post quinque autem dies abijt ad magnum quẽdam illic senem Acatij magister; dixitque illi, Pater, Acatius mortuus est. Quod cum audisset senior, respondit. Vere senex non id mihi persuadebis. Qui ait, Veni, & vide. Continuò surrexit senex, venitque cum beati pugilis magistro ad cimiterium, clamatque tanquam viueret ad eum qui verè in beata requie viuebat, dicens: Frater Acati, putasne mortuus es? Tum vero gratus ille obediens, etiam post mortem obedientiam ostendens, magno illi ita de sepulchro respondit. Et fieri quomodo potest pater, vt moriatur homo obedientiæ deditus? Tũc senex ille qui pridie illius magister appellatus fuerat, territus in faciem cum lachrymis cecidit, atque à monasterij abbate petijt, vt sibi iuxta tumulum eius cellulam construere liceret: illicque iam sobriè vixit, dicens patribus semper, homicidium feci. Idem.

Rem dicturus sum mirabilem, sed vide omnino ne hæsites: habeo enim eius sententiæ patronum Mosem. Expedit in Deum magis peccare, quàm in patrem nostrum, Nam si Deum ad iracundiam prouocauerimus, dux noster illum reconciliare poterit.

Si vero

Si vero ducem ipsum perturbauerimus, nullum iam, qui nobis illum propitium faciat habemus. Idem Clim. Hæc Climaci sententia pie accipienda & interpretanda est.

¶ Summam totius vitæ Christianæ in charitate & obedientia sitã esse, docet Ecclesi. Filij sapientiæ Ecclesia iustorum, & natio eorum, obedientia & dilectio. Horum autem alterum quidẽ causa est, alterum effectus. Ex eo enim quo quis super omnia Deum diligit, maxime cupit illi placere, & voluntati eius obsequi. Volũtas autem eius est, vt mãdata eius custodiamus. Hinc illud, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, &c. COLLEC. *Eccl.* 4.

Obedientiam esse quouis sacrificio Deo gratiorem, declarant illa verba Psal. 39. Sacrificiũ & oblationẽ noluisti, aures autẽ perfecisti mihi: siue vt Hiero. vertit, Fodisti mihi. Holocaustũ &. p. p. n. p. t. d. c. v. In capite libri scriptũ est de me, vt facerẽ volũtatẽ tuam, Deus meus volui, & legẽ tuã in medio cordis mei. Quibus verbis perfectæ obediẽtiæ munus expressit. Quod autẽ ait, Aures autẽ fodisti mihi, cũ sensum exprimit, quẽ Esaias insinuauit, cũ ait, Dñs Deus aperuit mihi aurẽ, ego autẽ nõ cõtradico, retrorsum nõ abij. In quo perfecta obediẽtia designatur: quã idẽ ipse qui à nobis iuste exigit, gratiæ suæ munere concedit. Quidã autẽ hoc eodẽ verbo, perfectæ seruitutis authoramentũ significari eleganter putãt. Auris eñi seruorũ, qui se perpetuę dominorũ suorũ seruituti spõte addicebãt in lege, subula perforabatur. Quodquidẽ iusti homines prę́stãt, qui ad ęternã seruitutẽ spõte sua se Dño dedicarũt. Cęterũ de præstãtia obediẽtiæ supra sacrificiũ, nota est illa Samuelis vox, Melior est obediẽtia quã victimę &c. Cui' rei ignorãtia Saulẽ à regia dignitate deiectũ, in summas miserias & calamitates impulit. 1. *Reg.* 15.

Dignitas obediẽtiæ vel ex eo colligi potest quod in ea salutis nostræ summã in statu innocentiæ Dñs constituit: dum certæ arboris fructu primos parentes interdixit: nõ quod noxius ille esset (nullam enim nocentem stirpem genuerat) sed vt habere se Dominum intelligerent, demererique studerẽt illum, præceptis eius obtemperando, & ab eo quod nec malum quidem per se, nec nocens esset, tamen quia vetitum, abstinendo. Eandem quoque obedientiæ dignitatem Moses ostendit Deuterono. 21. cùm filium parentibus non obedientem, lapidari iussit. Grauior enim

hæc

hæc pœna quàm pro hoc crimine videbatur: nisi quod hac ratione & scelus inobedientiæ vlcisci, & obedientiæ necessitatem voluit declarare.

Verba scripturæ simplicia, magnum frequenter emphasim habent. Quæ tractatores diuinorum eloquiorum in lucem eruere debent. Quid enim animo Propheta concipiebat, cùm diceret,
Psal. 118. Tuus sum ego, Quod perinde est, ac si diceret, Tuus sum ego, non meus, non carnis, non peccati, non mundi: Sed tuus per obsequiũ, per intentionem, per amorem, per plenam resignationem, & obedientiam, & mei ipsius traditionem. Tibi enim & me ipsum, & omnia mea tempora, omnes sensus, & cogitationes dedicaui, meque ipsum totum, velut holocaustum tibi obtuli. Hæc omnia vnicum illud verbum complectitur. Tuus sum ego.

Fœlix illa anima, qui Sponsæ Christi nomen meretur. Ea verò est, quæ Spiritualiter ea Christo præstat obsequia, quæ carnalis sponsa viro suo. Talis enim anima (vt paucis multa comprehendam) se & sua omnia exhibet Christo, & omnia rursum quibus eget, fidenter sperat ab illo. Itaque vt illum supra omnia diligit, ita illi laborat, illi ornatur, illi in omnibus placere satagit, in illius gratiam omnia facit, & in illius semper obsequio intenta est. Et quémadmodum quæ habet omnia illi impendit, ita vicissim omnia ab illo expectat, nihilque ad se pertinere putat, quod ad illum quoq; pertinere non arbitretur. Quæ ergo anima sic se erga Christum Dominum gerit, hæc verè sponsa illius meritò dicenda est. Ad quam perinde elogia illa omnia, & amoris nomina, quæ in Cant. scribuntur, pertinere credendum est. Hoc autem post charitatem præstat vera resignatio, & spes in Christum.

Perfectissimam resignationis, & obediẽtiæ figuram habes. Numer. 9. in filijs Israel: quorum oculi diu noctuque in columnam illam ignis & nubis, quæ illos præcedebat, coniecti erant. Prout enim illa aut ingrediebatur, aut quiescebat, aut locum mutabat: ita illi se se illius ductui accommodabant, illam semper intuebantur, & ab illa toti pendebant: nihil suo iudicio aut coniectura statuentes, sed se totos illius nutui subijcientes. O quis ita penderet ex Deo, quis ita iudicio & sensui carnis mundique renuncians, se totum diuinæ voluntatis iudicio & imperio subderet, vt verè cũ Propheta dicere possit, vt iumẽtum factus sum apud te. Hoc est

igitur

igitur quod nobis illis verbis semel, & iterum repetitis insinuatur, Ad imperium Domini proficiscebantur, & erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant. *Nume.9.*

Præcipitur arca fieri ex lignis leuigatis, siue quadratis. Quadratum est autem, quod nulla vacillat ex parte, sed quocunque ieceris, fida, & solida statione consistit. Tales autem sunt omnes sancti viri, qui videlicet quidquid acciderit, libenter, velut de manu Domini accipiunt, quique cum Apostolo dicere possunt, In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: maledicimur, & benedicimus &c. Et, Per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, &c. Quadrantur verò ligna hæc à summo illo artifice Deo: quoniam diuersis tentationibus dolati, vitijs omnibus, & cupiditatibus resecatis, quadratam continent vitam, & ex omni parte libratam. *2. Cor. 4.* *2. Cor. 6.*

Veræ resignationis exemplum illa Dauidis Absalonem filium fugientis, & arcam in Hierusalem referri præcipientis, verba declarant. Reporta, inquit, arcam Dei in vrbem. Si inuenero gratiã in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi, Non places, præsto sum, faciant quod bonum est coram se. Eodem modo Heli sacerdos Samueli futuram cladem prænuntianti respõdit, Dominus est, faciat quod bonum est in oculis suis. *2. Re. 15.* *1. Reg. 3.*

Perfecta obedientia non solum voluntaria, sed prompta etiam & cita esse debet. Quod exemplo suo docuit Abraham: qui vbi circuncisionis præceptum accepit, statim in ipsa die cum nonaginta nouem annorum esset, circuncidit carnem præputij sui, & Ismaelis filij, & omnium vernaculorum & famulorum quos domi alebat. Eandemque obedientiæ celeritatem præstitit, cùm Isaac filium immolare iussus est: Consurgens enim noctu, strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum. Ad huiusmodi autem obedientiam nos illa Prophetæ vox hortatur. Hodie si vocem eius audieritis, &c. *Gene.17.* *Psal. 94.*

Fides tunc maximè commendatur, cùm nullum ad credendum argumentum adest: vt ibi, Loquimini ad petram &c. Sic etiam spes in desperatissimis rebus præcipuè laudatur: qualis Susannæ fuit. Sic etiam, illa obedientia laudem maximam promeretur, in qua non alia obediendi ratio, quàm sola *Num.20.*

imperantis voluntas est.

In equo generoso hoc præcipuè requiritur, vt facile obtemperet insedenti, & promptißime flectatur quò sessori libitū fuerit. Hoc est autem quod potißimum Dominus requirit à suis, vt videlicet ad omne eius imperium paratißimi sint, siue cum ad exteriora vocat, siue cum ad interiora reuocat. Nam qui contemplationi addicti sunt, difficulter se ad actiuæ vitæ opera conuertunt: cōtra vero faciunt, qui se totos actioni dediderunt. At fidelis & obediēs Dei seruus, dicere cum Propheta debet, Paratum cor meū Deus, paratum cor meum, siue ad interiora, siue ad exteriora voces.

Psal. 107.

Liberalitas, Auaritia, &c.

Grego. Longa nostra desideria increpat vita breuis: in casum multa portantur, cum iuxta est, quo pergitur. Gregor. in homil. 35. super Euang.

Non est census in crimine, sed affectus: Ideo Lazarus pauper fouetur in sinu diuitis Abrahæ, qui seipsum puluerem & cinerem pensabat. Greg. in mor. lib. 10. c. 28.

Super illud Radix omnium malorum cupiditas. Cui cupiditas dominatur, subiectus proculdubio omni vitio esse conuincitur. Greg. lib. 15. c. 10.

August. Multo est mirabilius non inhærere diuitijs quas poßideas, quā omnino eas non poßidere. Aug. de mori. Ecclesi.

Auaritiæ morbus nunquam melius compescitur, nisi cum dies mortis sine obliuione meditatur. Idem de Conflict.

Auarus vir inferno est similis. Infernus autem quantoscunque deuorauerit, nunquam dicit, satis est: sic etsi omnes thesauri confluxerint in auarum. Idem in Epist. ad Comitem.

Quæ est ista auiditas concupiscentiæ, cum & ipsæ belluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt quando esuriunt, parcunt vero prædæ cum sentiunt satietatem. Insatiabilis est sola auaritia diuitum: semper rapit, & nunquam satiatur. Neque Deum timet, neque hominem reueretur: nec patri parcit, nec matrem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat. Viduam opprimit, pupillum inuadit, liberos in seruitium reuocat, testimonium fallum profert. Res mortui occupantur, quasi & qui id faciunt

non moriantur. Quæ est illa animarum insania? Amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum. Idem de Verb. Domini.

Si Deum digne amemus nummos omnino nõ amabimus. Erit tibi nũmos instrumentum peregrinationis, quo vtaris ad necessitatem: non ad irritamentum cupiditatis, quo fruaris ad delectationem. Vtere mundo, non te teneat mundus: quò intrasti, iter age: exiturus venisti, non mansurus. Idem super Psal.

Cur ea quæ ad vsum tibi diuturna esse non possunt, ad supplicium diuturna deposcas? Caue insidias, caue fraudes. Ambro. super Luc. *Ambro.*

Merito clamat Propheta, Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere: Quid enim mihi prosunt, si mecum post mortem esse nõ possunt? Hic acquiruntur, hic relinquentur. Somnum igitur loquimur non patrimonium. Vnde bene ait Propheta, dormierũt somnum suum &c. Idem in sermo.

Modus liberalitatis tenendus, vt quod bene facis, quotidie facere posis. Idem.

Super illud Ioan. Attulit ager cuiusdam diuitis &c. Sicut hi qui per insaniam mente translati sunt non iam res ipsas sed passionis suæ phantasias vident: ita etiam mens auari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum credit videre, semper redditus computat. Aurum gratius quàm Solem intuetur: ipsa eius oratio & supplicatio ad Dominum aurum quærit. Idem.

Vberior est nummus ex paruo, quàm thesaurus ex maximo: quia non tantum quod detur, sed quantum deerat perpenditur. Nemo plus tribuit, quàm qui sibi nihil reliquit. Idem lib. 1. de viduis.

Non solum quæritur quantum, sed de quanto & quo animo detur. Idem super epist. ad Corinth.

Non illa perfecta est liberalitas, si iactantiæ causa magis quàm misericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Idem lib. 1. de offi.

Diuitiarum amor insatiabilis, longe amplius torquet animam quàm refrigerat vsu suo: quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris inuenitur. Bernard. *Bernar.*

in quodam sermone.

Auaritia rotis vehitur quatuor vitiorum: quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio. Porrò iumenta trahentia, tenacitas & rapacitas: & is vnus auriga ambobus præsidet, habendi ardor. Sola quidem auaritia quia conducere plures non patitur, vno contenta est seruitore. Idem super Cant. sermo. 39.

Nihil in hac vita laboriosius quàm desiderijs terrenis æstuare, & nihil hic quietius quàm huius seculi nihil appetere. Idem in serm. 6.

Leo Papa. Amori pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit: nullumque est iustitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum. Leo Pap. in serm.

Virum catholicum & præcipuè Domini sacerdotem, sicut nullo implicari errore, ita nulla oportet cupiditate violari. Més enim pecuniæ auida, nec abstinere nouit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. Idem in sermone.

Hugo. Duo sunt quæ illicitè solent acquirere. s. superbia & cupiditas: & duo quæ male fruuntur acquisitis, gula & luxuria. Superbia Diabolo clausit cœlum: gula primo parenti abstulit paradysum. Auaritia diuiti aperuit infernum: intemperantia vero adhuc corrumpit mundum. Hugo lib. 2. de Claustr. animæ.

Alanus. Auaritia est gloriæ seu quarumlibet rerum insatiabilis & inhonesta cupido. Ibidem.

Auaritia est, per quam in animis hominum deificatur pecunia, imo diuinæ venerationis exhibetur authoritas. Proh pudor! metallorum onera largiuntur honores ad metalli pondera ponderatos. Iam numus patriarcha noster efficitur, qui quosdam in archiepiscopatus intronizat apicem: quosdam in episcopalis fastigij erigit honorem: hos in archidiaconalibus adaptans officijs, alios aliarum pedestrium dignitatum coæquans negotijs. Alanus de conquest. nat.

Origen. An non tibi videtur à terra deuorari ille, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, qui de terra litigat, terram desiderat, & omnem spem suam ponit in terra, qui ad cœlum non respicit, qui futura non cogitat, qui

tat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa deside-rat, sed semper de præsentibus cogitat, & ad æterna non suspirat? Talem cum videris dicito, quia deuorauit eum terra. Orige. hom. 19. super illud Leuit.

Omnium malorum radix est cupiditas, transgressionis mater, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, siccaria virtutum, seditionis origo, fouea scandalorum. Pet. Raue. in sermo. *Pet. Rau.*

Radix omnium malorum est cupiditas. Quæ in primis hoc malum habet: quòd dum ingerit transitoria, abscondit æterna: & dũ à foris posita conspicit, intra se latentia non introspicit: & dũ aliena quærit, factori suo semetipsum reddit alienum. Euseb. Emiss. hom. in Pentecost. *Eseb. Emisse.*

Honestius est rem negare, quàm lõgos terminos dare: quia minus decipitur cui celeriter negatur. Vnde ad multam instantiã res exhibita cara videtur emptione. Gratius est donum quod venit ante preces. Casio. in epist. *Casio.*

Quam multos seducit cupiditas, quàm plures perdidit auaritia? Balaam asella redarguit, & pedem sedentis attriuit, quia captus cupidine promissorum, disposuit maledicere Israeli. Achor populus lapidauit, quia tulit argentum & aurum de anathemate Ierico. Naboth interemptus est, vt Achab vineam possideret. Giezi lepra perfudit, quia petijt & recepit argentum & vestes sub nomine Helisei. Iudas laqueo se suspendit, quia vendidit, & tradidit Christum. Ananiam & Saphiram subitanea mors extinxit, quia de pretio agri defraudauit Apostolum. Ædificauit Tyrus munitionem suam, & coaceruauit aurum & argentum, quasi lutum platearum: sed ecce Dominus possidet eam, & percussit fortitudinẽ eius. Innocentius de vilit. conditionis huma. *Innocen.*

Auaritia secundum Apostolum est Idolorum seruitus. Quia sicut idolatra seruit simulachro sic auarus seruit thesauro. Nam ille cultum idolatriæ diligenter ampliat, & iste cumulum pecuniæ diligenter augmentat. Ille cum omni diligentia colit simulachrum, & iste cum omni cura custodit thesaurum. Ille spem ponit in idolatria, iste spem constituit in pecunia. Ille timet mutilare simulachrum, & iste timet minuere thesaurum. Idem Ibidem.

Radix malorum est cupiditas. Hæc sacrilegia committit & furta, rapinas exercet & prædas, bella gerit & homicidia, simoniacè vendit & emit, iniquè petit, & recipit, iniustè negotiatur & fœneratur. Instat idolis & imminet fraudibus, dissoluit pactum & violat iuramentum, corrumpit testimonium & peruertit iudicium. Idem, ibidem.

Ioã. Cli. Plurimi sapientissimi doctores post tyrannum luxuriæ, hunc auaritiæ millecipitem spiritum statuere consueuerunt. Itaque ne insipientes nos sapientum commutemus ordinem, eandem regulam terminumque secuti, pauca prius de morbo ac sic postmodũ de ipsius curatione loquemur. Auaritia siue cupiditas est Idolorum veneratio, infidelitatis filia, infirmitatum occasiones præfert, senectutis est vates, terræ siccitatem præcinit, venturæ fami prospiciendum suadet. Auarus est euangeliorum irrisor, trãsgressorque voluntarius. Clim. Grad. 16.

Neque fluctus vnquàm deerunt mari, nec auaro iracundia & mœror deesse poterit. Qui auaritiæ materiam contempsit, hic lite omni & controuersia liber euasit: qui vero possidet amat, pro acu etiam vsque ad mortem corrixabitur. Fides constans circuncidet curas: porrò mortis memoria corpus ipsum quoque abnegabit. Non fuit in Iob vllum auaritiæ vestigium: atque ideò priuatus omnibus sine turbatione perstitit. Radix omnium malorum cupiditas & est, & dicitur. Hęc enim & scelera, & furta, inuidias, cædes, diuortia, inimicitias, procellas, iniuriarum memoriam, crudelitatem, mala denique omnia inuenit. Idem, ibidem.

Chrysost. Non amabit proximũ, qui aurũ amat. Chrysost. sup. Ioannem.

Qui non indiget alienis, sed sua sibi sufficere existimat, omnium est ditissimus. Idem.

Vrsi & Lupi saturati rapinam relinquunt: auaris autem nulla satietas. Idem.

Inexplebilitas admodum violenta est, & auaritia præpotens: rapaces vitam hominum perturbant: & huius quidẽ rapinæ sunt, deliciæ autem aliorum: in ipsum cadit execratio, fruitio in alios: aduersus ipsum eduntur suspiria, abundantia contingit alijs: aduersus ipsum funduntur lachrymæ, ab alijs vsurpantur pecuniæ: ipse apud inferos punitur, & alij sæpenumerò in ipsius diuitijs voluptuantes cantillant. Idem.

Horum

Horum itaque trium puerorum quos Nabuchodonosor in fornacem mitti iusſit, nos virtutem debemus imitari. Siquidem aurea nunc imago propoſita eſt, pecunia ſcilicet, in qua mãmonæ formatur effigies, & ad ſeruiendum ſibi cupidorum corda ſollicitat. Sed nequaquam nos aut ſonus tubarum, aut citharæ concentus, reliquaque diuitiarum incentiua commoueant, vt imaginem adoremus auaritiæ. Sed etſi ardentem fornacem paupertatem dico intrare cogamur, eam tamen ipſam ſubeamus, tunc blanda nos in medio flammarum circumuolitabit roris aſperſio. Non igitur horreſcamus paupertatem, quod eam fornacem audimus nominare, neque contra pulchritudine imaginis aureæ capiamur. De huiuſmodi enim fornace Lazarus non minus quàm illi tres pueri clarus egreſſus eſt. At contra diues ille purpuratus qui imaginem adorauit æterno eſt deputatus incendio. Idem ſuper Matth. hom. 4. ope. perfect.

Demoſthenes interrogatus quid homo ſimili Deo haberet, dixit: Benefacere, & vera dicere. *Demoſth.*

Parua beneficia tempeſtiua, maxima ſunt accipientibus ea in aduerſitate. *Democri.*

Parua potius largire, quàm magna promitte. Hoc enim periculo vacat: & qui accipit re non verbis indiget. *Idem.*

Vinum quidem mutatur cum vaſis: diuitiæ autem ſequuntur mores poſſidentium. *Socrat.*

Paupertas multis rebus indiget inexplebilitas omnibus. *Ariſto.*

Diogenes interrogatus quæ nam eſſent feræ peſſimæ dixit: In mõtibus vrſi & leones, in ciuitatibus autẽ publicani & ſycophãtę. *Diogen.*

Si expẽdas vbi nõ oportet, parcus eris vbi oportebat expẽdere. *Chilon.*

Vtere quæſitis modicè cum ſumptus abundat. *Cato.*
Labitur exiguo, quod partum eſt tempore longo.

Lapis Lidius auri index, aurum hominum. *Cleobol[9].*

Auarus volens, pauper eſt. *Ex diuerſis.*
Auaritiæ ſemper vicina eſt crudelitas.
Fœdo quæſtui mox erit calamitas comes.
Liberalitas optima conciliatrix animorum.
Liberalem oportet eſſe ſed pro facultate.

Nihil ita nos decet quàm merenti vel honorem exhibere vel opem ferre.

Omnium est dulcissimum acquirere. Sic auarus.

Parsimonia & labore crescunt res.

Valer. Auaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ aui dissima vorago, nec habendi fructu fœlix, & cupiditate quærendi miserrima. Valer. lib. 9.

Cicero. Non ita claudenda est res familiaris, vt eam benignitas aperire non possit, neque ita reseranda, vt pateat omnibus. Sequuntur enim largitionem rapinæ. Cum enim dando egere cœperint homines, alienis bonis manum afferre coguntur: neque tanta studia assequuntur eorum quibus dederunt, quanta odia eorum quibus ademerunt. Idem. 2. offi.

Sunt multi splẽdoris & gloriæ cupidi, qui eripiũt ab alijs quod alijs largiantur: ijque arbitrãtur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacunque ratione. Id autem tantum abest ab officio vt nihil magis officio possit esse contrariũ. Idẽ. 1. offi.

Propensior liberalitas esse debet in calamitosos, nisi forte erũt digni calamitate. Benefacta enim (vt ait Ennius) male locata, malefacta sunt. Idem lib. 2. offi.

Nihil est tam angusti animi, tamque parui, quàm amare diuitias. Nihil honestius magnificentiusque quàm pecuniam contemnere, si non habeas: si habeas ad beneficentiam liberalitatemque conferre. Idem. 1. de offi.

Nunquam expletur nec satiatur cupiditatis sitis: nec solum ea quæ habent libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. Idem Parad. 1.

Auaritia insatiabilis immensa & incredibilia potest. Ita enim hominum mentes obstrictas tenet, vt eas nullo tempore respirare permittat. Idem in Vatin.

Auaritia senilis vituperanda est maximè. Potest enim quicquã esse absurdius, quàm quò minus viæ restat, eò plus viatici quærere? Idem in Cat. maio.

COLLE. *Eccl.* 18. ¶ Liberalitatis rationem & modum ostendit Eccl. his verbis. Fili in bonis ne des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum melius quàm datum. Stultus acriter improperabit, & datus in disciplinati tabescere faciet animam. Huc pertinet & illud. Datus insipientis

pientis non erit vtilis tibi : oculi enim eius ſeptemplices ſunt. Exigua dabit, & magna improperabit, & apertio oris illius inflammatio eſt. Pro quo & alius vertit: Et os ſuum in ore præconis aperiet. *Eccl. 20.*

Veræ liberalitatis ac benignitatis Dauid præbuit poſt victoriam aduerſus amalechitas exemplum. Cùm enim ſocij qui aduerſus hoſtes dimicauerant, prædam quam cœperant, partiri cum ijs qui ad ſarcinas laſsi remanſerant, noluiſſent: Dauid contrà, non indignabundus (vt rei indignitas poſtulare videbatur) ſed clementer & benignè reſpondens, Non ſic (inquit) facietis fratres mei de his quę tradidit nobis Dominus, & cuſtodiuit nos, nec audiet vos quiſquam ſuper ſermone hoc, æqua enim pars erit euntis ad bellum, & remanentis ad ſarcinas. *1. Reg. 30.*

Olim habuit ſtimulos auaritia, cupiditatem videlicet, & neceſsitatem. Hæ namque ſunt duæ illæ ſanguiſugæ filiæ dicentes ſemper, affer, affer, modo vero his adiungitur vanitas, ocioſitas, & immodicus vſus deliciarum, quorum vnumquodque dicit item, affer, affer. His igitur ventis auaritiæ fornax incenſa, flammis ſuis omnia vorat.

Percute, inquit Dominus Amos. 9. cardinem, & mouebuntur ſuper liminaria: auaritia enim in capite omnium, & nouiſsimum eorum in gladio interficiam. Quibus verbis excidium Dominus Ciuitati propter pecuniæ ſtudium comminatur. Hoc enim percuſsio cardinũ, & motus ſuper liminarium deſignat. Quod ſi illo tempore tantopere hæc auaritiæ peſtis graſſata eſt, quid de hac ætate noſtra dicemus, in qua tãta auiditate omnes pecunię inhiãt, vt vix quicquàm ſe ſe loco mouere, vel os aperire: niſi pecuniæ, aut vtilitatis obtentu velit? Itaque ſicut in hoc naturali mũdo primus ille cœleſtis orbis motus omnium aliorum cauſa eſt: ita pecuniæ cupiditas omnium penè humanarum actionum eſt origo. Quis autem hoc miretur, cum pecuniæ obediant omnia? Pecunię enim dignitates, pecunia honores, pecunia voluptates, pecunia nobilitatem, & omnia tandem præſtãt. Quò minus mirandum eſt, ſi ea in regno cupiditatis, cunctarum penè actionum improborum præcipua cauſa ſit.

Cur Apoſtolus auaritiam potiſsimũ inter omnia vitia idolorũ ſeruitutem appellat? Hoc in cauſa eſſe puto, ꝙ auarus nõ ſolum pe-

cuniæ obſequio totus addictus eſt,& pecuniam ſuprà Deum diligit,in eaque & ſpem omnem,& amorem,& fœlicitatem (quæ in vno Deo collocanda erat)reponit:ſed etiam quia cum auarus iniuſte aliena detineat(ideoque in ſtatu damnationis tota vita perſeueret)ipſo quidem opere vanam eſſe fidem,atque religioné teſtari videtur:neque ſupereſſe aliquid,quod in alia vita merito timendum ſit: quandoquidem ipſe ita ſe gerit, ac ſi nihil illi poſt hanc vitam timendum eſſet. Quin Idolatris deterior quodammodo eſſe videtur:multi namque inter idolatras,idola ipſa velut numen quoddam verentur,eorumque metu ac maleficio deterrentur(quod in hiſtorijs paſsim videre licet)quod tamen auarus non facit:cuius tota vita impietatis & rapinæ ſtudiũ eſt. Inter apophthegmata refertur,quẽdã Pythagoręe diſcipulum calceos à ſutore emiſſe. Cùm autem poſtero die pecuniam quam erat pollicitus referret,mortuum eſſe audiens,pecuniam non inuita manu ſecũ detulit. Cum is poſteà ob ſceleris conſcientiam ſæpè extimularetur, eam in defuncti domum proiecit, dicens. Tibi ille viuit, alijs mortuus eſt. Hoc fecit homo ethnicus, quod tamen non facit auarus.

Prou. 15. Conturbat domum ſuam qui ſectatur auaritiam, qui autẽ odit munera,viuet. Auarus enim domeſticos omnes vrget,vt lucri ſtudijs ſuprà vires etiam incumbant. Quod ſi aut remiſsius ſe gerãt, aut aliquid eorum negligentia pereat,clamant protinus, diſrumpuntur,vociferatur,ac ita domum ſuam conturbare merito dicũ-
Prou. 27. tur. Huc ſpectat & illud, Infernus,& perditio nunquàm implẽtur: ſimiliter & oculi hominum inſaciabiles.

Hiere. 6. Adeò late patet auaritiæ malum, vt Dominus per Prophetam dicat: A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudẽt, à Propheta vſque ad Sacerdotem cuncti faciũt dolũ. Hinc illud Sap. 15. Sed & extimauerunt luſum eſſe vitam noſtram, & conuerſationẽ vitæ compoſitam ad lucrum, & oportere vndecumque etiam ex malo acquirere. Hoc autem multi fideles,non quidem verbis, ſed re ipſa ita profitentur,qui omnes curas,& cogitationes ſuas,& omnia vitæ conſilia ad captanda lucra dirigunt.

Eccl. 10. Auaro nihil eſt ſceleſtius. Quid ſuperbis terra & cinis ? Nil eſt iniquius, quam amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua proiecit intima ſua. Pro quo

alius

alius vertit. Nam pro vita ipsius eruere quisquam viscera sua cogitur. Hoc est non parcit vitæ, vt pecuniæ parcat. Hinc illud. Viro cupido, & tenaci, sine ratione est substantia: & homini liuido ad quid aurum? cum illud non ad vsum, sed ad custodiam habeat? Supplicium autem eius illa verba designant: Qui aceruat ex animo suo iniuste, alijs congregat: & in bonis illius alius luxuriabitur.

Absalon capillis suis suspenditur in quercu, mulus verò, cui insidebat, pertransijt. Hac similitudine auari hominis, & opulenti imago, pœnaque describitur. Capillis enim suis suspenditur, & à mulo deseritur: quoniam in morte possessio quidem eius transit: rapinæ verò, & auaritiæ suæ culpa manet, quæ illum æterno suspendio cruciabit. In hoc ergo sæculo male partas opes alijs fruendas relinquit, ad futurum verò rapinarum culpas sibi perpetuò luendas reseruat. Vnde est illud, Diues cum dormierit, nõ sumet omnia: aliqua enim sumet, aliqua relinquet, sumet quidẽ sibi pœnas, relinquet autem hæredibus diuitias.

Diuitiæ diuites.

Sine dolore amittitur, quod sine amore possidetur. Et ideo Iob. Sine amore possedit, quod lætus amisit. Gregor. in mor. lib. 1. c. 4. *Gregor.*

Abstrahunt diuitiæ mentem à diuino amore, dùm faciunt diuersa cogitare. Nam dum per multa spargitur, stare in intimis fixa prohibetur. Ideo iustus fuit Iob qui ad tam sedula Dei sacrificia, sic occupatus vacauit. Greg. vbi suprà.

Gregor. super illud, Aperiet oculos, sic ait: Cùm dormit diues, aperit oculos: quia in morte videre cogitur, quæ preuidere cõtẽpsit. Vide hoc aureum cap. vbi diuites comparat pauperi se diuitẽ esse somnianti. Mor. lib. 18. c. 10.

Quantò nunc diuites sublimius eleuantur, tantò tunc cõtrà se grauius ingemiscunt. Aperiunt oculos ad supplicia, quos hic tenuerunt clausos ad misericordiam: vilia & fugitiua fuisse cognoscunt, quę cùm tenuerant, magna & mansura videbantur. Gregor. vbi suprà.

¶Mode-

COLLE. ¶ Modestiam & parsimoniam commendat Salomon, cùm sic Dominum percatur. Duo rogaui te, nè deneges mihi antequàm moriar: vanitatem & verba mendacij longe fac à me. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria: ne forte satiatus illiciar ad negandum: & dicam, quis est Dominus? aut egestate compulsus, furer, & peierem nomen Dei mei. Quàm sit autem diuitiarũ possesio vilis, declarant illa eiusdẽ Solomonis verba, Quid prodest stulto habere diuitias, cùm sapiẽtiam emere non posit? Prouer. 27.

Valde timendum est illud verbum, Si diues fueris, non eris immunis à delicto. Hinc & illud, Beatus vir, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris, &c. quæ sequuntur. Ecclesiast. 31. Cæteri hominum à tribus hostibus infestantur; at diuites præter hos, quartum habent hostem nempe diuitias: quæ non modo opportunitate peccandi ad illicita rapiunt: sed impunitatem etiam pollicentur. Hinc Seneca diuitem monet, vt cùm opibus circunfluit, se velut in lubrico retineat. Magnum enim est, peccare posse, nec velle. Vnde est illud, Qui potuit transgredi, & non est trãsgressus, facere mala, & non fecit, vbi suprà.

Venatio Leonis onager in deserto: sic pascua diuitum sunt pauperes. Contrà hos autem est illud. Pannis egentium vita pauperũ est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. De morib. diuitum nonnulla inuenies. Eccl. 13.

Quàm difficile qui pecunias habent, innocentiam tueantur late docet Eccl. 31. Multi (ait) dati sunt in auri casus, & facta est in specie illius, perditio illorum. Pro quo alij clarius vertunt. Multi propter aurum ad casum dati sunt, &c.

Ex puluere Ægypti Moysi virga percusso, innumerabiles cinifes geniti sunt: qui Ægyptios die noctuque pungebant. Hoc autem terrenarum possesionum puluis habet, quòd innumeras ex se curas, & solicitudines parit. Vnde Dominus in Euangelio spinas appellauit diuitias: quoniam (vt D. Gregorius ait) cogitationum suarum aculeis mentem lacerant: & dum vsque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant.

Oratio

Oratio, modus orandi, orationis comites.

QVisquis pro alijs intercedere nititur, sibi potius ex charitate suffragatur: & pro se tantò citius exaudiri meretur, quanto deuotius pro alijs intercedit. Greg. in mor. *Gregor.*

Conditoris auribus illa maximè oratio commendatur, qua pro inimicis quoque intercedere nitimur. Idem in moral.

Qui rebus temporalibus occupantur, tūc bene exteriora disponunt, cum solicite ad interiora recurrunt. Idem in mor.

Sancti quò ardentius Deo inhærent, ab ipso accipiunt, vt ab ipso petant, quod eum facere velle nouerunt: Sic sitim & aquam habent ab eodem. Idem vbi supra.

Sæpe Deus eius precem in perturbatione deserit, qui præcepta eius in tranquillitate contemnit. Sanctos etiam in afflictione adiutores non habet, qui habere socios in hylaritate contemnit. Gregor. vbi sup. lib. 5. c. 30.

Talem se mens, cùm cessat ab oratione, exhibere festinet, qualis apparere in ipsa oratione exoptat. Vnde dicitur, Ne iteres verbum in oratione, idest, cùm mala defleueris, ne iterū facias, quod iterum plangas. Idem sup. lib. 10. c. 16.

Diffidit mens se accipere posse in oratione quod appetit, quæ reminiscitur, nolle se adhuc facere, quod diuinitus audiuit. Dignum est enim, vt ab eius beneficijs sit extraneus, cuius iussionibus non vult esse subiectus. Idem, vbi sup. c. 17.

Cùm se mens ad orationem erexerit, earum rerum imagines reuerberata patitur, quibus anteà otiosa libenter premebatur. Idem, vbi sup.

Apud iudicem misericordem sæpe tristitia quæ orantem aggrauat, ipsa subtilius orat pro nobis. Ideò dicit: Cùm te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer. Grego. vbi sup. c. 15.

Super illud ex Iob, Leuabis ad Deum faciem tuam, sic Gregor. Cum reatu culpæ deprimitur, leuare ad Deum faciem cordis nostri veremur. Cùm verò lamentis culpa diluitur, & sic perpetrata planguntur, vt plangenda non perpetrentur, magna menti fiducia nascitur: & ad conspicienda supernæ retributionis gaudia, mēs

nostra leuatur. Gregor. vbi sup. lib. 16. cap. 10.

Gregor. super illud Ioan. si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciã habemus, &c. sic ait: Si quod præcipit, facimus, quod petimus obtinebimus: debet enim oratio fulciri operatione, & oratione operatio. Mor. 18. c. 3.

Eò magis sancti exaudiuntur ad meritũ, quò citius non exaudiuntur ad votum. Ex dilatione enim crescit desiderium. Grego. 20. Mor. c. 25.

August. Quoniam in medio laqueorum positi sumus, facile à cœlesti desiderio frigescimus. Quapropter assiduo indigemus munimento, vt expergefacti ad Deum nostrum verum & summum bonũ, cum diffluimus, recurramus. Aug. in Manuali.

Qui didicerunt à Domino Iesu Christo mites esse & humiles corde, plus cogitando & orando proficiunt, quam legendo & audiendo. Idem in Epist.

Nullum credimus ad salutem nisi Deo inuitante venire: nullũ inuitatum salutem suam nisi auxiliante Deo operari: nullum nisi orantem, auxilium promereri. Idem de Eccles. dogm.

Orationibus mundamur, lectionibus instruimur: vtrunque bonum est si licet: si non liceat, melius est orare, quã legere: quia in lectione cognoscimus quod facere debemus, in oratione eadẽ accipimus quæ postulamus. Idem.

Spiritus gratiæ facit, vt habeamus fidem, fides orando impetrat, quod lex imperat. Idem.

Scio quia male mihi est præter te Dñe, non solum extra me, sed etiã in me ipso: & omnis copia quæ Deus meus nõ est, egestas mihi est. Ibidem lib. 14.

Conferamus nos ad te, & bene nobis erit de te: Malum est nobis de nobis: Quia dimisimus te, dimisisti nos nobis. Idem de verbis Domini ser. 4.

Oratio tua loquutio est ad Deum: quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras, cum Deo loqueris. Idem sup. Psal. 75.

Tunc porrò in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur. Tales orationes veræ sunt multis, crebræ paucis. Idem super Psal. 118.

Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidẽ orationes habere, sed eas breuissimas tamen, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa

illa vigilanter erecta (quæ oranti plurimum necessaria est) per productiores moras euanescat, atque hebetetur intentio. Idem ad Probam.

Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius vitæ & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit vtilius, magis nouit medicus quàm ægrotus. Idem in lib. senten. Prosp.

Oratio oranti est subsidium, Deo sacrificium, Dæmonibus autem est flagellum. Idem in serm.

Multum precari, est Deum quem precamur, diuturna & pia cordis exercitatione pulsare: nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur: plus fletu quàm affatu. Idem ad Dioscor.

Oratio Deum vngit, sed lachryma pungit: hæc lenit, illa cogit. Idem in serm.

Orationis puræ magna est virtus: & velut fidelis nuntius, mandatum peragit: & penetrat, quò caro non peruenit. Idem super Psal. 65.

Oratio refectio est ieiuniorum: duritiam cordis emollit, austeritatem temperat, ieiunium dulcificat: Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic & ieiunium sine refectione orationis, non potest animam perfectè nutrire. Idem in serm.

Cùm aliquid aliquando tardius dat Deus, commendat dona non negat. Desiderata diu, dulcius obtinentur, citò autem data vilescunt. Idem, de verb. Dom. c. 1.

Aug. super illud. Quodcunq; petieritis, &c. sic ait. Male vsurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante nô accipit. Proinde si hæc ab illo petuntur vnde homo læditur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus.

Non tu accipiendo proficis, & Deus in dãdo deficit: quantumlibet capaces fauces, capacem ventrem afferas, fons vincit sitientẽ. Idem de verb. Apo. c. 16.

Ieiunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis. Hiero. super Marc. *Hierony.*

Quoties pro centum animabus psallimus, vel missa canitur, tantum prodest cuilibet, quantum si pro qualibet caneretur. Idẽ in Epist.

Lectionem

Lectionem frequenter interrumpat oratio, & animam iugiter adhærentem Deo grata vicissitudo sanctæ operationis accendat. Idem ad Demetria.

Orationi lectio, lectioni succedat oratio. Breue videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur. Idem ad Lętam.

Hieronymus de orationis suæ perseuerantia sic ait. Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino imperante tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam quasi cogitationum mearum consciam pertimescebam: & mihimet iratus & rigidus, solus deserta penetrabam. Sicubi concaua vallium, aspera montium, rupiũ prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum deponebam: & (vt ipse mihi testis est Dominus) post multas lachrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi agminibus interesse Angelorum, & lętus gaudensque cantabam. Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus. Ibidem.

Ambro. Si pro te rogas tantùm, pro te solus rogabis: si autem pro omnibus rogas, omnes pro te rogabunt. Ambr. in Hexame. lib. 1.

Multi minimi dũ cõgregantur vnanimes, sunt magni: & multorum preces impossibile est contemni. Idem lib. de pœnit.

Bernar. Orando bibitur vinum spirituale lætificans cor hominis: vinũ scilicet Spiritus sancti, quod inebriat mentem, & carnalium voluptatum infundit obliuionem, humectans interiora arentis cõsciẽtiæ, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spẽ confortans, vegetans ordinãsq; charitatem, & impinguans mores. Ber. in Epist.

Licet omni hora, & omni loco oculi Domini nos speculentur, maximè tamen in oratione: licet enim semper videamur, sed tunc etiam præsentamus nos, & ostendimus quasi facie ad faciem cum Domino colloquentes. Bernar. in Epist.

Timida oratio cœlum non penetrat, quia restinguit animum timor immoderatus, vt omninò non dico ascendere, sed procedere nequeat. Tepida verò in ascensu languescit & deficit, eò quòd non habeat vigorem. Temeraria ascendit quidem, sed resilit: resistitur enim ei, nec tantùm non obtinet gratiam, sed meretur offensam. Quæ verò fidelis, & humilis, & feruens oratio

fuerit,

fuerit, cœlum ſine dubio penetrabit: vnde certum eſt, quòd vacua redire non poſsit. Idem in ſerm.

Scienti legem & non facienti peccatum eſt illi. Propterea ſciẽs quia in oratione datur bona voluntas, cum videris quæ agenda ſunt, vt conualeſcas ad agendum quæ videris, aſcende tu ad orationem, ora inſtanter, ora perſeueranter. Idem ibidem.

Deſpiciuntur orationes leues, diffidentes, inutiles, ſeculi curis anxiæ, & rerum corporalium deſiderijs implicatæ, bonorum operum fructibus infœcundæ. *Hilari.*

Oratio eſt in terreſtri corpore incorporea operatio, aſpectus immotus animæ in fide Deum aſpiciens: ordo rationalis animę ad Deum, cui ſe ſtudio ſubdit: conſiſtentia animæ ante Deum, allocutio diuinas aures pulſans: ſuauis clamor in ſenſu cordis: negatio omnium (dum agitur) corporalium actionum: reſtrictio ſenſuũ, obliuio ſui & omnis creaturæ, portus vago ſpiritui, præſentatio ſui coram iudice: diſiudicatio ſui ad mortem æternam: diffidentia ſuarum actionum: præuentio ante aduentum: id eſt, iudicium ante diuinum iudicium: verum animæ ſpeculum, luminare ſplendidiſsimum: lux inuiſibilis ad actionem inuiſibilem: vmbra æſtuantem refrigerans: iactatio ſui in Deum, nihil volendo, niſi quod illi fuerit gratum. Simon Caſsia. *Simon Caſſia.*

Multum iuuat orationis puritatem, ſi omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis: ſi ſemper ab otioſis ſermocinationibus auditum pariter caſtigemus & linguam. Quæcunque enim ſæpius agere, loqui, vel audire ſolemus, eadem neceſſe eſt ſæpius ad animum, quaſi ſolitam propriamque recurrant ad ſedẽ: & ſicut volutabra ſues paluſtria, columbæ limpida ſolent frequẽtare fluenta: ita cogitationes immundæ impuram mentem perturbant, caſtam verò ſpirituales ſanctificant. Beda de templ. Salo. *Beda.*

Non conciliat Deum multiplex orationis ſermo, ſed puriſsima ſynceraque cordis intentio. Iſido. *Iſidor.*

Oratio ſerenat cor, abſtrahit à terrenis, mũdat à vitijs, ſubleuat ad cœleſtia, reddit capaces & dignos ad accipenda bona ſpiritualia. Caſsiodor. *Caſſio.*

Oratio eſt piæ mentis & humilis ad Deum conuerſio, fide, ſpe & charitate ſubnixa. Hugo. *Hugo.*

Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum *Caſſia.*

me festina &c. Huius versiculi oratio in aduersis vt eruamur, in prosperis vt seruemur, ne extollamur, incessabili iucunditate fundenda est. Huius igitur versiculi meditatio in tuo pectore indirupta voluatur. Hunc in opere quolibet siue ministerio, siue in itinere constitutus, decantare non desinas: hunc & dormiens, & reficiens, & in vltimis naturæ necessitatibus meditare. Ioan. Cassia. in collat. 10. Isaac cap. 10.

Oratio posita est, per quam ira Dei suspenditur, venia procuratur, pœna refugitur, & præmiorum largitas impetratur: Cum Deo loquitur, cum iudice fabulatur, præsentem sibi facit, quem videre non præualet: ad penetrandum iudicium precator admittitur, & nullus inde respuitur, nisi qui in ea tepidus inuenitur. Idē super Psal.

Virtutem sanctæ orationis intēde: quia tantò se credit celeriùs audiendam, quantò de imis penetralibus clamat ad Dominum. Idem super psal. 101.

Saluia. Aures eius in preces eorum. Per id quod dicitur, diuinas aures in precibus semper esse iustorum, non audientia tantum Dei, sed quædam quasi obedientia demonstratur. Semper enim audit, semper exaudit, ilicò audita concedit. Quàm beati essemus, si quàm promptam erga nos Dei obedientiam legimus, tam promptè ipsi Dominum audire vellemus. Saluianus cont. gent.

Diony. Deus quidem omnibus adest, atque ipsi nō adsunt omnia. Adsumus autem ei, vbi ipsum castissimis precibus, animoque purgato, atque ad diuinam coniunctionem idoneo, inuocamus. Itaque nos ipsos ad celsiorem diuinorum contuitum orationibus in primis comparamus. Diony. de di. no. cap. 3.

Clima. Qui in fratrū medio consistit, non tantum ex psalmorum modulatione, quātum ex oratione lucrari potest. Nam sæpe ex alternis vocibus & modulationibus ne virtutē intellectumque psalmi consequi possimus, impedimur. Ioan. Climacus.

Noli tristari aut mœrore vllo affici, si dum oras, subtilissimè inimicus irrepit, animique intentionem clàm vt fur auertit: sed bono animo esto, dum semper lubricam reuocas mentem: Angelis enim solùm datum est, huiusmodi non patere furibus. Idem.

Sta in orationis prece tremens, nec aliter quàm reus iudici assistens, vt & interiori & exteriori habitu fauorem iusti iudicis concilies:

concilies: neque enim patitur animam viduam despicere sibi anxiè astantem. Idem, de Luctu. Grad. 7.

Conuenit ijs, qui nondum veram cordis orationem possederunt, corporeæ exercitatio orationis. Videlicet manuum extẽsio, tunsio pectoris, gemituum singultuumque perturbatio, syncerus atque iugis in cœlum cõspectus, perpetua genuum curuatio: quæ omnia dum nonnunquam propter præsentes facere non possumus, tunc maximè nos oppugnant Dæmones. Idem. Grad. 15.

Is qui dum orat, Deo se assistere intimo cordis affectu existimat, vt columna perstabit immobilis. Idem Grad. 18.

Probat quidem aurum fornax, sed studiũ & charitatẽ in Deum monachorum, probat orationis intentissimæ qualitas. Idem ibid. *Simil.*

Dei amator monachus mox vt sonus tubæ increpuerit ad orationem vocans, lætus & hilaris dicit. Euge, euge: negligens vero, væ mihi, væ mihi. Mensæ præparatio gulæ deditos arguit: orationis autem exercitatio Dei amatores probat. Prior ille dum instructam conspicit mensam, gestit lætitia, sequens autem mæstior fit: Somnus multus obliuionis est opifex, vigiliæ verò memoriam emundant. Diuitias agricolæ ex area & torculari colligunt, monachi verò suas opes & scientiam vespertinis maximè nocturnisque orationibus, & animi exercitationibus congregãt. Idem Grad. 19. *Simil.* *Simil.*

Sicuti fures cùm arma regia in loco aliquo posita viderint, non illuc facilè ascendunt: ita & qui corde orationem coniunxit, non facilè ab intellectualibus latronibus violari poterit. Idem in Cõpend. suprad. om. *Simil.*

Oratio secundum qualitatem quidem suam coniunctio atque vnio est hominum & Dei: secundum actionem verò constantia mundi, recõciliatio Dei, lachrymarum mater, earumque itẽ filia, peccatorum propitiatio, tentationum pons, tribulationum interpositus paries, bellorum confractio, Angelorum opus, incorporearum omnium virtutum cibus, futura lætitia, infinita operatio, virtutum fons, gratiarum ministra, profectus inuisibilis, nutrimentum animæ, mentis illuminatio, desperationis amputatio, fidei demonstratio, tristitiæ solutio, monachorũ diuitię, solitariorũ thesaurus, iræ imminutio, speculũ profectus, mensurarum indiciũ, status insinuatio, futurorum reuelatio, flẽtibus clemẽtiæ significatio. Oratio eis qui rectè orant, curia, & iudicium, & tribunal

Domini ante futurum tribunal est. Exurgentes audiamus sacram hanc virtutum reginam, excelsa ad nos voce clamantem ac dicentem. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris, plagisque vestris medicinam: iugum enim meũ suaue est, & peccata sanat maxima. Idem. Grad. 28.

Simil. Si vnquam visibili iudici obnoxius fuisti, non tibi alia forma iam opus erit, quam imitari debeas, dum orationi insistis. Quòd si neque reus ipse astitisti, nec alios examinari perspexisti, vel ex infirmorum precibus, quas medicis dum secandi vel vrendi sunt fundunt, huiusmodi aliquid addisce. Ibidem.

Cum in orationis verbo vel dulcedine perfundi, vel compungi te sentis, in ipso persiste: tunc quippe custos noster nobiscum orat. Ibid.

Etiam si totam virtutum scalam conscendisti, tamẽ pro remissione peccatorum ora, audiens de peccatoribus clamãtem Paulũ: Quorum primus ego sum. Idem ibidem.

Orationis quidem initium est, fluctus animo aduenientes solo & tacito mẽtis imperio ex ipsis initijs fugare. Medium verò, cùm in ijs quæ dicuntur, vel cogitantur, mens tota est. Finis autem, raptus ad Dominum. Idem ibidem.

Si te semper exerceas, vt mens tua nunquam longius vagetur, etiam in ipsa mensæ appositione prope te erit. Sin autem effrenè & liberè vagari patiaris, nunquam tecũ permanere poterit. Ibid.

Nihil est aliud oratio, nisi mundi visibilis atque inuisibilis alienatio. Quid enim mihi est in cœlo? nihil. Et à te quid volui super terram? nihil, nisi tibi semper in oratione absque vlla distractione adhærere. Nonnullis quidem opes in desiderio sunt, alijs gloria, quibusdam mortalium quarumlibet rerum acquisitio, mihi autẽ adhærere Deo bonum est. Ibidem.

Simil. Non sic is qui condemnandus est, pœnæ suæ sententiam metuit, vt qui orationis curam solertiùs habet, cum ad illam assistit, trepidat. Ibidem.

Præpara te per sempiternam animæ orationem ad assistendum precibus tuis, & citò proficies. Idem ibidem.

Charitatem quidem militis ad imperatorem suũ, indicat bellũ: monachi verò charitas ad Deum, maximè quo tempore orationi

astat,

astat, deprehenditur. Statum tuum oratio tua manifestabit tibi. Hác enim monachi esse speculum, monachi rectissimè tradunt. Qui quodlibet opus incipit, & orationis tempore adueniente adhuc in illo moratur, à Dæmonibus illuditur: intentio namque furibus est, horam per horam nobis furari. Ibidem.

Ea quæ pluribus precibus atque temporibus laboribusque acquiruntur, solida sunt, atque durabilia. Idem ibidem.

Dirum quidem est, aquam ex sitientis ore diripere: sed longe est dirius, animam summo affectu compũctionis orantẽ, priusquã perfectè consumatur oratio, se ipsam priuare iucundissimo isto nimiumque desiderabili statu. Noli ab oratione desilire, quoad videas ignẽ & aquam diuina dispẽsatione cessauisse: neq; enim huiusmodi tẽpus remissioni peccatorũ aptissimum fortasse in omni vita tua inuenies. Qui orationis gustum cepit, vno sæpe verbo incautius emisso, inquinauit mentem, atque in oratione assistẽs, quẽ cupiebat, nequaquam, vt solebat, inuenit. Ibidem.

Idẽ ignis consumẽs, & lux illuminans dicitur. Vnde & quidam ab oratione exeuntes, veluti ex fornace ignis egrediũtur, sordis cuiusdã atque materiæ leuamẽ sentientes. Alij verò velut à luce illustrati, atque duplici humilitatis & exultationis amicti veste inde procedunt. Qui verò absque his duobus affectibus ab oratione exeunt, corpore non spiritu (vt Iudaicè dixerim) orant. Ibidem.

Qui baculum orationis iugiter tenet, non offendet: sed & si offendere eũ contigerit, non penitus cadet. Quippe oratio piè Deo vim infert. Ibidem.

Nõ possumus verbis discere aspicere: natura enim id sequitur. Neq; orationis pulchritudinẽ per alteri⁹ doctrinã addiscere poterimus. Ipsa enim in seipsa Deũ habet magistrũ: qui docet hominẽ sciẽtiã, datq; orationẽ orãti, & benedicit iustorũ annos. Idẽ ibid.

Tu nõ audis orationẽ tuã, & Deũ vis audire precẽ tuam? Flecto (inquit) genua: curuasti quidẽ genua intus, sed mens tua foris vagabatur: corpus tuum intus in Ecclesia, sed animus tuus foris: os quidem loquebatur, sed mens vsuras cogitabat. Chrysost. in serm. *Chrysost.*

Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite: sic nec oratio sine ieiunio, nec ieiuniũ sine oratione. Idẽ sup. Matth.

Ignis non ita extergit æruginem vt nocturnæ preces peccatorum nostrorum sordes expurgant. Idem.

Coram Domino orat, qui animam suam vndequaque colligit, & nihil commune habet cum terra, sed intra se ipsum migrat, & omnem humanam cogitationem ex anima eijcit. Idem.

Vbi oratio & gratiarũ actio est, Sãcti spũs gratia accedit, & fugã tur Dæmones, & omnis cõtraria potẽtia aufugit atq; discedit. Idẽ.

Oratione acquiritur conuersatio Dei: seiungitur autẽ à Deo qui non se coniunxerit ei. Qui verò separatur à Deo, illum necesse est aduersario coniungi. Idem.

Oratio custodia est temperantiæ, virginitatis sigillum, iræ castigatio, superbiæ moderatio, animæ memoris iniuriarum expiatio, inuidiæ demolitio, pacis confirmatio. Idem.

Pro se orare necessitas cogit, pro alijs autẽ charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autẽ ante Deũ est oratio, nõ quã necessitas trãsmittit, sed quã charitas fraternitatis commendat. Idẽ sup. Matth.

Orans nihil nouum faciat quod aspiciãt homines, nec voce clamet, nec manus expãdat, nec oculos tollat, vt notabilis fiat. Ibidẽ.

Fuit Iacobus tanta vitæ sanctitate cõspicuus, vt episcopatũ primus Hierosolymorũ acciperet. Aiũt genua eius obduruisse callo, & tantam in eo fuisse carnis iniuriam, vt adhuc viuentis omnia ferè membra morerentur, atque asiduitate orationis, iugique ad pauimentum prostratione corporis, frontem quoque eius callo similiter obductam, vt nihil etiam ipsa à cameli genibus discreparet. Samuel pro Saule tamdiu orans, non est exauditus: neque etiã pro sorore sua Moyses. Et apud Ezechielem, si tres viri isti Moyses, Daniel, & Iob, &c. Habent vim orationes sanctorum, sed tunc sanè, cùm nos pariter pœnitendo postulamus. Idem sup. Matth. hom. 5. oper. perf.

COLLE. ¶Moses oraturus in monte, virgam Dei habet in manu sua: per quam crux Christi designatur, vt intelligas omnes nostras orationes crucifixi Domini Iesu meritis fulciendas ac iuuandas esse. Quorsum enim orationi virga adhibetur, nisi vt meritum illius virgæ quę de radice Iesse egressa est, innuatur? Id autem quotidie facit Ecclesia, cùm in calce orationum suarum addit. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Apocal. 7. appellantur orationes sanctorum odoramenta. Quare? Quia suauissimè ante Dominum redolent. Cur ita? Quia cùm

Deus

Deus infinita & immensa bonitas sit, maximè ipsius naturæ consentaneum est, de hominibus benemereri, seque illis communicare. Gaudet autem huiusmodi opportunitate benefaciendi oblata. Est autem maxima opportunitas benefaciendi, cùm creatura se per orationem suo creatori subijcit.

Quemadmodum piscis extra aquam positus, & arbor extra genitale solum posita læditur, quia hæc naturalia harum rerum loca sunt: ita planè cor hominis diuinæ contemplationi assuetum, vbi oculos à Deo deflexerit, male habet, quia extra suum locum ac veluti centrum est.

Quisquis orationẽ suá fiducia fulcire velit, circunducat oculos per admiranda diuinæ prouidẽtiæ opera, quibus Deus in seruādis alẽdisque animātibus vtitur. Videat, quæ apes, quæ formicæ, quæ aranei, quæ vulpes, quæ lupi, cùm improba eos exagitat fames, cæteraque animátia faciũt, vt cibũ sibi parẽt, vt vitã suam tueātur, vt pullos suos nutriāt: deprehendetque non solũ ea facere quę vix humana ratio excogitare potuisset: sed frequenter etiã quæ supra rationẽ polita sunt, attingere: nã & tẽpestates imminentes, & serenitates, & pluuias, & stragẽ hominũ futurã, & aeris tẽporisque mutationes pręsentiunt, sibique opportunè prospiciunt. Si ergo tãta cura Deus brutis animantibus necessaria prouidet, quæ illi gratiam nec habere, nec referre possunt, quonammodò nobilissimæ creaturæ quæ ad vitæ vsum necessaria sunt, denegabit: quæ illius beneficijs grata esse potest, & ꝓpter quã cętera omnia cõdita sunt?

Deo quatenus Deus & actus purus est, cõuenit à nullo aliquid posse recipere, & ipsum omnibus dare. Creaturæ verò quatenus creatura & indiga est, conuenit recipere. Ideò sicut creatoris proprium munus est, omnibus semper dare: ita creaturæ esse deberet, ab illo semper petere. Cùm enim creatura petit, tunc vel maximè suum officium facit, quemadmodum cùm Deus dat, suo munere fungitur. Sed ille tamẽ semper hoc facit, eiusque hoc perpetuũ munus est, cũ nos tamẽ in nostro officio frequenter deficiamus.

Vita Christiana est sicut arbor inuersa, quæ videlicet in cœlo radices iaciens, è cœlo pẽdet, & in terra germinat. Vnde sicut tota olitoris cura in fodiẽdis irrigãdisque plantarũ radicibus versatur, quibus è visceribus terræ succus in alimẽtum arboris trahitur: ita maxima piorũ cura in eo esse debet, vt cogitationum & affectuũ *Simil.*

suorum radices in cœlo figant, vt inde cœlestis gratiæ succum trahant, quo virtutum germina in terra proferant. Hoc autem Propheta præstabat, cùm diceret, Leuaui oculos meos in montes, vnde.v.a.m. Et rursum. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Hoc autem quid aliud est, quàm radices virtutum cœlestibus vndis irrigare? Denique sicut mundus hic naturalis à cœlo pendet: ita etiam supernaturalis (qui est Ecclesia, & anima etiam fidelis) à supernaturali mundo (hoc est Deo) spiritum & virtutem hauriunt.

Psal.120. *Psal.122.* *Simil.*

Orationis præcipua cura esse debet, vt præceptis Dominicis obsequamur: magis quàm vt spirituali dulcedine oblectemur. Hinc Propheta, Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, &c. Quorsum hoc? Nimirum, vt videam voluntatem Domini: hoc est, vt audiendis ibi, meditandisque diuinis legibus, intelligam voluntatem eius, quam videlicet studiosissimè exequar.

Psal.26.

Simil. Qui excutere è silice ignem vult, non contentus semel percussisse, iterum atque iterum percutit, donec tandem scintillam excutiat: ita quisquis Dominum precatur, etiam si ilicò ad votũ non exaudiatur, perseueret tamen: quoniam si perseuerauerit pulsans, voti tandem compos fiet.

Gallina quæ continuò ouis incubat, & calore suo fouet, in pullos breui temporis spatio transformat. Quæ autem frequenter oua deserit, vix pullos educit. Quo exemplo discimus, quantum perseuerantia in acquisitione virtutis & sapientiæ iuuet, quãtumque huius studij & laboris frequens intermißio noceat.

Ezec.22. Quãdo castigare populũ Dominus vult, deprecatores è medio tollit, vt sine vllo impedimento eius censura sæuiat in peccantes. Vnde est illud, Quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus pro terra ne dissiparẽ eam, & nõ inueni & effudi super eos indignationem meã. Rursumque Hieremiæ ait, Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne assumas laudẽ & orationẽ pro eis, & non obsistas mihi: non enim exaudiam te. Cõtrà verò cum precatores adhibet, misericordiã præstat, iuxta illud, Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam & misericordiam suam à me. Quo in loco Aug. ait, Quandiu Deus non tollit à te orationẽ tuam, non amouebit à te misericordiam suam.

Psal.65.

Danda

Danda opera est, vt frequenter mentem ad Deum per breues orationes, & pios amoris affectus eleuemus, etiam si nullũ ex hac re fructum percipere videamur: sæpe enim anima proficit, & se proficere nescit. Sic enim plantæ quotidie crescunt, quanuis id nõ appareat: & vmbræ lineæ in horologio solari continuè, sicut ipse Sol mouetur, nec tamen moueri cernitur: ita virtutes & gratia inuisibiliter in nobis hisce actibus & motibus crescunt. Et quanuis hoc meritum exiguum sit, tamen sicut hyrũdines exiguis luti particulis quas secum baiulant, nidum paulatim construunt grandiorem: ita piorum mentes huiusmodi licet paruis incrementis ad iustam gratiæ magnitudinem excrescunt. *Simil.* *Simil.*

Imbecillitatis nostræ magnitudo declarat, quãtum diuina ope & orationis continuo studio egeamus, quò Dei opẽ imploremus. Omnia enim quæ infirma sunt, alieno subsidio egent, quo fulciantur. Ægrotus qui vix pedibus consistere valet, assidua eget alimonia, qua nutantia mẽbra sustentet. Cæcus qui per iter difficile graditur, cõtinuo eget ductore, qui eum in via dirigat. Arbor in arido plantata solo, frequentibus eget aquis, quibus irrigetur, vt fructum proferat. Sordidus locus fœtores ex se putidos noxiosq; exhalans, bonis odoribus implẽdus est, ne noceat. Vlcus ardore suo finitimam carnẽ incendens, frigidis assiduè liquoribus refrigerãdum est. Hæc autem mala omnia nobis propter peccatum obuenerunt. Nos enim infirmi, nos cæci, nos in arido mundi huius solo plantati, nos fomitem intra nos peccati gestantes, noxios variarũ cupiditatum fœtores exhalamus, nos denique vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem deformati sumus: ideoque frequẽtissimis remedijs & medicamentis indigemus. Præsentissima verò remedia sunt, sacra lectio, oratio, meditatio, ieiunia, silentium, occasionum peccandi fuga, sensuum diligens custodia, & frequẽs sacramentorum vsus. Hæc enim omnia miro modo imbecillitatẽ nostram adiuuant: sine quorum præsidio vita nostra inter innumera huius vitæ offendicula periclitatur. Si enim qui ista sæpe remedia frequentant, non omninò periculo vacant, in quo periculo erunt, qui ab his prorsus alieni sunt? *Similium inductio.*

Petite & accipietis. Magnam nobis in orando fiduciam prębet, non solùm immensa Dei nostri bonitas, sed horum etiam verborum veritas. Quis princeps vnquam seruo suo præcepit, vt ab eo *Simil.*

aliquid peteret, quod non impetraret? Nec enim summa illa veritas & charitas sibi ipsi contraria est. Quorsum autem attinebat, vt Deus iuberet petere, nisi vellet etiam donare?

Matt. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, i.i.r.c. sed qui facit voluntatem, &c. Orationis enim præcipuum munus est, auxilium petere, quo diuinam legem atque voluntatem poßis imple-
Eccl. 35. re. Vnde est illud, Qui conseruat legem, multiplicat orationem. Non sufficit ergo orare, si male viuas: cùm finis orationis, diuinæ
Simil. legis adimpletio sit. Quorsum enim medicamenta sine salute? arma sine victoria? studium sine scientia? & nauigatio, nisi perueniatur in portum?

Quod quæso, dum oramus, spei nostræ atque exauditionis maius argumentum est? Alius fortasse merita propria & vitæ integritatē, alius percepta Dei beneficia, quæ sanctis olim patribus magnam impetrandi fiduciam præbebant: alius immensam Dei misericordiam & veritatem prædicabit, quæ ad se humiliter confugiētibus opem promisit. Inter hæc autem spei nostræ præsidia, verè maximum est, quod cœlestis Pater dilectißimum filiū suū velut pignus & obsidem misericordiæ & exauditionis suæ nobis contulit: vt per eius gratiam & merita misericordiam inueniamus in auxilio opportuno. Si enim omnipotens Dei bonitas misericordiæ suæ pignus aliquod dare voluisset, quod quæso aliud pretiosius &
Rom. 8. firmius dare potuisset? Hoc autem Apostolus significauit cùm ait: Qui proprio suo filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo nō cum illo omnia nobis donauit? Quicquid enim donare amplius potest, incomparabiliter minus est, quàm quod ante dedit.

Miro modo bonitatē & liberalitatem Dei commendat, quod obsequij loco exigit, vt illum oremus eiusque misericordiam im-
Psal. 49. ploremus. Vnde est illud, Nō accipiā de domo tua vitulos, &c. Inuoca me in die tribulationis. Itē illud, Dirupisti vincula mea, ti-
Psal. 115. bi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Rectè quidem propter dirupta vincula, promittit sacrificiū laudis. Hoc enim tali beneficio debebatur. Sed quorsum illud, Nomen Domini inuocabo? Quia nimirum intelligebat Dominū nostris commoditatibus vt suis laudibus delectari: ideoque laudibus eius orationem quoque illi gratißimā iungit. Qui enim Dominū laudat,

verbis

verbis eius prædicat misericordiam : qui verò eius nomen inuocat, non solùm verbis, sed rebus etiam eandem commendat. Neque enim misericordiam ab eo peteret, nisi misericordem crederet. Ideoque non minus illum colit, qui orat, quàm qui laudat: Vtrumque enim ad religionis officium pertinet.

Mána incalescente Sole liquefiebat, nec amplius inueniri aut colligi poterat, nisi diluculo colligeretur. Vnde Sap. 16. legimus. Quod ab igne nõ poterat exterminari, statim ab exiguo radio Solis calefactum, tabescebat: vt omnibus notum esset, quoniã oportet præueuire Solem ad benedictionem tuam, & ad orientem lucem te ibi adorare. Quibus verbis matutinum tempus maximè opportunum ad precandi munus esse declaratur.

Qui conseruat legem, multiplicat orationem Eccle. 33. Quare? Quia propriæ fragilitatis conscius, scit se nõ posse legem sine gratia seruare: ideoque continuis illam à Domino precibus flagitat.

Matutinũ tẽpus & vespertinum, lex attribuebat precationibus, sacrisque faciendis. Matutinũ verò in primis accommodatum est, quod ea hora magis vacui sumus à cæteris curis. Hinc Vates regius, Mane (inquit) astabò tibi, & videbo. Pro quo D. Hiero. ex Hebræ. vertit, Manè astabo tibi, & cõtẽplabor. Alius autẽ vertit: Manè instituã ad te orationẽ meã, & suspiciã. Hoc est, sublatis ad cœlũ oculis expectabo, dũ mihi perdito & afflicto opẽ aliquã feras. Hinc etiam illud, Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Et paulò post: In matutinis Domine meditabor in te, &c. Itẽ, pro eo quod nos legimus, Præueni in maturitate & clamaui, &c. alij ex Hebræo verterunt, Præueni diluculum, & clamaui, quia in verba tua super speraui. Præuenerunt oculi mei vigilias, vt meditarer eloquia tua. Huc pertinet & illud: Exurge gloria mea, exurge psalteriũ & cythara: exurgã diluculo. Vel (vt alij verterunt) excitabo auroram. Hoc est, non expectabo, vt illa me excitet, sed ego illam morãtem peruigil in oratione excitabo.

Psal. 5. *Psal. 62.* *Psal. 118.* *Psal. 56.*

Optimus orationis & fiduciæ comes puritas & innocentia vitæ est. Propter hoc enim Dauid se à Domino exauditum, & ex maximis periculis ereptum testatur, cùm in Psal. 17. ait: Quia custodiui vias Dñi, nec impiè gessi à Deo meo. Quia omnia iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius nõ repuli à me, &c. Ex quibus verbis colligit deinde quod sequitur. Cùm sancto sanctus eris, & cũ

viro

viro innocente innocens eris,&c.& cũ peruerſo peruerteris. Hoc eſt ita te cum hominibus geres, quomodo ipſi ſe gerunt erga te. Quam quidem ſententiam ſacræ litteræ frequentiſsimè ſonant. Hinc Azarias Propheta ſub Aſa Rege populo ex victoria redeũti Spiritu Domini actus ait:Dominus vobiſcum,quia fuiſtis cũ illo. Si quæſieritis Dominum,inuenietis eum,ſi autem dereliqueritis eum,derelinquet vos.2.Paral.14.Itẽ Oſeæ.4. Oblita es legis Dei tui,obliuiſcar & ego filiorum tuorum.

Quas gratias agere Domino debeat is,cuius oratio exaudita eſt, declarat exẽplo ſuo Propheta,qui ob hoc pios omnes ad hoc officium vehementi oratione cõuocat dicens: Venite,audite, & nar-
Pſal. 65. rabo vobis,omnes qui timetis Dominũ,quanta fecit animæ meæ, Ad ipſum ore meo clamaui &c.Quàm longè autem aberat ab inanis gloriæ periculo,cùm hanc gratiam prædicaret?

Matutinum tempus vel nocturnum precandi officio maximè
Pſal. 118. accommodatum eſſe declarant illa Prophetæ verba,Media nocte
Thre.2. ſurgebam ad confitendum tibi &c. Hinc Hieremias, Conſurge, inquit,in nocte,in principio vigiliarum,& effunde ſicut aquã cor tuum ante Dominum.In cuius rei typum mãna quod ſpiritualem dulcedinem orationis comitem deſignat,media nocte cadere in-
Num. 11. cipiebat:ideoque ſeruis Domini præcipitur,In noctibus extollite
*Pſal.*133. manus veſtras in ſancta,& benedicite Dominum.Huius verò ſtudij gratia D.Franciſcus deuotum monachum cicadam noctis appellabat.Noctis autem nomine vel nocturnum vel matutinũ tempus intelligunt.Hoc enim poſtremum ſanctus Dauid huic operi
Pſal. 62. ſe deſtinaſſe teſtatur cùm ait:Sic memor fui tui ſuper ſtratũ meũ: in matutinis meditabor in te,&c.

Gemitus & lachrymas piorum eſſe Deo gratiſsimas, declarant
Cant.2. illa verba Cant. Vox turturis audita eſt in terra noſtra. Turturem autem gemitum habere pro cantu notum eſt, Hinc pro eo quod
Pſal 73. nos legimus,Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi, alij ex He-
Pſal.16. bræo verterunt,Ne tradas beſtijs animam turturis tuæ.Vnde Propheta orat:Auribus percipe lachrymas meas. Idem quoque effi-
*Pſal.*118. cit oratio magno affectu effuſa.Vnde eſt illa vox,Clamaui in toto corde,exaudi me Domine.Extat huius rei memorabile exẽplum ac miraculum ingens,quod Auguſtinus refert.22.de ciuitate Dei, cap.8.Vbi pijs hominibus pro cuiuſdã ægroti in magno periculo

constituti sanitate magno affectu & lachrymis orantibus, idem Augustinus cum eis orabat dicens: Domine, quas preces exaudis, si has nō exaudis. Horum ergo precibus salus ægroto reddita est. Vide locum. Extat aliud apud Palladium in fine historiæ Sanctorum, vbi Lectorem quēdam vi orationis & lachrymarum falsum crimen sibi à violata virgine obiectum, mirabili ratione memorat diluisse. Quid hic Annæ matris Samuelis, quid Sarræ vxoris Tobiæ orationem referam? Sed horum exemplorum nusquam non magna copia.

Pro eo quod nos legimus, Sanctimonia & magnificentia in.s.e. *Psal. 95.* Hierony. vertit, Fortitudo & exultatio in sanctuario eius. Sāctuarium orationis locus est: orationis autem feruidæ, comites sunt fortitudo ad labores propter Deum subeundos, & exultatio in Spiritu sancto: quæ duo munera pondus totum vitę spiritualis inuicto robore sustentant.

Vbi lectio nostra habet, In quacūq; die inuocauero te, exaudi *Psal. 55.* me, alij hanc sententiam præteriti temporis verbo efferunt hoc modo: In die qua inuocaui te, exaudisti me: multiplicasti in anima mea fortitudinem. Quibus verbis orationis virtus & potentia ostenditur, quæ vix ad Dominum effusa est, quando (etiam si non impetret quod petit) præsenti tamen quadam virtute mentem roborat & confirmat: hoc est enim multiplicare in anima virtutem siue fortitudinem: Deus enim est cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur.

Maximum sanè precantium solatium verba illa esse debent, *Psal. 144* Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum.o.i.e.i.v. Voluntatem timentium se facit, & deprecationem eorum ex.et.s.f.e. Et *Deut. 14.* illa item, Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appro- *Ioan. 15.* pinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Et illa item, Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque.v.p.et.f.v. Quid verò illa? Omnis qui pe *Lucæ. 11.* tit accipit, & qui quærit inuenit, &c?

Diligenter obseruanda sunt nouissima verba, & veluti extremum vale, quo dulcissimum illud epithalamium, hoc est, nuptiale carmen finitur. Sponsus namque vale dicens Sponsæ, ait, Quæ *Cant. 6.* habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam. Quàm multa hortorum nomine intelligere licet? Nam triumphā-

tem

tem Ecclesiam,& militantem,& singulares Ecclesias, & piorum conuentus,ac monachorum cœtus,& sacras litteras,& doctrinam simul & exempla Sanctorum, hortorum vel horti nomine non incommodè accipimus.Singuli verò iusti velut huius horti arbores sunt:quandoquidem de vno quoque eorum dicitur,Et erit tâquam lignum quod plantatum est secus decursus,&c. In his igitur hortis pia mens deambulare solet, ac illorum fructibus pasci & oblectari. Ab hac igitur hortorum habitatrice vocem Sponsus exigit,eam videlicet de qua antea dixerat, Sonet vox tua in auribus meis. Est autem hæc vox humilis confessionis, orationis, laudis & gratiarum actionis:omnes namque hæ voces Deo gratissimæ sunt. Vt autem attentius ac deuotius hæc Sponsæ vox resonet,addit non modò se,sed amicos etiam,hoc est, sanctos Angelos salutis nostræ custodes simul cum eo auscultare: qui libẽter assistunt orantibus,eorumque preces quasi thus quoddam suauissimum Deo offerunt.Hanc autem admonitionem extremo loco adiunxit:vt firmius memoriæ Spõsæ hæreret,quod iugiter faciẽdum esse in Euangelio docet,cùm ait, Quoniam oportet semper orare,& non deficere.Ex quibus verbis, summam Dei erga nos bonitatem & benignitatem agnoscere licet:qui pro maximo obsequio illud à nobis exigit,vt ab ipso misericordiam,& clarissima dona sine intermissione petamus.Hæc igitur discedentis Sponsi postrema admonitio fuit.

Psal.1. *Cant.2.* *Luc.18.*

Gene. 4. Enos cœpisse dicitur inuocare nomen Domini, vbi initio nascentis mundi omnes variarum artium inuentores numerantur. Enos tamen velut orationis inuentor inducitur: quasi ante illud tempus munus hoc parum apud multos vsitatum fuisset. Itaque huic scriptura tribuit, quod fuerit orationis inuentor: atque vt Abraham pater credentium,ita hic orantium pater dici meritò debet:cuius institutum innumerabiles postea monachi & anachoritæ sectati sunt: quorum omne opus erat cum mirabili inedia & solitudine coniuncta oratio: quæ his duabus alis instructa in cœlum euolabat.

Esai.55. Sicut exaltantur cœli à terra, sic (ait Dominus) exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris,&c. Quis vnquam hominum meriti & obsequij loco duxit,quod mendicus aliquis eleemosynam & munera ab eo peteret?Satis enim ad liberalitatis laudem est, si quod ab

homine petitur, gratis donet. Ea tamen bonitas & misericordia Dei nostri est, vt obsequij loco ducat, quod ab eo gratiam & misericordiam petas. Hoc enim insinuare illa Prophetæ verba videntur. Quid retribuam Domino, &c. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Hinc Theologi orationem nõ modò impetrandi, sed etiam promerendi vim habere decernunt. *Psal. 115.*

Magna sępe contentione & perseuerantia in oratione opus est: & more Iacob tota nocte cum Deo luctandum, nec ab hac pia lucta cessandum, donec optatam à Deo benedictionis gratiam consequamur. Denique eiusdem patriarchæ verba vsurpare licebit, & suppliciter ac fidenter ad Dominum dicere: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Itaque non semper ad precationis officium tanquam ad cœleste epulum atque delicias, sed tanquam ad luctã & certamen accedendum est, in quo, & cum Deo magnis clamorum desiderijs, & cum ariditate cordis & variarum curarum & cogitationum agminibus decertandum est. *Gene. 32.*

Quemadmodum fratres Ioseph, qui sibi male concij erãt, post mortem patris, veniam à fratre defuncti patris nomine petebant dicentes: Oramus vt seruo Dei Patri tuo dimittas iniquitatẽ hanc: ita nos, quos conscientiæ reatus accusat, veniam à cœlesti Patre propter Christi merita petere debemus. Sicut autem illa oratio tantum apud Ioseph valuit, vt illi etiam lachrymas excuteret: ita hæc oratio quæ Christi meritis innititur, Deo Patri gratissima, & ad impetrandum potentissima est. *Gene. 50.*

Pisces qui pinnulas & squammas habent, mundi esse per legem decernuntur. Pinnulis quidem subsiliunt in aera, & quodammodo volant: squammis verò ceu quadam lorica corpora sua contegunt. Quicunque ergo inter homines pinnulis orationis se se ad sublimia attollunt, & squammis, velut quadam lorica ex virtutibus contexta, mentem suam muniunt, verè mundi esse iudicãtur. Vtrunque ergo ad perfectam animæ puritatem requiritur, vt mẽtem videlicet eleuemus in Deum, & virtutibus diligenter studeamus. Non enim omnis qui dicit mihi, Domine Domine, &c. *Deut. 14.*

Cùm populus vitulum fabricauit, iratus Dominus ait ad Moysem: Dimitte me, vt irascatur furor meus, &c. Quæ verba maximam viri iusti laudem, maximamque deuotæ orationis continet commẽdationem. Quid enim aut potentius, aut gloriosius, quàm *Exod. 32.*

omnipotentem tenere,& quodammodo ligare,& sæuientē illius iram vi orationis reprimere? Qui enim ait: Dimitte me, teneri se viri iusti virtute & oratione confitetur.

Num.22. Quid est, quod Balach Rex Moabitarum cùm exercitum ad pugnam instruere contra filios Israel deberet, hac omissa cura ad Balam mittit, vt imprecatoria oratione se ab illis defenderet? Huic quæstioni sic Origenes respondet. Quoniam Moabitarum Rex audierat populum hunc orationibus vincere, & aduersus hostes non gladio, sed ore pugnare: ideò ipse simili armorum genere aduersus eum dimicare volebat. Vt autem scias tale aliquid cogitasse Regem, ex scripturæ verbis intellige, quæ ego à magistro quodam qui ex Hebræis crediderat, exposita didici: Scriptum est ergo. Et dixit Moab ad seniores Madian. Nunc ablinget Synagoga hæc omnes qui in circuitu nostro sunt, sicut ablingit vitulus herbam campi. Cur, ait, tali vsus est exemplo? Ob hoc sine dubio, quia vitulus ore abrumpit herbam ex agris, & lingua tanquam falce quæcunque inuenerit secat. Ita ergo & populus hic quasi vitulus lingua & labijs pugnat, & arma habet in verbis ac precibus. Hactenus verba Origenis.

Meditatio, siue consideratio: contraq; Dei obliuio.

Grego. STude quæso, & quotidie creatoris tui verba meditare, disce cor Dei in verbis Dei, vt ad æterna suspires, vt mens tua ad cœlestia gaudia maioribus desiderijs accendatur: tantò enim tunc maior ei erit requies, quanto modò ab amore conditoris sui requies nulla fuerit. Greg. in mor.

August. Quantò magis homo mala sua intelligit, tantò amplius suspirat & gemit. Meditatio siquidem parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio deuotionem, deuotio commendat orationem. August. in Medit.

Non putrefit cor, si leuetur ad Deum. Frumentum tuum si haberes in inferioribus, ne putresceret, leuares illud ad superiora. Frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere? frumentum leuares ad superiora, cor leua in cœlum.

Et vnde

Et vnde(inquis)possum? qui funes, quæ machinæ, quæ scalę opus sunt? Gradus affectus est, iter tutum voluntas tua est: amando ascẽdis, negligendo descendis: stans in terra, in cœlo es, si Deum diligis. Idem, super psal. 85.

Bernar. Vigilias times, & ieiunium, manuumque laborem: sed hæc leuia sunt meditanti flammas perpetuas. Recordatio deinde tenebrarum exteriorum facit non horrere solitudinem. Si futuram cogitas de verbis otiosis discussionem, non valde displicebit silentium. Fletus æternus & stridor ille dentium ante cordis oculos reductus, pares tibi reddet & mattam & culcitram. Bern. in Epist.

Primum ipsum fontem suum, id est, mentem de qua oritur, consideratio purificat: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat: postremò diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam cõfert. Idem de Consid.

Hugo. Redi ad cor tuum, & subtiliter discute te ipsum: Considera vnde venis, quò tendis, quomodò viuis, quid agis, quid admittis, quantum quotidie proficis, vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectibus frequentius tangeris. Hugo lib. 3. de ani.

Tria sunt genera meditationum: vnum in creaturis, vnum in scripturis, vnum in moribus. Primum surgit ex admiratione, secũdum ex lectione, tertium ex circunspectione. Admiratio generat quæstionem, quæstio inuestigationem, inuestigatio inuẽtionem. Lectio ad cognoscendam veritatem materiam ministrat, meditatio coaptat, oratio subleuat, operatio componit, & contemplatio in ipsa exultat. Idem in Meditationibus suis.

Cogitatio vaga incessu semper huc & illud diuertit: sed meditatio destinata promotione semper in vlteriora tendit. contẽplatio autem est libera mentis perspicacia in sapientiæ speculo cum admiratione suspensa. Meditationis est perscrutari occulta, contemplationis est admirari perspicua. Idem in lib. de arca Mysti.

Sicut nullũ est momẽtũ, quo homo nõ vtatur, vel fruatur Dei bonitate & misericordia: sic nullũ debet esse momẽtũ, quo eũ præsentẽ non habeat in memoria. Omne tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidisse. Idem lib. 1. de Claust. ani.

Isidor. Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit: quæ enim nescimus, ex lectione discimus, meditatione conseruamus. Isidorus de summo bono.

Clima. Quidam dum lachrymas profundunt in illo ipso beato tempore, ne nihil omnino cogitent, sibi ipsis vim faciunt. Improbè id quidem: non enim intelligunt, lachrymas absque cogitatione & intentione animi profusas, brutæ, nō rationabilis naturæ esse proprias. Ioannes Climac. de luctu. cap. 7.

Cùm in lectulo cubas, sit tibi ipse iacentis habitus figura in sepulchro clausi, minusque dormies. Ipsa quoque mensæ delibatio lamentandæ sortis vermium illorum te admoneat, minusque delicias requires. Sed ipso aquæ potu, flammæ illius sitim ne obliuiscaris, atque ita vim naturæ omnino facies. Memoria æterni ignis tecum singulis noctibus dormiat, tecumque euigilet: neque vnquam psalmodiæ tempore dominabitur tibi negligentia. Ibidem.

Memoria mortis semper tecum quiescat, tecumque simul euigilet, solaque semper ruminanda oratio Iesu. Nullum enim adiutorium in somno his præstantius aut efficacius inuenies. Idē Grad. 15.

Est è spiritibus vnus qui præcursor dicitur: qui nos ex somno surgentes protinus excipit: primumque nostrum cogitatū inquinare nititur. Da Domino primitias diei. Erit enim tota eius, qui prius illam occupauerit. Idem. Grad. 27.

Simil. *Chrysost.* Videmus planè corporis oculos cùm in fumo remorantur, lachrymas effundere: si verò potiantur aere purgato, & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, & saniores esse, multoque maiori aciei fulgore rutilare. Talis profectò est & mentis oculus: si in pratis spiritualis pascatur eloquij, erit totus sine dubio purus atque lucidus, & acutiùs cuncta perlustrās: si verò in fumum secularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lachrymabitur atque flebit. Chrysost. super Matth. hom. 2. oper. perf.

Misisti, inquit, iram tuam, & deuorauit eos terra. Hoc ad verbum de Ægyptijs in mari submersis intelligitur. Quod tamen ad

Origen. terrenos homines Origenes transfert his verbis: Impios quidem hodie deuorat terra. Annon tibi videtur terra deuorare illum,

qui

qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, de terra litigat, terram desiderat, & omnem spem suam posuit in terra? qui ad cœlum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat? Talem cùm videris, dicito, quia deuorauit eum terra. Hæc Orige.

Est animorum ingeniorumque nostrorum naturale quasi quoddam pabulum, consideratio, contemplatioque naturæ: doctoq; homini & erudito, cogitare est viuere. Cicero lib. 4. Acad. quæst. *Cicer.*

Vt cùm in Sole ambulamus, etiam si aliam ob causam ambulemus, fit natura tamen vt coloremur: sic cùm doctorum libros studiosius legimus, sentimus orationem nostram quasi colorari. Idē lib. 2. de Orat. Quod autem lectio, idem etiam ac multò magis præstat assidua eorum quæ legimus consideratio. *Simil.*

¶ Non sine magna admiratione cernimus pullos omnes matres suas quocunque perrexerint sequi, nec ab earum latere diuelli. Quod videre est in agnis, hœdis, & equarum gallinarumq; pullis, &c. Si ergo Deus multò magis pater noster est, qui solus animam creauit, corpus verò (matre dormiente) mirabiliter in vtero formauit, quomodo non illi semper adhærescimus? quomodo tādiu ab illo animo & cogitatione separamur? COLLE.

Præcipuum serui Dei studium esse debet, vt (quatenus fieri possit) nunquam à Dei præsentia oculos auertat. Quod sanctus ille rex præcipuè intendere curabat, cùm diceret: Quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Et, Meditatio cordis mei in.c.t.s. Et, Proponebam Dominum in conspectu meo semper. Hac ratione charitatis feruor & deuotio, meditationum igniculis coalescit: & homo semper ad omnem Diaboli incursum munitus atque paratus est. *Psal. 26.* *Psal. 18.* *Psal. 15.*

Sicut Pharaonis intentio erat, vt filij Israel aut semper in Ægypto manerent, aut certè non procul ab Ægypto recederent: ita contrà voluntas Dei nostri est, vel vt semper in eo per actualem amorem & memoriam maneamus, vel certè non procul ab hoc studio recedamus: vt facilè vnde digressi sumus redire possimus: Sic sacra illa Ezechielis animalia ibant, & reuertebantur in *Ezech. 1.*

 simili-

ſimilitudinem fulguris coruſcantis: hoc eſt maxima celeritate à ſtudio piæ actionis, ad diuinæ contemplationis exercitium reuertebantur.

Simil. Sicut fulua cera ad Solis radios diu expoſita, candida fit, & quò diutius ſub ſole manet, eò fit candidior: ita anima noſtra radijs iuſtitiæ Solis expoſita (quod quidem fit per eleuationẽ mentis in Deũ) purior indies efficitur. Hinc Eccleſiaſt. ait: *Eccl. 2.* Qui timent Deum præparabunt corda ſua, & in conſpectu eius animas ſuas ſanctificabunt.

Beneficiorum ac operum Domini conſideratio, magnopere homines in officio continet. Hæc enim meditatio efficit, vt neq; præterita illi prætereant, neque futura abſint, cùm vtraque ante mentis oculos tanquam præſentia ponat. Itaque ad illam pertinet, quod in Eſdra legimus, Reuoca diem præteritum, metire ventũ, & ignem pondera. Quæ omnia meditatio efficit, quæ præterita Dei beneficia in memoriam reducit: quæ vitæ noſtræ breuitatem (quæ inſtar venti eſt) metitur, & intolerandum gehennæ ignem aſsidua cogitatione ponderat. Harum verò rerum conſideratio mentes noſtras magnopere ad virtutem acuit.

Si quis hoc tecum pactum iniret, vt quandiu ipſe te beneficijs proſequeretur, tu illius memorem animum gereres: an non libenter hanc conditionem acciperes? *Acto. 17.* At Deus perpetuò tibi benefacit, cùm te in eſſe cõſeruat, & neceſſaria vitæ ſubminiſtrat. In ipſo quippe viuimus, mouemur, & ſumus. Cur ergo non ſemper illum in mente habeas? imo verò cur illius perpetuo obliuiſceris, ſine quo non eſſes? Quo enim temporis momento à te oculos diuelleret, in nihilum protinus redires. *Simil.* Sicut enim hominis imago qui faciem ſuam in ſpeculo conſpicit, protinus abolctur, vbi is ſe ſe ab eo auertit: ita ſi rerum conſeruator Dominus, reſpicere nos deſineret, in nihilum prorſus vnde facti ſumus rediremus. Quo circa ſicut Deus tibi ſemper adeſt, ita tu operam dare debes, vt illi ſemper animo præſens ſis.

Quemadmodũ ad naturalem vitam degendam non ſola ſufficit ratio, ſed affectus etiam neceſſariò dati ſunt, quibus ſalutaria appeteremus, & noxia fugeremus, ita ad ſpiritualem vitam degẽdam, non ſufficit lumen intellectus, quod à fide & doctrina proficiſcitur, niſi adſit etiam charitas, cæterique ſpirituales affectus,

qui

qui vi sua nos ad spiritualia & diuina quodam modo impellant. Hos autẽ affectus oratio & diuinarum rerum meditatio mouere solet: quæ pro rerum varietate quas animo voluit, modò amoris, modò timoris, modò spiritualis lætitiæ motus in anima excitat.

Orationis & meditationis assiduæ vtilitas hoc argumento colligi potest. Inter spiritus & carnis affectus hoc discrimẽ est: quòd carnales affectus valde diuturni sunt, & imis frequenter medullis infixi hærent, vt diuitiarum, aut honoris cupiditas, turpis amor, inueteratum odium: quod vix à se multi hominum excutere perfectè possunt. At spirituales affectus in carnalibus præsertim hominibus (qui frequenter sacris concionibus excitantur) parum durabiles sunt: vix dum enim finita concione velut fumus euanescunt. Quare necesse est, vt eos quotidiano orationis & meditationis studio instauremus, quòd diuturniores & stabiliores sint. Ab his namque vita spiritualis miro modo iuuatur: quandoquidem hoc in nobis affectus sint, quod in auibus alæ: quodq́ue in cæteris animantibus pedes. Hinc illud Augusti. Pondus meum, amor meus: quocunque feror, amore feror. In cuius rei typum, sacerdotes quotidie in altari Domini ligna subijcere præcipiebantur, quò ignis ille perpetuus esset. Quamobrem ad hoc studium concionatores populum frequenter adhortari debent: si quos dicendo affectus excitauerunt, stabiles esse velint: ne de illis dicatur: Qui merces congregauit, misit eas in sacculum pertusum. *Agga.* 1.

Præcipuum piorum studium esse debet, opera Dei, quæ continuè à diuina prouidentia geruntur bonis tuendis & improbis vlciscendis meditari. Hoc Propheta præstabat cùm ait. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor. Rursumque: Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et iterum, Iustus perijt, quia non est qui recogitet in corde suo: & viri misericordiæ colliguntur, &c. Quid verò aliud sunt threni Hieremiæ, nisi considerationes & grauissimæ sententiæ, quas is ex illa Hierosolymitana vastatione eliciebat: vbi de diuina seueritate, de malitia peccati, de obdurátione hominum, de negligentia pastorum, de odio Dei aduersus impium, & impietatem eius mirificè philosophatur? Hoc exẽplum Christianus homo sequi deberet, ne in magno huius mũdi

Psal. 76. *Esai.* 12.

autem verum holocaustum fieri,& beatorum in hoc mortali corpore vitam imitari,qui iam in Deum quodammodo transierunt, in quibus quod mortale erat,à vita absorptum est. Hoc autẽ modo videtur mihi ille vixisse,de quo scriptum est:Cum Deo ambu-
Gene. 6. lauit,& fecit omnia quæ præcepit ei Deus:& non apparuit, quia tulit illum Deus.

Improborum hominum est,diuina omnia obliuisci. Hi enim
Prou. 28. habitare dicuntur in terra obliuionis.Hinc illud Salomonis. Viri mali non cogitant iudicium:qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia. Ex hac autem obliuione tot vitiorum monstra oriuntur.Vnde est illud. Non est Deus in conspectu eius, in-
Psal. 6. quinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

Quòd meditatio diuinæ legis non solùm pariat sapientiam, sed etiam promereatur, declarant illa Ecclesiast. verba. Cogita-
Eccl. 6. tum tuum habe in præceptis altißimi, & in mandatis eius maximè assiduus esto:& ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. Dare autem cor,est,diuinæ legis ac diuinorũ ope-
Psal. 81. rum intelligentiam præbere, qua improbi carent:iuxta illud:Ne-
Osee. 7. scierunt, nec intellexerunt: in tenebris ambulant. Item, Factus est Effraim quasi columba seducta, non habens cor:quæ videlicet apposita esca seducitur,nec positum ante oculos laqueum animaduertit.

Meditationis & sapientiæ studium describit Eccles. cap. 14. vbi
Eccl. 14. ait:Beatus vir qui in sapientia morabitur,& qui in iustitia sua meditabitur,& in sensu suo cogitabit circunspectionem Dei: Qui excogitat vias illius in corde suo,& in absconsis suis intelligens: Vadens post illam, quasi inuestigator, & cætera quæ sequuntur. In quibus hoc inuestigatoris nomen suam emphasim habet. Designat enim studium animi cupide & solicitè pretiosum aliquid inquirentis,nec vllo modo, nisi re inuenta quiescentis. Hoc enim studio charitas & sapientia quærenda est.

Studium scripturarum ac diuinæ legis meditationem commendat Ecclesiast. 39. his verbis: Sapientiam omnium antiquorũ exquirit sapiens,& in Prophetis vacabit. Occulta parabolarum exquiret,& in absconditis parabolarum conuersabitur. Mire autem verbo conuersandi,studium,animum,cogitationes, & mores spiritualis viri descripsit: quando is, videlicet nihil aliud versat ac

voluit, quàm diuinæ legis meditationem: cuius omnis conuersatio cum Apostolis & Prophetis est, & omnis enarratio in præceptis altissimi. Ad quod etiam pertinet quod mox sequitur, Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominũ qui fecit illum: & in conspectu altissimi deprecabitur. Huius autem studij fructũ declarat protinus cùm ait: Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu sapientiæ adimplebit illum: & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ, &c. *Eccl. 14.*

Considerationis defectũ multorum malorũ causam esse, declarant illa Prophetæ verba, Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuũ eius destrues illos, & non ædificabis eos. *Psal. 27.* Cui simile est & illud Hieremiæ: Desolatione desolata est omnis terra, eo quòd nullus sit, qui recogitet corde. *Hier. 12.* Item illud, Audi popule stulte, qui non habes cor: quod videlicet opeaa Domini contempletur. *Hiere. 5.* Sed qua de causa amisit cor? Nimirum, quia, vt in Osea scriptum est, Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor. *Oseæ. 4.* Vnde est & illud. Cithara, & lyra, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. *Isai. 5.*

Meditationis tempus, materia, & scopus describitur psalm. 66. *Psal. 66.* Ait enim Propheta: Cogitaui dies antiquos, & annos ęternos in mente habui: & meditatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar, & scopebã spiritum meum. Quæ Hieronymus sic vertit: Recogitabam dies antiquos, annos seculorũ: Recordabar psalmorum meorum in nocte: cum corde meo loquebar: & scopebam spiritũ meum. Huc enim omnis oratio & meditatio nostra tẽdere debet, vt cordis puritatem & innocentiam consequamur.

De mysticis illis animalibus Ezechiel ait, quòd facies eorum & pennæ desuper extentæ essent. *Ezec. 1.* Facies, quæ præcipua corporis nostri pars, magisque conspicua est, operis nostri intentionem: pennæ verò mentis eleuationem designant. Hoc ergo in sanctis viris præcipuum esse debet, quòd omnis eorum intentio, omnis cogitatio ab infimis rebus abducta, ad cœlestia feratur: ita vt in operibus suis nihil aliud quàm placere Deo intendant: in cogitationibus verò nihil aliud iuuet eos cogitare nisi Deum.

Ex alis, quas mystica illa Ezechielis animalia habebant, duabus volabant, & duabus corpora sua tegebant. Quid hoc nobis innuit? Sunt qui cogitationum suarum pennis ita ad sublimia eleuentur,

uentur, vt moralis vitæ virtutes (quibus in conuictu hominũ vtendum est) penè obliuiscantur. Sciant ergo tales, ita cogitationum sanctarum studium partiri debere, vt aliæ ad cœlestia contemplãda, aliæ ad mores castè integreque formandos referantur: quo videlicet ita cœlestibus rebus, quibus Deo vacant, intendant, vt curam sui, & vitæ moderationem non abijciant, sed simili studio & ardore amplectantur.

Diuinorum operũ cõsideratione commendat Moses Deute. 4. his verbis: Ne obliuiscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos. Et infra: Et recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Domin⁹ Deus tuus quadraginta annis. Quo verbo sanctus vir perceptorum in eo itinere beneficiorum memoriã & asiduam meditationem commendat.

Affectus & propensiones animæ à philosophis rerum gerendarum stimuli, ac veluti calcaria esse perhibentur. Vnde nõ animalia modo (quæ ratione carent) sed plerique etiam hominum affectuum impetum sequuntur. Sunt autem duplices affectus, alij qui ex corrupta natura vel cupiditate, alij qui à charitate & gratia oriũtur. Cæterùm in statu naturæ integræ illi deerant, isti aderant: modò verò in natura lapsa isti desunt, illi insunt. Vt amissos igitur eos (sine quibus spiritualis vita constare non potest) reuocemus, necessaria est primùm gratia, quæ naturam sanet: deinde pia consideratio, quæ rerum diuinarum dignitate ante mentis oculos posita, torpentes excitet affectus, & ad diuina erigat.

Contemplatio, vita actiua, & contemplatiua.

Gregor. MArthæ cura non reprehenditur, Mariæ verò etiam laudatur: quia magna sunt actiuæ vitæ merita, sed cõtemplatiuæ potiora. Vnde nec auferri vnquam Mariæ pars dicitur: quia actiuæ vitæ opera, cum corpore transeunt, contemplatiuæ autem gaudia melius ex fine conualescunt. Greg. in mor.

Cùm contemplationis arcem aliqui tenere desiderant, prius se in campo per exercitium operis probent; vt solicitè sciant, si nulla

nulla iam mala proximis irrogant, si irrogata à proximis æquamiter portant: si obiectis bonis temporalibus, nequaquam mens lætitia soluitur, si subtractis non nimio mœrore sauciatur: ac deinde perpendant, si cùm ad semetipsos introrsus redeunt, in eo quòd spiritualia rimantur, nequaquam secum rerum corporalium vmbras trahunt, vel fortasse tractas manu discretionis abigunt. Greg. 6. mor.

Contemplatio nos quasi ab hoc mundo mortuos sepelit: quia à terrenis desiderijs susceptos in intimis abscondit. Greg. moral. lib. 6. c. 24.

Non est perfectus prædicator, qui vel propter contemplationis studia operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. Ideò Dominus die operatur miracula, nocte pernoctat in oratione: docens prædicatores, vt quieti contẽplantes sorbeant, quod erga proximos occupati refundãt. Gregor. vbi sup. c. 25.

Quidam in ipsa vacatione laboris grauius laborant: quia tantò deteriores cordis tumultus tolerant, quantò eis licentius ad cogitationes vacat. Greg. vbi supra.

Gregor. super illud Ezec. 1. Similitudo manus hominis subtus pẽnas eorum erat sic ait: Quid per pennas animalium, nisi contemplationes possumus sentire sanctorum, quibus ad summa transuolant, & terrena deserentes sese cœlestibus librãt? Quid per manus, nisi operationes accipimus? Quia cum in proximi amore se dilatant, bona quæ præualent, etiam corporaliter administrant: sed manus eorum sub pennis sunt, quia actionis suæ opera virtute cõtemplationis vincunt.

Super illud Iob: Elegit suspendium, &c. Suspendium animæ elegit, & mortem ossium, quia dum mentis intentio ad alta se subleuat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat. Grego. vbi sup. lib. 8. cap. 18.

Contemplationem non perdit, qui eam dum perdit, inquirit. Greg. lib. 10. c. 19.

Quidam sancti temporalia interdum gubernant, sed vacant intrinsecus, cùm exterius occupantur: & per amorem Deum intus solum desiderant, per timorem autem humiliter explent suũ munus: cedunt Deo quem diligunt, hinc diligunt, hinc seruiunt: *Moral.*

extra

extra perstrepunt occupationes, intus in amore pacatissima quies tenetur: Sicut enim vigor mentis frænat motus carnis: sic tumultus occupationis bene regit amor quietis. Possunt enim quieto animo exteriora ministrari, si peruerso non appetuntur: ideo sancti interdum tenent quod fugiunt, exercent quod vitant. Gregor.18.mor.cap.29.

Sancti etiam si terrenis deseruire cogantur, studiose ad cordis secreta refugiunt: & legem quasi in monte percipiunt, dum in cōtemplationis vertice diuinam voluntatem perscrutantur. Vnde est illud, In monte saluum te fac, &c. Quare Moyses ingressus tabernaculum, Dominum consulebat: Ibi Dominus consulitur, & quod agendum est publice, intus silenter auditur. Gregor.2.moral.cap.23.

Prius purgemus lugendo quod fecimus, & postea contemplemur gaudendo quod quæramus: Purgata enim mens superno lumine illustratur: per quod in gaudio securitatis absorbetur. Ibi mens superno rore aspergitur, contemplaturque se non sufficere ad id, ad quod rapta est: & veritatem sentiendo videt, quod nō videt quantum sit: tanto enim ei magis appropinquat, quantò existimat se longius esse: quam nisi conspiceret, nequaquam eā se conspicere non posse sentiret. Greg. in lib.24.mor.c.6.

Ad Dei visionem tendimus, si eum in his quæ fecit miramur: atque ideo per exteriora ad interiora perducimur. Greg.26.mor. cap.8. Ibi multa de hac re.

In ipsis ijsdem Deum inuenit anima, per quæ eum reliquit: per ea reuocatur, per quæ cecidit. Ibi enim surgimus, vbi cecideramus. Greg. vbi sup. Ibidem etiam multa de hac re.

August. Volitanti ad te animæ multa sunt, quæ obstrepunt, iussu tuo Domine conticescant mihi omnia. Ipsa sibi anima mea sileat, omnia pertranseat, omnia quæ creata sunt, transcendat à se, & perueniat ad te, atque in te solo creatore omnium oculos fidei figat: tibi inhiet, tibi intendat, te meditetur, te cōtempletur, te sibi ante oculos ponat, te sub corde reuoluat verum & summum bonū, & gaudium sine fine mansurum. Multæ denique sunt contemplationes, quibus anima deuota tibi mirabiliter pascitur, sed in nulla earum ita delectatur & requiescit anima mea sicut in te, & quando te solum cogitat, & contemplatur. Aug. in Medita.

Spiritualis

Spiritualis homo omnia iudicat, quia ſuper omnia eſt, quando cum Deo eſt: Cum illo eſt autem quando puriſsimè intelligit, & tota charitate quod intelligit, diligit. Idem de ver. relig.

Ex tribus illis vitę generibus, ſcilicet otioſo, actuoſo, & ex vtroque cõpoſito, quanuis ſalua fide quiſque poſsit in quolibet eorum vitam ducere, & ad ſempiterna præmia peruenire, intereſt tamen quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendat. Neque ſic eſſe debet vnuſquiſque otioſus, vt in eodem otio vtilitatẽ non cogitet proximi: neque ſic actuoſus, vt contemplationẽ non requirat Dei. Idem de Ciuitate Dei.

Otium ſanctũ quærit charitas veritatis, negotium iuſtum ſuſcipit neceſsitas charitatis: quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiẽdæ ac intuendæ vacandum eſt veritati. Idem ibid.

Anima noſtra ſicut aquila alta petat, ſuper nubes volet, renouatis ſplendeſcat exuuijs, cœlo volatus ſuos inferat, vbi in laqueos incidere non poſsit. Ambro. *Ambro.*

Contemplationis ſpecies quatuor ſunt. Prima & maxima contemplatio eſt, admiratio diuinæ maieſtatis: hæc requirit cor purgatum, vt à vitijs liberum, atque exoneratum peccatis, facilè ad ſuperna leuetur: interdum quoque per aliquas morulas ſtupore & extaſi ſuſpenſum teneat admirantem. Secunda autem neceſſaria eſt huic: eſt enim intuens iudicia Dei: quo ſanè pauido aſpectu dũ vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ſapientiam, humilitatem ſeruat: Virtutum ſiquidem bonum quoddam & ſtabile fundamentum eſt humilitas: nempe ſi nutat illa, virtutum non niſi ruina eſt. Tertia contemplatio occupatur vel potius otiatur circa memoriam beneficiorum, & ne dimittat ingratum, ſolicitat amantem ad amorem benefactoris. De talibus, dicit Propheta: Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabũt, & iuſtitia tua exultabunt. Quarta quæ retrò ſunt obliuiſcens, in ſola requieſcit expectatione promiſſorum: quæ cùm ſit meditatio æternitatis (ſiquidem quæ promittuntur æterna ſunt) longanimitati animi & perſeuerantiæ dat vigorem. Puto iam facilè eſt, quatuor noſtra hæc illis quatuor Apoſtoli aſsignare: dum longitudinem, comprehendit meditatio promiſſorum: latitudinem, recordatio beneficiorum: ſublimitatem, contemplatio maieſtatis: profundum, inſpectio iudiciorum. Ber. de conſider. *Bernar.* *Pſal. 144*

Si quem fortè nostrum aliqua hora sic rapi, & sic abscondi contigerit, vt minimè auocet aut perturbet vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel certè (ea quæ difficilius amouentur) irruentia imaginationum corporearum phantasmata: poterit quidem hic (cùm ad nos redierit) gloriari & dicere: Introduxit me Rex in cubiculum suum. Idem super Cant.

Cant. 1. Aliter sanè afficitur mẽs fructificans verbo, aliter fruens verbo: illic solicitat necessitas proximi, hic inuitat suauitas verbi: & quidem læta in prole mater, sed in amplexibus Sponsa lætior: chara pignora filiorum, sed oscula plus delectant. Idem super Cant.

Bonum acquirit gradum, qui bene ministrauerit proximo: fortè meliorem, qui bene vacauerit Deo: optimum autem, qui perfectus est in vtroque. Idem in sermo.

Optimam partem elegit sibi Maria, licet non minoris fortasse meriti sit apud Deum humilis conuersatio Marthæ: sed de electione Maria laudatur: quoniam illa quidem omnino quãtum ad nos spectat, nobis eligenda: hæc vero si iniungitur, patienter est toleranda. Idem ibidem.

Absit, vt qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam. Ibidem.

Noli nimis insistere oculis contemplationis: quia meliora sunt vbera prædicationis: Nam etsi Rachel formosior, Lia tamen fœcundior est. Idem super Cant. ser. 9.

Bono opere peracto securius & facilius in contemplatione dormitur. Idem.

Isidor. Actiua vita mundanis bene vtitur, contemplatiua mundo renuncians, soli Deo viuere delectatur. Isidor. de sum. bon.

Caßio. Super psal. Fac cum seruo tuo, &c. Iustum est, vt iugiter rogetur, qui si non petatur, offenditur. Cassiodorus.

Hugo. Qui diligenter inspicere velit quid antiqui propter amorem sapientiæ pertulerint, quàm memoranda posteris virtutis suæ monumenta reliquerint: quamlibet suam diligentiam inferiorem esse videbit. Alij calcabant honores: alij proiecerunt diuitias: alij acceptis iniurijs gaudebant: alij pœnas spreuerunt: alij contubernia hominum deserentes, vltimos recessus & secreta eremi penetrantes, se soli philosophiæ dedicabant: vt quantum mente & intelligentia à cæteris differrent, ipsa locorum distantia demonstraret;

ſtraret: ne vna teneret habitatio quos non eadem ſociabat intentio. Cuidam Philoſopho referebat quidam dicens: Nunquid non vides quomodo te derident homines? Et ille: Ipſi me (inquit) derident, & eos aſini. Cogita ſi potes quanti æſtimauerit laudari ab ijs, à quibus nec vituperari timuit? Quid ergo nos propter diuinorum contemplationem facere par eſt? Hugo de ſancto Victo. lib. 3. Didaſc.

Abs te ipſo atque ab omnibus purè abſcedendo, ad diuinæ caliginis radium ſublatis omnibus, & abſolutus ex omnibus euolabis. Diony. de Myſt. cap. 1. *Diony.*

Moſes Exod. 19. primùm vt mundetur, admonetur: deinde vt ſeparetur ab immundis: deinde clangores audit: inde ſegregatur à turbis: & ita contendit ad ſummitatem montis, vbi non Deum videt, ſed locum in quo ſtetit. Idem ibidem.

Creata omnia linquens contemplator, ingreditur ignorationis myſticam caliginem: eò quòd nihil cognoſcit, ſupra ſenſum mentemque cognoſcens. Idem ibidem.

Ad hanc lucidam caliginem admitti oramus, vbi non videre, & non ſcire, eſt veraciter videre & ſcire, & eum, qui eſt ſuper omnia, ex omnium ablatione celebrare: ſicut imago pulchra in ligno aut lapide formata, per ablationem fit. Idem ibidem. c. 2. *Simil.*

Quanto ad altiora contendimus, tanto ipſo contuitu intelligibilium verba contrahi neceſſe eſt: ſicut contra deſcendente, pro quantitate deſcenſus ad congruam latitudinem oratio extenditur: poſt aſcenſum autem oratio obmuteſcit. Idem vbi ſupra cap. 3.

Gregor. Nazianzen. contemplatiuæ vitæ amore ductus, ſe Epiſcopi munus refugiſſe in Apologetico ſuo. 1. docet his verbis: Cùm tranquillæ vitæ, atque ab hominum frequentia ſemotæ, amore flagrarem, non tuli me imperioſè cogi, atque in medios tumultus contrudi, ab hacque vita perinde atque ab aſylo quodam per vim auelli. Nihil enim mihi fortunatiùs eo homine eſſe videbatur, qui clauſis cõpreſsiſque corporis ſenſibus, atque extra carnem mundumque poſitus, in ſeque collectus (nec niſi ſumma neceſsitate impellente, quidquã humanarũ rerũ attingens, atque ſecum in ſe & cum Deo colloquens) ſuperiorem rebus in aſpectum cadentibus vitam agit: diuinaſque ſpecies & imagines puras ſem- *Nazian.*

per,

per, nec vllis terrenis & errabundis formis permixtas in seipso circunfert, ac Dei rerumque diuinarum purum omnino speculũ est, indiesque efficitur, lucique lucẽ, obscuriori videlicet clariorẽ adiungit, ac iam futuri æui bono fruitur, & cum Angelis versatur, & licet adhuc in terris agens, terram deserit, atque à Spiritu in cœlo collocatur. Si quis vestrum hoc amore correptus tenetur, quid dicam intelligit, atque affectui ei, in quem tum incidi, facilè ignoscet.

Cicero. Omnia aliorum causa sunt generata: vt fructus atque fruges quas terra gignit animantium causa: animantes autem hominum: vt equum vehendi causa, arandi bouem, venandi & custodiendi canem: ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum & imitandum. Idem. 1. de nat. Deo.

Vt ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis: sic homo ad duas res, intelligendum & agendum natus est, tanquam mortalis Deus. Cicer. 2. de finib.

Cùm animus cognitis perceptisque virtutibus à corporis obsequio indulgentiaque discesserit, voluptatemque sicut labem aliquam decoris oppresserit, omnemque mortis dolorisque timorem effugerit, quid eo dici aut cogitari poterit beatius? Idemque cùm cœlum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, eaque vnde generata, quo recurant, quando, quomodo obitura, quid in his mortale & caducum, quid diuinum & æternum sit, viderit: ipsumque ea moderantem & regentem penè prehenderit: seseque non vnis circundatum mœnibus, popularem alicuius definiti loci, sed ciuem totius mundi, quasi vnius orbis agnouerit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu & cognitione naturæ, Dij immortales, quàm se ipse noscet, (quod Appollo præcepit Pythius) quàm contemnet? quàm despiciet? quam pro nihilo putabit ea, quæ vulgò ducuntur amplissima? Idẽ 1. de legib.

Vide etiam multa & ea quidem præclara apud Senecã in Collectaneis nostris, in verbo, Contemplatio naturæ.

COLLE. ¶Qui diuinarum rerum contemplationi addicti & quasi consecrati sunt, externis occupationibus (nisi cùm charitatis aut obedientiæ necessitas vrget) velut sale vti debet, cuius modica portio

cibos

cibos condit, magna verò, insipidos reddit. Immodicis enim occupationibus obruitur animus, & à statu suo depellitur. Vnde Dominus, Martha, Martha, solicita es, &c.

Sunt in artibus summa quædam ac difficilia, quæ nisi maxima cura & attentione perfici non possunt. At in vsu virtutum magnũ quiddam & arduum est, mentem ab omnibus terrenis curis abductam in Deum attollere: quem solum intellectus nostri apex attingit: quò cum peruenerit, mutato nomine, non tam intellectus, quàm intelligentia nuncupatur. Ad hunc autem altissimum ascensum cùm alia multa, tum præcipuè duplex ieiunium, corporis videlicet & animæ exigitur. Corporis quidem, vt omnes animæ vires in Deum ferantur, ne aliæ in palatio, aliæ in culina versentur. Animæ verò ieiunium est, vt non modò à terrenis affectibus, sed à corporearum rerum imaginibus ieiuna, purum Deum pura mente contempletur. Ad quod præstandum necesse est, vt orationis tempore homo magna cura & studio terrena omnia transcendat, vt vacua mente ad diuinarum rerum contemplationem assurgat.

Minora astra ab aspectu Solis & splendorem & virtutem accipiunt. Sic homo dum Deum aspicit, lucem ab eo & gratiam recipit. Tunc verò Deum aspicere dicitur, cùm intellectum & voluntatem ipsam eleuat, & quasi ante illum expandit. Hæ namque duæ animæ nostræ vires ad Deum vsque pertingunt, & ab eo illustrantur.

Intra sanctuarium Domini erat quidem in medio candelabrũ, à sinistris verò mensa cum panibus, à dextris autẽ altare aureum, in quo thus adolebatur. Et quidem per candelabrum, rectè fidei lucernam intelligimus: cui duplicia adiacent opera: altera quæ ad actiuã, altera quæ ad cõtemplatiuam vitam pertinent: quæ nõ incõmodè per hanc mensam & altare aureum designantur. Mensa enim propositionis panũ eos rectè figurat, qui frangũt esurienti panem suũ, & actiuæ vitæ operibus vacant: altare autẽ aureũ eos designat, qui orationi & rerũ cœlestium contemplationi se totos addixerũt. Sicut enim altare hoc nulli vsui, nisi ad solũ thuris suffitum deseruiebat: ita sunt sanctorũ multi, qui ab omni rerũ humanarum commercio separati, soli rerum diuinarum contemplationi perpetuò vacant: quales sancti Anachoritæ olim fuerunt, qui

in solitudine degentes, cœlestem in terris vitam agebãt. Quisquis ergo se ita à mundo separauit, & cœlestibus rebus addixit, altare aureum est, quod est ante oculos Domini.

De studio sapientiæ atque diuinę contemplationis arbitror ac-
Prou. 5. cipienda illa Salomonis verba: Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: cerua charissima & gratissimus hinnulus (videlicet Spiritus sancti gaudium quod à sapientia proficiscitur) vbera eius inebriẽt te omni tempore, & in amicitia eius delectare iugiter. Vbera verò hæc fructus illi sunt, ad quos eadem nos sapientiam inuitat,
Eccl. 24. cùm ait: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Mulierem autem adolescẽtiæ appellari hoc in loco sapientiam, satis indicat idem Salomon Prouer. 7. cùm ait: Dic sapientiæ soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam. Et Sap. 8. dicitur. Hanc amaui & exquęsiui eam à iuuentute mea, & quæsiui Sponsam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius. Et mox: Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuẽdum, sciens quoniam communicabit mecum de bonis suis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei: hoc est, me in huius ærumnosæ vitæ miserijs consolabitur, & omne ab animo meo fastidium atque tædium discutiet.

Hoc maximè cuique piorum propositum esse debet, vt quantum per huius vitæ occupationes licuerit, se totum diuinis laudibus, cœlestiumque rerum contemplationi addicat, illamque Da-
Psal. 26. uidis vocem toto corde vsurpet. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. o. d. v. m. Vt videam voluntatem Domini, vel (vt Hiero. ex Hebr. vertit) vt videam pulchritudinem Domini, & attendam ad templum eius. Veræ autem contemplationis munus est, diuinę pulchritudinis specie animum
Psal. 33. pascere & oblectare. Idẽ quoque præsefert illa vox, Benedicã Do-
Psal. 70. minum in omni tempore, &c. Et, Repleatur os meũ laude. Et, Pro-
Psal. 15. ponebam Dominum in conspectu meo semper. Et, Quomodo di-
Psal. 118. lexi, &c. tota die meditatio mea est. Ideoque viri iusti officiũ esse describitur, meditari in lege Domini die ac nocte.
Psal. 1. Qua animi submissione & pudore se fidelis anima erga Sponsum Christum gerere debeat, quando dulciter cum illo agit, & ad eius vocatur amplexus, insinuat Sponsus ipse Canti. 4. cùm ait. Sicut fragmen mali punici genæ tuæ, &c. Genarum nanque lenis

rubor,

rubor, pudoris & submissionis indicium est: quo nomine Sponsa cõmendatur, quod hoc pudore suffusa sese illi submittat. Meritò autem humilis, verecunda & (vt ita dicam) rubore perfusa, coram Sponso assistit Ecclesia, quando admirabilem Sponsi dignationem, beneficiaque innumera & maxima erga se contemplatur, cùm tamen ipsa non habeat vnde illi vicem reddere, aut gratias persoluere dignas valeat.

Rachel decora nitet facie, Lia verò lippis est oculis: vt intelligamus, animæ puritatem, contemplatiuam vitam sectantibus propriam & familiarem esse. Quo nomine à vero Iacob, videlicet animarum Sponso Christo, magnopere diliguntur. Lia verò, idest, actiuorum vita lippitudine laborat oculorum, quam ex hominum consuetudine terrenarumque rerum commercio contrahit. Sicut enim (Aristotele autore) altissimarum rerum contemplatio intellectus aciem nobilitat & acuit: ita inferiorum rerum consideratio deijcit ac hebetat. Vnde Mathematici Lunæ maculam quæ in ea conspicitur, ex terrarum confinio illi contingere testantur. Quo minus mirandum est, si actiuorum facies, oculorum lippitudine aliquo modo suffundatur, quæ proximorũ charitate ducta, terrenis sæpe negotijs implicatur, & cum seculi hominibus agit.

Multa vi precum, multisq; rationibus vix filij Israel patri persuadere potuerunt, vt à se amantissimum filium Beniamin dimitteret: vt cum illis in Ægyptũ empturus frumenta pergeret. Quid enim non fecit pius senex, quò à dilectissimi filij complexu non diuelleretur? At Beniamin diuinæ contemplationis quietem & delicias repræsentat: vtpotè de quo scriptum sit, Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. His enim verbis, diuinæ contemplationis munus declaratur. Cùm ergo pater adeò ægre hunc à se filium dimittit, hoc planè docet, vt quisquis diuinarum rerum contemplationi addictus est, quiduis potius patiatur, quàm à diuinæ cõtẽplationis studio (nisi vrgente proximi necessitate, vel maiorum obedientia) diuelli. Quod quidem (vt alios omittam) B. Franciscus exemplo suo docuit, qui ab hoc officio ad animarũ lucra captãda, nisi deuota oratione pręuia, & magno habito cõsilio, accedere noluit, ne ab huius Beniamin cõplexu *Deut. 33.*

 separa-

ſepararetur. Palladius verò memorat, quendam ex ſanctis Anachoritis, cùm ad Epiſcopi munus obeundum à populo peteretur, alteram aurem ſibi abſcidiſſe, ne ſic mutilus ordinaretur. Cumque adhuc populus ex ordinatoris iuſſu fugientem ſequeretur, conuerſus ad illum iurauit, ſe (ſi adhuc inſtarent) linguam etiam abſciſſurum. Hoc autẽ vir ſanctus diuinæ Spiritus impulſu (quod aliàs non licebat) feciſſe credendus eſt. Id autem fecit, non ob hoc ſolùm, quòd Epiſcopi munus formidaret, ſed ne dilectæ ſolitudinis contemplatione & quiete careret.

Quibus virtutum gradibus ad contemplationis arcem, & diuinas illuminationes perueniatur, initio ſtatim mundi in quatuor dierum operibus (vt Hugo de S. Victore ait) quodammodo adumbratum fuit. Primo namque die fit lux, qua homo à Deo illuminatus, viam veritatis agnoſcit. Secundo fit firmamentum: per quod firmiſsimum non peccandi propoſitum intelligimus: quod quidem magna Chriſtianæ vitæ portio eſt. Tertio, congregantur

Rom. 8. aquæ in locum vnum: quum fluxi & vagi motus animæ noſtræ, ratonis atque timoris Domini imperio coercentur. Ait enim Apoſtolus. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Hic autem tertius dies officium continet mortificationis. Poſt quem deinceps quarto die creatur Sol: quo mens diuinis illuminationibus irradiata, inuiſibilia contemplatur. Ad hunc autem diem ſine aliorum anteceſsione velle peruenire, perinde eſt atque id, quod aiunt per ſaltum ad ſacros ordines promoueri.

Pſal. 33. Accedite, inquit Propheta, ad eum, & illuminamini. Sic Moſes in montem aſcendẽs, & cum Deo verſans, ab eo didicit, quemadmodum illi tabernaculum fabricare deberet. Ad hunc ergo modum, mens quæ terrena deſpiciens ad Deum eleuatur, ab eo diſcit, qua ratione ſeipſam dignum Deo tabernaculum præparet.

Præparatio animi ad orandum.

Grego. Simil. INtentioni animæ ſi exterior euagatio clauditur, interior receſſus aperitur. Nam quò extra ſe ſpargi propter diſciplinam mens non poteſt, eò ſupra ſe intendere per profectum poteſt:

test: quia & in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos distẽdi prohibetur. Greg. in mor.

Mens mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur, quàm est: & nisi in statu suo arcta custodiæ disciplina teneatur, semper in deteriora dilabitur. Greg. vbi supra.

Greg. super illud Iob. Per somnium in visione, &c. sic ait: Dei secreta non cognoscimus, si vigilemus in desiderijs terrenis. Vnde Moyses in interiori deserto Deum videt, & in montem ducitur, vt cum Deo loquatur. 23. mor. cap. 29. Lege hoc aureum cap. *Iob. 33.*

Ad ipsum Deum cogitandũ, sicut dignum est ab homine cogitari Deum, quanta impediunt, veluti interpellantia, de necessitate corruptionis humanæ? quanta reuocant? quanta à sublimi intentione detorquent? quanta interpellant? Quæ turba phãtasmatum? qui populi suggestionum? Totum hoc in corde humano, tãquam de vermibus huius corruptionis scatet. Aug. sup. psal. 102. *August.*

Attende & vide quanta aguntur in corde humano, & quemadmodum ipsæ plerunque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita vt vix stet cor ad Deum suum. Vult se tenere vt stet, & quodammodo fugit à se, nec inuenit cancellos, quibus se includat, aut obices quibus retineat auolationes suas, & vagos quosdã motus, & stet iucundari à Deo suo. Vix est vt occurrat stabilis oratio inter multas orationes. Diceret vnusquisque sibi contingere, & alteri non contingere, nisi inueniremus in scripturis Dei Dauid orantem quodam in loco & dicentem: Quoniam inueni Domine cor meum, vt orarem ad te. Inuenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere: & ille sequi quasi fugitiuum, & non posse comprehendere, & clamare ad Dominum: Quoniam cor meum dereliquit me. Itaque fratres mei, attendentes quod hic ait. Suauis es tu & mitis, videor mihi videre ad hoc dixisse mitem Deum, quia patitur ista nostra, & expectat tamen à nobis orationem vt perficiat nos: & quando illi eam dederimus, accipit gratè, & exaudit: nec meminit tantas quas inconditè fundimus, & accipit vnam quam vix inuenimus. Aug. super psal. 85. *2. Reg. 7.*

Si enim Angeli te adorantes & laudantes tremunt mira exultatione repleti: ego peccator dum tibi assisto, laudes dico, sacrificium offero, cur non corde pauco? vultu palleo? labijs tremo? toto corpore inhorresco? subque obortis lachrymis coram te inde-

ſinenter lugeo? Volo, ſed non valeo, quia nequeo quod deſidero. Hinc enim mecum vehemẽter admiror, dum te nimis terribilem oculis fidei cerno. Sed quis hoc ſine ope gratiæ tuæ? Vniuerſa enim ſalus noſtra, magna miſericordia tua. Miſerum me, quomodo ſic inſenſata facta eſt anima mea, vt non terreatur terrore nimio, dum ſtat ante Deum, & ſuas illi laudes decantat? Miſerum me, quomodo ſic induruit cor meum, vt oculi mei non indeſinenter producant flumina lachrymarum, dum conſeruus ſermocinatur coram Domino ſuo; homo cum Deo, creatura cum creatore, qui factus eſt ex limo, cũ eo qui omnia fecit ex nihilo? Aug. in Medita.

Bernar. Iuge ſilentium, & ab omni ſtrepitu ſecularium perpetua quies, cogit cœleſtia meditari. Ber. in epiſt.

Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite aſcendamus in montem vbi Dominus videt, vel videtur. Curæ, ſolicitudines, anxietates, pœnæ, ſeruitutes, expectate me hic cum aſino corpore iſto, donec ego cum puero, ratione ſcilicet & intelligentia, vſque illuc properantes, reuertamur ad vos: reuertemur enim, & heu reuertemur quam citò. Idem de amore Dei.

Viſcus contemplationis eſt amor poſſeſsionum, affectus cognationis, cupiditas honoris, & voluptas carnis: quibus anima inuiſcatur, & irretitur, vt non pennis contemplationis per plateas ſupernæ Sion diſcurrere poſsit. Idem in Medit.

COLLE. *Eſai 58.* ¶ Et vocaberis (inquit) ſabbatum delicatum. Hæc dies ſabbati ad vacandum Deo, ac diuina meditãda inſtituta eſt. Dictu autem mirum eſt, quàm arduum ac difficile pijs etiam hominibus ſit, mentem à terrenis ad cœleſtia perfectè eleuare. Non enim à peccatis ſolum vel leuiſsimis (quæ feruorem charitatis tepefaciunt) ſed à multis etiam alijs, quæ quamuis peccata non ſint, mentem tamen diſtrahunt, & ab interna illa vacatione vel auocant, vel impediũt, abſtinendum eſt. Ideò non mirum, ſi ſabbatum delicatum Dominus à nobis exigat: quòd videlicet delicatè, hoc eſt, non ſegniter aut oſcitanter, ſed magna cura & attẽtione quod in eo præcipitur, agendum ſit.

Quanta puritate & ſtudio niti deceat eum, qui ſe totum diuinæ pulchri-

pulchritudinis contemplationi addixit, hoc argumento vtcũque intelligi poteſt. Conſtat res omnes quæ in mundo ſunt, in duas veluti Sphæras diuidi: alteram rerum ſpiritualium, alteram corporalium. Et in corporalibus quidem materia prima eſt infimum, homo verò ſupremum: in ſpiritualibus autem homo eſt infimum, & altiſsima intelligentia, quæ infra Deum eſt, ſupremũ. Homo enim velut in vmbra infimæ intelligentiæ conditus eſſe dicitur. Cæterùm quò ſuprema illa intelligentia ſublimior, & Deo propior eſt, eò clarius diuinam ſpeciem contemplatur: quò verò diſtãtior, eò & obſcurius. Quò fit, vt anima rationalis, quæ in hoc ordine infima eſt, corporis & peccati pondere depreſſa, diuina etiam gratia ſuffulta, difficulter ſe ad hanc tantam lucem attollere poſsit. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam: quemadmodum aggrauaretur aquila, ſi maſſam plumbeam pedibus ligatam circunferre volando cogeretur. Quam ob cauſam Ariſtot. ſapientiam, hoc eſt, diuinarum rerum cognitionem, dixit eſſe diuinam poſſeſsionem: quoniam (vt ipſe ait) natura hominis multipliciter ſerua, & infinitis penè curis & neceſsitatibus obnoxia, non poteſt ſe totam ſapientiæ ſtudio tradere: quod ad eam conſequendam neceſſarium eſt. Ex quo patet, quanta cura & ſtudio puritati cordis incumbere debeat, qui in hoc pulcherrimo ſtadio exerceri cupit, vt virtute, induſtria, & diuina gratia ſuppleat, quod infirma natura non præſtat. *Simil.* *Ariſtot.*

Moſes ſolus aſcendit in mõtem cum Deo locuturus: & nec homo, neque beſtia ad hũc locum accedere permittitur. Ac deinde, quò maior adhuc ſolitudo eſſet, ſolitudini caligo additur, quę corporea cuncta à conſpectu orantis auferret. Similique ratione ſacerdos ſanctuarium ingrediens, fumo thuris locum tenebris obducere iubetur, vt cum Deo locuturus, nihil aliud quam Deũ cogitaret. His autem rebus admonemur, tantã eſſe debere ſpiritualẽ ſolitudinem orantis, vt nõ ſolum ab omni extraneo affectu, ſed ab omni etiam peregrino phantaſmate alienus ſit. Hoc enim eſt ſilẽtium illud, quod fit in cœlo, cùm arcana Dei ſancti contẽplatur. De quo Diuus Auguſt. in Meditatio. Sileant, inquit, animæ meæ omnia, ſileat anima mea ſibi ipſi. Hinc ille ſomnus, quem amãtiſsimus Sponſus in Sponſa ſua cupit nõ interturbari cùm ait. A diuro vos filiæ Hieruſalẽ per capreas ceruoſque camporũ, ne ſuſcitetis, *Auguſt.* *Cant. 2.*

 neque

Simil. neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Sicut enim parentes ægrotante filio, si somnum fortè salutarem carpit, obseruare studiose solent, ne aliquo domesticorum strepitu somnus ille intercidatur: ita cœlestis Sponsus, anima in illo dulciter quiescẽte & obdormiente, diligẽter curat, ne salutaris iste ac vitalis somnus intercipiatur. Quid autem tali Sponso dulcius? quid amãtius? qui tali studio, talique adiuratione saluti & incolumitati suorum prospicit?

Quid est quod in oratione cor nostrum tam multis imaginibus & cogitationibus infestatur? Tres huius rei præcipuæ causæ mihi esse videntur. Prima est, instabilitas imaginationis nostræ, quæ (sicut appetitus ipse) per peccatum ita grauiter læsa fuit. Quo fit, vt frequentissimè eius imperio reluctetur, & vix vbi iubetur stare, diu hæreat. Quo quidem morbo (sicut in alijs naturæ ægritudinibus) quidam grauius, quidam verò leuius laborant. Altera causa est, assidua terrenarum rerum meditatio atque tractatio: facilè quippe homo ad assueta rapitur. Simil. Sic videmus catellos, cum in aliam domum ab ea, in qua nutriti sunt, transferuntur, protinus ad priorẽ regredi. Cui malo assidua lectione, & meditatione scripturarum sanctarum subueniendum est, vt omnis videlicet enarratio nostra sit in præceptis altissimi. Tertia verò causa est, charitatis, & dulcedinis diuinæ (quæ charitatis comes est) siue imperfectio siue defectus. Scitum enim est illud Poetæ: Trahit sua quemque voluptas. Natura quippe (vt Aristo. ait) maximè appetit delectabilia, & fugit tristia. Quo fit, vt glutinum cogitationis delectatio sit cordis: quæ facit, vt homo immobilis hæreat ijs quæ diligit, & in quibus vehementer oblectatur.

Profunda intellectus speculatio, circa philosophicas disciplinas, deuotionis affectum magis impedit, quàm quæuis corporalis exercitatio. Hæc enim si non multum aut laboris, aut attentionis exigat, non impedit, quominus & intellectum & affectum pius homo eleuare possit in Deũ. Cassia. Vnde monachi in Ægypto (vt Cassianus ait) operantes manibus suis ab oratione non cessabant. Cæterum philosophica speculatio totam intellectus nostri vim ad se trahit, & quodammodo ebibit. Intellectu autem ita occupato, affectus non habet à quo in Deum dirigatur, & excitetur: atque ita mens sterilis, & ieiuna manet, dum intellectus circa alia peregrina

tur. Et hoc forsitã in causa est, vt simplices & rudes viri, fœminæque deuotiores interdum, quàm aliqui viri docti reperiantur, vt D. Tho. ait: quod quidem non literarum, sed hominis vitio tribuẽdum esse, idem sanctus doctor asserit.

Vt commodius, ita & facilius est, quotidie Deo vacare, & se intra se colligere, quàm rarò id facere. Cithara quæ assiduè artificis manu pulsatur, minimo negotio ad hoc ipsum paratur: quæ verò diu siluit, vix longo spatio ad hoc instruitur: sic igitur qui assiduè orat, facilè puram mentem in Deum leuat: qui verò hoc diu distulit, varijs terrenarum rerum (quibus assueuit) imaginibus infestatur, & ab interna vacatione & silentio auocatur. Itaque cum in cœlum mentem attollere nititur, in ipso conatu, à terrenis curis & cogitationibus ad terram trahitur. Hinc Sponsa domo egressa, per plateas Sponsum quærens, à vigilibus ciuitatis percutitur, laceratur, & spoliatur. Similes enim iniurias intra se anima patitur, cùm internæ solitudinis & silentij domo egressa, & negotijs secularibus implicata, Sponsum quærere, & ad cœlestia nititur aduolare. *Simil.* *Cant. 3.*

Animum feriatum & vacantem ad rerum diuinarũ cõtemplationem requiri, declarãt illa Domini verba: Vacate & videte quoniam ego sum Deus. Vnde scriptum est, Sapientiam scribe in tempore vacuitatis. Et, Qui minoratur actu, perficiet sapientiam. *Eccl. 38.* *Ibidem.*

Pro eo quod nos legimus, Respexit in orationem humilium, Hiero. vertit, Respexit in orationem vacui, hoc est, egeni, & omni humana ope destituti. Idem autem alibi significauit cùm ait: Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. Pro quo idem vertit, Solitariam meam: quod eundẽ sensum reddit. Significat enim se omnibus præsidijs nudatum, solius Dei ope niti. Possumus etiam vacui nomine eos intelligere, qui mundas preces ab omni affectuum, & cogitationum, & imaginum terrenarum fæce purgatas Deo offerunt. Hæc enim vel præcipua præparatio animi ad orandum est. *Psal. 101.* *Psal. 21.*

Properantem Mosem ad vidẽdum rubum, Dominus qui in eo erat, compescuit dicens, Solue calciamenta de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. Quicunque ergo Deum adire cupis, quicquid terrenũ & mortale est, seponere primum debes. Hoc sibi dictum putet quisquis Dñm oraturus accedit: quẽ idem *Exod. 3.*

Deut. 4. ipse Moses cunctis obsecrationibus nostris præsentē esse ait. Magna ergo animi puritate ad hoc officium accedendum est, & illud
Matth. 6. implendum: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso mentis tuæ ostio (ne quid in eam terrenum eo tempore ingrediatur) ora Patrem tuum in abscondito.

Quid spiritui nostro cum terrena substantia? Cur non potius spiritualia & quærit & sapit? Verùm, corpus quod corrūpitur ag-
Sapien. 9. grauat animam: & terrena inhabitatio &c. Necessitates multę corporis detinent nos. Viscus quidam praui desiderij & delectationis terrenæ mentem nostram ad cœlestia aspirantem retrahere niti-
Bernar. tur. Referuntur autem à D. Bernardo quatuor velut cōpedes animæ nostræ: nempe necessitas, vanitas, curiositas, & voluptas. Singula quæque horum vt cordis nostri puritatem inficiunt, ita ascēsum in cœlum impediunt.

Leui. 10. Præcepit Dn̄s in lege post Nadab & Abiu incendium, vt vinum & omne quod inebriare posset, non biberent sacerdotes, quoties illis ad altaris ministerium accedendum esset. Quo intelligimus, magna nos præparatione, sobrietate, ac religione parari debere, quoties ad orandum Dominum, & vitulos labiorum cōfitentium nomini eius, hoc est, spirituales hostias offerēdas accedimus. Pro-
Psal. 46. pter hoc enim dictum est, Psallite sapienter. Magnum est, hominē cum Deo colloqui: maius erga diuina affici, & eorum gustu delectari: maximum verò quod à Deo petieris impetrare: quæ tria ad orationis virtutem pertinent.

Deuotio, deuotionis adiumenta & impedimenta, &c.

Gregor. VNumquemque electum suum diuina gratia tunc magis erudiendo custodit, cùm eum quasi percutiens deserit. Greg. in mor.

Luc. 8. dicitur cuidam sanato, Redi in domum tuam, cùm ille vellet sequi Dominum: vt ex dilati amoris desiderio meritum retributionis augeret. In abscondendo enim maiestatis suæ gloriā, amoris sui vim Dominus per æstum desiderij auget. Gregor. in mor. lib. 16. c. 13.

Si habet

Si habet animus vnde delectetur exterius, sine delicijs manet interius. August. super Ioan. *August.*

Vbi crapulã ructantis inter pocula senserit Christus, vina sua dulciora super mel & fauum menti propinare non dignatur. Vbi curiosa ciborum diuersitas, vbi diuitis suppellectilis discolor varietas oculos pariter pascit & ventrem, cœlestis panis ieiunam deserit mentem. Bern. in epist. *Bernar.*

Tria sunt quæ vagam mentem stabilem faciunt, vigiliæ, meditatio, & oratio: quarum assiduitas & iugis intentio confert animę stabilem firmitatem. Ioan. Cassian. *Cassia.*

Quoties anima seipsam prodiderit, caloremque illum amabilẽ ac beatissimum amiserit, inquirat diligenter, qua ex causa id sibi contigerit, ac aduersus illam bellum omne ac studium summis viribus resumat: neque enim poterit per aliam portam illum reuocare, nisi per quam egressus est. Ioan. Clima. *Clima.*

Quoties anima nihil etiam curantibus vel studiose operãtibus nobis in lachrymas vi secretæ compunctionis excitata in solo fletu requieuerit, curramus solicitè. Dominus enim non vocatus aduenit, spongiamque diuini mœroris & refrigerij, piarumque lachrymarum aquas nobis clemens porrigit, quibus deleantur scelera chirographi nostri. Serua eam vt pupillam oculi tui, donec sponte abeat. Longè enim maior est huiusmodi compũctionis vis quàm eius quam studio nostro & labore quæsiuimus. Idẽ de Luct. c. 7.

Quidam honesti huius boni probatus operarius ista mihi de se narrauit: Cùm (inquit) sæpius studiose instituerem aduersus inanem gloriam, siue iracundiam, siue ventris saturitatem omnino bellum gerere, luctus ratio subclamans mihi intrinsecus attestabatur. Noli inani gloria efferri, nam recedam abs te. Similiter quoque in alijs perturbationibus dicebat: Cui ego, nunquam aiebam, tibi ero inobediens, donec me Christo Domino sistas. Idẽ ibidem.

Abscondit seipsam infantis mater: quem si se viderit anxiè inquirere, gaudio afficitur: sicque illum instruit sibi adhærere iugiter, affectumque sui altius infanti imprimit, eumque ad se amandum ardentius inuitat. Ibidem. *Simil.*

Verbum vnum nonnunquam dissoluit luctum: mirum verò

si vnum

ſi vnumquoque verbum rurſus illum reuocare, poſtquam auolauerit, poſsit. Ibidem.

COLLE. Simil. ¶ Vnguentũ quod curandis vulneribus adhibetur, diu ijſdem hęrere debet, quò ſanitatẽ afferre poſsit. Cùm ergo vnguentum animæ vulnera ſanans, & ſuauiſsimo odore carnis noſtræ fœtorẽ conſumens, deuotio ſit, quę ex oratione atque meditatione procedit; diutius orationi inſtandum, & in ea perſeuerãdum eſt, vt ſpiritualis ſanitatis & virtutis eius participes reddamur.

4. Re. 19. Quod ſaluatum fuerit de Iuda, mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum. Hoc autem ſpiritualiter efficit Dominus, cùm aliquando charitatis feruorem nobis ſubtrahit, aliquando verò auget: modò nos deſerere videtur, modò rurſum viſitat, ſicut ſcriptum eſt, Viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum. Altero enim nobis diffidere, altero illi fidere docemur: & altero quidem in humilitate radicamur, altero verò in charitate adoleſcimus: vtrunque enim ad ſpiritualem vitæ profectum maximè neceſſarium eſt.

Pſal. 124. Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Aqua deuotio eſt, quæ in terram cordis noſtri effuſa, omnes virtutum plantas rigat. Eius enim munus eſt, ad omnia Dei obſequia & virtutum officia alacrem hominem reddere. Quare quemadmodum horto arboribus conſito, prima cura eſt, ad eas irrigandas puteum fodere, aut aliunde aquam deriuare, ne labor omnis irritus ſit: ita quiſquis virtutum plantas excolere ardenti deſiderio cupit: deuotionis quoque exercitia colere debet, quibus virtutum plantas alat, atq; ſuſtentet.

Gen. 42. Ioſeph ad fratres ſuos quaſi ad alienos durius loquebatur, cùm tamen eos fraterno complecteretur amore. Hoc ipſum Dominus cum pijs hominibus agere ſolet. Aliquando enim illis ſe velut mulieri Samaritanæ exhibet, dum non rogatus vltrò ipſe rogat, & inuitat, & viſitationis ſuæ gratiam vel non petentibus offert. Aliquando verò ita ſe cum illis gerit, quemadmodum cum muliere Cananea, cui poſt multas lachrymas & preces, tandem præſtitit quod popoſcit.

Prou. 4. Omni cuſtodia ſeruandum eſſe cor noſtrum Salomon docet. Quare? Nimirũ quia de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, &c.

dia,&c.Rursumque à corde vita procedit. Quale enim cor, talia sunt & verba, & opera quæ à corde proficiscuntur. Quapropter quisquis vitam suam rectè instituere velit, non contentus externis virtutibus, magnam quoque, imò primã cordis sui curam habeat. Si enim hepar calido humore exæstuans, flammas in faciem manusque diffundit: nõ admodũ refert externa hæc mẽbra aquis refrigerare, nisi ipsum caloris fontẽ extinguas. Si terra in qua virgulta plantare vis, sentibus atque dumis plena est, parũ prodest spinarũ ramos abscindere, si earum radices protinus germinaturæ in terra defixæ manent. At verò medicina cordis nostri deuotio est: quæ propterea vnguentũ appellatur, quoniã eius vulneribus medetur. Deuotio enim cupiditatũ nostrarum incendiũ temperat, vires carnis debilitat, robur & fortitudinem tribuit, sancta desideria acuit, intellectũ illuminat, spiritualẽ lætitiam auget, qua dilatatũ cor diuinorum mandatorum celeriter viam currit. De his verò qui externa solùm opera sine vlla interna pietate sectantur, Hieremias ait, Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum. Et rursum, Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mẽtiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo, &c.

Simil.

Hier. 12.

Psal. 77.

Qui deuotioni studet, non modò cùm ad orandum aut meditandum accedit, sed multò ante in omnibus temporibus atque negotijs eam captare debet. Id autem fit, cùm vbique mentem ad Deum eleuamus, & puritati cordis diligenter studemus. Hoc autem præstabat sancta illa mulier, de qua scriptum est, Facta est quasi nauis institoris, de longe portans panem suum. Panis enim quo anima in spirituali vita alitur, deuotio est: quam de longe trahimus, cùm non modò orationis tempore, sed multò ante, hoc est, in omni tempore atque negotio illam studiose quærimus. Huius verò studij neglectus, præcipua spiritualis ariditatis causa esse solet.

Prou. 31.

Quòd frequenter Dominus cõsolationis atque dulcedinis suæ præsentiam pijs hominibus subtrahat, quidque illis hoc tempore faciendum sit, longa oratione Sponsa Cant. 3. describit his verbis, In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum & non inueni &c. Lectulus quietis & deliciarum locus est: in quo loco Sponsa quærit Sponsum, cùm in intimo cordis sui otio atque silentio (vbi eius delicijs & amplexibus frui solet) illum

illum quærit. Et quærit per noctes, quando videlicet clausis ad omnes curas & cogitationes terrenas mentis oculis, ad illum toto corde atque conatu amplectendum solito more se erigit. Sed nec sic tamen illum inuenit, quem aliàs in hoc lecto inuenire solita fuit. Quid igitur hoc tempore fidelis anima agere debet? Subdit protinus, Surgam, videlicet amoris impatiens, & circumibo ciuitatem &c. Non enim inerti otio dissolui hoc tempore debet: sed excusso omni torpore atque dormitantia, alacri animo excitare se ad omnia virtutis opera & consueta exercitia debet: & cum Propheta dicere, Si dedero somnum oculis meis, &c. donec

Psal. 131. inueniam locum Domino. Quin etiam ad illum clamet clamore grandi in toto corde suo, illa Sponsæ verba repetens, Reuertere, reuertere dilecte mi: similis esto capreæ hinnuloque ceruorum super montes Bethel. Conduplicatio verbi, affectus & desiderij vim ostendit: quod tamen magis similitudo sequens declarat: quando illum ea celeritate, & cursu ad se regredi postulat, qua hinnulus ceruorum super montes Bethel. Sed neque his clamoribus contenta, per vicos & plateas ciuitatis Sponsum quęrit. Qui tamen sæpe internæ consolationis spiritualisque lætitiæ ad tempus gratiam subtrahit, quod velit aliquando proximorum necessitatibus Sponsam suam deseruire, & à pio charitatis otio ad necessarium eiusdem negotium transire. Quod tamen prudenter & cautè faciendum est, ne sub hoc obtentu, interna contemplationis exercitia prorsus deserantur. Sed danda opera est, vt

Ezech. 1. quemadmodum sancta illa Ezechielis animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis: ita nos promptissimo & celeri animo ad vtraque munera, interna scilicet & externa progrediamur & regrediamur: non laboris interni solatium in externis operibus requirentes, sed solum Sponsi obsequium vtrobique captantes. Vigiles quoque, qui custodiunt ciuitatem, hoc tempore consulendi & interrogandi sunt: hoc est, pastores & doctores Ecclesiæ consulendi erunt, cùm hæc mentis ariditas & sterilitas vel diuturna fuerit, vel nocitura videbitur. Nullum enim lapidem non mouere debemus, quum cœlestis hic Spõsus abest, vt iterum ad nos reuertatur. Videmus enim

Simil. inferiora huius mundi corpora in deliquio Solis (quod breui tempore durat) detrimentum pati. Quocirca mirum non est, si

detri-

detrimentum patiatur anima, quando consolationis suæ radios ab ea Sol iustitiæ Christus Dominus diutius subtraxit. Cùm verò pia mens hæc omnia diuino amore saucia lustrauerit, nihilque intentatum reliquerit, tandem se illi cœlestis Sponsus fruendum præbet: quem illa inuentum, tantò arctioris amoris complexu stringit, quantò illum cum maiori mœrore amisit, maioríque labore amissum quæsiuit. Ideoque ait, Tenui illum, nec dimittã: donec introducam in domum matris meæ, &c. quæ domus, cœlestis illa Hierusalem est: quæ est mater nostra. Ait ergo se daturam operam, vt nunquam illum amplius (quoad eius fieri possit) amittat, donec quod gustauit internum, fiat illi in cœlesti cubiculo æternum. *Cant. 3.*

Singularem prouidentiam, quam hortus sui, hoc est, Ecclesiæ suæ cœlestis Sponsus gerit, illa verba declarant, Surge Aquilo, & veni Auster: persla hortum meum, & fluent aromata illius. His enim verbis ostendit se dare operam, vt ventus Aquilo frigoris & inertiæ autor, à piorum hominum cordibus abigatur: & ea perflet Auster à meridie spirans: qui vi sua eadem & diuini amoris calore incendat, & blando deuotionis imbre molliat: quò sanctorum desideriorum aromata charitatis igne resoluta, fluere incipiant. Est enim deuotio, sanctorum desideriorum nutrix atque ministra. *Cant. 4.*

Postea quàm Sponsa pulsanti & vocanti Sponso pessulum ostij subtraxit, & fores aperuit, illum iam declinasse ait, nec nisi magno deinde labore quæsiuit & inuenit. Quid igitur est, quod patefactum aditum, quod tam blandis antea vocibus Sponsus exquisierat, modò respuat, & aufugiat? Nimirum hac pœna plectuntur, qui vocanti Sponso excusationis verba respondẽt, qualia Spõsa paulo ante responderat dicens. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? &c. Ad puniendam ergo præteritam hanc tarditatem, qua Sponso diu pulsanti aperire neglexìmus: ille meritò, cùm aperire voluimus, subtrahit se. Non enim potest iustius ista Sponsæ tarditas puniri, quàm vt vicissim Sponsus eam cogat præstolari: vt sicut volente introire Sponso, non statim ipsa consensit neque occurrit, sic vicissim Sponsa volẽte copulari Spõso, ipsumq; ad se introducere, nõ statim eius obtẽperet desiderio. Et quomodo illa inutiles protaxit moras, ne Spõsum statim reciperet: sic ipse iustis rationibus nõ statim se ostẽdat quæsitus, vt cogatur illũ *Cant. 5.*

iam quærere cùm dolore & labore, qui se prius ante ianuam vltrò videbatur offerre. Altera quoque ratio huius dispensationis esse videtur, ne Sponsi præsentia nimis vilesceret, si tam facilè absque omni molestia inquisitionis passim acquiri posset & teneri.

Quod sæpe Dominus sine vllo piorum demerito spiritualis visitationis & consolationis gratiam ad tempus subtrahat, quo vel maius sui desiderium excitet, vel pluris hanc gratiam æstimari faciat (vilescunt enim frequenter & sordent quæ possunt semper haberi, & in promptu inueniri) vel hoc argumento declaratur: quod vbi Sponsa pessulum ostij sui sustulit, & ostium aperuit, & Sponsum vocauit, ac diligenter quæsiuit, minime tamen inuenit. Sic
Cant. 5. enim ait. Quæsiui illum, & non inueni: vocaui, & non respondit mihi. Hæc cõsideratio, piorum mœrorem temperare debet: cùm se ita destitutos vident. Quanuis tutius est, vt de se semper humiliter sentientes, negligentia sua se hoc donum amisisse credant: sed ita credant, ne nimio mœrore absorbeantur: cùm hoc dispensatione diuina, non humana negligentia interdum contingat: vt ita inter spem metumque suspensi, & à nimio mœrore, & malè tuta securitate immunes sint.

Magnum spiritualis ariditatis ac desolationis nostræ in sanctarum scripturarum lectione ac meditatione remedium positũ est,
Rom. 15. Apostolo testante, qui scripta omnia diuina ad eruditionem & cõsolationem nostram destinata esse confirmat. Hoc autem nobis (vt
Gen. 24. quidam ex Patribus ait) sanctus Patriarcha Isaac repræsentauit: qui post mortem matris ad vesperam profectus est ad meditandum in agrum, vbi inuenit Rebeccam, quæ illum miro modo consolata est. Quoties mihi, Iesu bone, dies vergit in vesperam, quoties paruæ alicui consolationi intolerabilis dolor, quasi nocturna caligo succedit, vertuntur in fastidium omnia, oneri sunt cuncta quæ video. Siquis loquitur, vix audio, vix sentio, & in modum silicis cor obduratur, hæret lingua, oculorum vena siccatur. Quid tunc? Exeo certè ad meditandum in agrum, sacrum reuoluo codicẽ. Tunc subitò mihi occurrens Rebecca, hoc est, tua gratia Iesu bone, sua luce meas tenebras discutit, pellit fastidium, duritiam frãgit. Mox suspirijs cedunt lachrymæ, & lachrymas cœleste gaudium comitatur. Infélices, quos cùm tristia quæque perturbant, non hunc agrum ingrediuntur vt gaudeant. Hæc Ailredus.

Gaudium

Gaudium spirituale.

DVlce est, esse in rebus humanis, sed ei, qui adhuc de cœlestibus gaudia nulla gustauit: quia quantò minus æterna intelligit, tantò delectabilius in temporalibus requiescit. Grego. super Ezech. *Gregor.*

Si quis iam cordis ore gustauerit, quæ sit illa dulcedo cœlestiũ præmiorum, qui illi hymnidici chori Angelorum, quæ incõprehensibilis visio Trinitatis: huic quãtò dulce sit quod intus videt, tãtò in amaritudinẽ vertitur quod foris sustinet. Greg. vbi sup.

Qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfectè cognouerit, ea quæ in terris amauerat, libenter cuncta derelinquit. In comparatione eius vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cœlestibus animus, nihil in terrenis libet, deforme conspicitur, quicquid de terrenæ rei placebat specie: quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente.

Super illud Iob. 4. Ad me dictum est verbum absconditum &c. D. Gregor. ait. Diuina aspiratio humanam mentem tangendo subleuat, & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desiderijs inflammat. Dicitur autem absconditum: quia non potest sciri, nisi à quo potest haberi. Sicut enim Paracletus inuisibilis est, ita omnem quem repleuerit, ad desideranda inuisibilia accendit. Seculares autem mentes quantum se foris per desideria dilatant, tantum ad receptionem illius sinum cordis angustãt. lib. 5. mor. c. 19. vide locum.

Super illud Iob. 4. Cum spiritus transiret, &c. Gregor. ait. Cùm mens internam dulcedinẽ degustat, amore æstuat: videtque se videre non posse quod ardenter diligit: nec tamen ardenter diligeret, nisi aliquatenus videret. Non ergo stat, sed trãsit spiritus: quia supernam lucem nobis inhiantibus contemplatio aperit, sed mox infirmantibus abscondit. Vbi sup. c. 23.

Qui superna degustat, inferiora tolerat: quia plenè intus conspicit, quanti æstimet quod foris agit. Vbi sup. c. 26.

Cũcta quæ foris eminẽt, occultis iusti obtutibus per despectũ iacent. Nã supra se interius rapti, in alto animũ figunt: atque dum extra carnẽ fieri mente decertãt, ipsa penè quæ patiuntur ignorãt. *Simil.*

Nam velut in magni montis vertice siti, subiecta sibi intus videt, quæ per carnalem gloriam foris tument. Vbi sup.cap.22.

Vt homo & gratiæ dona habeat, & infirmitatem suam agnoscat, visitas eum diluculò, & subito probas illum. Sic Helias cælum aperit, & Iesabel fugit: sic Paulus Paradisum intrat, & carne tentatur. Greg. vbi supra cap.20.

Quia animus non vult considerare præmia quæ restant, grauia æstimat esse quæ tolerat. At si degustat gaudium quod intus permanet, leue fit protinus omne quod intus dolet. Greg. vbi supra lib.10. cap.19.

Aliquando iusti viri anima ad inusitatam dulcedinem interni saporis admittitur, ac raptim ardenti spiritu afflata renouatur: tantoque magis inhiat, quantò magis quædam gustat. Gregor. 23. Moral. cap.21. Vide. locum.

Gregor. super illud ex Psalm. 88. Beatus populus qui scit iubilationem. Non dicit qui loquitur, sed qui scit. Sciri enim potest, exprimi non potest: sentitur enim per illam, quod vltra, sensum est. 24. Moral. cap.6.

Tenet anima transeuntia amore, ipsa tẽpore transiens: at postquam supernæ lucis radios contigit, admiratione summorũ transeuntia despicit, nec iam illi, nisi quæ æterna sunt, libent. Gregor. 27. Moral.cap.12.

Dulcis cibus, qui de supernis accipitur, vocatur Manna. Quid est hoc? Cùm enim anima ab infima cogitatione suspenditur, ea quæ de supernis conspicit insolita miratur: sicque appetit cõtempta, contemnit appetita. Gregor.27.Moral.cap.17.

Electorum mens iam terrena desideria subijcit, iam cũcta quæ considerat, præterire transcendit: iam ab exteriorum delectatione suspenditur, & quæ sint bona inuisibilia rimatur: atque hæc agens plerũq; in dulcedinẽ supernæ cõtẽplationis rapitur, & ardenti desiderio interesse spiritualibus Angelorum ministerijs conatur: gustu incircunscripti luminis pascitur, & vltra se euecta, ad semetipsam relabi dedignatur. Greg.lib.8.Moral.

August. Dulciores sunt lachrymæ orantium, quam gaudia theatrorum. August. super Psalm.127.

Quanquam autem hæc infima habeant suas delectationes, suosq; amores, non tamen tali modo delectant, sicut tu Deus noster.

ſter. In te enim delectatur iuſtus, quia amor tui ſuauis eſt, & quietus. Nam pectora quæ poſsides, dulcedine, & ſuauitate, & trãquillitate reples. Et contrà amor ſeculi & carnis anxius eſt & perturbatus: animas certè quas ingreditur, quietas eſſe non patitur. Semper enim ſuſpitionibus, & perturbationibus, varijſque timoribus ſolicitat eas. Tu itaque es delectatio rectorum, & meritò. Quies enim valida eſt apud te, & imperturbabilis vita. Qui intrat in te bone Domine, intrat in gaudium Domini ſui, & non timebit amplius: ſed habebit ſe optimè in optimo. Aug. in Medita.

Ecce video lumen cœli, oculis mentis meæ deſuper interlucet radius à facie luminis, & lætificat omnia oſſa mea. O ſi perficeretur in me? Auge quæſo luminis auctor: auge quæſo, quod interlucet in me. Dilatetur obſecro, dilatetur ex me. Quid eſt hoc quod ſentio? Quis eſt ignis, qui calefacit cor meum? Quæ eſt lux, quæ irradiat cor meum? O ignis qui ſemper ardes, & nunquã extingueris, accende me. O lux, quæ ſemper luces, & nunquam obfuſcaris, illumina me. O vtinam arderem ex te. Ignis ſancte, quàm dulciter ardes, quàm ſecretè luces, quàm deſiderãter aduris? Aug. in Meditat.

Eſt gaudium quod non datur impijs, ſed eis, qui te gratis colũt Domine, quorum gaudium tu ipſe es: & ipſa eſt beata vita gaudere ad te, de te, propter te: ipſa eſt, & non altera. Idem in Confeſ.

Nulla caro exultat in Deo, quæ viuit in vitijs. Idem.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quale vinũ eſt, vnde inebriari laudabile eſt? quale vinum eſt, quod non turbat, ſed dirigit mentẽ? quale vinum eſt, quod perpetuò facit ſanum, non inebriando facit inſanũ? Inebriabuntur? Vnde? Ab vbertate domus tuæ. Et torrẽte voluptatis tuæ potabis eos. Vnde? Quia apud te eſt fons vitæ. Ipſe fons vitæ ambulabat in terra: ipſe dicebat, qui ſitit, veniat ad me. *Pſal. 35.*

Stans in domo ſolitudinis quaſi onager ſolitarius, & habitaculum habens in terra ſalſuginis, & attrahens ventum amoris mei, os meũ aperio ad te Domine, & attraho ſpiritũ: & nonnunquam Domine quaſi clauſis oculis ad te inhianti, mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi ſcire quid ſit: Saporem quidem ſentio, dulcedinem adeò confortantem, vt ſi perficeretur in me, nihil vltra quærerem. Bern. de amore Dei. *Bernar.*

Gustato spiritu, necesse est desipere carnẽ: affectanti cœlestia, terrena nõ sapiũt: ęternis inhiãti, fastidio sũt trãsitoria. Idẽ in epis.

Præoccupatum secularibus desiderijs animum delectatio sancta declinat: nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia carnalibus, summa imis: vt pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram. Idem serm. 77.

Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mũdũ. Idem in serm.

Cæsarius. Verum gaudium non possidetur, nisi pax & iustitia teneatur. Prima enim est, & quasi radix iustitia: secunda pax, tertia gaudium. Dei iustitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. Cæsarius in admonit. 2.

Autor de spiritu. Anima prius sanatur, sanata introducitur, intro ducta reficitur. Autor de spiritu & anima.

Eseb. Emisse. Habet hanc vim dulcedo cœlestium pulchritudinum, vt quantò intensius quæritur, tantò intensius desideretur. Ingerunt de cupiditate appetitum, & non faciunt de satietate fastidium. Euse. Emiss. hom. de B. Maximo Epis.

Clima. Qui superna gustauit, facilè terrena contemnet: qui verò sine gustu illorum est, terrenis possessionibus lætatur. Clim. Grad. 16.

Si ad supernam gratiam festinamus accurrere, supremam gloriam degustare studeamus: qui enim illam degustauerit, terrenã omnem protinus contemnet. Miror enim siquis absque illius gustu hanc possit aspernari. Idem Grad. 21.

Cicero. Onus nõ est appellandum, quod cũ lætitia feras ac voluptate. Cicero. 5. Act. in Verrem.

Oportet vt ipsa se mens vitijs exutam cognoscat, coniunctamque cum diuina mente se sentiat: ex quo insatiabili gaudio compleatur. Idem lib. 5. Tuscul.

COLLE. ¶ Quisquis diuinis consolationibus donisque cœlestibus potiri optat, terrenas procul à se consolationes pellat: vt quoniam esse sine delectatione animus non potest, cùm carnalibus destituitur, spirituales quærat. Vehementius enim nos aliquando necessitas, quàm sperata vtilitas aut cupiditas ad aliquid agẽdum vel aggrediendum impellit. Cortesius ille qui nouam Hispaniam inuenit, & in ditionem Hispanorũ redegit, sedecim naues, quibus ad hæc

littora applicuit, perforatis clanculum earum carinis submergi fecit: vt milites omni spe fugiendi sublata, ferro iter aperirent, & locũ in quo manerent, armis occuparent. Id ni fecisset, nunquam ita facilè eam prouinciam subegisset. Sic sæpe nos erumnæ ad Deum ire compellunt. Quocirca mirum non est, si multæ nobiles viduæ quæ ob immaturam virorum mortem omni terreno solatio destitutæ sunt) se totas necessitate cogente rerum spiritualium studio tradant: quo spirituales delicias pro terrenis, quas amiserunt, in vero felicitatis fonte inueniant: quibus enutritæ placidam & tranquillam vitam agant. *Simil.*

Sub vmbra illius quem desideraueram sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Duo his verbis priuilegia singulari laude dignissima prædicantur: quibus pios homines Dominus ornare atque iuuare solet. Alterum est paterna cura & prouidentia, qua sub vmbra alarum suarum illos protegit, & in abscondito faciei suæ tuetur à conturbatione hominum, & à contradictione linguarum: alterum est mirabilis quędam dulcedo, qua ipsos lactat, & secum mirabili amoris & suauitatis glutino copulat. Hoc est enim quod ait. Fructus eius dulcis gutturi meo. Hæc autem dulcedo ita illos Deo vnit, vt vix eius à se præsentiam abdicare possint. Itaque cùm carnales homines vix mentem ad Deum eleuare queant, hi eo deuenerunt, vt vix ab eo mentem diuellere possint. Quod de B. Claræ Herpius memorat. Quid enim mirum, si hoc in amore Dei inueniatur, quod in carnali amore passim deprehẽditur? Neque enim ex natura sua minus potens est gratia, quàm cupiditas & corrupta natura: nec minus efficax boni natura quàm mali. *Cant. 2.* *Dissimil.*

Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuũ. Quomodo caro in Deo exultare potest? Hac nimirum ratione. Lux illa cœlestis quæ nouo quodam splendore piorũ mentes frequenter illuminat, ab intellectu protinus descendit in voluntatem, illamque diuino amore incendit: voluntas verò partem animæ concupiscibilem sibi coniunctam lætitia afficit. Hæc autem vis quoniã carni coniuncta est, carnem quoque ipsam mirabili quadam ratione exhilarat. Sicut enim primus orbis cœlestis secundum mouet, & secundus tertium, atque alios: ita hoc in loco vis intelligendi mouet voluntatem, voluntas appetitum, appetitus verò carnem propter magnam harum inter se virium coniunctionem. Aliter autẽ quo- *Psal. 82.* *Simil.*

Prou. 17. modo verum esset quod Salomon ait: Animus gaudens ætatẽ floridam facit, spiritus tristis exiccat ossa?

Quanta sit spiritualis lætitia & gaudium spiritus, declarant illa verba Sap. 8. Intrans in domum meam conquiescam cum illa. Nõ enim habet amaritudinem conuictus illius, nec tædiũ conuersatio
Psal. 30. illius, sed lætitiam & gaudium. Hinc illud Prophetæ. Quã magna
Psal. 34. multitudo dulcedinis tuæ Domine. q.a.t.t. Et illud, Omnia ossa mea dicẽt, Domine quis similis tui? Et illud item Eccl. 40. vinum & musica lætificant cor, & super vtrunque dilectio sapiẽtiæ. Hinc toties in Canti. spirituales deliciæ vino, hoc est, omnibus mundi voluptatibus anteferuntur.

Pro eo quod nos legimus Psal. 35. Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus, Hiero. ex Hebr. vertit: Quàm speciosa misericordia tua Deus: & filij Adam in vmbra alarum tuarũ sperabunt. Inebriabuntur de pinguedine domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos. Quibus verbis diuinæ dulcedinis magnitudo maximè insinuatur.

Spiritualis lætitia illis potissimùm impenditur, qui varijs pro
Prou. 31. Christo molestijs & incommodis afficiũtur. Vnde est illud, Date siceram mœrentibus, &c. Item illud. Gaudete, ait, in lætitia qui in tristitia fuistis, &c. Ideoque Propheta iure suo quodammodo petit. Lætifica nos pro diebus quibus nos humiliasti, pro annis quibus vidimus mala. Et Apostolus. Sicut, inquit, abundant passiones Christi in nobis, &c. 2. Cor. 1.

Si quis veram salutem & lætitiam quærit, frustra eam alibi quã
Psal 117. in iustitia quærit. Sic enim legimus, Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum. In tabernaculis enim Ægyptiorũ nulla do
Psal. 13. mus absque luctu est. Contritio enim & infelicitas in vijs eorum.

Quãdiu homo diuinæ dulcedinis expers est, vacillat nutatque in obseruatione legũ diuinarũ: vbi verò particeps eius factus est,
Psal. 118. ibi cũ Propheta clamat: Hæreditate acquisiui test. t. i. æ. quia exul tatio cordis mei sunt. Ideoque non mirũ est, si alibi idẽ Propheta exultationẽ hanc tãquã virtutis & religionis adiutricem postulet
Psal. 85. dicẽs: Lætetur cor meũ, vt timeat nomẽ tuũ. Verè enim dictũ est. Delectatio perficit opus. Ideoq; opera omnia quæ naturę author ab animantibus effici voluit, velut quadã voluptatis esca cõdiuit. Omnem quippe naturalem operationem sequitur delectatio.

Nihil

Nihil aut maius,aut pretiosius,aut optabilius,quàm à Deo diligi.Quid enim deesse illi ad salutem poterit,qui ab omnipotente Deo diligitur?Quod cùm ita sit,nihil amãti animæ optabilius, quàm diuini erga se amoris indicia experiri : ideoque nihil mirũ, si inter omnia Sponsæ vota ac desideria illud primum sit : Osculetur me osculo oris sui:osculum enim certissimum amoris indiciũ est. Cùm sint autem multa huius amoris indicia,non postremum est,præueniri à Deo in benedictionibus dulcedinis,& gaudij spiritualis.Gaudiũ enim amoris comes esse dicitur. Quare quisquis in Deo & cum Deo gaudet,magnum diuinæ erga se dilectionis argumentum habet.Græcè autem legitur : Osculetur me osculis, siue ab osculis oris sui.Non enim vnum tantum osculum, sed crebra & quotidiana oscula petit:quibus magis ac magis in amorem Sponsi exardescat. Hoc enim inter spirituales atque carnales delicias distat:quòd hæ cùm multiplicantur,fastidium,illæ verò esuriem atque sitim pariunt. Vnde est illud , Qui edunt me adhuc esurient,&c. *Cant.* I. *Dissimil.*

Trahe me post te: curremus in odore vnguentorum tuorum, vnguenta enim odorifera Spõsi sunt innumera beneficia eius , viscera misericordiæ eius,& suauissima vbera cõsolationis eius.His autem cœlestibus donis Saluator vehemẽti quodam amoris æstu trahit nos post se,& ita trahit,vt currere nos faciat.Quod quidem regius Propheta apertiùs designauit cùm ait : Viam mandatorum tuorum cucurri,cùm dilatasti cor meum. Nec hoc sanè mirũ est: quoniam (vt Diuus Bernar.ait)latitudo eius,dilectio eius est.Duę autem hoc in loco insignes hæreses paucis verbis confutantur. Quod enim Sponsa dicit:Trahe, diuinæ gratiæ necessitatem confitetur contra Pelagianos : quod verò ait, Curremus , libertatem arbitrij nostri insinuat,aduersus Lutheranos. Deus enim operatur,nos cooperamur:ille trahit,nos ipso trahente & excitãte currimus.Quare nemo ita sibi fidat,vt sua se opera atque virtute tãtùm speret præstare posse quod debet:nemoque rursus ita onus totum in solam Dei gratiam proijciat, vt quæ suarum partium sunt, obliuiscatur. *Can.* I. *Psal.* 118.

Deum electis suis prægustationem quandam , & veluti arram futuræ felicitatis in hac peregrinatione tribuere (quò auidius ad illa summa bona ferantur,quorum iam odorem perceperunt)

Cant. 1. Sponsa in Canti. insinuat, cùm se introductam à Rege in cellaria sua, siue in cellam vinariam memorat. Nam & introducendi verbum, & cella vinaria aliquid supra communem hominum captú, imò supra hunc mundum designat: supra quem vinorum omniú, hoc est, amorum ac deliciarum omnium apotheca plenissima est. Qui autem huc peruenerunt, cùm primitias spiritus acceperint, continuè ingemiscunt, habitationem quæ de cœlo est, superindui cupientes. Hi sunt autem qui mortem habent in desiderio, & vitá in patientia. Ex his autem colligere licet, quanta sit illa dulcedo, quæ æternæ dulcedinis prægustationem quandam continet: cui omnis mundi dulcedo comparata, amaritudo est amarissima. Vnde mox sequitur. Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum. Hoc est, super omnia quæ in hoc mundo delectare possunt. Cuncta enim hæc à diuinæ consolationis vberibus longè superantur.

Ad Beniamin Moses in benedictionibus ait. Amantissimus DOmini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. Deuteron. 33. Super hoc autem loco Richardus ait. Per Beniamin, qui filius dexteræ interpretatur, dulcedo contemplationis exprimitur. Quid autem putas, quòd tota die in thalamo moram facit, quòd ibi iugiter requiescit, adeò vt nec ad horam saltem exire velit? Illud autem scimus, quod in thalamo Sponsus & Sponsa soleant simul commorari, amoris obsequijs in alterutrum occupari, mutuis amplexibus confoueri. Mirandæ ergo pulchritudinis prærogatiua, quæcũque sit illa Beniamin dilecta, cuius contubernium nunquam fastidire valet, & à cuius amplexibus nec ad horã abesse vult. Dixi, inquit, Sapientiæ, soror mea es, & prudentiam vocaui amicam meã. Propter castam autem simul & ardentissimam dilectionem amicam simul nominat & sororem. Intrans, inquit, in domum meam con-

Sap. 8. quiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium: & in amicitia illius dilectio bona. Vnum igitur scio, quia quisquis huiusmodi amicæ desiderio flagrat, quanto eam familiarius nouit, tanto eam amplius amat: & quò frequentius eius fruitur amplexibus, eò vehementius eius exęstuat desiderio.

Quemadmodum cum quis vocatum puerum, & ad se venire recusan-

recusantem, ostenso aliquo pomo, aut re aliqua quæ nitore ac decore suo oculos eius alliciat, trahere ad se solet: ita Dominus quos Ecclesiæ suæ vocibus, aut internis etiam inspirationibus ad se non trahit, ostensa & exhibita suauitatis suæ dulcedine ad se conuertit. Vere enim à Poeta dictum est. Trahit sua quemque voluptas. Hi sunt autem quos Dominus præuenit in benedictionibus dulcedinis.

Sol huic visibili mundo salutaris atque vtilis est, non solũ cum ad nos accedit, sed etiam cum hyemis tempore recedit. Hoc enim tempus ad faciendam sementem, illud ad fruges fructusque maturandos aptissimum est. Ad hunc ergo modum verus iustitiæ Sol Christus, & cum per visitationis & spiritualis consolationis gratiã quasi præsens adest, & cum per eius subtractionem quodãmodo abest, semper pijs hominibus & vtilis & salutaris est: illo enim tẽpore charitatem, hoc autem humilitatem in eis nutrit.

Fortitudo generalis.

REprobi recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala recurrunt. Esse quidem humiles, sed sine despectu: pauperes esse volunt, sed sine defectu: esse casti, sed sine maceratione corporis: esse patientes, sed sine contumelijs volunt. Cumque adipisci quærunt virtutes, labores virtutum fugiunt, quid aliud quàm & belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in vrbibus de bello concupiscunt? Greg. in mor.

Tanto vnusquisque ad fortitudinem profecisse verius demonstrat, quanto aliena mala robustius tolerat: nam minus in se conualuit, quem iniquitas aliena sternit. Greg. lib. 5. mor.

Fortitudo iustorum est carnem vincere, proprijs voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro æternis præmijs amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum in corde superare. Gregor. vbi suprà lib. 8.

Reproborum fortitudo est, transitoria sine cessatione diligere, contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerũ temporalium nec ex aduersitate quiescere, ad inanem gloriã etiã vitæ detrimento peruenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorũ

vitam non solum verbis ac moribus, sed etiam gladijs impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sine vllo desiderij defectu perpetrare. Greg. vbi suprà.

Interius quoque mutabilis est homo: & cũ ad meliora nititur, quasi contra fluminis ictum conatur. Ideo dicitur, Cõtendite intrare: quia nisi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur. Greg. in mor. lib. 11. c. 27.

Mundus esse per se nemo potest, qui vt esse posſit, de immundicia processit. Et ideo qui mundus esse contendit, hoc conatur vincere quod est. Greg. in mor.

Hierony. Vtinam ob Dei mei nomen atque iustitiã, vniuersa me infideliũ turba persequatur & tribulet: vtinam in opprobriũ meũ solidus exurgat hic mundus tantũ vt à Christo merear laudari, & suę pollicitationis sperare mercedem. Hiero. in epist.

Gratias ago Deo meo quod dignus sum habitus, quem mũdus oderit. Idem, ibidem.

Quis Sanctorum sine certamine coronatus est? Solus in delicijs Solomon fuit, & ideo forsitan corruit. Idem in Epistol. ad Eustoc.

Fortitudo atque constantia, via regia est: à qua declinat ad dexteram, qui temerarius est & pertinax: ad sinistram, qui formidolosus est & pauidus. Idem in Original. super Esai.

Chrysost. Quidquid terroris habet mundus, contemno: quidquid delectabile habet, rideo. Diuitias non cupio, paupertatem nõ horreo, mortem non timeo. Chrysost. in ser.

O Christiane, delicatus es miles, si putas sine pugna te posse vincere, sine certamine triumphare. Fortiter dimica, attrociter in prælio concerta, considera pactum, conditionem attende, militiam nosce, pactum quod spopondisti, conditionem ad quam accesſisti, militiam cui nomen dedisti. Hoc enim pacto quos miraris omnes pugnauerunt, hac conditione vniuersi vicerunt, hac militia triumpharunt. Chrysostom. in homilia.

Pictacus. Prudentis est prospicere ne quid eueniat mali: fortis tolerare si quid fortè obtigerit.

T. Liuius. Rebus inchoantibus consilio vti oportet, periclitantibus vero audacia.

In audaces non est audacia tuta. *Ouid.*

Quæ præclara sunt, non contingunt nisi magno negotio. *Adilon.*

Qui è nuce nucleum vult, frangat nucem. *Adilon.*

Fortitudo cum ad aspera ineunda pronum faciat, potius communem vtilitatem quam sua commoda attendit. Sicut enim scientia, remota iustitia, calliditas potius, quàm sapientia appellāda est: sic animus ad periculum paratus, si sua cupiditate, non communi vtilitate impellitur, temeritatis potius nomen habet, quam fortitudinis. Cicero in Rhetor. *Cicer.*

Sapientis animus, magnitudine consilij, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus vt mœnibus septus, vinci aut expugnari non potest. Idem in.4. Parad.

¶ Fortitudo & laborum tolerantia, ad veram iustitiam consequendam valde necessaria est. Hinc Ioann. vidit in Apocalyp. Sanctos bissyno candido vestitos. Bissynum autem ait esse iustificationes sanctorum. Cur hoc? Nimirum quia hoc byssus habet, quod cum fragilis & vilis herba fuerit, arte tamen & multo labore contusa atque concocta, in pretiosam byssum euadit. Hoc exemplo virtutis studiosus professionis suæ labores agnoscat. Si enim tam multo labore opus est, vt herba transeat in byssum, quid opus erit, vt carnalis homo in spiritualem assurgat, cum tanta inter carnem & spiritum distantia sit? Idem etiam nobis innuit bissus illa retorta, ex qua velum templi fieri pręcipitur, quæ pręcedentibus laboribus addit etiam torsionem. Idem quoque designat vestis Christi, quam Ioannes in eodem loco (in quo mirabilem Christi pulchritudinem describit) sanguine conspersam vidit. Cæterum qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Quam pulchrum autem & honorificum sit hanc vestem induere, declarat ambitiosus Aman: qui summum honorem esse duxit, regis Assueri vestibus indutū, per plateam incedere. Lege historiam. COLLE. *Apoc.19.* *Apoc.19.* I. *Ioan.* I. *Hest.3.*

Virtutem circa difficile versari, vox est omnium Philosophorum. Virtus enim ad hoc excogitata & constituta fuit, vt eius adminiculo in ea tendere possemus, ad quæ à natura non inclinamur. Ad comedendum enim, & bibendum, ac filiorum curam gerendam natura sufficit, quæ ad hoc ipsum nos impellit, &

quodam

quodam voluptatis lenicinio allicit. Ad illas autem functiones ad quas natura vel non vocat, vel etiam auocat, virtus laboribus & vsu parta, necessaria est. Vnde patet, virtutem circa difficilia versari: vtpote quam natura corrupta non modo non iuuet, sed etiam impediat, ac remoretur. Vnde quemadmodum faber ferrarius, nũquam malleum de manibus deponit, quo ferri duritiam domare, & quo voluerit flectere possit: ita virtutis studiosus virili quadam fortitudine armatus & instructus semper incedere debet, qua virtutis laborem & perferre, & vincere posit. Ideo Dominus electos suos fructum afferre in patientia dixit. Patientia enim pars fortitudinis est.

Exod. 1. Quàm sint Diabolo viri fortes inuisi, quam vero chari molles & voluptuarij, Pharao (qui eius typum tenet) aperte insinuauit, cũ masculos filiorum Israel interfici, fœminas verò iubet reseruari. *Origen.* Vt enim Origenes eleganter ait, cupit is virilem hominis partem, idest, sensum rationabilem extingui, & eius omnia opera: carnem verò & eius opera viuere. Cùm ergo videas homines in voluptatibus & delitijs vitam ducere, luxu fluitare, epulis, vino, conuiuijs, cubilibus, & impudicitijs operã dare, in istis scias, quod rex Ægypti masculos necat, & viuificat fœminas. Si vero rarum quemque videas vnum ex mille, ad Dominum conuerti, oculos sursum erigere, quæ perpetua sunt quærere, contemplari, non ea quæ videntur, sed quæ non videntur, odisse delicias, amare continentiam, luxuriam fugere, excolere virtutes, istum quasi masculum necari cupit Pharao, persequitur, insectatur, mille aduersus eum machinis pugnat. Odit tales, viuere eos in Ægypto non sinit. Inde est quod in hoc mundo serui Dei despectui habentur & contemptui: inde contumelijs expositi sunt: inde odia in eos & persecutiones agitãtur. Odit enim Pharao huiusmodi mares. Nec modo Pharao, sed etiam Ægyptij oderunt filios Israel, & ad amaritudinem perducunt vitam eorum.

Magnanimitas.

Grego. PErfectæ magnitudinis laus est, aduersa perpeti, & exterius fortiter, & interius clementer. Greg. in mor. 22. c. 12.

Ambro. In duobus generibus fortitudo spectatur animi, Primo, vt exteriora corporis homo pro minimis habeat, & quasi superflua de-

ſua deſpicienda magis quàm expetēda ducat. Secundò vt ea quę ſumma ſunt, omneſque res in quibus eſt honeſtas præclara, animi intentione vſque ad effectum proſequatur. Ambro. 1. de offi.

Magna eſt virtus gloriæ, ſi cui potuiſti nocere, parcas. Iſidorus. *Iſidor.*

Magnus ille quidem qui nihil, quod facto poſsibile fuerit, omiſit. Maior qui per humilitatem etiā quæ vltra vires ſuas ſunt, agere conatur. Ioan. Clima. de diſcr. ad diſcer. facil. *Clim.*

Leonum clementiæ indicia multa ſunt: proſtratis parcunt, in viros potius quàm in fœminas ſæuiunt, infantes non niſi magna fame, perimunt. Solinus in lib. de mirabil. mundi. *Solinus.*

Leuis iniuria à magno & excelſo animo negligitur. Adilon. *Adilon.*

Pecuniam contemnere magni animi eſt. *Adilon.*

Ad magnanimum pertinet ea quæ videntur acerba, ita ferre, vt nihil à ſtatu naturæ diſcedat, nihil à dignitate ſapientis. Cicero de offi. *Cicero.*

Sapienti nihil poteſt videri magnū in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiuſque mundi nota ſit magnitudo. Nam quid aut in ſtudijs humanis, aut in tam exigua vitæ breuitate, magnum ſapienti videri poteſt? qui ſemper animo ſic excubat, vt ei nihil improuiſum accidere poſsit, nihil inopinatum, nihil omnino nouū? Idem lib. 5. fami. ad Luci.

Summum probationis & veræ virtutis argumentum eſt, ſi homo varijs calamitatibus vndique preſſus, eodem ſemper animo & vultu conſiſtat, nec de gradu virtutis & conſtantiæ depellatur: Sic illud aurum purum atque perfectum eſt, quod in ignem cōiectū, eundem ſemper ſplendorem retinet. Adamas, tum legitimus & generoſus eſt, cum malleis contuſus, integer & illæſus perſeuerat. Enſis quoque commendatur, cuius cuſpidem ſi capulo iungas, ad priſtinam rectitudinem ſolutus recurrit. Vas quoque figuli tum perfectum eſt, cum in fornacem immiſſum, non crepat, ſed idem manet. Ad hunc ergo modum ille perfectus eſſe dicitur, qui inſtar ſcopuli in medio maris, quantumcunque illidatur fluctibus, eodem loco immotus manet. Hinc illud, Iuſtus in ſapientia ſua permanet vt Sol: nam ſtultus vt luna mutatur: Hic enim pro varietate rerum, varios ſubinde mutat affectus. Hinc & illud, Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit. *Eccl. 27.* *Prou. 12.*

Facultates & virtutes exaltant cor,& super hæc timor Domini Eccl. 40. Hoc enim veræ & Christianæ magnanimitatis fundamentum est:qualis Ezechiæ regis fuit de quo scriptum est, quod cum sumpsisset cor eius audaciam propter vias Domini,contra regem Assyriorum rebellauerit.Quod quidem fecit,non humanis, sed diuinis opibus fretus.

4.Reg.18

Perseuerantia.

Grego. IN cassum bonum agitur,si ante vitæ terminum deseratur:quia frustra velociter currit,qui priusquam ad metas venerit, deficit.Greg.lib.1.mor.

Hierony. Non quæruntur in Christianis initia,sed finis:Paulus male cœpit,sed bene finiuit.Iudæ laudantur exordia,sed finis proditione damnatur.Hiero.ad Furiam.

Cypria. Parum est(inquit)adipisci aliquid potuisse,plus est quod adeptum est posse seruare:sicut & fides ipsa & natiuitas salutaris non accepta,sed custodita,viuificat.Neque statim consequutio,sed cōsummatio hominē Deo seruat.Cypria.Epist.5.

Bernar. Perseuerantia,vigor virium,virtutum consummatio est,nutrix ad meritum,mediatrix ad præmium,soror patientiæ, constantiæ filia,amica pacis,amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculū, propugnaculum sanctitatis.Bern.in Epist.

Bonam vitam ego puto,& mala pati,& bona facere,& sic perseuerare vsque ad mortem.Idem in sermone Petri & Pauli.

Isidor. Semper in vita hominis finis quærendus est:quia non respicit, quales antea fuerimus Deus,sed quales circa finem vitæ extiterimus.Isidor.

Euseb. Emisse. Spes nostræ omnes in consummatione atque in fine cōsistunt. Quid mihi prosunt si mihi sata viridentia herbis spem messis ostendant,& me sub ipso falcis tempore,subita vel aeris intemperie, vel pluuiarum inundatione decipiant? Quid mihi proderit. Si vinea spem omnem in flore promittat,& vel ferarum incursio, vel vastitas grandinis spem omnem in consummatione subducat? Eus.Emiss.ad monach hom.5.

Clima. Sicut ij,qui dicuntur cancri,capi facillimè possunt,eo quòd aliquando ante,aliquando retro gradiuntur: ita & anima nūc quidē,

ridens,nunc lugens,nũc verò delitijs affluens, proficere vnquàm poterit.Clim.in compen.sup.dict.om.recapit.

Vxor Loth præcepti immemor,retrorsum respiciens, vertitur in statuam salis.Putamus ne tãtum sceleris in hoc esse commisso, vt quia post se respexit mulier,interitum quem diuino beneficio effugere videbatur,incurreret?Quid enim tantũ criminis habuit, si solicita mulieris mens retrorsum(vnde nimio flammarum crepitantium metu territa erat)oculos ad ea direxit? Sed hoc tamen Dominus ita permisit, vt hoc exemplo perterrefaceret eos, qui bene cœpta deserunt. Vnde ipse ait, Nemo mittens manum suam ad aratrũ,& aspiciens retro,aptus est regno Dei.Mementote vxoris Loth.Rectè ergo nos Ecclesiasticus monet,cùm ait:Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Esto firmus in via Domini,& in veritate sensus tui. Huc spectat & illud, ne impediaris orare semper,& ne veteris vsque ad mortem iustificari:quoniam merces Dei manet in æternum. *Origen.* *Lucæ.9.* *Eccl.5.* *Eccl. 18.*

Vsque in tempus sustinebit patiens,& postea reditio iucunditatis. Hãc sentẽtiam insignis inter Poetas Vergilius his verbis protulit.Nate Dea,quò fata trahunt retrahuntque sequamur. Quidquid erit superanda omnis fortuna ferendo est. *Eccl. 1.*

Multi sunt, quibus incœpto virtutis proposito perseuerantia deest,quibus illud Apostoli conuenit.Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.De quibus Seneca,male viuunt,qui semper viuere incipiunt. Hi ergo vitibus quibusdã similes esse videntur,quæ septies in anno vuas proferũt: quas nũquam tamen ad maturitatem perducunt.

Funda armatur Dauid ad Goliam deijciendum per quam accipimus perseuerantiæ virtutem:quæ sola Dæmonem perfectè superat. Qui verò quotidie incipiunt,& quotidie desinũt, nũquàm ad bonam frugem perueniunt.

Patientia.

EGo virtutem patiẽtis & signis & miraculis maiorem credo. Greg.in Dial.lib.1.

Ipsa malorũ societas,purgatio bonorũ est.Gre in Regist.

Sine ferro & flamine martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conseruamus.Greg.in Dialog.lib.1.

Tanto

Tanto quiſque minus oſtenditur doctus, quanto minus cõuin citur patiens. Gregor.

Iuſti, dum tribulationibus quatiuntur, magis ad bonum proximorum attendunt, quam ad ſuum malum. Vnde Paulus nemo inquit, moueatur in tribulationibus meis, ipſi enim ſcitis, quod in hoc poſiti ſumus: Deſpicit quod patitur, curat ne diſcipuli in corde aliquid patiantur. Sic Iob non ſolum vxorem non reijciebat, ſed docebat. Greg. in mor. lib. 3. c. 16.

In patientia anima poſsidetur: quia per illam omnibus rebus, & ſibi ipſi homo dominatur: & quò ſe laudabiliter frangit, eò fortiter infractum erigit. Cum enim ſe ſuperat, ad contraria inuictum parat. Greg. lib. 5. mor. c. 14.

Curat mercenarius, vt nunquam dies ſine labore pertranſeat, ne & ſine munere. Ita iuſtus momẽta vitæ formidat, aduerſis gaudet, paſsione reficitur, mœrore fouetur. Greg. vbi ſup. lib. 8. c. 7.

Sæpe & flagella exterius atterunt, & tentamenta intus affligũt: ſed gratia Dei non deſerit: quæ quo durius percutit, amplius cuſtodit. Greg. lib. 10. c. 16.

Iuſti quo duriora tolerant, eo præmia certius ſperant, Nõ enim illic colligitur gaudium, quod non hic prius pia tribulatione ſeminatur. Ideo poſtquam dixit, Cum te conſumptum &c. ſubdit, Et habebis fiduciam propoſita tibi ſpe, & defeſſus, ſecurus dormies. Greg. vbi ſup. c. 22.

Super illud, Etiam ſi occiderit me &c. In hoc mens iuſta ab iniuſta diſcernitur: quod Dei laudem inter aduerſa cõfitetur, quod non cum rebus frangitur: ſed in hoc qualis cum rebus fuerit, demonſtrat, quòd & ſine rebus robuſtius ſtat. Gregor. vbi ſuprà lib. 11. cap. 19.

Iuſtus cum patitur non ad iram, ſed ad preces conuertitur: quibus etiam illa fiunt proſpera, quę videntur aduerſa. Greg. vbi ſup. lib. 14. c. 21.

Nudus egreſſus ſum &c. Quia amiſerat cuncta pro ſeruãda patientia, tempus illud ad memoriam reduxit, quo iſta non habebat. Vt dum intueretur quod iſta aliquando non habuit, non multum doleat, quod amiſit, Ideo & meminit, quod ea eſſet amiſſurus, Nudus reuertar illuc. Greg. lib. 2. mor. c. 17.

Nihil eſt fortius ijs qui ferre ốĩa parati ſunt. Greg. li. 2. mo. c. 18.

Sine

Sine dolore amittitur quicquid sine amore possidetur. Quę vero ardenter diligimus habita, grauiter suspiramus ablata. Gregor. 31. mor.

Dum anima bona accepta considerat, aduersa quæ tolerat, non accusat. Greg. 26. mor. c. 17. Vide.

Ferrum nostræ animæ nequaquam perducitur ad subtilitatem acuminis, si hoc non eraserit alienæ lima prauitatis. Gregor. in moral.

Tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatẽ. Videte fratres mei in istis lãguoribus corporis quanta homines tolerent: vt paucos dies victuri, tandem moriantur: & hos paucos dies incertos habeant. Multi enim post tolerantiam magnorum dolorum, cum à medicis secarentur: aut inter manus medicorũ mortui sunt, aut iam sani (irruente aliqua ægritudine) defuncti sunt. Ligari se volunt homines & secari, habituri pro incerta sanitate, certum dolorem & daturi magnam mercedem. Deus te quem fecit, & certius curat, & gratis. Ferto ergo manus eius, o anima quæ benedicis eũ, non obliuiscens omnes retributiones eius: Sanat enim omnes languores tuos, ipse qui redimit de corruptione vitam tuã. Aug. super psal. 102. *August.*

Cuicũque aliquid accidit, dicat, Dominus dedit, Dominus abstulit (ecce rectum cor) sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Et non dixit Dominus dedit, Diabolus abstulit. Intendat ergo charitas vestra: ne forte dicatis, hæc mihi Diabolus fecit. Prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum: quia nec Diabolus tibi aliquid facit, nisi ille qui desuper habet potestatem, permittat, aut ad pœnam, aut ad disciplinam. Ad pœnam impijs, ad disciplinam pijs. Flagellat autem omnem filium quem recipit. Non te sine flagello speres futurum, nisi forte cogites exhæredari. Flagellat omnem filium quem recipit. Ita ne omnẽ? Vbi te volebas abscondere? Omnem. Et nullus exceptus, nullus sine flagello erit. Quid est omnem? Vis audire quem omnem? Etiam vnicus sine peccato, non tamen sine flagello. Aug. super psal. 31. *Prou. 3.*

Eris ergo rectus, & te decebit laudatio: quoniam rectos decet laudatio. Si autem curuus fueris, laudas Deum quando tibi bene est, blasphemas quando tibi male est. Et eris insulsus puer in domo patris, amans patrem si tibi blanditur, & odio habens, quando

te flagellat, quasi non & blandiens & flagellans hæreditatem pareret. Aug. psal. 32.

Omnis malus homo aut ideo viuit vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur. Idem.

Non est in carendo difficultas, nisi cum fuerit in habendo cupiditas. Idem in confess.

Vnde plangis? Quod pateris, medicina est, non pœna: castigatio, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate. Idem sup. psal. 99.

Hierony. In tribulationibus Paula Esaiæ replicabat eloquia. Qui ablactati estis à lacte, & qui abstracti estis ab vbere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem: adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam. Ablactatorum esse, qui ad virilem ætatem peruenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, vt spem super spem mererentur accipe-

Rom. 5. re. Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur. p. p. p. v. spé,

2. Cor. 4. spes &c. Et item, Et quod si is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui interior est, renouatur de die in diem. Et, Quod in præsenti est leue & momentaneum tribulationis nostræ, &c. ¶ In languoribus & infirmitate dicebat, Quando infirmor, tum fortior sum & potens. Et, Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. ¶ In mœrore cantabat, Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, &c. ¶ In periculis loquebatur, Qui vult venire post me, abneget semetipsum &c. Et, Qui vult animam suam saluam facere, perdet eam. ¶ In dispendio rei familiaris dicebat, Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur? &c. Et illud. Nudus exiui de ventre matris meæ, &c. Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Noui susurronem quendam (quod genus hominum perniciosissimum est) quasi beneuolum nuntiasse, quod pro nimio feruore virtutum, quibusdam videretur insana, & cerebrum illius diceret confouendum. Cui illa respondit, Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Et, Nos stulti propter Christum: sed stultum Dei sapientius est omnibus hominibus. Et, Saluator loquitur ad Patrem, Tu scis insipientiam meam. Et, Tanquam prodigium factus sum multis, &c. Et, Vt iumentum factus sum apud te. Et in Euangelio Dominum, Samaritanum, & Dæmoniacum,

& in

& in Beelſebuth eijcere Dæmonia dicebant. Et Apoſtolus, Hæc eſt gloria noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Hiero. in Epitaph. Paulæ.

Bene ſibi conſcius falſis non debet moueri: nec æſtimare plus ponderis in alieno eſſe conuitio, quàm in ſuo teſtimonio. Ambr. de offic. *Ambro.*

Nemo æſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticũ non rapit ventus: nec arborem ſolida radice fundatã, procella ſubuertit. Innanes paleæ tempeſtate iactantur, inualidæ arbores turbinis incurſione vertuntur. Cypria. de ſimpli. prælat. *Cypria.*

Non ſolum dum boni aliquid facimus, ſed etiam dum mali patimur aliquid, magna præmia expectare debemns. Id quod Iob oſtendit, qui ex malis & rebus aduerſis magis quàm à rectè factis clarus euaſit. *Chryſoſt.*

Intende miſerias eorũ quibus acerbè aliquid accidit, dũ aliena pericula memoras, mitius tua portas: aliorũ enim exẽpla dolorem releuãt: alienis malis facilius cõſolatur homo. Iſidor. in ſynod. *Iſidor.*

Vidi tres fratres dãno ſimili affectos: atque vnus ex ijs indigne tulit: alius ſine mœrore perſtitit: tertius inde ingens gaudium cœpit. Ioan. Clim. Grad. 26. *Ioã. Cli.*

Si patientiæ quæſiueris baculum, cito deſinent canes impudenter agere. Idem, Grad. 27.

Patiens vir ante monumentum mortuus eſt: ſepulchrum enim cellulam ſuam fecit. Patientiã, ſpes & luctus peperit: nã qui abſque ijs duobus eſt, accidiæ ſeruus efficitur. Idem, ibidem.

Malum inſperatum omnino perturbat cum ingruit: quod vero expectabatur, cõpoſitam & præparatam ad periculum mentẽ inueniens, calamitatem leuiorem reddit. Nilus. *Nilus.*

Bonum ſperatum, ſi ſecus & in contrariũ cadens, nos fallat, affectum vix vllo mitigandum ſolatio, gignit. Idem.

Firmiter, dum cæderis, quaſi incus ſtato. Generoſi eſt athletæ, cædi & vincere: maximè vero propter Deum nobis omnia patienda ſunt, vt ipſe nos patiatur. Ignatius. *Ignatius.*

Nullum inuenies miſerum, qui non inueniat in miſeriore ſolatium. *Adilon.*

Rationis opẽ ceu boni medici in calamitate inuocare oportet. *Iſocra.*

Qui meminit quid ſit homo, nullũ eueniẽtẽ caſum ægrè feret. *Idem.*

COLLE. ¶Hæc vita via eſt. Quiſquis autem longum iter facere vult, neceſſaria ad viam portat. Ad hoc autem iter tria potiſsimum requiruntur: panis, vinum & arma, quibus ſe à quouis incurſu homo tueatur. Nobis quoque triplici viatico opus eſt: videlicet Euchariſtia, tanquam pane: oratione, tãquam vino, quod lætificat cor hominis: & patientia, tanquã armis: quibus ab inſtantibus malis (ſine quibus hæc vita non tranſigitur) tuti ſimus. Propter hoc enim Dominus in oratione interpoſuit, Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Alius enim detrahit, alius rapit, alius conuitiatur, alius iniquam litem intendit: alius conatibus tuis obſiſtit, alius infeſtat, alius inſimulat &c. Quid igitur in his omnibus viator faciat, patiẽtiæ armis deſtitutus? Iraſcetur, rumpetur, pace & innocentia ſpoliabitur. Patientia enim & virtutum omnium miniſtra, & aſſecla eſt. Quis pacem ſiue internam ſiue externã ſine patientia retinere queat? Ideo Apoſtolus, diuites nos in hac virtute eſſe volebat, cũ
2. Cor. 6. diceret: In multa patientia. Itaque ſicut ſal à rege Perſarum in templi miniſterio ſine menſura tribui præcipitur: ita planæ immenſa quadam patientia (ſi ita loqui licet) egemus, vt à tot mundi iniurijs tuti eſſe valeamus.

Qui flagella Dei patienter fert, ſimilis eſt pio latroni, qui tolerãter ſupplicium ſuum ferens, ex patibulo peruenit ad regnum: qui vero impatienter ea tulerit, is quidem impatientia ſua dolorẽ cumulat: ſimiliſque eſt impio latroni, qui fremens ac blaſphemãs, ex inferno ſupplicij, ad infernum deſcendit gehennæ.

Quis prudens? qui patiens: quis prudentior? qui patiẽtior: quis
Prou. 14. prudẽtiſsimus? qui patientiſsimus. Sic enim ſcriptum eſt, Qui patiens eſt, multa gubernabitur ſapientia: qui autem impatiens eſt,
Prou. 19. exaltat ſtultitiam ſuam. Item doctrina viri per patientiam noſcitur. Omnes artes ſua habent inſtrumenta, quibus opera ſua explorant, & examinant, an ad perpendiculum effecta ſint. At virtutis ſtudioſi, ſua quoque inſtrumenta habent, quibus virtutis ſuæ periculum faciant: nempe tribulationem, & illatam iniuriam. Hæc (ſi
Iacob. 1. quod aliud) conſummatam virtutem potiſsimum declarant. Iacobo teſtante, qui ait, Patientia, opus perfectum habet. Itemq; Apo-
Rom. 5. ſtol. Tribulatio patientiam operatur, patiẽtia vero probationem: probatio ſpem: ſpes autem non confundit.

Cuius

Cuius periculi sit in rebus asperis & afflictis animum abijcere, declarant illa Salomonis verba. Si desperaueris lapsus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua. Quid ni minuatur, cum duplici hoste premaris: cum hinc te angustiæ premant, inde tu tibi deiectione animi perniciem machineris? *Prou.24.*

Quod rubus in deserto ardet quidem, sed non comburitur, magnam visionem Moses appellauit. Verè enim magna visio est igne siue tribulationis, siue tentationis, siue martyrij vexari, & non aduri, & cum Sapiente dicere, In medio ignis non sum æstuatus. Et, Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Verè enim hoc non minus mirum, quàm quod olim tres pueri inter fornacis Babylonicæ flammas illæsi, intactique, diuino eos auxilio protegente, permanserunt. *Eccl.51.* *Psal.16.* *Dan.3.*

Vbi Nadab & Abiu altaris incendio perierunt, præcepit Aaroni & filijs eius Moses, ne sanctuarium egrederentur, ne & ipsi quoque perirent. Quo præcepto monemur, vt immissas à Domino calamitates moderatè feramus: ne, si in cœlum os nostrũ posuerimus, grauioribus à Domino plagis vapulemus. Ferè enim hoc fieri solet, vt cùm seruus à Domino propter malefacta sua vapulat, si patienter quidem inflictas plagas ferat, celeriter vindicantis Domini ira deferuet: si verò flagellis seruus obsistat, & reluctetur, furorem indignantis Domini magis contra se acuit, facitque vt multò plures & grauiores plagas ira extimulante inferat. Quo exemplo monemur, vt leniter vindictam Domini feramus, ne, si aduersus stimulum calcitremus, aut aliquid illius æquitate indignum obloquamur, duplicis apud eum criminis rei simus. Fuit nobilis quædam fœmina multorum filiorum parens, quorum dilectissimus immatura morte sublatus est: quod quidem illa adeò molestè tulit, vt ad Dominum irata dixerit, Quoniam hunc mihi filium Domine sustulisti, cæteros quoque de medio tolle. Reuoluto autem anno illo ipso die, hoc est, calend. Augusti, quo prior ille fato functus fuit, alius quoque recenter matrimonio copulatus, diem obijt. Quod cùm illa diem notasset, & cœlestem vindictam agnouit, & præteritam culpam pœnitentia diluens secundum hoc funus patientissime tulit. Fuit & alia nobilis fœmina quæ ex tribus quas habebat dilectissimis filiabus vnam immatura morte sublatam *Leuit.10.*

amittens, plusquam par erat, acerbisimè tulit. Quam eius impatientiam Dominus reliquarum duarum festina morte mulctauit. Altera enim post decimum octauum diem, altera exacto anno de medio sublata est. Vnde illa magis insaniens, in grauissimas incidit calamitates, quæ illam ad mortem vsque acerbissimè vexarunt. Hac enim pœna digni sunt, qui summam illam æquitatem & iustitiam ore impio temeritatis aut iniustitiæ accusant, & quasi alienum ab hominibus reposcat, indignantur: cùm nihil non ipsius sit: quod tamen immoderato amore ita nostrum fecimus, quasi eius non esset.

Vir pius vndecunque tribulatio veniat, semper illam à Deo venire, & quasi de manu eius se illam percipere nititur, quò mollius ferat quod à sapientissimo medico immissum est. Sic Dauid insigni contumelia à Semei in luctuosa illa fuga affectus,
2. Re. 16. Dominus (inquit) præcepit Simei, vt malediceret mihi. Vnde
Psal. 38. est & illa vox, Tu fecisti, amoue à me plagas tuas. Et, Libera animam meam ab impio, qui est gladius tuus. Sic enim Hierony. ex Hebr. vertit. Et sanctus Iob, quæ Dæmon sustulerat, à Deo sublata esse testatur cùm ait, Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Patientiæ verò in tribulatione fructum declarat idem Dauid, qui contumeliam illam æquo animo ferens ait, Dimitte illum vt maledicat mihi iuxta præceptum Domini: si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac. Hæc autem facit vt vir pius non modo patienter immissa mala ferat, sed ea etiam desideret, quo huius patientiæ fructus particeps efficiatur. Longè enim plus est, quod diuina gratia patienti tribuit, quàm quod tribulatio detrahit.

Quàm sit grata Deo laborum atque dolorum patientia, vel hoc indicio colligere licet, quod Saluator dilectissimam matrem suam (quam citra Deum super omnes creaturas tenerrimè diligebat) supplicio crucis adesse voluit. Quidam vir nobilis, & in regione sua princeps, ignito ferro vlceribus septies infixo curandus (sic enim medendi ratio exigebat) diligentissimè cauit, ne huius rei coniux amantissima vel conscia, vel testis esset: quod & factum est. At contrà Dominus & pijssimã matrẽ, & quos amicissimos habet, maioribus laboribus (propter mercedis magnitudinem) exercet. Perinde enim facit qui de laboribus aliquid subtrahit, atque

is qui

is qui non de frugibus, sed de semine subtrahit. Hinc dilectissimus Ioannes sic Apocalypsis volumen exorsus est. Ego Ioannes frater vester particeps in tribulatione, & regno, & patientia Iesu. Sic cæteri Apostoli eidem Domino dilectissimi. Sciat ergo qui amicitiam Dei, qui regni eius consortium desiderat, se tribulationis simul & regni participem esse oportere. Nec enim alterum ab altero separari potest: ideoque nemo alterũ sine altero assequi cõtendat: aut enim vtrũque simul amplectẽdũ, aut vtrumque simul reijciẽdũ est. Vide etiam. T. Fortitudo, &. T. Labor, &. T. sequẽtẽ.

Tribulatio Aduersitas. Tribulationum vtilitas.

Aduersitas quæ bonis votis obijcitur, probatio virtutis est, non indicium reprobationis. Greg. in Regist. *Grego.*

In omnipotenti Deo tunc certa fiducia est, quando pro bono opere aduersitatis aliquid in hoc mundo recipitur, vt plena merces in æterna retributione seruetur. Greg. vbi suprà.

Sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cum incendũtur, expandunt: ita sancti viri omne quod virtutibus redolet, in tribulatione innotescunt. Greg. in mor.

Bonum quod in tranquillitate sumitur, in tribulatione manifestatur. Gregor.

In Hom. Homo quidam fecit cœnam magnam. Plerunque (ait Greg.) postquam in hoc mũdo nõ possumus obtinere quod volumus: postquam in terrenis desiderijs de impossibilitate lassamur, tunc mentẽ ad Deũ reducimus. Tũc placere incipit, quod displicebat, & quæ nobis amara fuerãt præcepta, repẽte dulcescũt in memoria. Peccatrix enim anima quæ adultera conata esse nõ potuit: decernit esse fideliter cõiux. Qui ergo huius mũdi aduersitatibus fracti, ad Dei amorẽ redeũt, atque à præsentis vitæ desiderijs corrigũtur, quid isti fratres charissimi, nisi vt intrent, cõpelluntur?

Nemo quantum profecerit nisi inter aduersa cognoscit: quia vnusquisque superni doni gratiam, in tranquillitate quietis percipit, sed quantum perceperit in aduersitate perturbationis ostendit. Gregor.

Electorum desideria dum premuntur aduersitate, proficiunt, sicut ignis flatu premitur, vt crescat:& vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur. Gregor.

Super illud, Homo nascitur ad laborem, & auis ad volandum. Quod igitur in auibus alæ, hoc in iustis labores sunt, quæ illos ad superna excitant. Greg. lib. 6. mor. c. 4.

Reproborum mens quia tantum diligit præsentia, plerumque modò tam aliena existit à verbere, quanto postea extranea remanebit ab hæreditate. Greg. 7. mor. c. 11.

Caro mollibus, anima duris nutritur: illam blanda fouent, hanc aspera exercent: illa delectationibus pascitur, hęc amaritudinibus vegetatur. Et sicut carnem dura sauciant, sic spiritum mollia necant:& inde spiritus in perpetuum moritur, vnde ad tempus caro suauiter viuit. Greg. 10. mor. c. 24.

In summa tribulatione positis, sola est consolatio misericordiæ creatoris. Greg. in Regist.

Pœna præsens, si afflicti animum conuertit, finis est culpę præcedentis: si eum ad timorem Domini minime conuertit, indicium est pœnæ sequentis. Greg. in Regist.

Tranquillius labores præuisi tolerantur, at nõ declinamus eos quia præuidemus: ipsi nos probant, non reprobant. Gregor. 24. mor. c. 13.

Filij Israel premuntur à Pharaone, & à Moyse inuitantur, vt vtroque modo velint exire: nempe vt dum amor prouocat, cruciatus impellat. Greg. 26. mor. c. 9.

Diu Deus iniquos tolerat, quia in perpetuum damnat: electos cõterit, vt ad præmia æterna erudiat. Greg. lib. 26. mor. c. 18.

Gregor. super illud Iob. 33. increpat quoque per dolorem in lectulo, ita dicit: Pio quidem Dei consilio agitur, vt huius peregrinationis tempore, electorum vita turbetur. Via quippe est vita præsens, qua ad patriam tendimus: & idcirco hic occulto iudicio, frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent enim nonnulli viatores cum amœna fortasse in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine declinare: eorumque gressus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo suis ad se pergentibus Dominus huius mundi iter asperum facit, ne dum quisque

vitæ præsentis requie quasi amœnitate viæ pascitur, magis eũ diu pergere, quam cito peruenire delectet: ne dum oblectatur in via, obliuiscatur quod desiderabat in patria. Quia ergo in hac vita, omnis nostra (quam fortasse parauimus) requies turbatur, recte dicitur, Increpat quoque per dolorem in lectulo, id est, in præsentis vitæ requie, vel tentationis nos stimulis, vel flagelli afflictione conturbat. mor. 23. lib. 1.

Augus. super illud Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis: eruã te & honorificabis me. Non præsumere inquit, debes de viribus tuis. Omnia auxilia tua mendacia sunt. Me inuoca in die tribulationis, eruã te, & glorificabis me. Ad hoc enim permisi diẽ tribulationis tibi fieri, quia forte si non tribulareris, non inuocares me. Obtorpuerat quidã & friguerat à feruore orationis, & dixit, Tribulationem & dolorẽ inueni & nomẽ Dñi inuocaui. Aug.

Nam tu semper aderas misericorditer sæuiens, & amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas iucunditates meas, vt ita quærerẽ sine offensione iucundari. Et vbi hoc possem, non inuenirem quidquam. August. Confess. lib. 2.

Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus vreris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. Idem super Psal. 21.

In fornace ardet palea & purgatur aurum. Illa in cinerem vertitur, & illud sordibus exuitur. Fornax mundus, aurum iusti, ignis tribulatio, artifex Deus. Quod vult ergo artifex facio, vbi ponit me artifex, tolero: iubeor ergo tolerare, nouit ille purgare. Idem super psal. 60.

Nullus seruus Christi sine tribulatione est. Si putas te non habere persecutiones, nondum cœpisti esse Christianus. Idem in sermo.

Si promissa Patris bene agnouisti, non timeas flagellari, sed exhæredari. Idem super psal.

Sicut sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, & frumenta purgantur, & vno motu exagitatur cœnum, & suauiter fragrat vnguentum: ita vna tribulatio irruens bonos probat, purgat, & eligit: malos reprobat, exterminat, & annihilat. Idem ibidem.

Si exceptus es à paſsione flagellorum, exceptus es à numero filiorum. Idem de Paſt.

Hierony. Quis Sanctorum ſine certamine coronatus eſt? Abel iuſtus occiditur, Abrahã vxorẽ periclitatur amittere: & ne in immenſum volumen extẽdam, quære & inuenies ſanctos omnes aduerſa perpeſſos. Solus Solomon in delicijs perpetuo fuit, & forſitan ideo corruit. Quem enim diligit Dñs &c. Hiero. ad Euſtochi.

Bernar. Ego plagis conſciẽtiæ meæ nullũ iudico accõmodatius medicamentũ probris & cõtumelijs: non eſt proinde quod permoueat homũcio omni opprobrio dignus & deſpectione. Ber. in epiſt.

Quomodo ſtellæ in nocte lucent, in die latent: ſic vera virtus quæ ſemper in proſperis non apparet, in aduerſis eminet. Idem ſuper Canti.

Bonũ mihi Dñe tribulari, dummodo ipſe ſis mecũ: quàm regnare ſine te, epulari ſine te, ſine te gloriari. Bonum mihi in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm eſſe ſine te vel in cœlo. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Idem ſuper pſal. Qui habitat.

Euſeb. Emiſſe. Trium puerorũ fides atque iuſtitia tenebroſos nõ ſenſit ignes: ſed ſtupenda refrigeria in medio camini æſtuantis inuenit. Ceſſit virtutum meritis natura flammarum, ac traditos ſibi reos mirum in modum rorantibus obumbrauit incendijs: longe poſitos autem & circunſtantes ſacrilegi regis conſumpſit miniſtros. Quãtum lætitiæ in præſenti obtinent merita religionis, & priuilegia ſanctitatis? Ecce horrendum neſcio quid anhelantes globi, & per quadraginta cubitos ebullientes, extrinſecus ſæuiunt, intrinſecus parcunt: extra fornacem ſapiens ignis iraſcitur, & intus in fornace famulatur. Quanta caſtis corporibus reuerentia debeatur, arbiter ignis agnoſcit, & ingeſta ſibi pabula circumfuſus allambit: nihilque ſibi licere miratur in corpora Dei timore, & ſacris ieiunijs conſecrata: & pretioſum depoſitum non violat occulta diſpenſatione, ſed vindicat. Euſeb. Emiſſ. de Epiphan. homil. 3.

Aduerte circa te indulgentiam ſingularem Domini Dei tui. Sub tantis malis non crudeliter derelictus, ſed ſalubriter humiliatus es. Nunquid non plus eſt periculum inter medias acies ignoraſſe, quàm periculum non vidiſſe? Nunquid non virtus

Dei

Dei maior apparet, si quenquam domo procumbente conclusum, ruina non obruat, quàm si in statu suo domus inconcussa habitatorem seruet illæsum? Nunquid non maioris miraculi opus est, si quisquam inter tumentes fluctus fractis gubernaculis, nauem iam naufragam nullum discrimen incurrat, quàm si in portu immobili tranquillitate requiescat? Nunquid non maius beneficij cœlestis opus est, æstuantibus quenquam immersum caminis, nullum omnino sensisse flammæ furentis ardorem, quam ignitam penitus non intrasse fornacem? Nunquid non magis prædicabile diuinæ miserationis insigne est, si fortè quenquam bestijs traditum omnino contingere feritas impastis faucibus armata non audeat: quàm si familiari vmbone circundatus ipse se tutum videat, vbi occasionem periculi causamque non videat? Nunquid non munificentior Dei gratia circa Prophetam fuit, quod rege vsquam ad lacum votis & supplicationibus prosequente, à leonibus honoratus est, quàm si leonibus nõ fuisset iniectus? Aduertite quod Deus noster probat suos in tribulationibus, non relinquit. Ecce hic beatus Propheta hostibus seruiebat, sed bestijs imperabat. Nunquid non præclarius fuit, tribus pueris inter sæua incendia constitutis, ignem non solum membris, sed vestibus & capillis seruasse reuerentiam: quàm nullam subijsse tentationibus iniuriam? Nemo se à Deo æstimet deseri, cum traditur tentationi. Nemo miser putetur, qui in fide vel in animi virtute non læditur. Econtrario autẽ, qui in securitate vitijs deditus est, in libertate captiuus est. Idẽ homil. in Litanijs.

Est in fabulis, plantam quandam esse, quæ cum inciditur germinet, quæque cum ferro certare dicatur: ac si Poetarum more loqui licet, quæ morte viuat, & incisione nascatur, & consumptione augeatur. Talis mihi videtur esse sapiens & Philosophus, qui in perturbationibus claritatem consequitur, cui virtutis materia est molestia, & aduersis ornatior redditur. Theol. *Theolog.*

Iniquorum potestas super te ex Dei datur sentẽtia. Omnes qui tibi aduersantur, Dei consilio faciunt. *Isidor.*

Forsitan temporaliter te punit, vt æternæ mortis ardores pœna redimat temporalis. In ædificatione enim templi, omnes lapides prius malleis tundebãtur, ne in illorũ positione sonus mallei audiretur. Neque in horreo Dñi reponitur granũ, donec flagellis *Pet. Chrysol.*

aut

aut triturantium pedibus sit excussum: sic & viui lapides qui ponendi sunt in illa cœlesti Ierusalem (quæ ædificatur vt ciuitas) varijs infortuniorum concussionibus poliuntur, priusquam in ædificio cœlestis habitaculi collocentur. Petr. Chrysol. in quadá epistol.

Idem in sermone. 2. de filio prodigo loquens, Fames (inquit) reuocat, quem saturitas exularat. Fames illi patrem dedit sapere, cui copia tulerat non sentire genitorem.

Saluian. Nemo in tribulatione moueatur: ipsi enim scimus quod in hoc positi sumus. Quid mirum si calamitates in hoc seculo perpetuò patimur, qui ad toleranda vniuersa militamus? Et sane Christianus quodammodo esse desinit, qui in hoc positus vt perferat, nihil perfert. Saluianus contra gentes.

Tertul. Ecclesia se peregrinam in terris scit agere: inter extraneos facile est inimicos inuenire. Cæterum genus, ædem, spem, gratiá, dignitatem in cælis habere.

COLLE. ¶ Tribulatio instar flatus vehementis est, qui cum lucernam extinguat, ignẽ tamen accendit: Sic ergo tribulatione, boni quidem meliores, mali autem euadunt deteriores. Illi in Dei amorem accenduntur, isti vero extinguũtur.

Deus ipse tanquam pius pater tribulationes electis suis frequenter immittit, vt flagellis ipsis mundi amaritudinem experti, mundum fugiant: & ad illum confugiant in quo solo vera quies animi inuenitur. Sic facit pia & prudens mater, quæ ablactatura grandiusculum filium, vbera quibus illum lactat, absinthio illinit, vt hac amaritudine offensus, dimisso lacte, cibum capiat solidiorem.

Per sabbatum æterna requies, per hebdomadam vero huius vitæ tempus designatur. Sicut ergo tempus illud quieti, ita hoc labori destinatum est. Illic tempus est amplexandi, hic longe fieri ab amplexibus: illic colligendi, hic spargendi & seminandi tempus est. De quo Propheta dicit, Qui seminãt in lachrymis in. e. m. *Psal. 125.* Quid ergo miraris, si laboribus vndique premeris, cum tẽpus hoc non amplexibus & quieti, sed laboribus destinatum sit?

Felle piscis Thobiæ oculi clausi aperiuntur. Hoc est autem quod Propheta dicit: Tantummodo sola vexatio dabit intellectũ auditui. Propter hoc vero Dñs tribulationes mittit, sicut ipse per *Esai. 28.*

Prophetam

Prophetam dicit, Sępiam viam tuam spinis &c. Vide locum. Quidam tamen Hydræ Herculis similes esse videntur, cuius caput abscisum, septem alia proferebat. Tales erāt illi, qui dicebant, lateres ceciderunt, sed quadris ædificabimus: sicomoros succiderunt, sed cedros mutabimus. Sed hoc tamen vitio ipsorum accidit, non tribulationis: quæ magnas homini vtilitates affert. Aqua illa quæ per pręcipitia decurrit melior ea est, quæ diu immota manet. Ferrum præterea si transit in vsus assiduos, splendore micat: at si longa quies ierit, fuscatur, & atram vertitur in scabiem, cæleri que absumitur æuo. Vnde Dominus, Ego inquit quos amo, arguo & castigo. *Osee. 2.* *Esai. 9.* *Apoc. 3.*

Omnia fere quæ ad humanæ vitæ vsum pertinent longa contritione & labore ad hoc præparantur. Ager quo fructum ferat, proscinditur. Frumentum vt panis fiat, in pistrino & clibano & conteritur, & coquitur. Vua quoque & olea in torculari exprimũtur, vt suo nos liquore alant. Linum vero quàm multa patitur, vt linteum ex eo conficiatur? Sunt & animalia quę flagellis cæsa odorem suauissimum emittunt. Quid ergo mirum, si flagellis quoque & pressuris homo eruditur, atque perficitur? An non (Apostol. teste) virtus in infirmitate perficitur? Propter quod inquit ille, Placeo mihi in infirmitatibus meis, &c. *2. Cor. 1.*

Vtrumque necesse est, & odio habere mundum, & Deum diligere: sed ad dilectionem Dei maximè iuuat gustare quàm suauis sit Deus: ergo ad odium mundi maxime etiã faciet gustasse quàm amarus sit mundus. Hoc autem tribulatio præstat, & ideo meritò commendanda est. Currit velocius puer ad sinum matris, cum ab alio vapulat, & mater illum dulciter amplectitur. Sic igitur homines ad Deum confugiunt, cum mundus eos premit, Deus vero illos ad se blandiendo vocat, cum ait, Venite ad me omnes qui laboratis &. o. e. & ego reficiam vos. *Matt. 11.*

Quod viri boni magnis sæpe laboribus sine vllo suo crimine vexentur, declarant illa verba Iob, Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mũdas ad Deum preces. Et totus item ille Psalmus. Deus auribus nostris &c. vbi inter alia dicit, Hęc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & inique non egimus in testamento tuo. *Iob. 16.* *Psal. 43.*

Quemadmodum ouum in aqua salsa non submergitur, in dulci vero

vero inferiora loca petit:ita tribulationum salsedo pios homines eleuat ad summa, delitiarũ vero dulcedo frequẽter deijcit ad ima. Quod Dauidis & Salomonis exemplo cõfirmare possumus, quorum alter delicijs dissolutus fuit, alter tribulationibus eruditus ait;
Psal. 118. bonum mihi quia humiliasti me &c.

Eccl. 11. Sapientia humiliati exaltabit caput eius: & in medio magnatorum considere illum faciet. Vere multum adijcit sibi virtus lacessita. Multa sustinet, multa experiendo nouit, qui varijs tribulationibus agitatus est: à quibus longissime absunt, qui in delicijs vixerunt, & secunda semper fortuna vsi sunt. Itaque vir sapiens multum se tribulationibus, tanquam vitæ magistris,
Rom. 5. profecisse sciat. Ideo Paulus ad Romanos: Primum quidem in Deo, secundo vero loco in tribulationibus gloriatur: causamque subdit, Quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem &c.

Eccl. 18. Homo sapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum cauebit ab inertia hoc est, cum instauerint tempora periculosa, cautius & diligentius se geret.

Psal. 62. Pro eo quod nos legimus, Sitiuit te anima mea, quàm multipliciter &c. Hierony. vertit, Sitiuit ad te anima mea: desiderauit te caro mea in terra inuia sitiente, sine aqua. Quibus verbis tribulationis fructus quidam eximius designatur: cùm enim homines omni se humano præsidio ac solatio destitutos animaduertunt, neque aliud in mundi vberibus quàm absinthiũ inueniunt, tunc demum malis suis admoniti, inanitatẽ atque fallaciã mundi intelligentes, ita ad Deum veræ salutis & fœlicitatis fontem recurrunt: & non modo spiritus, sed caro ipsa flagellis erudita, ad Deum aspirare incipit, illumque sitire. Hoc est enim quod ait, Sitiuit te anima mea, desiderauit te caro mea. Nec modo Deum
Psal. 83. desiderat, sed in eo etiam exultat, Iuxta illud, Cor meum, & caro mea exul. in. D. v. Et, Omnia ossa mea dicent. D. q. s. t?

Psal. 118. Tribulationis fructum insinuant illa Prophetæ verba, Bonum mihi quia humiliasti, siue afflixisti me, vt discam iustificationes tuas &c. Et, Priusquã humiliarer, siue tribularer, ego deliqui, &c. Vnde illud etiam sequitur, Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti, siue afflixisti me. Fructus quippe afflictionis, æquitatem ostendit affligentis.

Ad

Ad expianda populi peccata suscipiet summus sacerdos ab vniuersa multitudine filiorum Israel duos hircos, mittensque super vtrumque sortem, vnam Domino alteram capro emissario: cuius exierit sors Domino, offeret illum pro peccato: alterum autem statuet viuum coram Domino, vt fundat preces super eum, emittetque eum in solitudinem. Hanc autem legem illa verba Domini interpretantur, Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit &c. Hircus enim qui in sortem Domini cedit, in sacrificio mactatur: alter verò viuus & liber ad pastum dimittitur.

Quomodo in rebus asperis ac difficilibus piorum hominũ fidem & charitatem Dominus probet, declarat planè pondus tentationis illius qua tentauit Abraham: quod quidem Origenes elegãter annotauit, cuius verba hoc in loco attexere volui, vt concionator hoc singulari exemplo discat rationem amplificandi ex omnibus circunstantijs. Ait igitur super illud Geneseos. Quæ postquã gesta sunt, tentauit Deus Abraham, & ait ad eum Abraham Abraham &c. sic ait, Obserua singula: in singulis enim si quis scit in altum fodere inueniet thesaurum. Nomẽ quidem cur ei donauerit Deus & vocauerit Abraham ipse interpretatus est dicens, Quia patrem multarum gentium constitui te. Quæ promissio in Isaac complenda erat. Accenderat ergo animum in amorem filij non solum posteritatis gratia, sed etiam promissionum spe. Sed hunc in quo positæ sunt promissiones istæ magnæ & mirabiles, hunc inquam quo vocatum est nomen eius Abraham, iubetur in holocaustum offerre. Sic enim ait, Accipe filium tuum charissimum quem diligis Isaac. Non enim suffecerat dixisse filium, sed adiecit & charissimum. Esto & hoc, quid adhuc additur & quem diligis? Sed vide tentationis pondus. Charis & dulcibus appellationibus iterum ac sæpe repetitis, paterni suscitãtur affectus, vt amoris euigilante memoria, ad imolandum filium paterna dextera retardetur, & aduersus fidem animi tota carnis militia repugnaret. ¶ Accipe (inquit) ergo filiũ tuũ. c. q. d. I. Esto Dñe, quia commemoras de filio patrem, addis & charissimũ, quẽ præcipis iugulari. Sufficiat hoc ad suppliciũ patris. Addis rursus & quẽ diligis. Sint & in hoc parenti triplicata supplicia. Quid opus est vt adhuc cõmemores & Isaac? Nũquid nesciebat Abraham quia filius suus ille charissimus, ille quem diligebat, Isaac vocaretur? Sed cur hoc additur in

Gene.22.

tempore?

tempore? Vt recordaretur Abraham, quia dixeras ad eum, quod in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Fit & commemoratio nominis, vt & promiſsionum quæ ſub hoc nomine factæ ſunt, deſperatio ſubeat. Sed hæc omnia quia tentabat Deus Abraham. ¶ Quid poſt hæc? Vade (inquit) in.t.ex. Nunquid nō potuerat duci prius Abraham cum puero ad illam terram excelſam, & ibi ad eum dici vt offerret filium? Quò hoc ſpectat? Vt dum ambulat, dum iter agit, per totam viam cogitationibus diſcerpatur, vt hinc perurgente præcepto, hinc vnici affectu obluctante crucietur. Propterea ergo etiam via iniungitur, etiam montis aſcenſio, vt in his omnibus ſpatium certaminis accipiat, affectus & fides, amor Dei, & amor carnis, præſentium gratia, & expectatio futurorum. Quid ad hæc tu Abraham? Quæ & quales cogitationes voluuntur in corde tuo? Prolata eſt vox à Deo, quæ diſcutiat & probet fidem tuam. Quid ad hæc dicis? quid cogitas? quid retractas? Putas ne reuoluis in corde tuo: quia ſi in Iſaac data eſt mihi promiſsio, & hūc iugulo, quis erit diuinis promiſsionibus locus? Nihil horum ait, nihil diſcutit, ſed celeri atque ſimplici obedientia paret. Surrexit enim manè, & ſtrauit aſinam ſuam, ligna præparauit, aſſumpſit filium. Non deliberat, non detrectat, non communicat cum vllo homine conſiliū, ſed ſtatim occupat iter. ¶ Et peruenit, inquit, die tertia &c. Omitto nunc quid ſacramenti habeat dies tertia. Sapientiam & conſiliū tentationis intueor. Sic in proximo non erat mons aliquis cum totum ageretur in montibus? Sed per triduum iter protenditur, vt per totum triduum recurſantibus curis paterna viſcera cruciētur, vt omni hoc ſpatio tam prolixo intueretur filium pater, cibū cum eo ſumeret, tot noctibus penderet in amplexus patris, inhæreret pectori, cubitaret in gremio? Vide inquantum tētatio cumulatur. His ergo rationibus Dominus electorum ſuorum fidem & dilectionem probat. Qua probata merentur audire, quod is peracta tentatione audiuit, Nunc cognoui quod timeas Dominum &c. Hæc enim vera timoris & amoris probatio eſt, ſi omnibus quę chariſsima habentur, charitas & amor in Deum antefertur.

Quid ſibi Dominus voluit, cum ad ſeruum ſuum dixit, cōpelle eos intrare vt impleatur domus mea? Duo hic prædeſtinatorum genera notantur. Vnum eorum qui ſponte ſua crucis mortificationem atque laborem ſponte ſuſcipiūt, alterum eorum qui inflictas

à Deo

à Deo plagas leniter ac patienter ferunt, quibus ipsi tamen si sibi optio daretur, carere vellent. Sic enim patres filios interdum ligant, tenentque vt ferrum & ignem vlceribus necessarium patiantur: Sic igitur pater ille cœlestis dormitantes filios illatis plagis ad salutarem laborum tolerantiam excitat, vt vitam tribuat.

Quid est quod Saluator ait, Omnem palmitem qui fert fructũ purgabit eum, vt fructum plus afferat? His verbis specialis prouidentia Dei & cultura significatur: cuius rei gratia agricolæ nomẽ obtinet, quòd videlicet spiritualia virtutum germina excolere, & nutrire nunquam intermittat. Ob hoc enim alibi dictum est, Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Præcipua verò cultura purgatione fit, cũ superflua quæque & salutarem fructum impedientia, velut steriles palmites abscinduntur: quo totus amor noster à creaturis auulsus, ad vnum Deum transferatur.

Cũ vocatus ab Absalone Ioab, venire renuisset, iussit is messem eius incendere: vt hoc incommodo affectus ad ipsum veniret. Sic etiam cùm ad Deũ amanter nos ad se vocãtem venire recusamus, varijs interdũ tribulationibus ipso ita disponente premimur, vt hoc modo ipsa necessitate coacti, ad illius tãdẽ opẽ, cõfugiamus, qui omnibus ad se veniẽtibus singulare refugiũ atq; remediũ est.

Sicut pia mater nusquam magis ad consolandũ ac fouendum paruulum suum accurrit, quàm cùm eum acriter plorantem cernit: ita Deus nullibi propior est seruis suis quam in tribulatione adest: quanuis hoc interdum minus appareat.

Non contristabit iustum quidquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo. Ex hoc autem colligitur tribulationes pijs salutares, improbis autem esse vitio eorum perniciosas. Fuit olim cum homines à feris grauiter lęderentur: processu tamen tẽporis & arte effectum est, vt non modo non læderent sed etiam ad multa ipsis deseruirent. Talis tribulatio est, quæ viro sapienti virtutis, stultis autem ruinæ materiam prębet. Quare diligenter prouidendum est, ne vitio & socordia nostra noceãt, quæ adhibita ratione & consilio iuuare potuissent. Videmus solis ardore ceram liquefieri lutum vero durari, sic tribulationis ardor piorũ mẽtes emollit improborum autem obdurat & in deterius commutat. Prou. 12.

Quid tempore tribulationis faciendum sit, Eccles. 2. docemur his verbis: Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore

ſuſtine,& in humilitate tua patientiam habe:quoniá in igne probatur argentum & aurum: homines vero receptibiles in camino humiliationis. Item paulo inferius, Qui timẽt Dominũ, cuſtodiẽt mandata illius,& patientiã habebunt vſque ad inſpectionẽ illius, dicentes: Si pœnitentiã non egerimus, incidemus in manus Dñi, & non in manus hominum. At horrẽdum eſt incidere in manus

Hebr.10. Dei viuentis.

Labor.

Auguſt. TOta vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundum Euangelium viuat, crux eſt atque martyrium. Aug. in ſermo.

Hierony. Regnum cœlorum vim patitur &c. An non tibi videtur eſſe violentia, cùm caro cupit eſſe quod Deus eſt,& illuc vnde Angeli corruerũt, Angelos iudicatura conſcendit? Hiero. ad Euſtoc.

Euſeb. Emiſſe. Caſtigo, inquit, corpus meum,& in ſeruitutem redigo,&c. Beatus Paulus iam Chriſti habitaculũ, iam vas electionis effectus, intelligit ſibi non ſufficere ſolam gratiam, niſi gratiæ adiungat ſolicitudinem vigilantis,& laboris induſtriam. Euſeb. Emiſſ. hom. de initio Quadrageſ.

Caßia. Voluntas noſtra ſic quærit à paſsionibus temperari carnalibus, vt nequaquam velit dolores neceſſarios ſuſtinere (ſine quibus virtutes penitus nequeunt poſsideri) abſque caſtigatione carnis caſtimoniã cupiẽs obtinere: ſine vigiliarũ labore cordis acquirere puritatẽ: cùm requie carnis ſpiritualibus exuberare virtutibus: abſq; vllius exaſperatione conuitij, patientiæ gratiã poſsidere: humilitatem Chriſti ſine honoris mũdani exercere iactura: religionis ſimplicitatem cum ſæculari ambitione ſectari: Chriſto cum hominũ laude ac fauore ſeruire: diſtrictionem veritatis ſine cuiuſpiam vel tenui offenſione proferre. Poſtremò ſic vult futura bona, vt præſentia non amittat. Caſsia. in collat. 4. Dan. abba. cap. 12.

Cicero. Si quis hoc robore animi eſt, atque hac indole virtutis ac continentię, vt reſpuat omnes voluptates, omnemque vitæ ſuæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione conficiat, quẽ nõ quies, nõ remiſsio, nõ æqualium ſtudia, nõ ludi, nõ conuiuia delectent: nihil in vita expetẽdũ putet, niſi quod eſt cum laude,& honore,& cũ dignitate cõiunctũ, hũc mea ſentẽtia diuinis quibuſdã bonis inſtructum atque ornatum puto. Cicero pro M. Cælio.

Principium omnis boni & virtutis, (si verum fateri volumus) laborem esse Deus hominibus ostendit, quo remoto, nihil boni apud genus humanum constitui potest. Philon. *Philon.*

Exerce te laboribus voluntarijs, vt possis & non voluntarios tolerare. Isocrates. *Isocra.*

Xenophon conspicatus iuuenem industrium, & laboris amātē, Iucundissimum, inquit, senectuti condis obsonium. Xenophon. *Xenoph.*

Crocodilus terribilis est in fugaces, fugax contra insequentes: ita quidam si concedas ac metuas, tunc ferociunt, si strenuè contemnas & obsistas, statim concedunt. Plinius. *Plinius.*

Quemadmodum perniciosior hostis fugientibus: ita grauius est incommodum, si cedas ac des terga. *Ex diuersis.*

Luxu corporis hebetescit mentis acies: luxus immodicus extinguit ingenium.

Vbi sponsa dixisset, Nigra sum sed formosa &c. (quo verbo labores, & persecutiones quas propter spōsum perpessa fuerat indicauit) huius rei causam, protinꝰ subdit, Nolite, inquit, mirari quod fusca sim: quia decolorauit me sol: videlicet sol iustitiæ spōsus: cuius omnis vita laboribus plena fuit: cuius omnis doctrina vix quicquā aliud quā laborū tolerantiā sonat: cuius erga nos charitas & beneficia tanta sunt, vt me nullo modo potuerim continere, quin propter illius gloriā tā multis me doloribus atque molestijs obiecerim. Charitas enim Christi (vt Aposto. ait) vrget nos, nempe vt quoad liceat illum imitari, & vni illi obsequi studeamus. Omniū quippe Sanctorū est illa vox. Propter te mortificamur tota die. e. f. v. o. c. Nostra verò erga te Dn̄e dilectio huius afflictionis causa est. Quidam ex sanctis Patribus Bisarion nomine, mortuum quēdam nudum conspicatus, se superhumerali exuens, & illū operuit & sepeliuit. Postea verò mendicum quendam nudum obuiū excipiens, reliqua se veste exuit, & nudus ipse remansit, quo nudum in paupere Christum tegeret. Cum igitur nudus in quodam angulo iaceret, à principe quodam ciuitatis eidē noto rogatus, quis eum ita nudasset, is, prolato Euangeliorum codice, qui ei reliquus erat, Hic, inquit, nudauit me. Hoc autem perinde est ac si diceret, Sol me decolorauit. Lege Palladium in eius vita. C X V I. *Ex historia Palladij.*

Omnis oblatio quæ offertur Domino absque fermēto fiet, nec quidquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio Domini.

In omni autem oblatione offeres sal. Hac lege Dñs nõ modo malitiæ & nequitiæ fermentum à sacrificio suo reijcit, sed etiã quidquid carnis dulcedinem & voluptatem præ se ferat: sal verò semper expetit: quia, vt D. Hierony. ait, nihil illi placet, nisi aliquid in se amaritudinis & mordacitatis contineat.

Quò quid difficilius & laboriosius est, eò est etiã Deo gratius, si cætera consentiant. Magnum enim meriti pondus bonis operibus addi, cùm ardua ex natura sua sunt, manifestũ est. Hinc Dauid sacrificium Domino in area Areuna Iebusei oblaturus, nequaquã oblata gratis animalia & plaustra accipere voluit, sed ad ea gratis offerentem dixit, Nequaquam vt vis, sed emã precio à te, & non offeram Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo Dauid areã & boues argenteis siclis quinquaginta.

Prospera & aduersa fortuna.

Gregor. SÆpe est donum gratiæ quod homines iram deputãt: & sæpè districtionis ira est, quod gratiã putant. Greg. in mor.

Præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur, vt ad meliorem vitam prouocet, aliquãdo vt in æternum plenius damnet. Greg. in Past.

Solet rerũ abũdãtia tãto magis à timore diuino mentẽ soluere, quanto magis hinc exigit diuersa cogitare. Greg. in homi.

Quisquis in solo desiderio æternitatis figitur, nec paupertate attollitur, nec aduersitate quassatur: dũ nihil habet in mũdo quod appetat, nihil est, quod de mundo pertimescat. Greg.

Iusti in prosperis timent aduersa, in aduersis prospera meditantur: at mali aggerem rerũ quę foris multiplicant, semper interius per cogitationem portant. Greg. in mor. lib. 8. c. 38.

Mali tanto amplius in culpa proficiunt, quanto minus ex pœna feriuntur. Greg. vbi sup. lib. 15. c. 18.

Desperatis quicquid poscunt, donant medici. Sic Deus iniustis temporalia largitur. Greg. vbi sup. lib. 16. c. 11.

Nulla aduersitas deijcit, quẽ prosperitas nulla corrũpit: & qui veritati inhæret, vanitati non succumbit. Greg. 20. mor. c. 26.

Manifestę perditionis indicium est, quando affectatis iniquitatibus, subsequens fauet effectus, & nulla cõtrarietas impẽdit quod mens peruersa cõcepit. Greg. 26. mor. c. 16.

Greg.

Greg.ſuper illud Iob.3. Quare data eſt miſero lux, & vita his qui in amaritudine animæ ſunt,ſic ait. Sancti viri cum ſibi ſuppetere proſpera huius mundi conſpiciunt,pauida ſuſpitione turbantur. Timent enim ne hic laborum ſuorum fructus recipiant:timẽt ne quod diuina iuſtitia latẽs in eis vulnus aſpiciat,& exterioribus eos muneribus cumulans,ab intimis repellat. Cũ vero taciti cogitant quod nec bona agunt, niſi vt ſoli Domino placeant, nec in ipſa affluẽtia ſuæ proſperitatis exultant,minus quidem de proſperis occulta contra ſe iudicia metuunt:ſed tamen eadem proſpera, quia ſe ab intima intentione præpediunt,ægre ferunt, & moleſte præſentis vitæ blandimenta tolerant:quia per hæc ſe vtcũque tardari in interno deſiderio nõ ignorãt.Plus enim in hoc mũdo honor,quã deſpectio occupat:& magis proſperitatis ſublimitas, quã neceſsitatis aduerſitas grauat. Per hãc nãque nonnũquã cũ homo exterius premitur, ad cõcupiſcẽda,quæ intus ſunt,liberius relaxatur:per illã vero animus dum multis parere cogitur,à deſiderij ſui curſu retinetur. Vnde fit,vt ſancti viri magis in hoc mũdo proſpera quã aduerſa formidẽt.Sciũt nãq; quia mẽs dũ blãda occupatione premitur, aliquãdo libẽs,ad exteriora deriuatur. Mor.lib.5.

Mundus iſte periculoſior eſt blandus,quàm moleſtus:& magis cauendus cum ſe illicit diligi,quam cum admonet cogitq́ue contemni. Auguſt.ad Dioſc. *Auguſt.*

Nemo frangitur aduerſorum moleſtia,qui proſperorum delectatione non capitur. Idem de ver. Domini lib.2.

Magnæ virtutis eſt cum fœlicitate luctari,ne illiciat, ne corrũpat,ne ipſa ſubuertat fœlicitas:magnæ inquam virtutis cum fœlicitate luctari,magnæ fœlicitatis eſt,à fœlicitate non vinci. Idem ibidem.

Præferendus ille & magnus eſt,cui inter proſpera ſaltem, riſus indecentior,aut ſermo inſolentior,aut immoderatior cura veſtis, vel corporis non irrepſit. Ber.lib.2.de conſider. *Bernar.*

Nouerca virtutis proſperitas: ſic applaudit vt noceat:& in fœlici ſucceſſu ſic fortunatis obſequitur, vt in fine perniciem operetur: conuiuis ſuis ab initio propinans dulcia: & cum inebriati fuerint lethale virus miſcet. Chryſoſto.lib.1.de curial.nugis & veſtig.Philoſoph. *Chryſoſt.*

Luge peccatorẽ fortunatũ,intẽtatur eñ ei gladiꝰ iudicij. Nilus. *Nilus.*

Euagri⁹. Homini non leui quæuis calamitas leuis est.

Iuuenal. Haud facile emergunt quorum virtutibus obstat, Res angusta domi.

Charicl. Solet prosperitas inopinata contumeliosa facinora edere.

Demona. Fugę tempus in bello virum reuera fortẽ declarat, infortunium vero prudentem.

Demetri. Demetrius illum qui sinistram fortunã ferre nequeat, nec dexteram quidem ferre posse dixit.

Cypselus. In læta fortuna moderatus, in tristi prudens esto.

Isocrat. Stult⁹ bona fortuna tãquã ebrietate nimiũ fruẽs, stultior euadit.

Diony. Idem est in secunda fortuna altum sapere, & in lubrica via cursu contendere.

Rom. Cum fueris fœlix quæ sunt aduersa caueto.

Cato. Non eodem cursu respondent vltima primis.

Periãder. Si fortuna iuuat, caueto tolli.
Si fortuna tonat, caueto mergi.

T. Liuius. Maximæ cuique fortunæ minimè credendum est.

Quintil. Diuitiæ & potentia & gratia, certissimum faciunt morum experimentum.

Q. Curt. Inter obsequia fortunæ, non satis cauta mortalitas est.

Plautus. Animus æquus optimum est fortunæ condimentum.

Iuuenal. Si fortuna volet, fies de rhetore consul:
Si volet hæc eadem fies de consule rhetor.

Plautus. Bonus animus in re mala, dimidium est mali.

Ex diuersis. Humilis fortuna non est maximis malis obnoxia.
Insipiente fortunato intolerabilius nihil.
Infima fortuna tutissima est.
Læta omnia raro sine infœlici re aliqua eueniunt.
Non omni die bene esse potest: sed isto bene atque illo male.
Nunc pluit, & claro nunc Iupiter æthere surgit.
Non semper ijdem flant venti, sed nunc ij nunc alij.
Omnibus rectè sapientibus adest fortuna.

Boet. In omni aduersitate fortunæ infœlicissimum infortunij genus est, aliquando fuisse fœlicem. Boet. de consolatione. lib. 2.

Socrat. Quæ concessit fortuna temperet iustitia: quod iustitia inuenerit, temperet moderantia. Si enim auxeris licentiam tuam, minues gloriam. Socrat. in suis exhortat.

Fortuna vt medicus ignarus multos excæcauit. Cicero de Amicit. *Cicero.*

Errant qui in prosperis omnes impetus fortunę putant fugisse: sapienter cogitant, qui temporibus secundis casus aduersos reformidant. Idem. 2. Rheto.

Non solum fortuna cæca est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos quos complexa est. Illi enim efferuntur fastidio ferè & contumacia: neque quidquā insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Idem in Lælio.

¶Contra eos qui fœlici fortuna semper vtuntur est illud Prophetæ, Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requieuit in fæcibus suis, & non est transfusus de vase in vas: hoc est, non fuit varijs tribulationibus & presuris exagitatus. Vexatio enim dat intellectum. Tales fuerunt & illi de quibus scriptum est, in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Denique totus ille Psal. Quam bonus Israel Deus, quam vana & miseranda sit huius sæculi fœlicitas declarat. COLLE. *Esai.* 28. *Psal.* 72.

In vestitu ne glorieris vnquàm, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera altissimi solius, & gloriosa, & absconsa, & inuisa opera illius. Hæc sententia eò pertinet vt intelligamus, facile esse in oculis Dei totam illam gloriam in ignominiam commutare. Quod aperte idem Ecclesiast. indicat, cum subdit. Multi potentes oppressi sunt valide, & gloriosi traditi sunt in manus alterorum. Nota est historia de Cresso quem multis opibus circumfluentem, & fortuna sua securum, Solon Philosophus humanæ illum fragilitatis frustra admonuit. Qui tamen postea à Cyro victus, & iam iam in pyram conijciendus, monitoris sui consilium in mentem reuocans, clamare cœpit, Solō Solō. A Cyro autem rogatus quid sibi ea inclamatio vellet, cum rē exposuisset, ab eodem Cyro liberatus, & magnis deinde honoribus propter salutare illud consilium affectus est. Sed huic tamen profuit sera hæc pœnitentia. Quid autem profutura sit eis qui frustra dum viuerent salutaribus consilijs admoniti, in ictu solum mortis dementiam suam agnoscunt, incertum est: cum illorum sera pœnitentia vera an falsa, necessaria an voluntaria sit, ambiguatur. *Eccl.* 11.

Memento paupertatis in tempore abundantię, & necessitatem

paupertatis in die diuitiarum. Huc pertinet & illud, in die bonorũ nõ immemor ſis malorũ. Hac cõſideratione proſperitatis inſolentia temperanda eſt. Pauper eſſe poteſt, qui modo diues erat. Scriptum eſt enim, A manè vſque ad veſperam immutabitur tempus: & hæc omnia citata in oculis Dei. Eccleſ. 19.

Quod proſperitatẽ & res ſecũdas ſuperbia & arrogantia ſequi ſoleat, teſtatur Propheta Pſal. 16. cũ ait. Inimici mei animã meã circũdederũt, adipẽ ſuũ cõcluſerũt, os eorũ loquutũ eſt ſuperbiam. Pro quo alij verterũt. Adipe ſuo clauſerunt os ſuum: os eorũ. l. e. ſ. Quibus verbis ſaturitatẽ & delicias improborũ deſignat: quas fere inſolẽtia comitari ſolet. Exẽplo erit Nabal Carmelus, qui cũ regale cõuiuiũ domi ſuę inſtruxiſſet, ſuperbe tamẽ & petulãter pueros Dauidis alloquutus eſt. Hoc etiã nomine Sodomitæ dãnãtur, quibus Dñs per Ezechielẽ improperat. Hæc fuit iniquitas ſororis tuę Sodomę, ſuperbia, & ſaturitas, & abũdãtia panis, &c. Huc pertinet & illud, Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit &c. quæ ſequũtur.

Quã multorũ animas extulit fallax & inſidioſa proſperitas! Dauidẽ ſanctiſſ. impulit vt populũ numeraret graui poſtea flagello feriendũ: Sic Ezechiæ animos in aduentu legatorum Babylonis extulit. Sic Amaſiam regẽ poſt fuſum Idumæorum exercitum in valle Salinarũ. Qua victoria elatus exercitũ aduerſus Ioas regem Iſrael cõparauit. Cuius ille inſolentiã intelligens, hac illum per legatos oratione admonuit, Percutiens inualuiſti ſuper Edom, & ſubleuauit te cor tuum. Cõtẽtus eſto gloria, & ſede in domo tua. Quare prouocas malum, vt cadas tu & Iudas tecum? Cuius is conſilium negligens periculo ſuo doctus didicit neminẽ ſucceſsibus efferri debere. Deniq; grãdia ſi paruis aſsimilari licet Agar Sarræ ancilla vbi ſe cõcepiſſe vidit, deſpexit dominã ſuã, & ita deſpexit vt poſtea plagis à Domina ſua coercita fugam inierit. Cuius tumorem Angelus Domini obuiam ei factus cõpreſsit, admonẽs vt domum repetens, manibus ſe Dominæ ſuæ humiliter ſubmitteret.

4. *Re.* 14.

Fortis eſt quem aduerſa non frangunt, fortior quem proſpera non alliciunt, fortiſsimus vero quẽ nec ipſa rerum viciſsitudo deturbat. Hac enim viciſsitudine acrius ſæuit tẽtatio, dũ proſperitas amplius poſt aduerſa blãditur, nec minus vrit aduerſitas dum repentinis ingruit rebus inuidioſa ſecundis.

Probatio

Probatio virtutis.

SVper illud, Patientiam meam quis considerat? Quia citius Deus non exaudit, videtur non considerare. Ardentis nãque desiderij hic vota panduntur. Quod namque disponenti breue est, est longum amanti. Greg. in mor. lib. 13. c. 22. *Gregor. Iob. 17.*

Dei protectio minus necessaria creditur, si semper habeatur: subtrahitur ergo interdum, vt videat homo se nihil esse sine illa. Greg. 23. mor. c. 28.

Dũ ergo illa destituti cadere incipimus, & tamen adiuti retinemur, doctrina est quod cadere incipimus, custodia quod retinemur. Greg. vbi suprà.

Greg. super illud Cant. Quæsiui, & nõ inueni, sic ait: Quæsiti interdũ negatur species, vt mẽtis desideriũ crescat: nẽpe vt quo Spõsum diuti⁹ desiderat, cũ eũ inuenerit, auidius assumat. 27. mor. c. 1. *Cant. 5.*

¶ Diligebat Israel Iosephũ supra cũctos fratres suos eò quod in senectute genuisset eũ. Ad hũc ergo modũ illa bona opera æstimanda sunt, quæ quis agit spirituali senectute cõfectus: de qua Psal. Ne proijcias me in tẽpore senectutis, hoc est: cũ me charitatis vel deuotionis feruor destituit, & velut senili quadã imbecillitate deijcit. Inter fortes Dauidis quidã ex eo maxime cõmẽdatur, ꝙ interfecerit leonẽ tẽpore niuis. Hoc ad eandẽ significationẽ pertinere videtur. Niuis enim tẽpus est, cũ idẽ nos charitatis feruor deserit. Quo tẽpore rugiẽtẽ (sicut Leo) Dæmonẽ superare, & bona opera edere, excelsi & cõstãtis animi indiciũ est. Hoc autẽ præstabat Dauid, cũ ait. Tribulatio & angustia inuenerũt me (quorũ altero corpus, altero animus afflictabatur) & tamẽ mãdata tua non sum oblitus. Et illud rursum, Defecit in salutare tuũ anima mea, &c. Et, Defecerũt oculi mei in eloquiũ tuũ, & factus sum sicut vter in pruina: siue (vt alij interpretãtur) sicut vter in fumo. Et tamen iustificationes tuas nõ sum oblitus. Quorũ sensus est, Defecit plane iã animus meus, præ solicita expectatione auxilij tui, quo nititur omnis salus mea, ipsi etiã oculi mei defecerunt, in cœlum dies noctesque suspicientes, si qua forte viderent salutẽ venientẽ quam seruo tuo promisisti. Sed quãquã præ multitudine calamitatum, & asiduo mœrore confectus sum, atque adeò exesus, vt cutis mea, vtri ad fu- *COLLE. Psal. 70. Psal. 118.*

mum suspenso comparanda sit, nunquàm tamen legũ tuarũ oblitus sum, nunquã me à recto & honesto tempestas ista depulsit.

Semper adest pijs Dñs, semper eis est præsens, abesse tamen aliquando videtur, cũ eos vel ab impijs, vel à Dæmonibus grauiter vexari permittit. Nõ semel hac de re sanctus Iob, non semel item

Psal.12. Dauid cõquesti sunt. Hinc illa verba, Vsquequo Dñe obliuisceris me in finẽ? vsquequo auertis faciẽ tuã à me? &c. Itẽ, Exurge quare

Psal.43. obdormis Dñe? exurge &.n.r.i.f. Item, vt quid Dñe recessisti lon-

Psal. 9. ge? despicis in opportunitatibus in tribulatione. Pro quo alius vertit. Vt quid. D.r.l. abscondis faciem in opportunitatibus in tribulatione. De quo tamen alibi dixerat, Adiutor in opportunitatibus & in tribulatione. Sic magnus ille Antonius, post multas à dęmonib. acceptas plagas, Dño post eas aduentanti, ait: Vbi eras ô bone Iesu, vbi eras? quare à principio non affuisti, vt me iuuares & vulnera mea sanares? Et ille, Antoni (inquit) hic eram: sed expectabã videre certamen tuum, Nunc autem quia viriliter decertasti, in toto orbe faciam te nominari. Idem pene de B. Catherina Senen. legitur.

Fœlix anima quæ vere dicere potest: Probasti Dñe cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inuẽta in me ini-

Eccl. 27. quitas. Psal. 16. Sic enim legimus: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Rursumque, Tanquam aurum

Rom. 5. in fornace probauit electos Dominus &c. Apostolus pręterea primum quidẽ in Deo, deinde in tribulationibus gloriatur. Quia tribulatio (inquit) patientiam operatur, patientia probationẽ &c. Nemo ergo virtutem suam vel ieiunijs, vel orationibus, vel etiam eleemosynis probatam putet. Tribulatio enim est quæ maxime inter omnia iustitiam piorum hominum explorat. Ante hanc nemo de probitate sua testimonium ferat, quanuis ne post hanc etiã timorem omnem deponere debet.

Frequentissimum est viros sanctos ad tempus à Deo paululum relinqui, & hęc ratione probari non reprobari. Hinc, vbi Saluator

Psal.21. dixisset, Deus Deus meᵃ respice in me, quare me dereliquisti &c. Deus meus clamabo per diem & non exaudies, & nocte & nõ ad insipientiã mihi (siue vt Hiero. vertit: Et non est silentium mihi) Paulo tamen inferius ait: Timeat eum omne semen Israel, quoniã non spreuit, nec despexit deprecationem pauperis, nec auertit

faciem suam à me, & cum clamarem ad eum exaudiuit me.

Cum vir iustus ad tempus à Deo relinquitur, singulare illi remedium est in spe, oratione, & meditatione constitutũ. Quod quidem satis aperte exẽplo suo Propheta docet, qui Psal. triplici hoc remedio vtitur. Postquam enim dixit, Quare tristis es anima mea & quare conturbas me, primum ad spem confugiens dicẽs, Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi &c. Quæ verba bis in hoc Psal. & semel in sequenti repetit, cuius initiũ est, Iudica me Deus &c. Deinde ad orationem cõfugit, cum ait: Apud me oratio Deo vitæ meę: dicam Deo Petra mea quare oblitus es mei: quare tristis incedo dum affligit me inimicus. Tertio demum meditatione ac Dei memoria labentem animum suum reficit, ac sustentat, cũ ait, Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonij à monte modico. Quæ verba quidam, ad hũc modum carmine reddit.

Psal. 41.

Psal. 42.

Hæc sæpe mecum colloquor, sed intimis
Resurgit in præcordijs.
Quandoque tanta vis doloris anxij,
Vix vt queam resistere.
Qua propter ad tui memoriam nominis,
Amabilem, sæpissime
Recurram ò vnica spes mea, ò lux, & salus,
Charumque solamen meum.
Dulcescet illa amaror omnis: & animo
Illa eruet curas meo.
Quanquam paterna sum fugatus à domo,
Vastasque solitudines
Iordanis, auiosque saltus Hermonij,
Inhospitalem & Mizarum.
Exul peragro, rerum egens omnium,
Nunquam tamen tui pater
Non meminero: nunquam effluet animo meo
Dulcissimum nomen tuum.

Hac

Hac autem memoria se in tribulatione confirmatũ fuisse alibi
Psal. 118. testatur,cũ ait:Nisi quod lex tua meditatio mea est, tum forte perijssem in humilitate mea, hoc est affiictione mea.

Quanta sit tempestatis vis qua Deus interdum electos suos probat,declarant illa verba Psal.41.Abyssus abyssum inuocat &c. Et, Omnia excelsa tua & fluctus tui &c. Est autem sensus, Calamitas calamitatem vrget,nec vllus est miseriarum finis. Est autem elegans allegoria,qua inducitur Deus excitatis tonitruis, & ingenti tempestate Dauidem obruere infinita copia imbrium. Aquas autem in litteris sanctis appellari pro calamitatibus nemo est qui nesciat.¶ Quo in loco annotare conuenit huius Psalmi titulum, qui est erudiens Canticum. Sic autem inscribitur, Quoniam docet etiam cum nihil ad spem ostenditur,sperandum tamen esse,& misericordiæ Dei confidendum. ¶Idem argumentum tractatur Psal.59.cuius est initium,Deus repulisti nos & destruxisti nos &c. Et,Ostendisti populo tuo dura,potasti nos vino compunctionis, siue cõsopiente,&c.¶Idem etiã argumẽtũ tractatur Psal. sequẽti, cuius initiũ est,Deus auribus nostris audiuimus &c. Exposita enĩ primũ antiqua Dei erga pios tutela,ac paterna prouidẽtia: exponit deinde quã multis & varijs calamitatibus pios vexari permiserit.Subdit enim.Nunc autem repulisti,& cõfudisti nos,& cætera mala quæ longa oratione persequitur. Quæ quidẽ omnia sanctis viris accidisse confirmat,cum ait. Hæc omnia venerũt super nos, nec obliti sumus te,& iniquè non egimus in testamento tuo,&c. nihilominus tamen propter te mortificamur tota die,æstimati sumus sicut oues occisionis.¶Cęterũ cõmune huius calamitatis re-
Psal.33. mediũ est,quod idẽ Propheta alibi ostendit,cũ ait,Multæ tribulationes iustorum,& ex omnibus ijs liberabit eos Dominus.Custodit Dominus omnia ossa eorũ,&c.Est & aliud solatiũ, quod quidem Ecclesiast. ostendit cum ait,In die malorum non immemor sis bonorum &c. Breuitas quoque temporis solatium fit laboris. Non enim in sempiternum abijciet Dominus.Vnde est illud, Ad momentum ira eius,& vita in repropitiatione eius.

Cũ vir iustus spirituali dulcedine ac robore se ad tempus desti-
Psal. 29. tutũ viderit,non protinus animũ deponat.Meminisse enim debet scriptũ esse.Ego dixi in abũdãtia mea,non mouebor in æternum, Domine in voluntate tua præstitisti decori meo, vel alias monti

meo

meo fortitudiñe. Auertisti faciem tuam à me & factus sum cõturbatus. Huc pertinet & illud visitas eum diluculo, & subito probas illum. Vtrumque autem homini & salutare & necessarium est. Visitatione namque charitas, probatione humilitas paratur. Per illã cognoscitur Dei bonitas, per hanc hominis infirmitas. *Iob. 3.*

Quod electos suos varijs De⁹ tribulationibus examinet & probet declarant illa verba. Psal. 65. Probasti nos Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueũ, pos. t.i.d.n.i.h.s.c.n. Transiuimus per ignem & aquam &c. Sic autem probauit Dñs Abrahã, Iob, Tobiam, & omnes sanctos martyres. Nemo ergo dum tribulatur se à Domino derelinqui, sed probari putet. Exemplo itaque suo Vates sanctus docet quid homines pietatis amantes de suis calamitatibus sentire debeant: nẽpe illas sibi consilio & numine diuino accidere, vt quemadmodum aurũ atque argentum igne purgatur, ita illorum animi puriores fiant rebus aduersis: his enim rebus & amor nostri rerumque fragiliũ, & caducarum exuritur, & studia pietatis ac innocentiæ mirabiliter accenduntur. At impiorum quos Deus æterna morte mulctare constituit, longe dissimilis est ratio: non enim istorum labes & vitia excoquit ærumna, sed auget potius, & cumulat, illaque crescente, simul animorum crescit impietas, sic vno eodemque igne lutum durescere videmus, ceramque liquescere.

Cùm sæpenumero pij homines à Deo varijs calamitatibus probentur & exerceantur, nunquam illi tamen neq; à spe sua & orãdi officio cessare debere, ostendit exẽplo suo Dauid cũ ait, Credidi, propter quod locutus sum, ego autẽ humiliatus, siue afflictus sum nimis. Ego dixi in excessu (siue in fuga mea) o.h.m. Quod perinde est ac si dicat, credo, & certissimam fidem adhibeo promissionibus Dei, propterea summa cũ fiducia loquor. Quin etiã cùm in maximis angustijs versarer & fugerẽ præceps aduersarios mihi iã iam imminentes, dicebam tamen, mentiuntur quidem omnes homines: sed Deus certe mentiri non potest, itaque ille me incolumẽ conseruabit, & hostibus de medio sublatis, in regia dignitate constituet. Quam igitur gratiam referam domino, qui mihi salutem attulit, & me, ac familiam meam tantis beneficijs ornauit? Idem alibi posteaquam tribulationis suæ magnitudinem exposuisset his verbis, Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt *Psal. 115.* *Psal. 68.*

aquæ

aquæ.v.ad.a.m.Infixus sum in limo profundi:& nõ est substantia,hoc est non inuenio vbi consistam.Et mox,Laboraui clamans r.f.s.f.m.defecerunt oculi mei dum spero in.D.m.Quod perinde est ac si dicat,Iam oculi mei nimia lassitudine defecerunt, dum asiduè cœlum suspiciunt,expectantes vt Deus meus mihi opem ferat.Itaque proponitur nobis præclarum veræ pietatis exẽplum quæ nec spem abijcit,nec ab orandi studio deterretur, licet aures Dei à precibus abhorrere videantur.Denique in fine Psalmi ostẽdit se non frustra tamdiu aut orasse aut expectasse, cum ait, Ego sum pauper & dolens, salus tua Deus suscepit me, Et, Quoniam exaudiuit pauperes Dominus,& vinctos suos non despexit. Laudent illum cœli & terra &c.Itaque verissime dictum est.Ipse vulnerat & medetur: percutit & manus eius sanabunt. Hoc ipsum

Tobiæ.11. Sanctus quoque Tobias vbi ab Angelo illuminatus & ditatus est, confitetur dicens, Benedico te Domine Deus Israel : quia tu castigasti me : & tu sanasti me. Piorum igitur omnium est

Psal. 70. illa vox, Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas? & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me. Harum rerum altera,nota sit nobis inanitas nostra, altera benignitas Dei,ex illa notitia nobis diffidere,ex hac Deo confidere discimus.

Quemadmodum Ioseph ad fratres suos(quos vnicè charos habebat)quasi ad alienos durius loquebatur:ita se Dominus frequẽter cum pijs hominibus gerit dum eis omnem spiritualis consolationis gratiam tanquã alienis subtrahit:quos tamen summo amore complectitur.

Quod Deus aliquando amicos suos summis angustijs & angoribus vexari permittat, quodque ipsi nec sic quidem à Deo velut proiecti & derelicti, neque spem abijcere, neque orandi & obsecrandi munus die noctuque intermittere debeant, apertissimè in Psal.87.perspicitur: cuius initium est, Domine Deus salutis meæ in die clamaui &c. Pro eo vero quod nos ibi legimus,Pauper sum ego & in laboribus &c. quidam transtulit, Afflictus sum ego, & expiranti similis, ab adolescentia tuli terrores tuos, & trepidaui. Hierony.vero, Portaui terrorem tuum & conturbatus sum.

Huius rei gratia Dauid importunitatẽ & persecutiones piorũ

igni

igni comparat spinarum, cum ait; Circundederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis. Spinæ namque ignẽ facile concipiũt: qui magnũ fragorẽ edit, & vicina quaque cõsumptura videtur, qui tamẽ citò & ipse extinguitur. Tales ergo piorũ tribulationes sunt: ideo vir iustus celerrimæ liberationis suæ certissima spe animum erigere, & præsentem laborem alacriter ferre debet. *Psal. 112.*

Temperantia voluptatum moderatrix.

CVM naturæ necessitatibus plusquàm expedit deseruimus, mẽtis curam negligimus, ex miseria negligẽtiæ, infirmitati addimus culpã. Quiddã enim valde periculosum habẽt istę necessitates, ꝙ sæpe in eis minime discernitur, quid per vtilitatis studiũ, & quid per voluptatis vitiũ agatur. Sæpe enim dũ necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deseruimus, & infirmitatis velamine nos excusamus. Greg. mor. 20. c. 12. *Grego.*

Sancti quasi arbitri studiosissime discernunt, inter necessitatẽ & voluptatem, atque hanc consulendo subleuant, illam premẽdo frenãt. Praui autẽ necessitates ad vsum suæ voluptatis retorquẽt. Greg. 20. mor. c. 12. vide locum.

Greg. super illud Iob. 27. aut poterit in omnipotente delectari? Sic ait, Esse sine delectatione anima non potest: aut enim infimis delectatur, aut summis: & quãto maiori studio exercetur ad summa, tanto maiori fastidio torpescit ad infima. Vnde Ioan. qui diligit mundum, non est charitas patris in eo. Mor. 18. c. 6.

Greg. super illud Iob. 28. Non inuenitur in terra suauiter viuentium, sic ait: Qui huius vitæ voluptatibus pascitur, ab æternæ sapientiæ intellectu separatur: nam si saperet, de exilij sui cæcitate lugeret. lib. 18. mor. c. 26. Ideo dicitur qui addit scientiam, addit & dolorem. Eccl. 1. *Iob. 28.*

Carnalis delectatio quanto diutius tenet, tanto arctius astringit. Greg. 24. mor. c. 12.

Spiritus deficit, vbi caro requiescit. Vt enim caro mollibus, sic anima duris nutritur. August. super Ioan. *August.*

Si quid arrisisset prosperum, tædebat apprehendere, quia penè

priusquam

priusquam teneretur, auolabat. Aug. Confeſſ. lib. 6.

Edendi & bibendi voluptas nulla eſt, niſi præcedat eſuriendi & ſitiendi moleſtia. Et ebrioſi quædam ſalſiuſcula comedũt, quò fiat moleſtus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Et inſtitutum eſt vt iam pactæ Sponſæ, non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpirauerit ſponſus dilatam. Hoc in turpi & execranda lætitia, hoc in ea, quæ conceſſa & licita eſt, hoc in ipſa ſinceriſsima honeſtate amicitiæ, hoc in eo, qui mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuẽtus eſt: vbique maius gaudium, moleſtia maior præcedit. Quid eſt hoc Domine Deus meus, cum tu æternum tibi ipſe ſis gaudium, & quædam de te ſemper gaudeãt? Quid eſt quod hæc rerum pars alternat defectu, & profectu, offenſionibus, & conciliationibus? an is eſt modus earum, & tantum dediſti eis, cum à ſummis cœlorum vſque ad ima terrarum ſuis quæque ſedibus locares, & ſuis quæque temporibus ageres. Aug. Confeſ. lib. 8.

Qui dat pro modica delectatione illud pro quo Chriſtus ſe tradidit, ſtultum Chriſtum reputat mercatorem. Idem in ſerm.

Hierony. Corpus aſſuetum tunicæ, loricæ onus non ſuſtinet: caput opertum linteo, galeam recuſat: mollem otio manum, durus exaſperat capulus: fortior autem miles ex confragoſo venit. Hiero. in epiſt. ad Heliod.

Iſidor. Licet ſæpe in medio carnalium Deus protegat vitam electorũ, tamen ſatis rarum eſt, vt quiſque inter ſæculi voluptates poſitus à vitijs maneat illibatus: in quibus etſi non cito implicetur, aliquando tamen attrahitur. Neque enim diu poteſt eſſe ſecurus, qui periculo fuerit proximus. Iſidor. lib. 3. de ſum. bon.

Euſeb. Emiſſe. Sicut quãdo humore & ſcabie cutis corporis vitiatur, inde corruptio exulcerat, hinc prurigo ſolicitat: ita per oblectationem malorum de negligẽtia proficit culpa: & de luxuria creſcit illecebra, & pereuntem perditio plus delectat: quia voluptas tranſacta non ſatiat, ſed ſuo vſu magis exercetur vitiorum cupiditas, quam finitur: & ſectatorem ſuum nunquam conſumenda conſumit. Euſeb. Emiſſ. de Epiph. hom. 3.

Secundum finem euangelici & cœleſtis oraculi, diues ille poſt delicias æternis traditur flammis: Lazarus poſt eſuriem beatitudinis gremio Angelorũ infertur obſequijs: & propter hoc ad vtrũq;

loquitur sermo diuinus. Fili recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala: vni transactæ vitæ, iucunditas loco criminis imputatur: alij post malorum tolerantiam repræsentatio fit bonorũ. Idẽ in hom. de init. Quadragesi.

Omnium vitiorum interemptrix humilitas est: quam qui possident, omnia vicerunt. Genitrix malorum omnium est voluptas malitiæ coniuncta. Is qui ea detinetur, non videbit Deum. Clima. Grad. 26. *Ioã. Cli.*

Cuncta aduersum nos Dæmonum bella ex tribus causis maximè constant. Aut scilicet ex voluptatis studio, aut ex superbia, aut ex illorum inuidia. Idem ibidem.

Nihil tam putidum est, quàm anima affectibus obnoxia: Voluptas cani similis est: si persequaris, fugit: si nutrias, manet. Fuge voluptatem propter comitem eius afflictionem: ne Diabolus vtatur membris tuis aduersus te tanquam telis. Chrysost. *Chrysost.*

Nihil voluptuosum nihil suaue placet Deo: sed quod habet aliquid mordacitatis & seueritatis: vbi pascha cum amaritudinibus manducatur. Gloss. Le. 2. *Gloss.*

Malorum esca voluptas, qua homines capiuntur, vt hamo pisces. Cicero in Cat. maio. *Cicero.*

Voluptates blandissimæ Dominæ, sæpe maiores partes animæ à virtute detorquent. Idem. 2. de offi.

Maximas virtutes iacere oportet, voluptate dominante. Idem ad Atti. lib. 5.

Quo maior est voluptas, eò magis mentem à sua sede & statu dimouet. Idem Parad. 1.

Qui voluptatibus ducuntur, & se vitiorum illecebris & cupiditatum lenocinijs dediderunt, missos faciant honores, nec attingant Rempub. patiantur viros fortes labore, se otio suo perfrui. Idem pro Sest.

Omnibus in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimũ est. Idem. 2. de Orat.

Nemo est dignus nomine hominis, qui vnum diem velit esse in voluptate. Idem. 2. de finib.

Nullam capitaliorem pestem quàm corporis voluptatem hominibus à natura datam esse dicebat Architas. Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum euersiones, hinc cũ hostibus clan-

destina colloquia nascũtur. Nullum denique scelus, nullũ magnũ facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impellat: stupra vero & adulteria, & omne flagitiũ nullis alijs illecebris excitari, nisi voluptate: & menti nihil esse tam inimicum, quàm voluptatem: nec libidine dominante, temperãtiæ locum esse omnino: nec in voluptatis regno posse virtutem consistere. Quocirca nihil tam detestabile, tamque pestiferum quàm voluptatem: siquidem cum maior esset & longior, omne animi lumen extingueret. Quod quò magis intelligi posſit, fingere animo aliquem iubebat, tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi posset maxima: nemini censebat fore dubium, quin tamdiù dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Idem in Cat. maio.

Non est necessum tanquam meretricem in matronarum cœtum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere. Idem. 2. de finib.

Chorici⁹. Nacta semel delicias natura, vix ad labores vult reuerti.

Aristot. Propter voluptatem mala operamur, & propter tristitiam à bonis recedimus.

Idem. Natura maximè appetit delectabile, & fugit triste. Idem.

Ouidius. Gaudia, principium nostri sunt sæpe laboris.

Adilon. Mala tunc sunt periculosiſsima, cum delectant.

COLLE. ¶ Qui voluptatibus carnis indulgent, similes ijs esse videntur, qui cum vrinam emittere nequeunt, tamen à potu non abstinẽt. Quò enim magis bibendi voluptati indulgent, eò magis morbi grauitatem augent. Idem efficit prurigo vlceris, cuius refricatio cũ voluptuosa sit, vlcus tamen magis exulcerat & grauat, breuemque voluptatẽ diuturno & acriori dolore pensat. Idem autem patiuntur qui sese voluptatibus dedunt: quandoquidem voluptas percepta, non sitim sedat, sed æstum magis cupiditatis incendit.

Caudam magis quàm faciem scorpionis debere nos attendere (hoc est amarum voluptatum exitum) Salomon declarat his verbis. *Prou. 5.* Fauus distillans labia meretricis: & nitidius oleo guttur eius: nouiſsima autem illius amara quasi absinthium, acuta quasi gladius biceps. Vt enim tristiſsimos voluptatũ exitus, & infœliciſsimas tragedias, quas quotidie experimur, prætermittamus: quis

verbis

Verbis consequi possit, quos æstus & angustias in nouissima hora mortis, perpetiantur hi, qui vitam suam huiusmodi voluptatibus inquinarunt? Nihil enim tūc magis torquet, quàm quod eos olim vehementissime oblectauit.

Cum in omni voluptate subsit latens aculeus & venenum, nunquam alterum sine altero inspiciendum est: sed commoda & incommoda, initium & finis, ac tota rei facies consideranda est: vt quos voluptatis lenocinium allicit, amaritudinis acerbitas deterreat. Hinc illud Salomonis, Ne intuearis vinum quando flauescit: cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber: & sicut regulus venena diffundet. Quid enim acrius morientis animam lacerat, quàm voluptatum præteritarum memoria? *Prou.* 23.

Cor sapientum vbi tristitia est, cor stultorum vbi lætitia. Item melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi: quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti. Hoc est, breuis & momentanea est improborum voluptas, qualis est spinarum ardentium strepitus, qui cum vehemens esse videatur, momento tamen transit. Vnde est illud, Laus impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. *Eccl.* 7. *Iob.* 20.

Eò mores hominum deuenerunt, vt Epicuri & Mahometici sectam verbis damnantes, operibus probent: cum maxima pars hominum nihil magis quàm voluptatem corporis sequatur. Itaque rebus ipsis illa verba iactare videntur, quæ Sapien. 2. referuntur. Dixerunt impij apud se non recte cogitantes: Exiguum & cū tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis &c. quæ sequuntur. Vide locum.

Vbi nos legimus, Coagulatum est sicut lac cor eorum. s. superborum, Alij verterunt, Incrassatum est velut adeps cor eorum. Sensus ergo est, Habent isti mentem hebetem & crassam: quippe quam corporis voluptatibus, & rerum terrenarū cogitationibus alunt: propterea nec scientiam rerum diuinarum tenent, nec his delectantur. Isti ergo quanuis sapientes sint vt faciant mala, benè tamen facere nescierunt. *Psal.* 118.

Voluptates seculi adeo non satiant dulcedine sua hominis appetitum: vt tædium magis pariant quàm fœlicitatem. Hinc

tot à carnalibus hominibus ludorum & voluptatum genera exco gitantur, & commutantur, vt fastidium quod ex alijs concipitur, alijs leuetur. Tantum igitur abest vt in his miseri tranquillitatem animi & quietem inueniant, vt tædio magis illarum afficiantur. Itaque sicut æger in lecto modò in dextrum modo in sinistrum latus iactatus nullam inuenit requiem, quoniam intra se inquietudinis & iactationis suæ causam habet: ita planè hi frustrà tot voluptatibus tædium excutere volunt, quod in pectore morbido gestant. Pectus ergo sanandum est, non loca mutanda. De hac autem voluptate sic Boetius, Quid dicam de voluptatibus, quarum appetitus plenus est satietate: satietas plena pœna. Quo in loco satietatem pro fastidio posuit.

Gene. 21. Vidit Sara Ismaelem ludentē cum filio suo Isaac, & ait ad Abraham, Eijce ancillam & filium eius &c. Cur, ait Origenes, viri filiū domo eijciat? An quia ludebat cum Isaac? Quid læserat, aut quid nocuerat, quod ludebat? Tum etiam Apostolum miror, qui ludū
Galat. 4. hunc appellauit persecutionem dicens, Sicut is qui secundū carnem &c. Sed attende. Si Ismael blandiatur & ludat cum Isaac. i. si caro spiritui blandiatur, & illecebrosis cum eo disceptationibus agat, & delectationibus illiceat, voluptatibus molliat, huiusmodi ludus displicet Saræ, & eum acerbissimam persecutionem iudicat Paulus. Vndè non illa maxima persecutio est, qua in te aperte carnifex tormentis sæuit; sed illa maximè qua te hostis blandiendo seducit.

Eccl. 1. Omnia flumina intrant in mare. Flumina dulcem aquam continent, amaram mare. Quid igitur est omnia flumina ingredi tandē in mare, nisi quod omnis dulcedo & voluptas carnis in amaritu-
Prou. 34. dine desinat, & extrema gaudij luctus occupet? Quæ enim voluptas est quæ non aliquando aut tristitiam, aut fastidium, aut pœnitentiam, aut curas pariat? Et mare inquit non redundat. Hæc alia voluptatis huius miseria est, quod quemadmodum mare nullis fluminum in illud quotidie subintrantium decursibus redundat: ita infinita cupiditatis nostræ abyssus nullis
Eccl. 1. voluptatibus aut opibus expletur. Non enim satiatur oculus visu, nec auris &c.

Abstinen-

Abstinentia, Ieiunium.

ADmonendi sunt abstinentes: vt nouerint, quia tunc placẽtem Deo abstinentiam offerunt, cum ea, quæ sibi de alimẽtis subtrahunt, indigentibus largiuntur. Gregor. *Gregor.*

Cum corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Idem.

Per Simonem, qui signantur, nisi abstinentes: qui foris carnem affligunt, interius tamen fructum abstinentiæ non acquirũt. Crucem igitur Domini Simon in angaria portat, quia cùm ad bonum opus sine bona voluntate ducitur, rem bonam sine fructu operatur. Simon ergo crucem portat, sed in cruce non moritur: quia abstinentes exterius per abstinentiam corpus affligunt, sed interius per desiderium mundo viuunt. Greg. super Euang.

Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando & à licitis caute restringit. Idem lib. 5. mor.

Abstinentia est, quæ edendi horam non præuenit: vt fecit Ionathas in fauo mellis: non lautiora quærit edere, vt Israelitæ in deserto: non accuratius parare, vt filij Hely in Sylo: non ad superfluitatem, vt Sodomitæ: non vile quodlibet, vt Esau edulium in fame concupiuit. Greg. vbi sup.

Magnus discretionis labor est exactori, & aliquid impendere, & aliquid denegare: & non dando gulam restringere, & dãdo naturam nutrire. Greg. lib. 30. mor.

Cogitandum summopere est, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere: quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita, sibi metipsi abscindere debet & concessa: & se reprehendat in minimis, quem meminit in maximis deliquisse. Greg. hom. 35. sup. Euang.

Sic voluptas plerumque sub necessitate se palliat, vt vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solui debitum necessitas petit, voluptas expleri desiderium suggerit: & tantò gula securius in præceps ruit, quantò sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit. Greg. lib. 30. mor.

Est alia malitia diei, quæ vtinã sufficiat ei. Reficimus enim quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo. Nunc autem suauis est mihi necessitas, & aduersus istam suauitatem pugno, & ne ca- *August.*

piar, quotidianum bellum gero. Et mox: Hoc autem me docuisti Domine, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Et cùm salus sit causa edendi & bibendi, adiungit sese tanquã pedisequa periculosa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo. Nec idem modus vtriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpe incertum fit, vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditas fallaci ministerio se petat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis: vt obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor resistere, & inuoco dexteram tuam ad salutem meam, & ad te refero æstus meos: quia consilium mihi de hac re nondum stat. Ebrietas longe est à me, misereberis ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam surrepit seruo tuo, misereberis, vt longè fiat à me. Nemo enim potest esse continens, nisi tu des. Non ego immunditiam obsonij timeo, sed immunditiam cupiditatis. Ideoque & populus in eremo non quia carnes desiderauit, sed quia escæ desiderio aduersus Dominum murmurauit, meruit improbari. In his ergo tentationibus positus, certo quotidie aduersus concupiscentiam manducandi & bibendi. Non enim est quod semel præcindere, & non vlterius attingere decernam, sicut de concubitu potui. Itaque fræni gutturis temperata relaxatione & constrictione tenendi sunt. Et quis est Domine qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis ille est, magnus profectò est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum. Sed & ego magnifico nomen tuum, & interpellat te pro peccatis meis qui vicit seculum, numerans me inter infirma membra corporis sui: quia & imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. August. in Confess.

Simil.

Fieri potest, vt sine aliquo vitio crapulæ vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens vtatur: insipiens autem fœdissima gulæ flamma in cibum vilissimum inardescat. Aug. de doct. Christ.

Sicut

Sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quisq; accedere: nequaquã scilicet in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens. Idem de conflict. vi. *Simil.*

Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit. Idem in sermo. de ieiunio.

Nihil scias conferre Christianis adolescentibus vt esum olerũ. Ardorque corporis frigidioribus epulis temperandus est. Hiero. in epistol. *Hierony.*

Nonnulli vitam pudicã appetẽtes, in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiam carnis seruant, & leguminibus onerant stomachum. Idem ibidem.

Ante annos robustæ ætatis periculosa est teneris abstinentia grauis. Idem ad Lætam.

Quid prodest tenuari corpus abstinentia, si animus intumescit superbia? Quid virtutis habet vinum non bibere, & ira & odio inebriari? Idem ad Gerontiam.

Pulchrè dicitur apud Græcos, Pinguis vẽter tenuem nõ gignit mentem. Sint tibi simplicia, non superstitiosa ieiunia. Quid enim prodest oleo non vesci, & molestias quasdam, difficultatesque ciborum quærere? Caricas, piper, nuces, &c. ac denique totas hortorum culturas vexare? Nouum genus aucupij, famam abstinentiæ in delicijs quærimus. Idem in Epist. ad Nepotia.

Indorum Brachmani, & Ægyptiorum gymnosophistæ in polenta, & oriza, & pomis solummodò victitabant, vt animum transferrent ad sapientiam. Si ergo tanti illi vitrum cõparabant, cur non maiori nos pretiosissimum æstimemus margaritũ? Idem ad Lætam.

Cibus puellæ olusculum sit, & simila, raroque pisciculi. Sic comedat, vt semper esuriat, vt statim post cibum possit legere & orare. Displicent autem mihi in teneris maximè immoderata ieiunia. Experimento enim didici, asellum in via, cum lassus fuerit, diuerticula quærere. Idem ibidem. *Simil.*

Parcus cibus & venter semper esuriens, triduanis ieiunijs præfertur: & melius est quotidie parum, quàm semel satis sumere. Pluuia illa optima est, quæ sensim descendit in terram. Subitus & *Simil.*

nimius imber in præceps arua subuertit. Quādo ergo comedis, cōgita quòd tibi orandum, & ilico legendum sit. Idem ad Furiam.

Cùm per omnem annum Asella iugi ieiunio pasceretur, biduo triduoque sic permanens: tum verò in Quadragesima nauigij sui vela tendebat, omnes penè hebdomadas vultu lætante coniungens. Et quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autem possibile, ita ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt non doleret stomachus, non viscerum cruciaretur iniuria, non sicca humus in qua cubabat, iacentia membra conficeret, nó sacco asperata cutis fœtorem situmque contraheret: sed sana corpore, animo sanior, solitudinem putaret delicias, & in vrbe turbida eremum inueniret monachorum. In genibus duricies camellorũ præ orādi frequentia obcalluisse reperta est. Nec citus nec tardus incessus: sermo silens & silentiũ loquens. Idem de laudibus Asellę virginis nobilissimæ.

Siquid in me potest esse cõsilij, si experto creditur, spõsa Christi vinum fugiat pro veneno. Vinum & adolescentia duplex incẽdium voluptatis. Quid oleum flammæ adijcimus? quid ardẽti corpusculo fomenta ignium ministramus? Paulus Timotheo vinum permittit, sed modicum. Meminerat enim se dixisse, Vinũ in quo est luxuria. Et, Bonum est homini vinum non bibere, & carnem non manducare. Noe vinum bibit & inebriatus est. Et vt intelligas in omnibus scripturæ sacramentum (Margaritum quippe est sermo Dei, & ex omni parte perforari potest) post ebrietatem nudatio fœmorum consecuta est, libido iuncta luxuriæ. Prius enim venter extenditur, & sic cætera membra concitantur. Loth amicus Dei in mõte saluatus, & de tot millibus populi solus iustus inuentus, inebriatur à filiabus suis: quæ etiam deficiente hominum genere, nihil mali credebant virũ iustum nisi ebrium esse facturũ. Inde nascuntur Moabitæ & Amonitæ, qui vsque ad quartamdecimam generationem non ingrediuntur in Ecclesiam Dei. Heliæ fatigato & sedenti in itinere Dominus panem & aquam solùm, non carnes aut vinum obtulit. Abacuch Danieli prādium portat, sed vt arbitror, rusticanum: ideoque & desideriorum vir appellatus est: quia panem desideriorum non comedit, & vinum concupiscentiæ non bibit. Idem ad Eustho. de virg. seruand.

Exceptis diebus festiuis, vix oleũ in cibo Paula capiebat: vt ex

hoc vno æſtimetur, quid de vino, & ouis, & piſcibus, cæteriſque iudicaret. In quibus ſumendis quidam ſe abſtinentiſsimos putát: & ſi his ventrem ingurgitauerint, tutam pudicitiam ſuſpicantur. Idem in Epitaph. Paulæ.

Quid memorem clemẽtiam & ſedulitatem in ægrotátes, quos miris obſequijs & miniſterijs cõfouebat. Cumque alijs languentibus large præberet omnia, & eſum quoque exhiberet carnium, ſi quando ipſa ægrotaſſet, ſibi non indulgebat, & in eo inæqualis videbatur, quod in alijs clementiam, in ſe duritiam exercebat. Menſe Iulio feruentiſsimis æſtibus, incidit in ardorem febris: & poſt deſperationem cùm Dei miſericordia reſpiraſſet, & medici perſuaderẽt ob refectionem corporis, vino opus eſſe tenui & parco, ne aquam bibens in hydropiſim verteretur, & ego clàm rogarem beatum Papam Epiphanium, vt eam moneret, imò compelleret vinum bibere, illa, vt erat prudens & ſolertis ingenij, ſtatim ſenſit inſidias, & ſubridens, meũ eſſe quod ille diceret, intimauit. Quid plura? Cum beatus Põtifex poſt multa hortamenta exijſſet foras, quærenti mihi quid egiſſet, reſpondit. Tantum profeci, vt ſeni homini pene perſuaſerit, ne vinum bibam. Hæc refero, non quòd probem (dicente Scriptura, Supra te onus ne leuaueris) ſed quò mentis eius ardorem ſignificem. Idem ibidem.

Galenus, vel doctiſsimus Galeni interpres ait, eos, quorum vita, & ars ſagina eſt, nec viuere poſſe diu, nec ſanos eſſe: animaſque ita nimio ſanguine & adipibus quaſi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cœleſte, ſed ſemper de carnalibus eructare, & ventris ingluuiem cogitare. Hiero. in epiſt.

Non ſanat oculum quod calcaneo adhibetur: ieiunio paſsiones corporis, oratione peſtes ſanandæ ſunt mentis. Idem ſuper Marcum. *Simil.*

Obſeruandus eſt ſumendi cibi modus & tempus, quantitas & qualitas: fugienda quoque ſunt ſuperflua & adulterina condimenta. Obſeruandus eſt modus, vt non effundat qui comedit animam ſuam ſuper omnem cibũ. Tempus, ne ante horam. Qualitas, quibus vtitur communitas fraternitatis, excepta cauſa manifeſtæ infirmitatis. Ber. in epiſt. *Bernar.*

Si gula ſola peccauit, ſola quoq; ieiunet, & ſufficit: ſi verò peccauerunt & cætera membra, quare non ieiunent & ipſa? Ieiunet

ergo oculus, qui deprædatus est animam: ieiunet auris, ieiunet lingua, ieiunet manus, ieiunet etiam anima ipsa à propria scilicet voluntate. Idem in sermo.

Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio discretionem confundit: talis misericordia crudelitate plena est, qua etiam ita corpori seruitur, vt anima iuguletur. Quæ etenim charitas est, carnem diligere, & negligere spiritum? quæ discretio totum dare corpori, & animæ nihil? qualis misericordia, ancillam reficere, & Dominam interficere? Nemo pro huiusmodi misericordia speret se consequi misericordiam. Idem in Apolog.

Durius tractandũ quidem est corpus, ne rebellet, ne insolescat: sic tamen, vt seruire sufficiat, quia ad seruiendum spiritui datum est. Neque sic habendum est, tanquam propter illud viuamus, sed tanquam sine quo viuere non posimus. Idem in Epist.

Surge, præcingere, tolle otium, exere vires, moue brachia, cõplosas explica manus, exercitare in aliquo: & statim senties, sola te appetere quæ famẽ tollant, non fauces demulceant. Reddet enim sapores cibis exercitiũ, quos tulit inertia. Multa quæ respuis otiosus, post laborem sumes vel desiderio. Idem ibidem.

Abstinebo à vino, quia in vino luxuria est: aut si infirmus sum, modico vtar, iuxta consilium Apostoli. Abstinebo & à carnibus, ne dum mihi nimis carnem nutriunt, simul & carnis nutriant vitia. Panem etiam ipsum cum mẽsura studebo sumere, ne onorato ventre, stare ad orandum tædeat. Idem super Cant.

Oratio virtutem impetrat ieiunandi, & ieiunium gratiam promeretur orandi. Ieiunium orationem roborat, oratio ieiuniũ sanctificat, & Deo repræsentat. Idem in serm.

Quid nobis ieiunium proderit, si relinquatur in terra? Subleuetur penna quadam orationis. Idem ibidem.

Isidor. Ieiunia cum operibus bonis Deo acceptabilia sunt. Qui à cibis abstinent, & praua agunt, Dæmones imitantur, quibus esca non est, & nequitia semper adest. Isidor. de sum. bo.

Hoc est perfectum & rationabile ieiunium, quando noster homo exterior ieiunat, interior orat: facilius enim per ieiunium oratio penetrat cœlum. Idem ibidem.

Spernitur ieiunium, quod in vesperum repletione ciborum reficitur. Spernitur ieiunium, quod in vesperum delicijs cõpẽsatur.

Tota

Tota enim die epulas in cogitatione ruminat, qui ad replendam gulam vespere cibi delicias præparat. Idem.

Corporis debilitas nimia vires animæ frangit, mentisque ieiunium facit arescere, nec valet quicquam boni per imbecillitatem perficere. Idem.

Ligna multa magnam extollunt flammam, abundantiæ autem escarum nutriunt desideria mala. *Ex Vi. Pa.*

Erit magnus coram Domino, vinum & siceram non bibet. Abstinentiæ merita, & iter arduum militiæ spiritualis humano generi insinuare curauit. Sciuit quòd non sufficeret eligentis gratia, nisi inuigilaret collaborantis industria: sanctificatus est, & nondum tamen de sola Dei electione securus, sed nihilominus agonibus ieiuniorum, & laboribus abstinentiæ atque iustitiæ, diuina in se vota seruare contendit. Eus. Emiss. hom. de sancto Ioãne Baptista. *Euseb. Emisse.*

Condimentorum sensus ad palatum terminatur, deinceps verò indifferens est quod ingeritur: omnia ex æquo ad fœtorẽ vsq; alterante natura perueniunt. Chrysost. *Chrysost.*

Est quidem ieiunium vitiorum mors, vita virtutum. Est ieiunium pax corporis, membrorum decus, & ornamentum vitæ. Est ieiunium robur mentium, vigor animarum. Est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculũ, ciuitas sanctitatis. Est ieiunium schola meritorum, Ecclesiasticæ viæ viaticum salutare. Est ieiunium inuictus Christianæ militiæ principatus. Sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincet, tunc triumphat, cùm duce misericordia pugnat. Misericordia & pietas ieiunij sunt alæ: per quas tollitur & portatur ad cœlum: sine quibus iacet & volutatur in terra. Ieiunium sine misericordia simulacrum famis est, non imago sanctitatis. Sine pietate ieiunium occasio est auaritiæ, non est propositum parcitatis: quia parcitas ista quantum siccatur in corpore, tantum tumescit in sacculo. Qui non ieiunat pauperi, Deo fingit: qui ieiunans prandium suum non erogat, sed reponit, cupiditati probatur ieiunare, non Christo. Ieiunantes ergo fratres, prandium nostrum ponamus in manu pauperis, quod venter nobis fuerat perditurus. Petr. Chrysol. in ser. de ieiunio & eleemosyna. *Pet. Rau.*

Solent Dijs templa construi, altaria erigi, ministri ad seruien- *Hugo.*

dum

dum ordinari, immolari pecudes, thura concremari. Deo siquidem ventri templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolatæ pecudes, coctæ carnes: fumus incensorum, odor saporum. Hugo in claust.

Innoc. Initium vitæ hominis, aqua & panis: gulosis autem non sufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non pisces maris, non bestiæ terræ, non aues cœli: sed quæruntur pigmenta, parantur aromata, & nutriuntur altilia, capiuntur obesa. Quæ studiosè coquuntur arte coquorum, quæ lautè parantur officio ministrorum: alius contundit & colat, alius confundit & conficit: substantiam conuertit in accidens, naturam mutat in artem, vt saturitas in esuriem. Innocen. de vilit. conditionis huma.

Ioã. Caß. Pulchrè abbas Macharius cuidam percunctanti, cur fame ab hora tertia pulsaretur, qui in cœnobio hebdomadis integris refectionem sæpe contemnens, non sensisset esuriem: respondit. Quia hic nullus est ieiunij tui testis, qui te suis laudibus nutriat, aut sustentet. Ibi autem digitus hominum, & xenodochiæ refectio saginabat. In Colla. Serapio.

Ioã. Cli. Sæpe si obseruemus, ridiculum quid Dæmones cõtra nos moliri inueniemus: saturatos enim nos pungunt (id est instigant ad lachrymas) ieiunantes autem indurant, vt spurijs lachrymis decepti, voluptati perturbationum parenti nos dedamus: quibus non obediendum, sed contrarium potius faciendum est. Clim.

Maledicta in seculo atque iniuriæ multa sæpe dissidia fecerũt: ita & in religiosis congregationibus gulæ illecebra ruinam omnem, & negligentiam, atque contemptum operantur. Hanc tu rabidam Dominam si subigere volueris, omni in loco placidissimã quietem acquirere valebis. Illa verò si tibi dominetur, extra monumentum omni in loco periclitaberis. Idem.

Mens ieiunantis cum sobrietate orat: intemperantis autem impletur immundis imaginibus. Qui ventri dum obsequitur, fornicationis spiritum vincere vult, is ei similis est, qui oleo incẽdiũ extinguere nititur. Si affligatur venter, humiliabitur cor: si autem ille foueatur, superbit cogitatio. Afflige ventrem, & omnino frænabitur lingua: quippe multitudine escarum hæc neruos accipit. Idem ibidem.

Cùm ad mensam epulis instructam discumbis, procedat in medium iudicij mortisque memoria. Vix enim vel parum concupiscentię obsistes. Dum calicem bibis, memento item aceti fellisque Domini tui: prorsusque aut continebis, aut certe per gemitũ sensu humiliore eris. Noli errare. Nunquam à Pharaone liberaberis, neque supernum Pascha celebrabis, nisi amaritudines comederis. Amaritudines sunt ieiunij violentia & afflictio. Azima verò, sensus minime inflatus. Idem ibid.

Ieiunium est naturæ violentia, circuncisio suauitatis faucium, incentiuorum omnium abscisio, malarum cogitationum amputatio, insomniorum liberatio, orationis munditia, insigne lumen animæ, mentis custodia, obcæcationis solutio, compunctionis ianua, suspirium humile, læta contritio, loquacitatis abdicatio, quietis occasio, obedientiæ custos, somni alleuiatio, sanitas corporis, tranquillitatis author, peccatorum remissio, paradysi porta & delitiæ. Idem ibidem.

Cùm venissem aliquando in castellum quoddam siue ciuitatẽ, sederemque ad mensam iuuenis adhuc, duobus simul vitijs oppugnari me sensi: gulæ concupiscentia, atque inani gloria. Metuens tamen insanissimæ gulæ progeniem, inani gloriæ magis me superandum dedi. Idem Grad. 26.

Apud eos quidem qui in mundo sunt, radix malorum omniũ est auaritia: apud monachos verò gulæ concupiscentia. Idem ibidem.

Sicut stercoris copia multitudinem vermium gignit, ita multitudo ciborum, lapsuum & malarum cogitationum atque somniorum operatur multitudinem. Idem de compendios. supra dict. om. recapit. *Simil.*

Sicuti is qui aduersum leonem pugnat, si ab eo oculum aliorsum deflectat, confestim perit: ita & qui cõtra carnem suam pugnat, si hanc per quietem nimium fouerit. Idem ibidem. *Simil.*

Mensa neglecta mater est confidentiæ, & per fenestram charitatis ventris sæpe ingluuies ingreditur. Clim. Grad. 9.

Gastrimargia est simulatio ventris: cùm enim satiatus fuerit, indigere se clamat, & cùm distentus atque disruptus, vociferatur esuriem. Gastrimargia est saporum variorumque liquaminũ opifex, suauitatum fons. Gastrimargia est oculorũ seductio, modica

suscipiens,

ſuſcipiens,& vniuerſa ſimul abſorbere ſuggerens. Eſcarũ ſatietas fornicationis eſt mater,afflictio autem ventris charitatem parit.

Dißimil. Qui leonē blanda demulcet manu,nonnunquam illum ita mãſue facit:qui verò corpus obſequijs fouet , ipſum amplius efferauit. Mox vt aduenit hoſpes,in charitate totus ex gulæ concupiſcentia mouetur,detrimentumque ſuũ conſolationem fratris exiſtimat: in aduentu quorundã vinum bibere ſtatuit,& dum virtutem abſtinentiæ ſibi videtur occulere vitij ſeruus efficitur. Aduerſus Gaſtrimargiã ſępe inanis gloria inimicitias gerit,& ſuper infelici monacho quaſi venali mancipio,inuicem pugnant. Idem Grad. 14.

Simil. Laxi & molliti vtres capaciores fiunt: ſin autem negligantur, minus capient. Qui ventrem ingurgitat, dilatauit inteſtina: qui verò aduerſus hunc pugnat,contraxit ac reſtrinxit illa. His autem reſtrictis,nihil eſt opus pluribus cibis,tuncque iam naturaliter ieiunantes efficimur. Idem ibidem.

Neque illud te lateat,quod plerumque Dæmon ſtomacho inſidet noſtro,facitque vt homo nunquam ſatietur,etiam ſi vniuerſam comederit Ægyptum,totumque Nilum biberit. Poſt cibum, gulæ iniquus ſpiritus abſcedit,fornicationiſque nobis ſpiritũ immittit,illique quid fecerit,nuntians: Apprehende (inquit) illum, occupa,atque perturba. Nam ventre diſtento,nõ multum in deijciendo laborabis: qui cùm venerit continuò ſubridet,ſomnoque deuinctis noſtris manibus & pedibus, omnia quæcunque voluerit facit: atque animam noſtram corpuſque contaminat phãtaſijs, inquinationibus,obſcœnique liquoris egeſtionibus. Et eſt ſanè mirandum ſpectaculum,videre incorpoream mentem fœda corporis colluuione maculari atque obſcurari: eandemque rurſus per carnis huius lutum emundari , atque in tenuiſsimam naturæ ſuæ redire ſubſtantiam. Idem ibidem.

Princeps eſt Dæmonum qui cecidit Lucifer,& princeps vitiorum concupiſcentiæ gulæ. Cùm ad menſam epulis inſtructam diſcumbis,procedat in medium iudicij mortiſque memoria. Vix enim vel parum concupiſcentiæ obſiſtes. Dum calicem bibis,memento item aceti,felliſque Domini tui,prorſuſque aut cõtinebis, aut certè per gemitum ſenſu humiliore eris. Noli errare. Nũquam à Pharaone liberaberis,neque ſupernum Paſcha celebrabis, niſi amaritudines comederis. Amaritudines ſunt, ieiunij violentia &

afflictio

afflictio, azima verò sensus minimè inflatus. Idem ibidem.

Interrogemus vt alios, ita & hunc, imo verò præ alijs omnibus hunc nostrorum hostium præceptorem, vitiorum ianuam, ruinā Adam, Esau perniciem, interitum Israelitarum, Noe turpitudinē, Gomorrhæorum proditorem, Loth crimen, filiorum Heli exterminationem, inquinationum ducem, vnde gignatur? quinam sint eius nati? quis item sit, à quo conteratur, & à quo in finem perimatur? Dic nobis ô mortalium omnium nimium violenta Domina (quæ omnes auro inexplebilitatis emisti) vnde tibi introitum in nobis paras? quidvè post ingressum tuum parare consueuisti? & quis nam sit exitus ex nobis tuus? quo nam scilicet modo abs te liberamur? Illa verò agitata contumelijs, nobis ita tyrannicè cruenta, feroxque respondebit. Quid me maledictis incessitis, qui mihi estis obnoxij, aut quomodo separari à me studetis, quæ naturæ connexa sum? Stirpium verò mearum nomina quomodo quæritis addiscere? Dinumerabo eas, & super arenā multiplicabuntur. Primogenitorum tamen meorum, eorum qui charissimi sunt, appellationes audite. Filius primogenitus meus fornicationis incentor est. Secundus ab illo est obdurationis autor. Somnus est tertius. Mare cogitationum, inquinationum fluctus, profundumque secretarum atque ignotarum immunditiarū ex me prodeunt. Filiæ verò meæ sunt desidia, loquacitas, confidētia, scurrilitas risum mouens, contradictio, ceruicis duritia, tarditas ad audiendum, insensibilitas, captiuitas, elatio atque tumor, temeritas, mundi amor. Cui succedunt oratio immunda, fluctusque cogitationum: nonnūquam verò calamitates quoque præter omnem spem & expectationem, quas desperatio sequitur, omnibus acerbior & grauior. Oppugnat quidem me, sed non superat, peccatorum memoria: inimicitias per omnia contra me gerit mortis intenta cogitatio. Nihil verò in hominibus est, quod me perfectè destruat. Qui paracletum possidet, interpellet eum aduersum me, illeque exoratus, non me permittet operari vitiosè. Qui verò nullum illius gustum susceperunt, dulcedinis ac suauitatis meæ rapiuntur illecebris. Idem ibidem.

Continentiæ proprium est sanitas & robur: incontinentiæ autem imbecillitas & ægritudo morti vicina. *Philo.*

In conuiuijs memento duos tibi hospites esse nutriendos, cor- *Epictet.*

pus,

pus, inquam, & animā: & quidquid in corpus contuleris, id statim effundi: quod autem in animam, perpetuò seruari.

Anach. Anacharsis dixit. Primum quidem poculum quod infunditur, sanitatis est, alterū voluptatis, tertium iniuriæ, vltimum insaniæ.

Sueto. Nemo minus metuendus, quam qui de solo victu cogitat.

Cicero. Vt bona valetudo iucundior est ijs, qui è graui morbo recreati sunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt: sic omnia deside rata magis quàm assiduè percepta delectant. Cicero post reditum ad Quirites.

COLLE. ¶ Quia nonnulli verba illa Apostoli allegātes (exerce teipsum ad

1. Tim. 4. pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est) abstinentiæ virtutem non ita magni faciunt, ij audiant quanti eam D. Hieronymus facit, qui in Epistola ad Eustochium de ea sic scribit. Referam tibi meæ infœlicitatis historiam. Cum ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis, & quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi propter cœlorum me regna castrassem: Hierosolymam Deo militaturus perueni &c. His verbis D. Hierony. longe difficilius esse ait, carnem inedia macerare, quàm rebus ijs quas ipse commemorat, renuntiasse. Et quidem

Hebr. 11. hoc nomine cōmendatur ab Apostolo Abrahā Patriarcha, quod ad imperiū Domini egressus fuerit è terra sua, & cognatione sua,

Matt. 20. & domo patris sui. Et Dominus in Euangelio, Omnis ait, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Cum ergo D. Hierony. difficilius esse dicat cultioribus cibis carere, quàm his omnibus renuntiare, non potest non magni pretij esse quod hac renunciatione vel maius, vel certe difficilius esse dicitur: præsertim cum difficultas operis meritum cumulat virtutis. Illud enim semel in vita fit, hoc autem per omnem vitam faciendum est, quotidieque in mensa hoc carnis nostræ sacrificio (reclamante etiam natura) Domino litandum est.

Extractus à Tobia ex flumine piscis in siccum, cœpit palpitare: qui in fluminis alueo positus, ipsum penè deuoraturus fuisset. Idē autem euenit carni nostræ, cum vel delicijs fruitur, vel macie & inedia attenuatur: illic enim furit & impugnat spiritum, hic verò victa atque prostrata iacet.

In omni-

In omnibus penè rebus quę animum oblectant, quãdiu res ipsę perseuerant, perseuerat item & oblectationis causa. Plantasti pomarium, ædificasti domum, parasti splendidam vestem: hæc ipsa delectant, non modò cùm fiunt, sed etiam vbi facta sunt. At tactus & gustus delectationes tamdiu perseuerant, quamdiu obiectum hoc supra sensum manet: quo discedente, protinus abeunt. Talis autem est edendi bibendique voluptas, cæteræque similes: vt rectissimè sentire videantur, qui huiusmodi voluptates somniãtium voluptatibus similes esse dicant: aut ijs etiam, quas in scena homines percipiunt, vbi Regis aut Pontificis personam gerũt, quibus nihil breuius esse potest. Quæ ergo insania est, propter adeò breues & momentaneas voluptates, & animam inquinare, & patrimonium prodigere, & famam obscurare, & ipsam corporis firmitatem frangere & eneruare?

Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunque in his delectatur, non erit sapiens. Item, Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur. Quo in loco studium magis & animus, quàm res ipsa notatur, cùm dicitur. Qui diligit epulas. Et, Qui amat vinum & pinguia. Et, Quicunque his delectatur. Itaque in his delectari, hæc immodicè diligere, est à virtutis & sapientiæ studijs cura carnis auocari. *Prou.* 20.

Quàm sit ingrata Deo ingluuies, latè declaratur Numer. 11. vbi populus carnium desiderio flagrans, bis à Domino percussus est. Cùm enim cœperunt propter hoc aduersus Dominum murmurare, ignis ab eo egressus, deuorauit extremam partem castrorũ. Postea verò vbi se inexplebili auiditate carnibus ab ipso etiã Deo immissis, ingurgitare cœperunt, rursus furor Domini concitatus, percussit eum plaga magna nimis. Ex quo loco discimus, cupiditatis immoderantiam erga illa etiam quæ concessa sunt, multorũ sæpe malorum causam esse. Hæc enim cupiditas populum adegit, vt aduersus Deum rebellaret, & beneficium liberationis ab Ægypto, & quotidiani victus à cœlo demissi paruipenderet, & honestum itineris laborem muliebri infirmitate detrectaret. Ex quo discimus id quod Aug. ait, sæpe Dominum iratum petentibus cõcedere, quod propitius negauisset. Carnes enim desiderantibus concessit: sed adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, &c. Quia verò horum malorum omniũ cõcu-

piscentiæ illa origo fuit, ideo congruum loco nomen impositum est, Sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum qui desiderauerat.

Dæmon dormire dicitur in locis humentibus, hoc est, in eorū mentibus qui se se voluptatibus & ventris obsequio dediderunt. Quid enim spirituale aut diuinum cogitare poterunt, qui toto pectore in terram defixi, ventrem suum sibi Deum statuerunt, cui omnia vitæ studia destinarunt?

Sobrietatem atq; modestiam in mensa retinendam monet Eccli. 37. his verbis: Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquat ad choleram. Propter crapulā multi obierunt: qui autem abstinens est, adijciet ad vitam. Eadem de re multi in versiculis eiusdem Eccli. 31. vbi ait: Vtere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur, ne non cum manducas multum, odio habearis. Cessa prior causa disciplinæ, &c. Denique ait, Vigilia, & cholera, & tortura viro infrunito: somnus sanitatis in homine parco, & cætera quæ sequuntur. His omnibus sobrietatis Ecclesiasticus nobis & parsimoniam commendat, & modum in cibo potuq; sumendo præscribit.

A cæterorum vitiorum congressu induciæ nobis sæpe dantur. Nam & auaritiæ & luxuriæ æstus sæpe conquiescunt, sed cum ventris auiditate quotidie nobis pugnandum est, cùm parcè ac temperanter nobis quotidie cibus sumendus sit. Vt enim Cassianus ait, semper nobis edulij & escarum ingenitus ac naturalis viget affectus, quamuis amputare superfluos eius appetitus ac desideria festinemus iuxta illud: Et carnis curam ne feceritis in desiderijs. Hoc enim quidam ex patribus sub hoc problematis colore figurans, eleganter expressit. Multis, inquit, creditoribus pater meus me reliquit obnoxium, cæteris ad integrum soluens, ab omni conuentionis eorum molestia liberatus sum; vni satisfacere quotidie soluendo, non possum.

Siquis sanctorum Anachoritarum & monachorum vitas, quas Theodoretus, Palladius, D. Hieronymus, & Cassianus, cæterique patres scripserunt, attentè consideret, nō poterit satis mirari, cùm tam incredibilem in illis carnis macerationem animaduerterit. Non solùm enim inedia, sed ferreis etiam pōderibus, & cathenis,

& asperrimo

& asperrimo vitæ cultu corpus atterebant. Id autem omnibus qui pie viuere voluerunt familiare atque perpetuum fuit. De sancta illa vidua Iudith, legimus quod cilicio ad carnem vteretur, & ieiunaret omnibus diebus vitæ suæ præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel. De filijs quoque Prophetarum, Sic D. Hierony. Filij inquit Prophetarum (quos monachos in veteri testamento legimus) ædificant sibi casulas iuxta fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, in polenta & herbis agrestibus victitabant. De sanctis illis vero qui in Ægypto morabantur sic idem Hierony. ad Eustochium, De cibo, inquit, & potu taceo: cum etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid comedere luxuriæ sit. Quid hic Anam viduam commemorem, quæ octaginta quatuor annos nata, ieiunijs & orationibus seruiebat die ac nocte? Quid illum qui adhuc in visceribus matris Spiritu sancto repleri meruit referam? An non is & in vestitu, & cultu corporis, & in victus parsimonia sic innocentem illam carnem attenuabat, vt hoc nomine à populo notaretur, quod neque manducaret, neque biberet. Denique vt ad quotidiana exempla veniam, videmus eos qui melioris vitæ propositum arripiunt, & à Domino in benedictionibus dulcedinis præueniuntur, vbi primum cœperunt gustare quam suauis sit Dominus & amoris eius æstu inflammati, confestim se carnis suæ macerationi accingunt, eamque non modo ieiunijs, & vigilijs, sed etiam cilicijs & verberibus, & lecti duritia, cæterisque similibus affligunt, idque tanta auiditate, & ardore, vt vix ab hoc studio reuocari possint. Cum hæc igitur ita sint, erit sanè operæpretium huius rei causas indagare; quòd earum cognitio nos ad huius virtutis studium acrius incitabit.

Principio igitur totum hoc negotium ad charitatis vim & naturam reuocandum est. Ex ea vero duo imprimis affectus oriuntur, alter quidé inseruiendi & obsequendi ei, qué maxime diligit, alter detestandi odioque habendi quicquid ille odit & auersatur: vterque enim hic affectus ex eadem charitatis radice proficiscitur. Quia verò inter omnia obsequia quæ Deo exhibere possumus, principé locú variorum laború atque dolorú patiétia tenet: si non alia subsit occasio patiendi, aduersus corruptæ carnis suæ se macerationem armát, vt hac saltem ratione aliquid ob eius gratiá,

quem maximè diligunt patiantur, dũ corpora sua illi velut hostiã sanctam, viuentem, ac Deo placentem offerant.

Ex altero vero affectu (quo quicquid Deus odio habet, detestamur) carnis quoq; nostræ vitio cõmunis peccati infectæ, sanctũ odium nascitur: quod in Euangelio cœlestis magister commendat. Quia enim huiusmodi caro peccatorum ferè omnium origo & seminarium est, quo odio piorum animus aduersus peccatum incitatur, eodem penè aduersus peccati radicem, hoc est carnem suam extimulatur. Sic enim medici vt morbum expellant, morbi causas, hoc est noxios humores excindere nituntur. Tunc vero caro nos ad peccata sollicitat, cum ad ea quæ sibi grata sunt, hoc est ad blanda, & mollia, & voluptuosa tanta auiditate & ardore concupiscit, vt diuinas leges propter hæc ipsa bona fruenda violare nos faciat. Hac ergo ratione innumerabilium pene malorum causa existit. Quocirca viri sancti hoc ipsum probè intelligentes, non hoc solum curabant, ne his eius desiderijs satisfacerent, sed vlterius etiam progreßi, ipsam multis modis affligere & macerare nitebantur: vt sic tandem multo longius ab eius indulgentia & obsequio abessent. Vt enim hi qui cum hoste luctantur, non satis habent, si ita se in certamine gerant, ne ab eo in terram deijciãtur: sed in hoc etiam nituntur, vt ipsum deijciant atque prosternant, quo longius à periculo absint: ita hi cum carne sua, hoc est cum domestico & familiari hoste decertantes, non contenti eo vsque in eius maceratione processiße, vt ab illa minime prosternerẽtur: sed in hoc etiam neruos omnes intendebant, vt illam admirabili austeritate macerarent, quo ab eius supplãtatione tutiores essent. Simile quiddam Philosophum quendam D. Hierony. multique alij authores fecisse memorant: qui cum intelligeret, pecuniam quæ illi hæreditate obuenerat, curarum atque malorum sibi materiam subministrare, ingentem auri massam in mare proiecit, dicens, Abite in profundum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. Ad hunc ergo modum sancti illi patres cum corpore suo se geßisse videntur &c. Isti igitur duo charitatis affectus hostili, sed pio tamen animo aduersus ribellem carnẽ coniurasse videntur, vt eam in seruitutem spiritus redigant.

Est & alius charitatis affectus qui similiter aduersus carnẽ militat, nempe de commißis aduersus Dominum peccatis corporis,

quod

quod eorum causa extitit cruciatibus velle satisfacere. Quod quidem tanto vehementius cupiebant, quanto Deum ardentius diligebant. Hinc tot rationes excogitatæ, quibus corpus non solum inedia, sed etiam catenis, & ferreis ponderibus, & solis æstu, atque hyemis rigore cruciarent: semetipsos acriter in hoc seculo iudicantes, ne in altero à Domino iudicarentur. Hoc autem affectu atque consilio quidam ex sanctis illis Anachoritis varijs laboribus atque ieiunijs carnem suam macerabat. A quo cum quidam quæsisset, cur adeo acriter corpus suum penè occideret, iuste (inquit sanctus vir) hoc facio: quia illud me prius occidit.

His aliam adde causam, quod videlicet quicunque se totos Deo velut in holocaustum viuum obtulerunt, & diuinarum rerum studio addixerunt, non solum à peccatis omnibus abstinere, sed omnibus etiam curis & negotijs secularibus renuntiare student. Curarum enim & negotiorum multitudo mentem distrahit, & in supera conantem ad terram deprimit, & à diuinæ pulchritudinis intuitu auocant. Quocirca Dei amantes huiusmodi curarum & negotiorum occasiones amputare student, dum paucissimis rebus eisdemque obuijs contenti cætera omnia tanquam instituto & proposito suo aduersa repudiant.

Quo etiam fit, vt auaritiam malorum omnium radicem hac ratione excindant. Cum enim (vt Salomon ait) omnis labor hominis in os eius, qui huic ori abstinentiæ frenos inijcit, non habet cur immoderato diuitias amore prosequatur, quæ propter corporis cultum & indulgentiam à seculi hominibus conquiruntur. Scitum est illud quod Cinicus quidam Philosophus Aristippo responderit. Cum enim Cinico oleri ad cibum lauanti Aristippus dixisset, Si Dionysio adulari velles, ista non ederes, ille contra respondit, Imò si ita edere velles, Dionysio adulari nolles. Quo exemplo liquet, eos qui modicis contenti sint, non habere vel cur potentibus adulari, vel diuitijs congerendis inhiare velint.

Ebrietas, Sobrietas.

Auguſt. EBrietas eſt flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſsio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela. Aug. ad ſacras Virgines.

Vinum potatum moderatè eſt medicamentum: plus iuſto ſumptum, venenum eſſe cognoſcitur. Iucunditati non ebrietati creata eſt vini materia. Idem ibidem.

Ebrietas eſt blandus Dæmon, dulce venenum, ſuaue peccatũ: quam qui habet, ſeipſum non habet: quam qui facit, peccatũ non facit, ſed ipſe totus eſt peccatum. Idem in quodam ſerm.

Ebrietas longe eſt à me, miſereberis ne appropinquet mihi: crapula autem nonnunquam ſurrepit ſeruo tuo, miſereberis vt longè fiat à me: nemo enim poteſt eſſe continens, niſi tu des. Et quis eſt Domine, qui non aliquando rapiatur aliquantulum extra metas neceſsitatis? Quiſquis ille eſt, magnus profecto eſt: magnificet nomen tuum: ego autem non ſum, quia homo peccator ſum. Idem lib. 10. Confeſsio.

Hierony. Non Æthnei ignes, non vulcanea tellus, non Veſeus & Olympus tantis ardoribus æſtuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ. Hiero. ad Furiam.

Origen. Filiæ Loth arte, hoc eſt, ebrietate furatæ ſunt concubitum patris. Audite (ait Origenes) ebrietas quid agat; audite quãtũ facinoris conciliet temulẽtia. Ebrietas decipit quẽ Sodoma nõ decepit: vritur ille flammis mulierum, quẽ ſulphurea flamma non vſsit.

Vale. Ma. Vini vſus Romanis fœminis ignotus fuit: ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus à Libero patre intemperãtiæ gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſueuit. Valer. Maxi. de memor. dict. & fact. Roma. lib. 3.

COLLE. ¶ Quantum virtuti, famæ, rebuſque omnibus, ebrietas & intemperantia noceat, declarãt illa Salomonis verba: Noli eſſe in cõuiuijs
Prou. 23. potatorum & eorum qui carnes ad veſcendum conferũt: quia vacantes poculis, & dantes ſymbola, cõſumẽtur, & veſtietur pannis

dormi-

dormitatio. Et infrà: Cui væ? Cuius patri væ? cui rixæ? cui fouea? cui sine causa vulnera? cui suffosio oculorum? Nonne his qui cõmorantur in vino, & student calicibus epotandis?

De ebrietate quædam inuenies Eccl. 31. Vinum (ait) in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio &c. quæ sequuntur. Hinc colliges omnia bona à bono conditore condita esse, quę tamen ab humana malitia deprauantur.

Castitas.

Nihil sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quàm vt vnusquisque hoc quod viuum diligit, mortuum penset. Greg. in mor. *Gregor.*

Nulla est castitas carnis, quam non commendat suauitas mentis. Greg. vbi suprà.

Legitur quòd B. Aug. nec cũ sorore habitare cõsenserit, dicẽs: Quæ cũ sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Docti ergo viri cautela, magna debet esse nobis instructio. Nã incautæ præsumptionis est, qđ fortis pauet, minus validũ nõ timere. Gre. in Regi.

Ex quo luxuria semel mentẽ alicuius occupauerit, vix eũ bona cogitare permittit. Sũt enim desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione cõsensus, ex cõsensu operatio, ex operatione cõsuetudo, ex cõsuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defẽsione gloriatio, ex gloriatione dãnatio. Gre. in mo.

Nihil valet apud Deum, aut superba castitas, aut humilitas inquinata. Greg. mor. 21. c. 2.

Ipsum Ambrosium fœlicem quendam hominem secundũ seculum opinabar (ait August.) quẽ sic tantæ potestates honorarẽt: cœlibatus tãtũ eius mihi laboriosus videbatur. Quid autẽ ille spei gereret, & aduersus ipsius excellentiæ tentamẽta quid luctaminis haberet, quidve solaminis in aduersis, & occultum os eius, quod erat in corde eius, quã sapida gaudia de pane tuo ruminaret, nec conijcere noueram, nec expertus eram. Aug. Confess. lib. 6. *August.*

Amãs beatã vitã, timebã illã in sede sua, & ab ea fugiẽs, quærebã eam. Putabam enim me miserũ fore nimis, si fœminæ priuarer amplexibus; & medicinã misericordiæ tuę ad infirmitatem meam

ſanandam, nõ cogitabam, quia expertus non eram: & propriarum virium credebam eſſe continentiã, quarũ mihi non eram cõſcius, cum tam ſtultus eſſem, vt neſcirem, ſicut ſcriptum eſt: Neminem eſſe continentem, niſi tu dederis. Aug. Confeſſ. lib. 6.

At ego adoleſcens miſer valde, miſer in exordio ipſius adoleſcentiæ etiam petieram à te caſtitatem, & dixeram: Da mihi caſtitatem, & continentiam: ſed noli modo. Timebam enim ne me cito exaudires, & cito ſanares à morbo concupiſcentiæ, quem malebam expleri, quam extingui. Aug. Confeſſ. lib. 8.

Aperiebatur enim ab ea parte, qua intenderam faciem, & quo tranſire trepidabam caſta dignitas continentiæ, ſeuerè & nõ diſſolutè hilaris, honeſtè blãdiens, vt venirẽ, neq; dubitarẽ, & extẽdẽs ad me ſuſcipiendũ, & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorũ. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuẽtus multa & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines, anus, & in omnibus ipſa cõtinẽtia nequaquã ſterilis, ſed fœcunda mater filiorum (hoc eſt) gaudiorũ de marito te Dñe. Et irridebat me irriſione exhortatoria, quaſi diceret: Tu non poteris, quod iſti & iſtæ? An iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te ſtas, & non ſtas? Proijce te in eum, noli metuere: nõ ſe ſubtrahet vt cadas. Proijce te ſecurus, excipiet te, & ſanabit te. Auguſt. vbi ſuprà.

Quãtum vxorem velis pingere, & accumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum, quam concubitum eſſe decreui. Nihil enim ſentio quod magis ex arce virtutis deijciat animam virilem, quam blandimenta fœminea, corporumque ille contactus, ſine quo vxor haberi non poteſt. Idem in Soliloq.

Audeo dicere, ſuperbis continentibus expedit cadere, vt in eo ipſo in quo ſe extollunt, humilientur. Quid enim prodeſt, cui eſt continentia, ſi dominetur ſuperbia? Idem ſup. Matth.

Inter omnia certamina Chriſtianorum, duriora ſunt prælia caſtitatis: nã ibi continua pugna, & rarior victoria. Idem in ſerm.

Quanti & quales epiſcopi & clerici poſt cõfeſsionum & victoriarum calcata certamina, poſt magnalia & ſigna mirabilia vſquequaque monſtrata, noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe, cum volunt in naui fragili nauigare? Quantos leones domuit vna infirmitas delicata, ideſt luxuria, quę cum ſit vilis & miſera, de magnis

efficit

efficit prædam? Idem de singul. cler.

De ferro rubigo nutritur: morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam: in risum aliquando dissoluitur: nunc blanditias exhibet: & quod est venenosius super cũcta, psallere delectãtur aut cantare: cuius cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. Idem ibidem.

Grauẽ inimicũ sortita est castitas: cui non solũ resistendũ, sed dimisso freno longius fugiendum: nec eò minus fœminæ fugiendæ sunt, quia religiosæ videntur: quia quanto religiosiores, tanto citius alliciũt: & sub prætextu pietatis latet viscus libidinis: experto crede: expertus loquor: corã Deo nõ mẽtior: cedros lybani, duces gregũ sub hac peste cecidisse reperi: de quorũ casu non magis suspicabar quã Ambro. vel Hiero. impudica turpitudine. Idẽ ibid.

Tamdiu Diabolus sopitum ignem sine vllis flammis occultat, donec duas faculas iungens, simul ambas accendat: & tãdiu cessat sæuitiæ suæ tela supponere, donec sicut peritus venator quod occisurus est, laquei vinculis alliget. Idem ibidem.

Matrem tuam ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarũ vultus cordi tuo hæreant, & tacitum viuat sub pectore vulnus. Ancillulas quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidijs: & quantò vilior est earum conditio, tanto facilior est ruina. Hiero. ad Rust. monach. *Hierony.*

Omnes puellas & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige, nec in præterita castitate confidas. Neque enim sanctior Dauide, neque Salomone potes esse sapientior. Memento semper quòd paradysi colonum de possessione sua eiecit mulier. Solus cum sola absque arbitro & teste non sedeas, etiam si secretum aliquod intersit: & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & degustatos cibos, & blandas dulcesque litterulas sanctus amor non habet. Idem in epist. ad Nepotia.

Græcus adolescens erat in cœnobio, qui nulla contiñẽtia, nulla operis magnitudine flammam potuit carnis extinguere. Hũc periclitantem pater monasterij hac arte seruauit. Imperat cuidam viro graui vt iurgijs atque conuitijs insectaretur hominem: & post irrogatam iniuriam primus veniret ad querimoniam. Vocati testes, pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat. Flere ille cõtra

mendaciũ. Nullus alius credere veritati. Solus pater calidè opponere defensionẽ suá, ne abundatiori tristitia absorberetur frater. Quid multa? ita annus transactus est : quo expleto interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc aliquid molestiæ sustineret, Papè (inquit) viuere mihi non licet, & fornicari libeat? Hic si solus fuisset, quo adiutore superasset? Idem in Epist. ad Rust. monach.

Gens Theutonum ex vltimis Gallorũ Oceani atq; Germaniæ profecta littoribus, omnẽ Galliã inũdauit: sæpiusque cæsis Romanis exercitibus, ad vltimũ Mario pugnante, superata est. Hic trecẽtæ matronæ, cũ alijs se viris captiuitatis cõditione tradendas esse didicissent, primũ cõsulem deprecata sunt, vt in tẽplũ Cereris atq; Veneris in seruitiũ traderẽtur. Quod cũ nõ impetrassent, submouẽre eas lictore, paruulis cæsis liberis, manè mortuæ sunt repertæ, suffocatis laqueo faucibus, & mutuis cõplexibus se tenẽtes. Quod igitur Barbaræ castitati nõ potuit inferre captiuitas, hoc matrona nobilis faciet? & sortietur alterũ virũ, quæ priorẽ aut malum perdidit, aut bonum experta est? Idem ad Gerontiam.

O quoties ipse in eremo constitutus, & in illa vasta atque horrenda eremi solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præbet habitaculũ, putabã me Romanis interesse delicijs. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebãt sacco membra deformia, & squallida cutis situm Æthiopicę carnis obduxerat. Quotidie lachrymę, quotidie gemitus, & si quãdo repugnantem somnus imminens oppresisset, nuda humo vix horrentia ossa collidebam. De cibo vero & potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid comedisse, luxuriæ sit. Ille igitur ego qui ob gehennæ metum tali me carceri damnaueram, scorpionum tantum socius & ferarum, sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat. In frigido corpore, & ante hominem suũ iam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu iaciebã pedes, rigabam lachrymis, crine tergebã, & repugnantẽ carnem hebdomadarũ inedia subiugabã. Memini me clamantẽ, diẽ crebro iunxisse cum nocte: nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret Domino imperante tranquillitas. Et mox, Si hoc patiuntur illi, qui exeso corpore solis

cogitationibus oppugnantur: quid patitur puella quæ delicijs fruitur? Nempe illud Apostoli, Viues mortua est. Hiero. ad Eustoch. de Virginitate seruanda.

Fœminarum cum clericis nullo pacto coniuncta permittitur cōuersatio. Ianua Diaboli, via iniquitatis, Scorpionis percussio, nociuūque genus est fœmina: cum proximat, stimulat, ignem accendit, flammigero igne percutit conscientiā pariter habitantis, & exurit fundamenta montium. Ambro. lib. de offic. *Ambro.*

Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo cōceptū semine, de hoste domesticū, Angelum denique de homine facit? Differunt quidē inter se homo pudicus & Angelus: sed fœlicitate non virtute: nam etsi castitas illius fœlicior, huius tamen cognoscitur esse fortior. Ber. in epist. *Bernar.*

Sola est castitas quæ in hoc mortalitatis & loco & tēpore, statū quendam immortalitatis gloriæ repræsentat. Idem ibidem.

Cum fœmina semper esse & non cognoscere fœminam, nōne plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est, non potes, & quod maius est, vis vt credam tibi? quotidie latus tuum ad latus iuuenculæ in mensa, lectus tuus ad lectum eius in camera, oculus tuus ad oculos eius in colloquio, manus tuæ ad manus ipsius in opere, & continens vis putari? Esto vt sis, sed ego suspitione non careo. Idem super Cant.

Castitas sine charitate lāpas sine oleo est: subtrahe oleum, lampas non lucet: tolle charitatem, castitas nō placet. Idē in epist.

Quomodo claritas (vt aiunt) Lunæ, non nisi à Sole est, sic absq; charitate seu iustitia, continentiæ meritum nullum est. Idem super Canti.

Dei seruum sine intermissione legere, orare, & operari oportet: ne fortè mētem otio deditam spiritus fornicationis subrepat: cedet enim labori voluptas, animum autem vacantem cito præoccupat. Isido. de sum. bon. *Isidor.*

Nequaquam in senectute continentes vocandi sunt, qui in iuuentute luxuriose vixerunt. Tales non habent præmium, quia laboris certamen non habuerunt: eos enim expectat gloria in quibus fuerunt laboriosa certamina. Idem ibidem.

Plurimos in seculo aspexi præ solicitudinibus, & curis, occupationibusque & vigilijs mundanis, proprij corporis insanos motus

effugisse:

effugiſſe:eos ipſos tamen cum exuti curis omnibus ad mōnaſticā vitam conuolaſſent,turpiter atque miſerabiliter corporis cōmotione ſordidatos.Hinc collige quantum faciat ad caſtitatis cuſtodiam corporis & animi occupatio. Idem.

Caſtitas eſt incorporeæ naturæ familiaritas. Caſtitas eſt Chriſti iucundum diuerſorium,terreſtriſque clypeus cordis. Caſtitas eſt exceſsiua naturæ abnegatio,corporiſque mortalis atque corruptibilis mirabilis re vera ad incorpoream ſpiritualēque ſubſtantiam contentio.Caſtus ille eſt,qui amore amorem excluſit, ignēque igne ſpiritus extinxit.Idem Grad.15.

In tēpore tentationis carnalis,ſummum nobis adiutorium pręſtabit cilicium & cinis,totiſque noctibus ſtatio immobilis, panis deſideriū,ardens lingua,modiceque irrorata,ſepulchrorū habitatio,atque ante omnia humilitas cordis,& ſi fieri poteſt pater ſpiritualis,aut frater ſolicitus canuſque ſenſu,ad auxilium adhibeatur. Miror enim ſi quiſpiam ſolus ex huiuſmodi pelago nauem ſeruare integram poſsit.Idem ibidem.

Fit nonnunquā vt ex ſolo tactu corpus inquinetur.Nihil quippe ſenſu iſto grauius,nihil periculoſius. Admoneat te is qui matris manui pallium circundedit:atque à proprio vel alieno corpore comprime manum.Idem ibidem.

Chryſoſt. Qui freno regit affectus,quanquam ſemel domitos non negligit. Perpetuum enim eſt ab illo hoſte bellum vnicuique quādiu vixerit.

Cæſarius. Longa caſtitas poſt peccatum,imitatrix eſt virginitatis. Cæſarius.

Epitect⁹. Amatorius & laſciuus ſermo fomentum eſt concupiſcentiæ.

Iuuenal. Rara eſt concordia formæ atque pudicitiæ.

Virginitas.

Grego. FLos eſt virginitas,flos eſt martyrium,flos actio bona.In horto virginitas,in campo martyrium,bonū opus in Thalamo. Greg.ſup.Ezech.

Sup illud.Gen.19.In mōte ſaluū te fac.Virginitas alt⁹ mōs eſt,ad quā Angel⁹ hortatur:ſed qui videt ſe nō poſſe aſcēdere,maneat in Sēgor.i.in legitimo matrimonio:quia meli⁹ eſt mediocri bono vti

quam

quam per abrupta libidinum præcipitari. Greg. in gloss.

In fatuis virginibus dum mentis corruptionem Dominus cõsiderat, etiã carnis incorruptionẽ damnat. Greg. in mor. lib. 8. ca. 38.

Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce: totum ipse teneat in animo vestro, quidquid voluistis occupari connubio. Aug. de Virg. *August.*

Virginitatis bonum quãto magnum video, tanto ei ne pereat, furem superbiam pertimesco. Idem ibidem.

Inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, cõmercium redimẽtis, hæc quãti valeãt cogitate, hæc in statera charitatis appendite: & quidquid amoris nuptijs vestris impendẽdũ habebatis, illi impendite. Idẽ ibidẽ.

Quid prodest integra caro mente corrupta? Melius est humile coniugium quàm superba virginitas. Idem super Psal. 29.

Virginis diffinitio est, sanctam esse corpore & spiritu: quia nihil proficit carnem habere virginem, si mẽte quis nupserit. Hiero. in epist. *Hierony.*

Tenera res in fœminis pudicitia est, & quasi flos pulcherrimus cito ad leuem marcescit auram, leuique flatu corrũpitur maximè vbi ætas consentit ad vitium, & maritalis deest autoritas, cuius vmbra tutamen vxoris est. Quid ergo facit vidua inter familiæ multitudinem & ministrorum greges? quos nolo contemnat vt famulos, sed vt viros erubescat. Idem ad Saluinam.

De eodem cuncti facti sumus luto, eisdem compacti exordijs. In serico & in pannis eadem libido dominatur. Neque regum purpuras timet, nec mendicantium spernit squallorem. Neque statim nobis pœnitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt infœliciũ remedia. Cauendum est vulnus quod dolore curatur. Aliud est integra naui & saluis mercibus salutis portum intrare, aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum recursibus ad asperrima saxa collidi. Idem ibidem.

Indignaris mater quod noluit filia tua militis esse vxor sed regis? Grande tibi beneficium præstitit: Socrus Dei esse cœpisti: sic filius sapiens gloria est matris suæ. Idem ad Eustochium.

Custodi virgo vias tuas, vt non delinquas in lingua tua: etenim bona loqui, plerumque crimen est virgini. Ambro. de Viduit. *Ambro.*

Propemodum non inferioris virtutis est, à coniugio abstinere quod

quod aliquando delectauerit, quàm coniugij penitus delectamenta nescire. Idem de Virginit.

Quanta est virginitatis gratia? quæ meruit à Christo eligi, vt esset corporale Dei templum, in quo corporaliter habitauit plenitudo diuinitatis. Virgo genuit mundi salutem; virgo peperit vitā vniuersorum. Idem lib. de offic.

Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis assimilantur. Maior tamen est victoria virginum, quàm Angelorum. Angeli enim sine carne viuunt, virgines vero in carne triumphant. Idem lib. de viduis.

Non fallit veritas, non circumscribit iustitia, non decipit virtus: Quod si non creditis oraculo, saltem credatis exemplo. Memoria nostra dudum puella nobilis seculo, nunc nobilior Deo cum vrgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad sacrosanctū altare confugit. Quò enim melius virgo confugeret, quā vbi sacrificiū virginitatis offertur, & caput omnium Christus quotidie cōsecratur? Stabat ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis, capiti suo dextram sacerdotis imponens, precem poscens: quæ ait parentibus. Quid agitis vos propinqui? quid exquirendis adhuc nuptijs solicitatis animum? Meliorem quam alias reperiri posit, inueni. Quaslibet exagitate diuitias, nobilitatem iactate, potentiam prędicate: habeo enim cui nemo se comparare potest: diuitem mundo, potentem imperio, nobilē cœlo: si talem habetis non refuto optionem: si non reperitis non prouidetis mihi parentes sed inuidetis. Idem de virg. lib. 2.

Bernar. Solent virgines quæ verè virgines sunt, semper ad omnem viri affatum pauere, & nunquam esse securæ: & vt caueant timēda etiā tuta pertimescere: scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum: & nimis arduum esse viuere inter homines vt Angelus, & in terris more cœlestium conuersari. Bernar. super Missus est.

Clima. Qui concupiscentia gulæ ac satietate fornicationis spiritū vincere vult, is similis est qui oleo extinguit incendium. Qui vero sola continentia bellum hoc sedare vel superare nititur, ei similis est, qui vna manu natans, pelago liberari contendit. Sit ergo humilitas continentiæ coniuncta: nam sine illa prior hæc inutilis agnoscitur. Clim. Grad. 14.

¶Vnus

¶ Vnuſquiſquã propriũ donũ habet ex Deo: alius quidẽ ſic, alius autem ſic. Non enim omnes capiunt verbum hoc ſed quibus datum eſt. Hæc de virginitatis dono dicta ſunt. Quantum vero ſit hoc donum, hac ratione intelligi vtcũque poteſt. In matrimonio (ſicut in omnibus alijs rebus) ſunt ſua commoda & incommoda. Eſt enim ex altera parte fornicationis remedium: ſunt ex altera ærumnæ & variæ curæ quæ coniuges angũt. Vnde Apoſtolus ait, Tribulationem carnis habebunt huiuſmodi. At, qui donum habet virginitatis non eget illo remedio, cùm ad id Dei donum & gratia ſatis ſuperque ſint: & omnibus illis moleſtijs caret, quæ curam domus, & filiorum, ac vxoris conſequuntur, & inſuper corona caſtitatis à Deo in cœleſti patria laureandus eſt: vt hac ratio ne intelligas, quàm fœlices illi ſint, quibus hoc pulcherrimũ donũ à Deo contigit.

COLLE. 1. Cor. 7. Matt. 9. 1. Cor. 7.

Virginitatis laudes habes Sap. 3. Fœlix eſt ſterilis & incoinquinata quæ neſciuit thorum in delicto &c. vi. locum. Item Sapiẽ. 4. O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate &c. quæ ſequũtur. Quod autem ait dari virginibus ſortem in templo Dei acceptiſsimam; hoc ad aureolam quæ virginibus datur referẽdũ eſt.

Quàm periculoſum ſit fœminis conuiuere & earum blandicijs & aſpectu deliniri, Salomonis ruina apertiſsimè declarat, qui poſt diuinitus infuſam ſapientiam, poſt ſacros libros à ſe ſcriptos, diuinis myſterijs refertos, poſt ſummum illud beneficium quo ei Dñs bis apparere, illumque benigne admonere dignatus eſt in ſenectute (quando & cupiditas propter corporis imbecillitatẽm minor, & ſapientia propter quotidiana experimenta maior erãt) à mulieribus ita deprauatus eſt, vt vero Deo relicto, ante deteſtanda idolorum monſtra, procubuerit. Quo quid cogitari horribilius poteſt? Quis ergo, niſi ab hoc periculo ſtudioſiſsimè caueat, ſecuritatem ſibi polliceri poterit?

Plato in Timeo iecur ſedem eſſe dicit cupiditatum venerearũ, quæ tanquã viles & abiectæ, ad infimã animæ partẽ relegatæ ſunt. Vim vero iraſcibilẽ tanquã nobiliorẽ, in corde ſitã eſſe ait. Cũ vero appetitus voluptatũ carnaliũ æſtuat, vim iraſcibilẽ indignitate rei cõmotã, ad cõprimẽdã eã cupiditatẽ niti aſſerit. Quod planè iis accidere ſolet, q̃ autoritate ſua flagitiũ hoc indignũ eſſe arbitrant.

Quod

Quod si minus hoc irascendi vis præstare queat, auxilium à ratione poscit: quam ille in capite domicilium habere credidit. Nihil enim sublimius aut potentius Philosophi agnouerunt, ad cuius opem confugerent. At cum gratia quæ per Christum datur, liberet nos à corpore mortis huius: auxiliũ ab ea ratio petere debet, qua ab instanti periculo liberari queat. Ideoque cum Propheta clamat, Emitte manum tuam de alto: libera me & eripe me de aquis multis, &c. Hinc Sancti omnes ad orationis præsidium, in omni tribulatione & tentatione confugiunt.

Psal. 143.

Castitatem virginitatemque esse Dei donum, apertè declarant illa verba. Sapien. 8. Sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius esset hoc donum.

Quam sit Deus castitatis amator indicat ingens pudoris affectus, fœminis omnibus ac potißimum ingenuis ab ipsa natura ingeneratus: qui velut quidam pudicitiæ murus & custos est, cuius illa verba sunt.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat
Vel pater omnipotens, adigat me fulmine ad vmbras
Pallentes vmbras Erebi noctemque profundam
Ante pudor quam te violem aut tua iura resoluam.

Item Clitemnestra Hippolyto.

Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit
Lingua, ter in primo restitit ore sonus.

Cant. 1.

Pudoris castimoniam esse cœlesti Sponso gratißimam declarat is, cum in Cant. ad Sponsam ait, Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. In genibus enim maximè elucet verecundia, quæ vbi mẽtem occupauit, eas honesto quodam rubore suffundit. Hinc ergo pudorem, turturum castitati comparat, quæ vnum tantum coniugem agnoscunt, illique fidem seruant, nec eo mortuo alteri iunguntur. Hanc ergo fidem & castitatem fidelis anima Christo præstare debet, quæ vnũ illũ agnoscere, vnum cogitare, vnũ diligere, ad illum omnia referre, & illius se totam obsequio, cæteris omnibus prætermißis tradere debet. Hoc enim ab illa exigit Sponsus cùm ait, Audi filia & vide &c. quæ sequuntur.

Psal. 44.

Multis

Multis modis castitas oppugnatur. Sicut enim in certamine primum quidem eminus iaculis pugnatur, deinde cominus ad hastas, exinde verò ad manus & gladios peruenitur: ita castitas primùm nutibus & litteris & internuntijs oppugnatur: deinde paulatim ad colloquium peruenitur: postremò vis etiam nonnunquam infertur, qua Dina oppressa est. His machinis Putipharis vxor Ioseph adorsa est. Primum enim oculos suos iniecit in eum: deinde ait, dormi mecum: postremò pallium eius apprehendens, pudicitiam ei eripere volebat. *Gene. 39.*

Inter feras omnes monoceros adeò ferus & immanis est, vt nullis beneficijs ad homines assuescere & mansuescere possit. Quod quidem Venereæ cupiditati maximè conuenit, quæ multis annis ad senectam vsque repressa, nunquam tamen ne in hac quidem ætate desinit insurgere, & castas mētes varijs imaginibus & titillationibus infestare. Aliarum porrò virtutum frequēs vsus habitum gignit, quo expeditè ac delectabiliter operamur, & aduersis cupiditatibus vix infestamur. Vbi enim homo duobus vel tribus annis se vel abstinētiæ, vel patientiæ, vel sacrarū vigiliarum & precationū studio diligēter addixit, vix vllā molestiā persentit, quæ illū ab harū virtutū exercitatione auocet: at cōtra, vix vnquā castitatis habitus ita firmatus est, vt nō frequēter impuris cogitationibus quatiatur.

Luxuria.

VEnter mero æstuans, cito spumat in libidinē, venter enim & genitalia vicina sunt: & vnū alteri subministrat. Ex vicinitate enim mēbrorū sequitur cōfederatio vitiorū. Hiero. in epist. *Hierony.*

O ignis infernalis luxuria, cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintilla praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis gehenna. Idem in epist.

In Iob scriptū est de Dracone. Virtus eius in lubis eius, & fortitudo illius super vmbilicum ventris eius. Aduersum iuuenes & puellas ætatis ardore aduersarius noster abutitur, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, & implet illud Oseæ, Omnes adulterantes quasi clibanus corda eorum. Hæc sunt ignita tela Diaboli, quæ simul & vulnerant, & inflammāt. Idem ad Demetriadem.

Ambro. Sæuus criminum ſtimulus libido eſt: quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte feruet, die anhelat. Ambr. in lib. de Abel & Cain.

Bernar. Luxuriæ currus quadriga voluitur vitiorum: ingluuie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie veſtium, otij ſoporiſque reſolutione. Trahitur equis æquè duobus, proſperitate vitæ & rerum abundantia: & qui his præſident duo, ignauiæ torpor, & inſida ſecuritas. Bern. ſuper Cant.

Hugo. Quis luxuriæ multiplices ſpecies enumerare valeat? Hæc enim Pentapolin cum adiacenti regione ſubuertit: Sychem cum populo interemit: hæc filios Iuda percuſsit: Iudæum & Madianitidem pugione transfodit: tribum Beniamin pro vxore Leuitæ deleuit: filios Heli ſacerdotis in bello proſtrauit. Hæc Vriā occidit, Amonem interfecit: plurimos lapidauit: hæc Ruben maledixit, Sanſonem ſeduxit, Solomonem peruertit. Verum eſt ergo quod legitur, Propter ſpeciem mulieris multi perierunt.

Clima. Qui ſudoribus ſuis atque laboribus aduerſus huiuſmodi aduerſarium pugnat, is ei ſimilis eſt, qui inimicum ſuum papyro ligauit. Qui vero continentia atque vigilijs pugnat, ei ſimilis eſt, qui cathenis hunc deuinxit. Porro is qui altiſsima humilitate, & vacuitate iracundiæ ſitique depugnat: is ei comparatur, qui occidit inimicum atque in arena occubuit: arenam vero intellige humilitatem. Niſi enim Dominus domum carnis deleuerit, domumque animæ ædiſicauerit, fruſtrà quiſpiam hanc ieiunando ſolum ac vigilando deſtruere nititur. Offer ante oculos Domini carnis naturalem infirmitatē, tuam humiliter imbecillitatem agnoſcens: prorſuſque ſuſcipies in intimis caſtitatis donum. Quia incorrupti bilis atque incorporeus Deus eſt, idcirco maxime caſtitate atque integritate corporis noſtri delectatur. Aiunt quidā nulla re ita vt fœtore luxuriæ Dæmones lætari: itaque vitio nullo ita delectantur, vt inquinatione corporis noſtri. Clim. Grad. 15.

Vir quidam ſcientiſsimus problema terribile quæſiuit ex me. Quod (inquiens) peccatū grauius omnibus eſt, homicidio Chriſtique abnegatione exceptis? Cumque ego illi reſpondiſſem, in hæreſim labi. Et quonam (inquit) modo catholica Eccleſia hæreticos quidem cum hęreſim priorem toto animo repudiauerint, atque anathematizauerint, ſuſcipit, atque ad ſanctorum myſteriorum

riorum communionem vt idoneos admittit: eum vero qui in fornicationem lapsus fuerit, confitentē atque peccatum ipsum omnino deserentem, introrsus suscipiens, per annos aliquot eum à venerandis immaculatisque mysterijs ex traditione Apostolica separari permittitur? Hac ego ambiguitate percusus, stupui: ambiguūque illud permansit ambiguum. Idem ibidem.

Extrema res malorum est amator senex. *Adilon.*

Esurientibus amara est Venus. *Adilon.*

Blandum malum luxuria, quod accusare aliquando facilius est, quam vitare: quæ inuictum Hannibalem armis, illecebris suis cōplexa, vincendum Romano militi tradidit. Illa ducem vigilantissimum, illa exercitum accerrimum dapibus largis, abundanti vino, vnguentorum fragrantia, Veneris vsu lasciuiore, ad somnum & delicias euocauit. Quid his ergo vitijs fœdius? quid etiā damnosius? quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam conuertitur: animi & corporis vires expugnantur: adeò vt nescias an ab hostibus, an ab illis capi, pernitiosius habēdum sit. Valer. Max. lib. 9. *Vale. Ma.*

Cum ex Sophocle quidam iam confecta ætate quæreret, vteretur ne rebus venereis: Dij meliora inquit: libenter vero isthinc tanquam à Domino agresti & furioso profugi. Cicero in Cat. Maio. *Cicero.*

¶Mira Diaboli arte fœminæ viros, & viri fœminas mutuo se decipiunt. Illæ namque omnes curas & cogitationes suas, omneque tempus & studium in hac vna re insumunt, vt se comant & ornent, formamque ipsam quantum possunt speciosissimā reddant, qua spectantium oculos post se trahant: totque velut armis pugnant, quot ornamētis sensus omnes & omnia corporis sui mēbra depingūt: nihil enim incōptū & inornatū relinquūt: atque ita modis omnibus libidinis affectum per se satis à corrupta natura incitatū, vehementius incēdunt. Cōtra vero homines nō solū ornatu vestiū, sed multo magis cōpositis arte laudibus, epistolis, versibus, nitore verborum & acumine sententiarū refertis, eas laudibus in cœlū ferūt: earū formā, dignitatem, virtutē, & prudentiam, supra modum supraque fidē attollētes, easque diuinis pene nominibus appellantes, ac tantū nō adorantes, se earum amore sé emo- COLLE.

ri ac deperire profitentur. Quibus rebus fidem miseræ adhibentes, talesque se existimantes, quales illi mentiuntur, tandem victæ dolis & precibus succumbunt, pudicitiæque (nunquàm resarciendæ) naufragium faciunt. Quid vero hinc nisi infamia, & luctus, & lachrymæ, ac deinde etiam capitalia odia, & rabies furorque, & mortes sæpissimè sequuntur? Cum interim Diabolus rideat, & lætum diem agat, dum de dolis suis gloriatur, quibus vtrique parti perniciem attulit, dum vtraque pars & imposturam fecerit & passa sit.

Iob. 31. Contra adulterij fœditatem habes fulmẽ illud, Ignis est vsque ad consummationem deuorans, & omnia eradicans genimina. Habes & exemplum Dauidis, qui propter admissum scelus adulterij, tot clades & flagella pertulit: totque vxorum suarum adulteria perpessus est, tot mortes filiorum vidit.

Tam magna miseria est libidinis cœno inquinari, eiusque tyrannide ac vinculis constringi, vt pro maximo virtutis & religionis præmio in Prouer. designetur, ab hac peste liberari. Postquàm enim diuinæ legis studium vehementer Solomon commendauit, *Prou. 6.* huius studij fructum subijcit protinus. d. Vt custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ. Et paulo superius eãdem sententiam repetit. Vt eruaris inquit à muliere aliena, & ab extranea, quę mollit sermones suos. Decori enim speciei, qua irretit oculos, mollitiem addit sermonum, quibus demulceat aures: vt per omnes aditus corporis blandum virus effundat, & animam miseram sauciet. Prouerbio. quoque. 7. ad amorem nos sapientiæ idem Salomon hoc ipso nomine inuitat. d. Vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena quæ verba sua dulcia facit, &c.

Quam miseranda sit illorum conditio qui impudico amore flagrant, & quo modo sub Diaboli potestate captiui teneantur (à qua nisi cœlesti ope emergere non possint) multis in locis Salomon indicat. Prouer. enim. 23. ait, Fouea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos inuenerit, interficiet. Item Prouerbio. 22. Fouea profunda os alienæ, cui iratus est Dominus incidet in eam. Item Ecclesiasti. 7. Lustraui vniuersa animo meo, vt scirem & quærerem sapientiam, & inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius.

Qui

Qui placet Deo effugiet illam, qui autem peccator est capietur ab illa. Item Prouerbio. 2. ab impudicæ mulieris contubernio his verbis nos auocat. Nunc igitur fili audi me, & attende verba oris mei: Ne abstrahatur in vijs illius mens tua, nec decipiaris semitis illius: multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab illa. Viæ inferi domus eius, penetrantes interiora mortis. Quod autem fortissimi quique interfecti sint ab illa, probat idem ipse qui hæc scripsit exemplo suo Salomon: qui cum hæc tanto ante præsciret, cæterosque huius tanti periculi admoneret, tamen hoc laqueo miserabiliter captus fuit.

Tyrannis carnalium vitiorum & duratio eorum designatur illis Ecclesiast. verbis. 23. Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens vsque in finem. Huc pertinet & illud Iob. 20. Ossa eius replebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.

Sodomitas Angeli percusserunt cæcitate digna planè tali scelere pœna. Inter omnia quippe vitia hebetudinem atque cæcitatem mentis maximè dicitur efficere luxuria: quæ ita in voluptatum cænum omnes sensus & cogitationes hominis deijcit, vt nihil spirituale atque diuinum cogitare sciat.

Quàm graue sit adulterij scelus, verba Abimelech regis cum Abraham expostulantis (eo quod Saram vxorem sororis nomine circunferret) facilè declarant. Ait enim, Quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande: quæ non debuisti facere fecisti. Rursumque expostulans ait, Quid vidisti, vt hoc faceres? Homo Ethnicus totum regnum pessundari propter vnius adulterij scelus credebat: cum hodie tamen homines oculos gestent plenos adulterij, & incessabilis delicti, nec ideo quicquam vel sibi vel ciuibus suis metuant male. *Gene.* 20.

Incestum cum socru adeò Dominus detestatur vt Leuit. 20. dicat, Qui supra vxorem filiam duxerit matrem eius, viuus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. Vix alia pœna & atrociora verba in lege inueniuntur.

Breuissima oratione Eccl. fœminarum periculum amplificauit, cum *Eccli.* 19.

uit, cum ait, vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes. Quâ similitudine non minus impudico amore quam vino mentem hominibus etiam sapientibus eripi designauit. Quid igitur insipientes patientur?

Ornatus corporis & vestium.

Grego. QVod pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur; res ipsa testatur, quia nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, vbi ab alijs non posit videri. Greg. in homil.

Sunt nonnulli, qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum: quod videlicet si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quòd diues qui torquebatur apud Inferos, bysso & purpura indutus fuisset. Gregor. vbi suprà.

August. Quanta dementia est effigiem mutare naturæ, picturã quærere? Tolerabiliora propemodũ in adulterio crimina sunt: ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. Aug. lib. ser. Dom.

Hierony. Qua fiducia erigit ad cœlum vultus, quos conditor non agnoscit? Hiero. in epist.

Vestes pullas æquè deuita vt cãdidas: ornatus & sordes pari modo fugienda sunt: quia alterum delicias, alterum gloriã redolet. Idem ad Nepot.

Si vir vel mulier se ornauerit, & vultus hominum ad se prouocauerit, & si nullum inde sequatur damnum, iudicium tamen patietur: quia venenum attullit, si fuisset qui biberet. Idem.

Sordidę vestes candidæ mentis indicia sint: vilis tunica contemptum seculi probet: ita duntaxat ne animus tumeat, & habitus sermoque dissentiat. Idem in epist. ad Rust. monach.

Quid facit in facie Christiana purpurissus & cærusa? quorũ alterum ruborem genarũ labiorũque mentitur, alterum candorem oris & colli. Ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia. Quomodo flere potest, quæ cutem nudat, & sulcos ducit in facie? Ornatus iste non Domini est: velamẽ istud

Anti-

Antichristi est. Idem ad furiam.

Mulier ornata est domus omnium Dæmonum infernalium. Ambros. lib. 1. de virgini. *Ambros.*

Neglecta decoris cura plus placet: & hoc ipsum quod nos non ornamus, ornatus est. Ibidem.

Cyprianus contra immodicum fœminarum ornatum, citat illud Pauli. 1. ad Timoth. Sint mulieres cum verecundia, & pudicitia componentes se &c. Et. 1. Pet. 3. Sit in muliere non exterior ornamentum &c. Non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus &c. Item illud Isaiæ 3. Pro eo quod exaltatæ sunt filiæ Syon, & ambulauerunt erecto collo: decaluabit Dominus verticem &c. Deinde subdit. Quis non id execretur & fugiat, quod alijs fuerit exitio? quis id appetat, & sumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit & telo? Si hausto poculo moreretur ille qui biberet, venenum scires esse quod ille potauit. Si accepto cibo, qui acceperat interiret, scires esse letale, quod acceptum potuit occidere: nec ederes inde, nec biberes, vnde interisse alios ante conspiceres. Nunc quanta ignorantia veri, est id velle, quod & nocuerit semper & noceat, & putare quod inde ipsa non pereas, vnde alios perijsse cognoscas? Nec enim Deus aut purpureas, aut coccineas oues fecit, nec magaritis contexta serica, & numerosa compage digestis monilia Deus instituit, quibus ceruicem quam fecit, absconderet, vt operiatur illud quod Deus in homine formauit: & conspiciatur desuper id quod Diabolus adinuenit. An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus & innocens ad huc infantia, & mali secularis ignara crucietur, vt postea de aurium cicatricibus & cauernis, pretiosa grana dependeant? Cypria. de habi. Virg. *Cypria.*

Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista diuini operis, præuaricatio veritatis. Non metuis oro quæ talis es, ne cum resurrectionis venerit dies artifex tuus te non cognoscat? ne dicat, opus hoc meum non est: & hæc imago nostra non est. Cutem falso medicamine polluisti, crinem adulterino colore mutasti: expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est, Deum videre non poteris, cum oculi tibi nō sint quos Deus fecit, sed quos Diabolus infecit.

Illum tu ſectata es, rutilos atque depictos oculos ſerpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter arſura. Hęc oro non cogitāda ſunt Dei ſeruis, non die ſemper atque nocte meditanda? Viderint quid ſibi nuptæ per placendi ſtudium, de coniugum ſolatio blandiātur: quos dum in excuſationem ſuam proferunt, ad ſocietatē criminoſi conſenſus aſciſcunt. Ibidem.

Innocēt. Artificialis ſpecies ſubducitur, & facies obducitur naturalis: tanquam hominis artificiū artem ſuperet creatoris. Innocent. de vilit. condi. hum.

Ariſt. Ariſtoteles cū adoleſcētem ſe ornare vidiſſet, dixit: Non erubeſcis, quod cū natura te virū fecerit, tu te ipſum effæminas? Ariſt.

Idem. Idem cum iuuenis quidam facie formoſus, ſed moribus petulans inter alia conuitia ei diceret. Si tam exoſus eſſem ciuibus, vt tu es, laqueo vitam finirem: reſpondit. Ego vero laqueum mihi inferrem, ſi ita me ciues amarent, vt te. Ibidem.

Idem. Idem cum animaduertiſſet ſumptuoſa chlámyde adoleſcentulum ſe iactantem. Non deſines (inquit) adoleſcentule ouis pelle gloriari? Idem.

Iſocra. Si pulchrum tibi corpus eſt, & anima mala bonam nauim habes, & malum gubernatorem.

Boet. Formæ nitor vt rapidus eſt & velox, & vernalium florum mutabilitate fugacior, quod (vt ait Ariſtoteles) ſi linceis oculis homines vterentur, vt eorum viſus obſtantia penetraret, nonne introſpectis viſceribus illud Alcibiadis ſuperficie pulcherrimum corpus turpiſsimum videretur? Boet. 3. conſolat.

COLLE. ¶Concupiſcentia (quæ per peccatum relicta eſt) in parte animæ noſtræ, quæ generationi deſeruit, maxime ſæuire, Theologi omnes affirmāt. Hoc enim eſt, vel grauiſsimum peccati vulnus: quod infinitas penè ruinas peperit. Et tamen quaſi pœniteat nos, quòd parum miſeri ſimus, hanc inſitam concupiſcentiam ornatu corporis, & oris cultu augemus: quod præcipuum fæminarum officium eſt. Hoc autem perinde eſt, atque ſi febribus, & ſitis moleſtia æſtuāti (cui frigida valdè noceat) multo ſale conditos cibos porrigeres: quo illi potus aquæ dulcior eſſet. Quo quid dementius?

In ædibus dirutæ Babylonis vlulas ſibi reſpondere, Eſaias ait: Vlula auis eſt immunda, pulchra quidem, cum à longè videtur, ſed

ſed fœtida, & inmunda cum manu contingitur. Quæ duo carnali bus hominibus, & ſecundũ ſæculũ diuitibus appoſitiſsimè cõueniũt. Qui cùm fœlices vulgi oculis appareant, intus tamẽ multis tũ ſceleribus, tum etiam curis, & ſordibus fœdi ſunt, ac deformes. Aliud enim extra pollicentur, aliud intra ſe recondunt. Hi verò inuicem ſibi reſpondent, quoniam carnali contentione certantès, alijs aliorum pompas, veſtes, & voluptates vel imitari, vel ſuperare conantur. Itaque vix quiſquam elegans aliquod, & nouum veſtis genus excogitauit, cum cæteri protinus veteribus abiectis, nouum illud amplecti ſtudent, ideoque ſingulis fere annis noui generis indumenta prodeunt.

Mansuetudo, Ira.

RESTRINGENDA ſub ratione poteſtas eſt, nec quicquam eſt agẽdum, priuſquam concitata ad tranquillitatem mens redeat: nam commotionis tempore iuſtum putat ira quod fecerit. Grego. in Regiſt. *Gregor.*

Plerumque mentẽ ſub obtentu iuſtitiæ, iræ immanitas vaſtat: & dum quaſi ſæuit zelo rectitudinis, rabiem explet ira furoris. Greg. in Mor.

Ira etiam cum delinquentium culpas inſequitur, non debet menti noſtræ quaſi domina præire: ſed poſt rationis tergum quaſi ancilla rationis ſubnixius famulari. Gre. in Reg.

Plerumque per ſilentium clauſa ira, intra mentem vehementius æſtuat, & clamoſas tacita voces format: verba ſibi quibus exaſperetur obijcit, & quaſi in cauſæ examine poſita durius exaſperata reſpondet. Greg. lib. 5. Mor.

Cum menti iracundia confuſionis tenebras incutit, huic Deus radium ſuæ cognitionis abſcondit. Greg. vbi ſupra.

Per iram Spiritus ſancti ſplendor excutitur: qui ſuper humilẽ & quietum requieſcere dicitur: quia cum ira quietem ſubtrahit, ſuam Spiritui ſancto claudit habitationem: cuius receſsionẽ, animus vacuus & ad apertam morum inſaniam ducitur, & vſque ad ſuperficiem, ab intimo cogitationum fundamento diſsipatur. Gregor. vbi ſuprà.

Quoties ira animum inuadit, mentem doma, vince teipſum, differ tempus furoris. Cum tranquilla mens fuerit, fac quod placet.

cet. Greg. vbi supra.

Nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur: notiorem quidem clamorem format, sed intus quid loquatur ignorat. In quo itaque iste ab repetitijs longe est, qui actionis suæ conscius non est. Greg. vbi supra.

Videbant me ait S. Iob iuuenes & abscondebantur, & cor viduæ consolatus sum: sic namque & disciplinæ rigor regere debet mansuetudinem, & mansuetudo ornare rigorem: vt nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. Gregorius. 20. Moralium cap. 16.

Patienter illatam iniuriam tolerat, qui pie meminit in quo fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerare. Gregorius in Mor.

Patientia vera est, quæ etiam ipsum amat quem portat. Nam tolerare & odisse, non est virtus patientiæ & mansuetudinis, sed velamentum furoris. Gregor. super Ezech.

Gloriosius est iniuriam tacendo fugere, quàm superare respõdendo. Gregor.

August. Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit: sic ira corrumpit cor, si in alium diem durauerit. August. in epistol.

Assiduitate irascendi fel crescere etiam medici affirmant: cremento autem fellis, rursus & facilè & prope nullis causis existentibus irascimur. Idem in epist. ad Neb.

Supra Psalm. 54. Ira fratris si fuerit inueterata, iam odium est. Ira turbat, odium extinguit: ira festuca, odium trabs est. Idem.

Hierony. Recte illud laudatur Architæ Tarentini, qui villico suo iratus: Iam te inquit cæderem, nisi iratus essem. Hieronymus supra Ioel Prophetæ.

Apud Christianos non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est. Idem in epist.

Ambros. Beatus qui seueritatem & mansuetudinem tenet vt altero disciplina seruetur, altero innocentia non opprimatur. Ambros.

Patiens homo riuuli fons est omnibus exhibens delectabile potum. Ex vitis patr.

Bernard. Non irasci vbi irascendum est, & nolle emendare, peccatum

est,

est. Plus vero irasci quam irascẽdum est, peccatum peccato addere est. Bernar. in epist.

Clemens dicitur animus quando est tener ad compatiendum, facilis ad remittendum, promptus ad subueniendum. Hugo de Sancto Victor. *Hugo.*

Nihil tam plagas reprimit, quàm eas ferre: & iniuriam accipientium patientia quieta, iniuriam facientibus pudorem affert. Iosephus. *Ioseph.* *Clima.*

Is qui ad placidissimam animi quietẽ, atque ad Deum currit, die omni qua maledicta non sustinet, ingens detrimentum se sustinuisse arbitratur. Sicut enim arbores quæ à ventis agitantur altioribus semper radicibus nituntur: Ita & qui in obedientia degunt, validas atque inconcussas animas possident. Climacus.

Mansuetudo est animi immobilis status, inter vituperationes & laudes eodem modo perseuerans. Initium quidem iræ vacuitatis est labiorum silentium, in perturbatione cordis: medium autem, silentium ipsarũ quoque cogitationum in animi tenuissimo motu: finis vero est, inter immundorum spirituum flatus stabilis atq; fixa tranquillitas. Idem de Mansuet. cap. 8.

Sicuti cum sol apparuerit fugantur tenebræ: ita cum afflare cœperit suauissimus humilitatis odor, omnis amaritudo omnisque furor ex animo exterminatur. Idem ibidem.

Initium beatæ tolerantiæ est in amaritudine & dolore animæ ignominias suscipere: medium vero eas sine mœrore tolerare: finis autem & consummatio, summam illas laudem existimare. Notaui miserandum omninò spectaculum in ijs qui iracundiæ inseruiunt: quod illis latenter ex elatione contingit. Indignati enim eò quòd ira fuissent superati, rursus irascebantur: admiratusque sum, cum intuerer illos ruina ruinam vlciscentes, ac peccato peccatum persequentes, miseratus sum: Dæmonumque versutiam stupens, parum abfuit, quin de mea ipsius vita desperarem. Ibidem.

Vidi ego tres vnà monachos iniurijs affectos: ex quibus vnus mordebatur quidem iniurijs atque perturbatur: sed tamen in silentio premebat iracundiam. Alius verò gaudebat quidem ex luctu suo: sed eius qui se maledictis insectatus fuerat, peccato angeba-

angebatur. Tertius vero proximi tantum damna secum voluens, vim ardentium lachrymarum profundebat. Eratque suaue spectaculum timoris, & mercedis, & charitatis operarios adspicere. Ibidem.

Vinciatur iam tyrannus iste mansuetudinis nexibus, flagelloque longanimitatis verberatus: atque à charitate pertractus, sistatur tribunali rationis: atque vt conuenit, examinetur, & ita discutiatur. Dic nobis ô stulte, & turpissime, genitoris tui, & eius qui te malè peperit appellationem: filiorumque tuorum, & sceleratissimarum filiarum: prætereà & eorum, qui te debellant, & necaturi sunt, nomina dicito. Ille vero sic interrogatus, ita respondere videbitur. Plurimæ generationes meæ sunt: nec vnus mihi pater est. Matres vero meæ sunt, inanis gloria, cupiditas, gastrimargia, nonnunquam vero & fornicatio. Qui autem me genuit fastus appellatur. Porrò filiæ meæ memoria iniuriarum, inimicitia, disceptatio & odium. Aduersariæ verò meæ à quibus nunc vinctus teneor, quæ his obiectæ sunt, mansuetudo, & inirascentia. Ea autem quæ mihi insidiatur, humilitas dicitur. Idem ibidem.

Memoria iniuriarum est peccatorum custos, iustitiæ odium, virtutum perditio: venenum animæ, mentis assiduus vermis, orationis confusio, deprecationis excisio, charitatis alienatio, clauus affixus, iniucundus sensus, qui in amaritudinis suauitate diligitur, iuge peccatum, nunquam dormiens iniquitas, horis singulis admissa malitia. Idem Grad. 9.

Qui iracundiam sedauit, is huiusmodi memoriam premit: dũ enim viuit pater filios gignere non cessat. Qui charitatem possidet, iracundiam à se fugauit. Qui autem inimicitias exercet, importunos sibi labores congregat. Ibidem.

Præcurrit quidem Solem matutina lux: omnem vero humilitatem mansuetudo præcedit: Quocirca lucem ipsam audiamus, ita eas gradatim ordinantem. Discite (inquit) à me, quia mitis sum, & humilis corde. Mansuetudo est animi incommutabilis status, æquè in honoribus se & ignominijs habens. Mansuetudo est in perturbationibus proximi pro illo affectu summo atq; integerrimè orare. Mãsuetudo est supereminẽs iracũdiæ pelago scopulus, fluctus omnes impingẽtes dissoluẽs; & nunquã penitus cedẽs, aut

in alteram

in alteram inclinans partem. Idem Grad. 24.

Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia. *Chrysost.*

Ne cui miniteris, est enim muliebre. *Cleobol.*

Litis præteritæ noli maledicta referre. *Cato.*

Post inimicitias iræ meminisse malorum est.

Dijs proximus ille est, quem ratio non ira mouet. *Claud.*

Roma plus venia quàm victoria auxit imperium. *T. Liuius.*

Tunc præcipua mansuetudinis laus, cum iræ causa iustissima. *Plinius.*

Irasci in quibus non oportet, & non irasci in quibus oportet, insipientis est. *Arist ot.*

Habent & suam profunditatem tranquillæ aquæ. *Ex diuersis.*

Ira non sedatur iracundia.

Ira tormentum sui ipsius.

Pessimus autor rerum gerendarum ira.

Præceps ira multorum malorum autor.

Si egregium est hostem deijcere, non minus tamen laudabile infœlicis scire misereri: quia sicut infinitam gloriam bellica virtus, ita præcipuum amorem clementia meretur. Valer. Maxim. de mor. lib. 5. *Val. Ma.*

Vehementer amor multitudinis commouetur ipsa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, fidei, iustitiæ, omniumque earum virtutum quę pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem. *Cicero.*

¶Periculum hoc mansuetudini coniūctum est: ne dum omnibus obsequi, & se submittere studet, à recto interdum propter nimiū obsequendi studium deducatur. Quare danda est opera, vt illud nobis ante oculos exemplum Domini statuamus. Dulcis & rectus Dominus. Idem quoque temperamentum in virtutibus Christi esse Propheta testatur cum ait. Propter veritatem, & mansuetudinem & iustitiam &c. Danda ergo opera est, vt mansuetudini iustitiam, & rectitudinem dulcedini cōiūgamus: ne aut rectitudo aspera, aut dulcedo remissa sit. COLLE. *Psal. 24.*

Quam sit non solum Deo, sed etiam hominibus grata mansuetudo, docet Ecclesiast. his verbis. Fili in mansuetudine opera tua perfice: & super gloriam hominum diligens. Est autem mansuetudo velut clypeus quidam, quo animus aduersus omnia conui- *Eccl. 3.*

tiorum

tiorum tela cedendo, munitur. Hinc illud Eccl. 11. Fili, in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum: hoc est, ne illam ad brutorum feritatem & iram abijcias.

Mansuetudinis singularem fructum declarat Propheta cum ait, Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas. Adeo enim lenitas & mansuetudo, grata Deo est, vt libenter seipsum tum ductorem, tum directorem, ac pædagogum mitibus exhibeat. Alium vero eius fructum insinuat illud eiusdem, Mansueti autem hæreditabunt terram: & delectabuntur in multitu-
Psal. 39. dine pacis. Mansuetudinis enim (quæ ab omni ira, conuitio, & vindictæ cupiditate lõgissime abest) pax interna comes est. Ideoque mox subdit. Delectabuntur in multitudine pacis: quæ videlicet fructus & comes est mansuetudinis.

Generosi & magni animi est, non reddere malum pro malo, sed facilem ad veniam esse. Quod exemplo suo sanctus Patriarcha Ioseph docuit: à quo cum fratres grauissimi sceleris veniam peterent, non solum quam petebant, veniam concessit, sed fusis etiam lachrymis, eorum sortem miseratus, facinus eorum excusauit, & maiora illis beneficia promisit.

Canis in extraneos, non in domesticos inuehitur: & vbi iubetur silere, silet, & obtemperat. Hoc modo ira nostra moderanda est, vt videlicet aduersus vitia solum incandescat, obtemperetque præcipienti, atque dicenti, Hucusque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Sed
Prou. 27. quis tamen hoc ingens monstrum ita domare queat? Vnde est
Ibidem. illud, Graue est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati spiritus ferre quis poterit? Adde & illud
Prou. 15. ex Prouerbio. Vir iracundus prouocat rixas: & qui ad indig-
Ibidem. nandum facilis est, erit ad peccandum procliuior: Erit etiam idem hominibus inuisus: Sic enim legimus, Spiritum vero ad irascendum facilem, quis poterit sustinere? Adde & illud Ecclesiastici. 18. Ne sis velox ad irascendum: quoniam ira in sinu stulti requiescit. Item Prouerbiorum. 12. Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam callidus est.

Quàm

Quàm præceps, crudelis, & inconſulta ira ſit, aperte declaratur. 1. Reg. 25. exemplo Dauidis: qui quanuis religioſus, & pius, tamen ira percitus, totam Nabalis familiam vſque mingentem ad parietem ferro trucidare decreuerat. *1. Re. 25.*

Plura hac de re inuenies in concionibus noſtris Dominica. 6. poſt Pentec. ſuper illo, Niſi abundauerit iuſtitia veſtra &c.

Modeſtia.

OMnia age blandè, & dulciter, vt & actio tua diſcreta ſit, & lingua mitis. Greg. in Regiſt. *Grego.*

Interior eſt cuſtodia cordis, quæ ordinata, exterius ſeruat membra corporis. Qui ergo ſtatum mentis perdidit, ſubſequenter foris in inconſtantiam motionis fluit, atque exteriore mobilitate indicat, quod nulla interius radice conſtãtiæ ſubſiſtat. Greg. in Paſt.

Sicut obſtinati eſſe humilibus non debemus: ita diſtricti eſſe ſuperbis debemus. Greg. in Regiſt.

Modeſtia dicta eſt à modo, ſicut à temperie temperantia: vbi autem modus eſt atque temperies, neque plus eſt quicquam, nec minus. Aug. de vit. beat. *Auguſt.*

Grauitas tuam perſonam decet. Catonem illum Cenſorinum, & Craſſum, ſemel in vita riſiſſe ſcribit Lucillus. *Hierony.*

In modeſtia maximè tranquillitas animi, ſtudium manſuetudinis, moderationis gratia, honeſtatis cura, decoris conſideratio ſpectatur, & quæritur. Ambro. de offi. *Ambroſ.*

Abſit pertinax in familiari ſermone contentio, diſceptatio ſine ira, ſuauitas ſine amaritudine ſit, monitio ſine aſperitate, hortatio ſine offenſione. Idem vbi ſupra.

Caueamus ne dum laxare animum volumus, ſoluamus omnẽ harmoniam, & quaſi concentum quendam bonorum operũ. Vſus enim citò inflectit naturam. Idem de offi. lib. 1.

O quam compoſitum reddit omnem puellaris corporis ſtatũ, nec non mentis habitum diſciplina: ceruicem demittit; deponit ſupercilia, cõponit vultum, ligat oculos, cohibet cachinos, moderatur linguam, gulã frenat, iram ſedat, format inceſſum: talibus decet pudicitiæ veſtem diſtingui margaritis. Bernar. in epiſt. *Bernar.*

Sit

Isidor. Sit in gestu tuo grauitas, in motu simplicitas, in incessu honestas, nihil dedecoris, nihil lasciuiæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil leuitatis in tuo incessu appareat: animus enim in corporis gestu apparet, & species corporis simulachrum est mentis, figuraque probitatis. Isidor. lib. 2. soliloqui.

Caßia. Ornamentum bonorum omnium est syncera benignitas, quæ nunquam est sola: quia de virtutibus agnoscitur esse generata. Casio. in Epist.

Nouum est sub amore principis custodiri modestiam, quę tam clara, tam rara est: quia gaudia semper animos inquietant: modus enim raro lætis rebus interuenit. Idem lib. 4. epist.

Chrysost. Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus: audiat te homines parua mandantem, & grandia facientem. Chrysosto. super Matth.

Isocra. Ne seruus esto in rebus iocosis, nec inter seria ridiculis gaude. Nam quod intempestiuum est, vbique molestum est.

Cato. Quem superare potes, interdum vince ferendo.
Maxima enim morum sæpe sapientia virtus.
Aduersum notum noli contendere verbis.

Idem. Lis minimis verbis interdum maxima crescit.

Cicero. In neutram partem de nobis loquendum est.

Ludo & ioco vti illis quidem licet, sed sicut somno & quietibus, cæterisque cũ grauibus serijsque rebus satisfecerimus. Ipsum genus iocandi ingenuum & facetum esse debet: non profusum, nec immodestum, sed semper in ipso ioco aliquid probi ingenij lumen eluceat. Idem. 1. de offici.

Vt pulchritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipso, quòd inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic hoc decorum quod elucet in vita, mouet approbationem eorum quibus cum viuitur, ordine & constantia, & moderatione omnium dictorum atque factorum. Idem ibidem.

Adilon. Affabilitas ad conciliandam amicitiam efficacissima.

Adilon. Decet peregrinum in primis modestia.

COLLE. ¶ Vestem, ait Dominus Leuiti. 19. quæ ex duobus commixta est, non induas. Quid hoc ad religionem? Sed hac lege primum dupli-

citas

citas cordis prohibetur, deinde terrena intentio in bono opere dã natur. Hypocrisis etiam vitium reprehenditur, quæ aliud intus, aliud foris repræsentat. Postremo inæqualitas morũ & vitæ quorundam improbatur: qui modo tristes ac lamentantes vsque ad lachrymas compunguntur, modò cachinis & risu dissoluuntur, nũc nimium tetrici, nunc nimium leues: nunc muti vt bos, nunc magis quàm psitacus garruli.

Per gratiam adoptionis fit homo diuinæ naturæ particeps, qua diuinæ bonitatis effigiem in suis moribus refert. Quod Ioan. expressit, cum ait, Qui nõ ex sanguinibus &c. Sed ex Deo nati sunt: atque ita diuinum quiddam in incessu, statu, habitu, & in omnibus actionibus suis spirant. Videmus aquam igni admotam, sursum ferri (quod ignis proprium est) & vapores etiam terræ calore solis tapefactos, sursum agi, & ferrum in ignem coniectum splendorem ignis imitari. Quid ergo mirum, si homo spiritu Dei plenus spiritualem & diuinam vitam præseferat? *Ioan.3.*

Qui altam facit domum suam, quærit ruinam, item, Noli laborare vt diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. Item, Ne erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes: quia facient sibi pennas vt aquilæ, & volabunt in cœlum. Hinc illud Apostoli, Nõ plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Hinc & illud, Domine non est exaltatum cor meum &c. Neque ambulaui in magnis &c. His omnibus testimonijs modestia commendatur, ne se homo efferat supra se: sed intra mẽsuram suam manens, sua sorte contentus sit, nec immoderata concupiscat. *Prou 17.* *23.* *Rom.12.*

Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. Ex risu cognoscitur vir, & ab occursu faciei sensatus. Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis indicant de illo. *Eccli.21.*

Ad modestiæ laudem pertinet vitare quod Eccli. 22. damnat. Pes fatui faciles in domum proximi sui. Et, Stultus à fenestra respicit in domum, vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis auscultare per ostium, & prudens grauabitur cõtumelia. Ad idem pertinet & illud, Aduocatus à potentiore discede: ex hoc enim magis te aduocabit. Eccli.13.

Omnia in vobis (ait Apostolus) secundum ordinem fiant. Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt. Vnde in Cant. Sponsæ *1.Cor.14*

pulchritudo malo punico aßimilatur: cuius grana, & purpureo colore ardorem charitatis, & appositißimo ordine & collocatione eius aptißimum in cunctis ordinem designát: quæ duo præcipua fidelis animæ ornamenta sunt.

Linguæ moderatio.

COLLE. QVam sit difficile linguam regere & moderari, quantumque ad animæ nostræ salutem hæc ipsa cura necessaria sit, vel hoc vno argumẽto perspicere licet, quod tam multa in literis sanctis hac de re Spiritu sancto dictante, scripta sint. Quorum nos aliqua in eorum gratiam qui hunc linguæ nostræ scopulum studiose vitare cupiunt, hoc in loco attexere voluimus.

Salomon igitur Prouer. 13. sic ait, Qui custodit os suum, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum sentiet mala. Idemque Prouer. 22. eandem fere sententiam repetit his verbis, qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam. Ad vtrumque igitur linguæ moderatio valet, vt & animæ periculum, quod ex lapsu linguæ prouenire potest, deuitemus: & angustias variaque incommoda quæ ex hac iniuria consequi solet, fugiamus. Regius autem Propheta, inter ea præcepta quæ ad æternam vitam consequendam requiruntur, primo loco linguæ moderationem numeret his verbis, Quis est homo qui vult vitam & diligit dies videre bonos &c. Prohibe ait linguam tuam à malo, &. l. t. n. l. d. Hinc tritum illud, quamuis valde notandum, virtutem primam esse puto compescere linguã, Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere. Deniq; mors & vita in manibus linguæ. Quo circa orare semper oportet, Pone Domine custodiam ori meo &c.

Lingua placabilis lignũ vitæ: quæ autẽ moderata est, conteret spiritũ. Item lingua sapientũ ornat scientiã: os autẽ fatuorũ ebullit stultitiã. Recte autẽ ebulliendi verbo vtitur. Sicut. n. aqua fontiũ perpertua scaturigine manat: sic ex ore stultorũ stultißima & inania verba iugiter scaturiũt. Quin & sepulchrũ patens guttur eorũ esse vatẽs regius testatur, quod grauius est. Quã sit autẽ difficile linguã moderari, declarãt illa Salomonis verba Prou. 16. Hominis

est

est animã præparare & Dñi gubernare linguã. Illud etiã aduersus pręcipites in lingua; Qui pri⁹ respõdet quã audiat, stultũ se esse demõstrat, & confusione dignum. De hoc etiam dicitur. Sicut vrbs Prou. 25.
patẽs & absq; murorũ ambitu, sic vir qui nõ potest in loquẽdo cõ Eccl. 19.
tinere spiritũ suũ. Itẽ illud: A facie verbi parturit fatuus, quasi ge- Ibidem.
mitus partus infantis. Itẽ illud: Sagitta infixa fœmori canis, sic verbum in ore stulti. Quibus verbis quorundã futiliũ hominũ loquacitas & linguæ intemperantia grauiter castigatur.

Quanta in loquendo sobrietas & modestia adhibenda sit, insinuant illa Salomonis verba: Vidisti hominẽ velocem ad loquen- Prou. 29.
dum? stultitia magis sperãda est, quã illius correctio. Et totum spiritũ suum profert stultus, sapiens autẽ differt, & reseruat in posterum. Hoc enim vel præcipuum inter vtrumque sapientẽ, s. & stultum discrimẽ est, quod sapiens os habet in corde, stultus autẽ cor habet in ore. Nihil enim tacet, nihil dissimulat, nihil maturo silẽtio tegit: sed vbi primum aliquo affectu concitatus est, in aperta verba prorumpit: quibus frequenter se omnibus inuisum, & contemptibilem facit.

Qui plurimum verbis abũdant, fere semper in operibus egeni sunt: velut arbores, quæ quò pluribus folijs virent, hoc minus fructuum habere solent. Vnde est illud sapientissime dictum, Vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. Hinc Eccles. Eccl. 4.
monet: Noli esse citatus in lingua tua, & inutilis ac remissus in operibus tuis.

Loquendi modestiam commendant illa Eccl. verba: Si est tibi Eccl. 5.
intellectus, responde proximo tuo: sin autem sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato. Honor & gloria in sermone sensati, lingua autem imprudentis subuersio eius est. Eccl. 5.
Item verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & Eccl. 6.
lingua eucharis (idest, gratiosa & suauis) in bono homine abũdat.
Huc pertinet & illud. Responsio mollis frangit iram, sermo du- Prou. 15.
rus suscitat furorem.

Noli esse verbosus in multitudine presbiterorum & non iteres verbum in oratione tua. Itaque Pleonasmos, Perissologia, & Macrologia, vitia sunt non solum oratori, sed pio etiam homini vitanda, vtpote quæ & fastidium auditoribus pariant, & dicentis loquacitatem arguant.

Est qui labitur lingua sed non ex animo: quis enim est qui nõ labatur in lingua? Certus animi index sermo est. Vnde ferunt Socratem (cum ingenui cuiusdam pueri indolẽ explorare vellet) petisse ab eo vt loqueretur, quo illum videret. Sicut enim scaturiẽs aqua fontis, naturam terræ indicat, per cuius meatus trãsit, ita verba animum indicant à quo proficiscuntur. Hinc illud Eccli. 27. Si cut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis. Pro quo alius vertit; vt cultum arboris fructus eius indicat, ita corda hominum sermo.

Eccli. 27.

Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras auribus tuis. Aurum tuum & argentum tuum cõfla: & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos: & attẽde tibi ne labaris in lingua. Excute omnes metaphoras has: inest enim omnibus sua emphasis, quibus intelliges quanta cura & studio linguam moderari debeamus.

Eccli. 28.

Linguæ moderationẽ, & silentium nos docet Eccli. 32. his verbis. Audi tacẽs, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Adolescens loquere in tua causa, vix cum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens & quęrens.

Eccli. 32.

Linguæ petulantiam familiare esse vitium improborum hominum declarat Propheta Psal. 12. cum ait. Dixerunt, Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Sic Pharao dicebat: Quis est Dominus vt audiã vocẽ eius? Nescio Dominum & Israel non dimittam. Sic rex Assyriorũ: Quis (inquit) est Deus qui eripiat vos de manu mea? Sic impius Nichanor, pręcepta Dei ridẽs, interrogauit: An esset Deus in cœlo qui iussisset seruari diem sabbati? Cuius tamen blasphemiæ supplitium protinus consequutum est, vt Machab. 2. legimus.

Psal. 12. Exo. 5. Dan. 3. 2. Mac. 2

Magnæ virtutis & moderationis est impetum animi reprimere & linguæ intemperantiam cum affectus in animum erumpunt, cohibere. Hoc plane pręstare non poterat Eliu, vnus ex amicis Iob: cuius illa verba sunt. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit. Poterat tamen ille qui dicebat. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me. Obmutui & silui etiam à bonis: & dolor meus renouatus est. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea

Iob. 32. Psal. 38.

exarde-

exardescet ignis. Hoc est, Quamuis intus in animo vrerer, tamen linguā cohibui, & luctantia verba repressi, ne quidquā insolētius, aut imprudētius loquerer. Idem etiā testatur Psal. 16. Pro eo enim quod nos legimus, vt non loquatur os meū opera hominū, alij ex Hæb. verterunt. Quod cogitaui, non transiuit os meū. Hoc autem nemo præstat, nisi qui cor suum & linguam, imo & se ipsum sub se habet.

Pro eo quod nos legimus, Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorū, quoniam quis audiuit? Hiero. ex Heb. vertit, quasi nemo audiat. Sic enim se gerunt multi, nō solum in obloquēdi ac detrahendi licentia, quasi nullū licentiæ suæ testem in cœlo formidarent, cū tamē Dñs per prophetā dicat, Ego sum iudex & testis. *Psal.* 58. *Hier.* 29.

Vbi nos legimus, Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meijs, &c. Alij verterunt, custodi ostiū labiorum meorū. Intelligens ergo vir sanctus, quam difficile sit linguā coercere, ne de fama detrahas innocentis, ne per iram contumeliam dicas, ne multa loquaris ad volūtatem alterius contra quam sentis, ne plurima inutilia, leuia, inania, temere effutias, quorum omnium reddituri sunt homines rationem, vt Christus minatur apud Matth. Quo circa semper orandus est Deus, vt linguā nostrā moderetur, ne quid vnquā loquamur quod ad gloriam ipsius atque aliquem fructum aliorum non redundet. *Psal.* 140

Sermonis lenitatem atq; dulcedinē sponsus in sponsa commēdat cum ait. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuū dulce: vt intelligas pij hominis sermones, dulcedinis suauitate & lenitate esse condiendos. Idem etiam Prouer. 16. Salomon ostendit cum ait. Qui sapiens est corde, appellabitur prudens, & qui dulcis est eloquio, maiora reperiet, hoc est, qui prudentiæ cordis, dulcedinem adhibuerit sermonis is planè magis in Ecclesia proficiet. *Can.* 4.

Non omni homini cor tuū manifestes, ne forte inferat tibi gratiam falsam, & conuitietur tibi: Huc facit & illud, Amico & inimico noli narrare sensum tuum: & si est tibi delictum, noli denudare: Audiet enim te, & custodiet te &c. Item audisti verbū aduersus proximū tuū? commoriatur in te, sciens quod non te dirumpit. *Eccli.* 8. *Idem.* 19. *Idē ibid.*

Quam dissimilis sit stultorum & sapientum lingua, declarat Eccli. his verbis: Est tacens, qui inuenitur sapiens: & est odibilis, qui procax est ad loquendū. Est autē tacens, nō habens sensum lo- *Eccli.* 20.

quelæ & est tacens, sciens tempus apti temporis. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus, lasciuus autem & impudens non seruabit tempus. Qui multis vtitur verbis, lędit animam suam. Et infrà. 20. Sapiens in verbis seipsum amabilem faciet, gratiæ autem fatuorũ effundentur. Et mox. Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim illam dicit in tempore suo. Item; Narratio fatui quasi sarcina in via: nam in labijs sensati inuenietur gratia. Eccli. 21. Itẽ. 22. Labia imprudentum stulta narrabunt; verba autem prudentium statera ponderabuntur.

Honor, Laus.

Grego. GAudent interim sancti de suis profectibus, sed cum proximorum proficiunt vtilitati & cum se vident laudari pauent, ne spes futuri muneris, in mercedem permutent transitorij fauoris. Gregor. mor. 22. c. 9.

Iniustus audita laude sua polluitur, iustus purgatur. Pauet enim si talis Deo non ostenditur, qualis ab hominibus putatur. Idem vbi suprà.

Gregorius super illud Apoc. Mittentes coronas ante thronum, sic ait. Nempe quia certaminũ suorum coronas, non sibi tribuebát sed authori: ad illum referentes gloriam laudis, à quo sciebant se vires accepisse certaminis, authoris enim gratiam se negare conuincitur, qui sibi tribuit quod operatur. 22. mor. c. 10.

Cicero. Si quis est hoc robore animi, atque hac indole virtutis atque cõtinentiæ, vt respuat omnes voluptates, omnemque vitæ suę cursum in labore corporis atque in animi contentione conficiat, quẽ non quies, non remissio, non æqualium studia, non ludi, non conuiuia delectent, nihil in vita expetendum putet, nisi quod est cum laude & honore, & cum dignitate coniunctum: hunc mea sententia diuinis quibusdam bonis instructum, atque ornatum puto. Cicer. pro M. Cœlio.

Gloria est solida quædã res & expressa, nõ adũbrata: ea est consentiẽs laus bonorũ, incorrupta vox bene iudicantiũ de excellenti virtute: ea virtuti resonat tanquã imago gloriæ: quæ quia recte factorũ plerũque comes est, nõ est bonis viris repudianda. Illa autẽ quæ se eius imitatricẽ esse vult, temeraria, atque inconsiderata, &

plerũque

plerũque peccatorũ, vitiorũque laudatrix fama popularis, simulatione honestatis, formam pulchritudinẽque corrumpit. Tu ergo quæ habent speciẽ gloriæ collecta ex inanissimis splendoris insignibus contemne, breuia, fugacia, & caduca existima. Cice. 3. Tusc.

Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia tanquam flosculi celeriter decidunt, nec simulatum quicquã potest esse diuturnum. Idem. 2. offic.

Ea est profecto iucunda laus, quæ ab his proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. Idem famil. lib. 15. ad M. Catonem.

Honos alit artes, omnesq; incendimur ad studia gloria, iacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur. Idem. 1. Tuscul.

Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi philosophi etiam in illis libellis quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, in quo prædicationem & nobilitatem despiciunt, prædicari se atque nominari volunt. Cic. Pro Arch. Poeta.

Pestis maior esse nulla in amicitijs potest, quam in quibusdam honoris certamen & gloriæ, ex quo inimicitiæ maximę sæpe inter amicissimos extiterunt. Idem in Lælio.

Facillime ad res iniustas impellitur, vt quisque est altissimo animo & gloriæ cupido. Idem. 1. offi.

Quis honorẽ, quis gloriam, quis laudem, quis vllum decus tam vnquam expetijt, quã vt ignominiam, infamiam, cõtumeliam, dedecus fugiat? Idem in Part. Orat.

Nemo est tam agrestis, quem si non ipsa honestas, contumelia tamen & dedecus magnopere moueat. Ibidem.

Aphricanus Socraticum Xenophontem in manibus semper habebat, cuius imprimis laudabat illud, quod diceret, eosdem labores non esse æquè grandes imperatori atque militi: quod ipse honos laborem leuiorem faceret imperatorum. Idem. 2. Tuscula.

Vt quidam morbo aliquo & sensus stupore suauitatem cibi nõ sentiunt, sic libidinosi, auari, facinorosi, vere laudis gustum non sentiunt. Cicer. Phil. 2.

¶ Magna malorũ pars in eo sita est, quòd omnes verũ honorẽ ignorãtes, in ijs reb⁹ laudẽ & honorẽ posuerũt, quę honore indigna

COLLE-

ſunt: videlicet in familia, in comitatu, in cultu veſtium, in opibus, & potentia, cum tamen honor primum virtutibus, ac deindè litteris & ſcientiæ debeatur. Inter virtutes autem magnanimitas, liberalitas, clementia, fortitudo, & prudentia, in ciuitatibus bene inſtitutis, in magno ſemper honore habitæ ſunt. Hæc enim vere in pretio habentur, ac proinde merito laudantur: Cætera vero bonis & malis communia ſunt: viliſsimis enim hominibus ſæpe contingũt. Virtus autem ſola eſt, qua nemo male vti poteſt, quæque poſſeſſorem ſuum vero afficit honore.

Quiſquis recte ſapit curam boni nominis ſimul & innocentiæ ita coniungere debet, ne alterum alteri obficiat. Quod vtrumque recte Guerricus Abb. in ſermone S. Benedicti complexus eſt, cũ ait. Prælatus, nec conſcientiam lædat propter famam, nec famam fiducia conſcientiæ negligat.

Si hominibus placerem ſeruus Chriſti non eſſem. Ex his verbis colligitur non leue veræ virtutis indicium eſſe, mundo diſplicere. Quod quidẽ ex illis Domini verbis intelligi poteſt, quibus ad patrem loquens ait. Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit: Itaque in argumentum collatæ ſuſceptæque ab Apoſtolis doctrinę, hoc adducit, ꝙ mũdus eos odio habuerit. Cuius rei cauſam alibi idem Dñs aſsignat, cũ ait: Si de mũdo fuiſſetis, mundus quod ſuũ erat diligeret: quia vero nõ eſtis de mundo &c. Similia enim inter ſe cohærẽt diſsimilia vero & contraria irrecõciliabile aduerſum ſe bellũ gerunt. Hinc elementa quæ dicuntur Symbola, in pace degunt: quæ vero ſymbola non ſunt, mutuã ſibi perniciem continuo machinantur. Cum ergo totus mundus in maligno poſitus ſit, quomodo piorum hominũ ſtudia ſtudijs ſuis contraria probare poterit? Quiſquis igitur malis diſplices deijci animo non debes, cum hoc frequenter virtutis & integritatis indicium ſit. Non enim talis eſt mundus vt iudicium eius pertimeſcere debeamus. Athenienſium ciuitas Sapientiæ laude florentiſsima Ariſtidem, qui ea æquitate vixit, vt Gręcorum fœlicitas ſit dictus, & quæ eum tulit ætas aurea ſit appellata, tamen exilio damnauit: non aliam ob cauſam, niſi (vt ipſa teſtata eſt) quòd ferre nõ potuit, vnius viri virtutes paſsim prædicari. Socratem quoq; ſumma integritate Philoſophũ, ſimili penè ratione morte mulctari iuſsit. Cuius ſupplicij tãta ſequuta eſt pœnitẽtia, vt accuſatoribus inſigniter

mul-

multatis, statua fuerit illi publice decreta; adeo leuiter interdum multitudo & amat, & odit. Cæterũ quamuis hoc ita sit, nõ ideo tamen cura boni nominis (quo ad fieri potest) negligenda est. Sic enim in Ecclesiastico legimus. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis proderit tibi quam mille thesauri pretiosi & magni. Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum. *Eccli. 41.*

Vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Vnde est illud, Qui audit, dicat, veni. Itaque fidelis omnis quamuis prædicatoris munus non exerceat: exẽplo tamen honestæ vitæ præsentes, odore autem bonæ famæ absentes ædificare curabit. Quod fecit sanctus ille Simplicianus: cuius boni nominis odor Augustinum pellexit, vt ad illum pergens, & æstus suos cum illo conferens, monita ab eo salutis acciperet. Hinc Sponsa in Cant. lilium appellatur: quod candoris puritate intuentes, odoris vero suauitate longius positos lætificat. Vtrumque autem Dominus commendauit cum ait, Sic luceat lux vestra c.h. &c. Candor tamen lilij cũ virtutum omnium puritatem, tum maximè castitatem significat, quæ vel maximè candoris sui puritate mentes hominum afficit, sicut contra Luxuriæ vitium turpitudine sua easdem offendit & abalienat.

Quemadmodum olim Deus in lege carnalibus hominibus (qui nihil nisi quæ carnis sunt, & sapiunt, & cupiunt) carnalia bona (si iustitiam & pietatem colerent) promittebat: vt hac ratione saltem ad virtutem inducerentur: quam tamen semel quidẽ arripientes, postea ex charitate illam sectarentur: sic honoris cupiditatem, & verecundiæ affectus animis nostris ingenerauit (quorum altero ad virtutem inuitaremur, cui vni debetur honor: altero à vitijs auocaremur: quæ sola vere pudenda sunt) Quamuis enim virtus hoc fine quæsita, vera virtus non sit: aditus tamen quidam, & dispositio ad virtutem est: minus enim ab ea distat, qui sic eam colit, quam qui ab ea prorsus alienus est. Hoc enim nomine seruilẽ timorem commendamus, & Spiritus Sancti munus esse dicimus, quod videlicet quemadmodum seta filum: ita seruilis timor filialem introducit. *T. Verecũdia.*

Quomodo probatur in conflatorio argentum: & in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantiũ. Vix enim quisquã est, qui

non laudibus suis faueat. Quamuis enim laus quæsita non sit, oblata tamem delectat, nisi quis animum iam in abyssum demerserit humilitatis.

Superbia.

Gregor. CVnctis superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imaginatione, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper ad irrogandas cõtumelias valida, ad tollerandas infirma: ad obediẽdũ pigra, ad lacessendos vero alios importuna; ad ea quæ facere & debet, & præualet, ignaua: ad ea vero quæ nec debet, nec præualet, parata. Greg. in mor.

Difficile in se quisquã inueteratã superbiã deprehẽdit: qa nimirũ hoc vitiũ quãto magis patimur, tãto min⁹ videm⁹. Gre. vbi sup.

Cũ voluptas lubrica tentat in prosperis, hæc ipsa prospera sunt aculeo tẽtationis opponenda: vt eo magis erubescamus praua cõmittere, quo nos à Deo meminimus gratuita dona percepisse. Gregor. sup. Ezech.

Numerari culpæ nequeunt, quæ habẽdæ potestatis amore perpetrantur. Greg. in mor.

Cũ is qui de terrena prius gloria superbiebat, post modum de sanctitate extollitur, nequaquã elatio corp⁹ eius deseruit, sed ad eũ cõsueta veniẽs, vt cognosci nequeat, vestẽ mutauit. Greg. vbi sup.

Deus aliquando punit occultã mentis superbiã, per manifestã carnis ruinam. Greg.

Quid est virtus nisi medicamentum? & quid est vitium nisi vulnus? quia ergo nos de medicamẽto vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamẽtum, vt qui virtute percutimur, vitio curemur. Greg. in mor.

Plerũque virtus habita deterius quã si deesset interficit: quia dũ mẽtẽ erigit, elationis gladio trãsfigit. Greg. in mor. lib. 7. c. 11.

Accepta dona amittit, qui de ipsis extollitur. Gregor. vbi suprà lib. 9. c. 1.

Qui de perfectione se erigit, habere se bene viuendi nec initiũ ostendit: & cum extollimur, nec inchoasse nos monstramus. Gregor. vbi suprà.

Cum

Cum hominem tumere Deus conspicit, se sibi illũ ostẽdẽdo dereliquit, & eius mẽs derelicta quid sit inueniat, quæ male in se secura gaudebat. Greg. vbi sup. lib. 10. cap. 13.

Super illud. Vir vanus in superbiam erigitur. Anima quæ amisisse se innocentiam non dolet, iusto Dei iudicio etiam humilitatem perdit. Greg. vbi sup. cap. 15.

Inter cœlũ & terram leuatur amphora, vbi sedet impietas: quia superbi & proximos despiciunt, & cœlum non apprehendunt. Greg. lib. 14. c. 28.

Propheta qui ab alio deceptus comedit, forte prius quod cõtra regẽ se opposuerat intumuit. Greg. in Mor. lib. 23. c. 28.

Sæpe superbi inde sub se prosternuntur, vnde super ire videbantur: & qui per superbiam peccant, permittente Deo in vitia carnis labuntur. Greg. 26. Mor. c. 12. & 13. vide locum.

Quia humiliassi tanquam vulneratum superbum, & tumore meo separabar abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos. August. confes. lib. 7. *August.*

Memento quia puluis es, quia cinis es, quia putredo & vermis es: quique & si altus es, nisi tanto te humilies, quanto magnus es, perdes omnino quod es? Nunquid tu altior es, quã primus Angelus? Nunquid splendidior in terra, quã Lucifer in cœlo? Quod si ille de tanta sublimitate per superbiã cecidit, quomodo tu ad tantam celsitudinẽ superbiens, de imis ascendes? Aug. de conflic.

Audeo dicere superbis esse vtile cadere in aliquod apertũ manifestumque peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quãdo fleuit, quã sibi placuit, quãdo præsumpsit. Idem de ciuit. Dei.

Quid tam opus habens misericordia quã miser? & quid tã indignum misericordia quam superbus miser? Idem de lib. arb.

Cætera vitia in malefactis valent, sola superbia etiam in rectè factis est cauenda, Idem lib. de natura & gratia.

Si vix toleratur diues superbus, pauperem superbum quis feret? Idem ser. 29.

Vermis diuitiarum est superbia. Difficile est, vt non sit superbus, qui diues est. Tolle superbiã, & diuitiæ non nocebunt. Idem ser. 31.

Quid prodest dispergendo dare pauperibus, & pauperẽ fieri, cum

cum anima misera superbior efficitur diuitias cōtemnēdo, quam fuerat possidendo? Idem in Regula. Cler.

Humilitas homines sanctis Angelis similes facit: & superbia ex Angelis Dæmones facit: & vt euidenter ostendam, ipsa est omnium peccatorum initium, & finis, & causa; quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullū peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse, sine superbia. Idem ad quendā comitem?

Fit miris modis in anima hominis, vt de falsa humilitate magis infletur, quam si apertius superbiret. Idem in quadam epist.

Hieron. Initium omnis peccati superbia est: quæ natione cœlestis, sublimiū mētes inhabitat, sub cinere & cilicio latitās. Hiero. in Epist.

Nihil ita à pueritia vitare conatus sum, sicut tumentem animū & erectam ceruicem Dei cōtra se odia prouocantem. Noui enim magistrū & Dominum meū, in carnis humilitate dixisse. Discite à

Isido. me: quia mitis sum & humilis corde. Idem ibidem.

Superbia sicut est origo omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum: ipsa enim est in peccato prima, in conflictu postrema. Isidor. de sum. bo.

Sicut per superbiā mentis itur in prostitutionem corruptæ libidinis: ita per humilitatem mentis saluabitur castitas carnis. Idem.

Principaliter his duobus vitijs Diabolus humano generi dominatur: idest, superbia mentis, & luxuria carnis. Idem.

Plerunque vtile est arrogantibus deseri à Deo: quatenus suæ infirmitatis conscij ad humilitatē redeant, vt humiles post casum

Bern. existant. Idem lib. 3. de sum. bon.

Monachus præsumptuosus primus in conuentibus residet, in consilijs primus respondet: non vocatus accedit, non iussus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta. Quidquid ipse non fecit, aut ordinauit, nec rectè factum, nec pulchrè æstimat ordinatum: iudicat iudicantes, præiudicat iudicaturis. Si cum tempus aduenerit, non promoueatur ad prioratum, abbatem aut inuidum iudicat, aut deceptum Bern. de. 12. Grad.

Si quis deuotus, si quis solicitus est, si quis spiritu feruens, caueat sibi, ne suis fidat meritis, ne suis operibus innitatur: quia nec huiusmodi animum intrat gratia: nimirum quia plenus est, nec in eo iam inuenit gratia locum sibi. Idem supra Cant.

Est

Est superbia & delictum maximũ, vti datis tanquam innatis: & in acceptis beneficijs gloriam vsurpare beneficij. Idem de dilig. Deo.

Cætera vitia solas illas virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur: vt luxuria pudicitiam, ira patientiam: sola vero superbia contra cunctas animi virtutes se erigit: & quasi generalis & pestifer morbus omnes corrumpit. Hugo. lib. 2. de Anima. *Hugo.*

Superbia turrim euertit, linguam confudit, prostrauit Goliam, suspendit Amam, interfecit Nichanorem, peremit Antiochũ, Pharaonem submersit, & Sennacherib interemit. Sedes enim ducum superborum destruxit Deus, & radices gentium superborum arefecit. Innocent. de vil. cond. hum. *Innocen.*

Omnis fere vitiosus diligit sibi similem: solus superbus odit elatum. Vnde inter superbos semper sunt iurgia. Idem ibidem.

Superbia est Dei abnegatio, inuentio dæmonum, aspernatio hominum, condemnationis mater, laudum progenies: sterilitatis argumentum, diuini adiutorij expulsio, stuporis præcursor, lapsuũ ministra, casus materia, iracundiæ fons, simulationis ianua, firmamentum Dæmonum, delictorum custos, duritiæ & crudelitatis artifex, compassionis & misericordiæ ignoratio, amarus exactor, immitis iudex, Dei aduersatrix, blasphemiæ radix. Clim. Grad. 22. *Ioã. Cli.*

Superbus monachus Dæmone opus non habet: ipse enim iam sibi & Dæmon, & hostis, & inimicus est: Alienissimę à luce sunt tenebræ: ita & superbus à virtute omni alienus est. Idem ibidem.

Visibilem superbiam sanabit mœstus & abiectus habitus: inuisibilem vero, solus qui est ante secula curabit. Idem in compend. super dict. om. recapit.

Tolerantiæ, & prudentiæ, & iustitiæ amatorem decet elationẽ & magnos spiritus detrahere: nam magnũ est argumentum vere exerceri virtutẽ, si omnis molestia adsit, & arrogãtia absit. Philon. *Philon.*

¶ Superbi reipsa dicunt, quod Regi Tyri Ezechiel improperat. d. O Tyre tu dixisti, Deus ego sum. Quonam modo? Quemadmodum Propheta idem statim explicat. d. Posuisti cor tuũ, quasi cor Dei. Quod plane superbi faciunt, qui sese supra humanæ naturæ modum efferentes diuinos pene ab hominibus honores exigunt: COLL. E.

gunt: omnibusque imperare, & nemini parere volunt, quod vnius Dei proprium est.

Cur superbos ac præsumptuosos vocare solemus stultos: cum tamen nec auaros, aut maledicos, aut voraces, aut alijs vitijs inquinatos, hoc nomine appellemus: quo etiam nomine eos sacræ litteræ notarunt. Cum enim Dauid in superbiam elatus, numerare populum iussisset, vbi errorem suum intellexit, nimium stulte se egisse confessus est. Causa autem esse videtur, quia quanuis omnis peccans sit ignorans, & errent omnes qui operantur malũ, in nullum tamẽ crimẽ tot incidũt errores, vt in hoc. Errãt enim superbi qui de rebus alienis gloriãtur, cũ omnia bona siue naturæ siue gratiæ, siue etiam quæ vulgo appellantur fortunæ, à Deo sint. Quid enim (ait Apostolis) habes, quod non accepisti? si vero accepisti &c. Secundo errant, quia frequenter de rebus nihili gloriantur, vt de veste pretiosa, de caliga, aut calceo studiose astricto, de flaua cæsarie, de pennis auium, quas pileo infixas in capite gestant, de rubo aut albo colore ementito, & aliunde mutuato, similibusque nugis. Quid enim hac gloria inanius atque dementius? Tertio errant, dum alios pro nihilo habent atque dispiciunt, eosque vix homines arbitrantur. Quarto errant, dum multis se necessitatibus implicant, vt fastum & sæculi pompam sustentare splendide possint. Quinto errant, dum omnia ad inanem hanc ostentationem ordinant atque componunt, vestes, gressus, verba, gestus, incessum & actiones demum omnes. Error autẽ finis omnia damnat.

1. Cor. 4.

Eccli. 10. Odibilis coram Deo & hominibus superbia. Item initium superbiæ hominis apostatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor eius. Pro quo alius vertit: Initium superbiæ est defectio hominis à Deo & à creatore suo abductus animus. Vbi enim homo mentem à Deo auocat, sibi protinus fidere, seque & gloriam per se incipit quærere. Sequitur deinde, Initium omnis peccati superbia, qui tenuerit illam adimplebitur maledictis & subuertet eum in finem. Quæ vero mala superbiam sequãtur, persequitur deinde his verbis: Propterea exhonorauit Deus conuentus malorum &c. quæ sequuntur. Eccl. 10.

Superbiam esse grauissimum peccatum declarat versiculus ille Psalm. 18. Pro eo enim quod nos legimus, Ab occultis meis &c.

Hiero.

Hiero. ex Hebr. vertit. A superbis quoque libera seruũm tuũ &c. Ac deinde, emũdabor à delicto maximo. Quo verbo superbiam inter maxima delicta cõnumerat. Est enim initium omnis peccati. Vnde duplici nomine maximum est: tum malitiæ fœcunditate, tum grauitate.

Superbia initium omnis peccati esse dicitur, quoniã vehementer homines ad omnia scelera instigat. Cætera enim vitia certis quibusdam itineribus ad id tendunt, quod cõcupiscunt certè nõ admodũ euagantur: at superbia, quæ inordinatus gloriæ siue propriæ excellẽtiæ amor est, ad hũc finẽ multis ac varijs itineribus cõtendit. Quid enim est in rebus humanis magnum quod ad hanc gloriam aliqua saltem ratione nõ cõducat? Ad hoc enim deseruit eruditio, nobilitas, pecunia, ampla domus & familia, affinitas, principum gratia, potẽtes amici, rei militaris scientia, splendida mẽsa, pretiosa vestis, peristromata, cæteraque domestica ornamenta & id genus alia penè innumera. Quæ omnia superbus eodem amore quo gloriam ardentissime cupit: tanquam instrumenta & adiumẽta quibus ad id quod appetit peruenire queat: qua in re latissimus cupiditati aperitur cãpus, (quæ malorũ omniũ radix est) dũ quibusuis artibus, siue iure siue iniuria id assequi nititur quod cõcupiscit. Iam vero si quis illi in hoc cursu obsistere velit, quam varie afficitur & angitur? modo enim iracundia rumpitur, modo mœrore contrahitur, nunc inuidia contabescit, nunc odio furit, nunc falsam litem intendit, ac denique sursum ac deorsum omnia miscet. Hac ergo ratione superbia peccati omnis radix esse dicitur. Vt omittam interim, quod ea vel maximè obicem ponit diuinæ gratiæ, qua deficiente, quę mala non sequentur?

Ambitio.

NVnquid hoc quoque tentationis genus cessauit à me, aut cessare in hac tota vita potest timeri, & amari velle ab hominibus, nõ propter aliud, sed vt inde sit gaudiũ quod nõ est gaudiũ? Misera vita est, & fœcunda iactantia. Hinc fit vel maxime nõ amare te, nec caste timere te. Itaque nobis quoniam propter quędã humanę societatis officia necessariũ est amari, & timeri ab hominibus, instat aduersari⁹ verę beatitudinis nr̃ę, vbiq; spargẽs in laqueis, euge, euge: vt dũ auide colligim⁹, incaute capiamur, August.

& à

& à veritate tua gaudium nostrum deponamus, atque in hominú fallacia ponamus, libeatque nos amari, & timeri non propter te, sed præ te. Nos autem Domine pusillus grex tuus ecce sumus, tu nos posside. Prætende alas tuas, & fugiamus sub eas. Gloria nostra tu esto, pro te amemur, & verbum tuum timeatur in nobis. Qui laudari vult ab hominibus iudicante te, nec eripietur damnante te. Aug. Confess. lib. 10.

Sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita si desit qui presidet, occupationis onus libenti necesse est animo subire. Gregor. in Reg.

Hierony. Plures in hoc ipso placere cupiunt, quod placere contemnunt: & mirum in modum laus dum vitatur, appetitur. Hiero. in epist.

Ambro. Sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subuertere, facit ambitio criminosos. Habet enim forésem gratiam, domesticum scelus: & vt dominetur alijs, prius seruit. Ambro. sup. Luc.

Bernar. Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo: & tunc verè non sapio quæ Dei sunt. Bern. sup. Missus est.

Radix iniquitatis ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parés, vitiorum origo, criminis fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, generans ex medicina languorem. Idem sup. Qui habitat.

Pet. *Ra.* Ambitio est quædam simia charitatis: charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis: charitas benigna est pauperibus, ambitio diuitibus. Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate: Vtraque omnia credit, omnia sperat, sed longè dissimili modo. Pet. Raue. in serm.

Innoc. Ambitiosus semper est pauidus, semper attentus ne dicat quod displiceat: humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitaté exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur & obsequitur, cúctos honorat, vniuersis se inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit & amplexatur, applaudit, & osculatur. Vnde nouit istud poeticum. Etsi nullus erit puluis, tamen excute nullum. Innocent. de vtil. condit. hum.

Ecce ambitiosus grauem intra se sustinet pugnam, difficilemque

que conflictum, dum iniquitas pulsat animam, ambitio continet manum, & quod illa suggerit, hæc fieri non permittit. Colludunt ad inuicem mater & filia, iniquitas & ambitio: hæc vendicat sibi publicum, illa secretum. Idem ibidem.

Ambitiosus statim vt est ad honorem promotus, in superbiam extollitur, in iactantiam effrenatur: non curat prodesse, sed gloriatur præesse: præsumit se meliorem, quia cernit se superiorē: priores dedignatur amicos: notos ignorat, externos commitatur: contemnit antiquos, vultum auertit, ceruicem erigit, fastum ostēdit, grandia loquitur, sublimia imitatur. Idem ibidem.

¶ Magna fuit illa Pharaonis crudelitas, qua liberum Dei populum in luto & lateribus conficiendis seruire coegit: longe tamen maxima fuit, quod subtractis paleis, eandem laterum mensuram præbere iussit. Quam illi non ferentes, ad tyrannum confugere clamantes, Paleæ non dantur nobis, & eadem mensura laterum imperatur. En serui tui flagellis cædimur, & iniuste agitur contra seruos tuos. Quid hac tyrannide violentius? At similem huic Diabolus Mundi huius princeps, aduersus ambitiosos atque superbos homines exercet: quos licet pauperes, & rerum omnium quasi palearum egentes, ad hoc tamen perducit, & instigat: vt non minori apparatu & pompa viuere velint, quam si opibus & omni rerum copia circunfluerent. Subtractis enim opibus quasi paleis, eadem illa quæ erat in abundantia libido ac superbia manet: quæ nullis rerum aduersarum incōmodis debilitata & fracta est: Quo quid esse vel miserius, vel dementius potest? COLLE.

Sicut ex magna appetitus corruptione prouenit, vt ægroti quidam, præsertimque grauidæ mulieres terram auidissime comedāt eoque cibo delectentur: ita ex magna iudicij corruptione procedit, vt homo famulorum comitatu, & domesticorum parietum ornatu ceterisque similibus adeo oblectetur, vt propter hæc ipsa parāda atq; tuenda, diuina & humana iura violare non dubitet.

Cum æquales tuos ad honores videris promoueri, te autem in humili & obscuro loco iacere, habes illa Eccli. verba quibus te consoleris: Confide in Deo, & mane in loco tuo. Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem. Benedictio Dei in Eccli. 10.

mercedem iusti festinat: & in honore veloci processus illius fru-ctificat.

Quam sit pestilens ambitionis & inuidiæ virus, & quam tetra facinora, quãtaque ab eo mala oriantur facile videbit quisquis in-faustissimam illam tragœdiam Core, Datham, & Abiron quæ Num.16. narratur, diligenter aduerterit, ex illa enim ea coniuratio, ex ea obstinata aduersus præpositos Domini rebellio (quã Moses blasphemiam contra Dominum esse definiuit,) exorta est: quod videlicet Core cum socijs sacerdotium sibi vendicare (vt ibi dem Moses ait) ambierunt. Ex eademque horrendus ille terræ hiatus, & nouum atque inauditum mortis supplicium duxit originem. Qualis igitur radix illa est, vnde tam acerbi & letales fru-ctus prodierunt. Horum igitur spiritu aguntur quicumque simi li cupiditate ducti ad magna aspirant sacerdotia.

Prou. 25. Mel inuenisti, ait Salomon, comede quod tibi sufficiat, ne forte satiatus euomas illud. Eleganter hoc D. Bernardus ad mundi plausum atque fauorem refert: quod quidem propter proximorum salutem parce quidem sumendum est. Qui enim se illo saciari studet, omnia cogitur euomere, quia nec alijs nec sibi vtilis erit. Eo enim deducitur mens arrogantia tumẽs, vt aliorum etiam laudem suam reputet ignominiam.

Arrogantia, Præsumptio.

Gregor. PIa conditoris dispensatione agitur, vt de se confidens anima, dispensatoria tentatione pulsetur, quatenus infirmata, quid sit inueniat & prœsumptionis propriæ fastum deponat. Greg. in Mor.

Qui accepta dona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat. Greg. in Mor. lib. 9. cap. 1.

Superbus dum multa bona se simulat habere quæ non habet perdit etiam illa quæ habet. Idem Mor. lib. 9. cap. 5.

August. O homo, ideo non vicisti, quia de tuo præsumpsisti. Qui præsumit de viribus suis antequã pugnet, ipse prosternitur. Augu. in ser.

Valerius. Cum non sit nostrum quod sumus, quomodo nostrũ est, quod habemus? Stultitiæ genus est, vt cũ alij debeas vitæ beneficium, tibi ascribas ornamenta virtutum. Val. Epis. in quod. serm.

Necesse

Necesse est sibi multum tribuat qui se nulli comparat. *Quinti.*
Multis displiceat oportet qui sibi nimium placet. *Adilon.*

¶ Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus: ne forte elidatur virtus tua per stultitiam & folia tua comedat & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo. COLLE.

Contra prǽsumptionis & arrogantię vitium acriter Eccli. 37. inuehitur, his verbis: O præsumptio nequissima vnde creata es cooperire aridam malitia & dolositate illius: vel (vt alius vertit) vnde nam prorepsisti, vt terram operires? Ex quibus verbis patet quam late pateat magnum hoc malum.

Inanis Gloria.

NEscit laudem cum suppetit, fugere, qui ad hanc didicit, cũ deesset, anhelare. Greg. in Past. *Greg.*

Sæpe bono operi dum laus humana obuiat, mentem operantis immutat: quæ quanuis quæsita non fuerat, tamen oblata delectat. Cuius delectatione dum mens bene operantis resoluitur, ab omni intentione intimi vigoris dissipatur. Greg. vbi supra.

Cum bona fratres agitis, semper ad memoriam mala acta reuocate: vt dum caute culpa conspicitur, nunquam de bono opere incaute animus lætetur. Greg. in hom.

Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? ac si iustificato peccatori veritas dicat. Virtutes à me acceptas tibi nõ tribuas. Noli contra me de meo munere extolli: Recole vbi te inueni, quando meo te timore solidaui. Vt ergo ego in te nõ destruã quod in te construxi, ipse nõ cesses cõsiderare quod in te reperi. Greg. sup. Iob. 36. Sub hoste quem prosternit, moritur, qui de culpa quam superat, eleuatur. Greg. lib. 20. Mor.

Sæpe hostis grauibus cogitationibus subtilitatem admiscet: vt dum laus de subtilitate quæritur, puritatis simplicitas amittatur. Greg. in Mor. lib. 2. c. 33.

Sæpe de opere extollimur: sæpe de hoc quod extolli contemnimus: Nõ sec⁹ ac ille qui solẽ importune respicit, inde. n. nihil videt vnde amplius videre conabatur. Greg. vbi sup. lib. 9. cap. 17.

Quo arbor altius ad superiora surrexerit, eo vim ventorum vehementius sentit: quia quo plus quisque in bona opera attollitur, eo ampliori ab ore laudantium fatigatur. Greg. 22. Mor.

Valde perfectorum est sic ostenso opere, autoris gloriam quærere, vt de illibata laude nesciat priuata exultatione gaudere. Greg. vbi sup.

Quicumque se dum benefacit extollit, maiorem culpam superbiendo peragit, quam bonam mercedem largiendo: sitque nudus, dum nudum vestit, & fit se deterior dum putat meliorem. Greg. 21. Mor. c. 14.

Bona quæ innotescũt hominibus, vix esse possunt sine periculo. Greg. 23. Mor. c. 4.

Sæpe acuti ingenio ijsdem telis quibus hostem feriunt, prosternuntur, dum in illis gloriam propriã quærunt. Greg. 23. Mor. c. 6.

Propria laus iustos cruciat, iniquos exaltat. Vide Prouer. 17. Et vide Greg. 26. Mor. cap. 30. in quo exponitur, quid iustus cogitat cum laudatur.

August. Ecce in te veritas video non me laudibus meis propter me, sed propter proximi vtilitatem moueri oportere. Et vtrum ita sit nescio. Minus mihi in hac re notus sum ipse, quam tibi. Obsecro te Deus meus, & me ipsum mihi indica, vt cõfitear oraturis pro me fratribus meis, quod in me sauciũ cõperero. Aug. Confes. lib. 10.

Isido. Qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, & non tibi quærit, hic fur est & latro, & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam. Qui enim laudari vult de tuo dono, & non quærit in illo gloriam tuam, sed suam, hic licet propter tuum donum laudetur ab hominibus, à te tamen vituperatur, quia de dono tuo suam non tuam gloriam quęsiuit. Qui autem ab hominibus laudatur vituperante te, non defendetur ab hominibus iudicante te, nec liberabitur condemnante te. Aug. in Medita.

Quisquis ex deteriori iã melior esse cœpit, caueat de acceptis extolli virtutibus, ne grauius per vanam gloriam corruat, quam prius ex lapsu vitiorum iacebat. Isidor. de sum. bono.

Vis virtutes tuas augere? prodere noli. Idem in Synodo.

Euseb. Emis. Inter hæc ille (hoc est Beatus Maximus) cum vellet augeri nollebat agnosci: quia hæc est natura iustitiæ, vt quanto studiosius abscondi optat, tanto clarius innotescat: & occultatio ipsi proditio sit.

tio ſit. Et infra. Quid effugis gloriam? quę plus additur cum timetur? Quid honorem quaſi indignus repellis? Meriti prærogatiua eſt honoris repulſa. Euſ. Emi. in hom. de S. Max. Epiſt.

Vidi plurima variaque virtutum germina ab ijs qui in ſeculo degunt plantari, & ex inani gloria tanquam ex cloaca & cœno irrigari, & ex oſtentatione circunfodi, atque ex laudibus humanis ſtercorari. Quæ tamen tranſlata poſt modum, in deſertum ſolum atque ſeculi hominibus inuium, omnique inanis gloriæ cœnulentia vacuum, confeſtim exſiccata ſunt. Clima. grad. de inani gloria. *Clmia.*

Inanis gloria eſt, laborum diſſipatio, ſudorum perditio, theſaurũ inſidiæ, perfidiæ alumna, ſuperbiæ præcurſor, in portu naufragium, in area formica: quæ & ſi tenuis eſt, laboribus tamen omnibus & fructibus inſidiatur. Expectat formica, dũ perficiatur triticum: xenodoxia vero dum cógregentur opes. Gaudet illa vt furetur, hæc autem vt diſsipet. Gaudet deſperationis ſpiritus cũ videt multiplicari vitia, xenodoxia vero cũ virtutes multiplicari videt. Prioris ianua, multitudo vulnerũ: ſecundi vero, diuitiæ laborum. Obſerua diligenter, & vſque ad mortem, & ſepulchrũ, inuenies hanc nefariã labem quotidie veſtibus, vnguentis, pompis, aromatibus & alijs florere. Lucet omnibus affatim ſol, omnibuſque ſtudijs xenodoxia adgaudet. Verbi cauſa. Ieiuno, inaniter glorior: latendi cauſa ſoluo ieiunium: tanquam prudens iterum glorior: ſi ſplendide veſtior, vincor ea peſte: ſi vilius induor, denuo glorior: ſi loquar, hac ſuperor: ſi taceam, rurſus ſuperatus ſum: quocumque hunc tribulum ieceris erecto perſtitit aculeo. Æiuſmodi vero glorioſus eſt fidelis Idolorum cultor: qui Deum quidem colere, & venerari videtur, hominibus vero non Deo placere ſtudet. Idem Grad. 21.

Secularium aduentum præuenit inanis gloria: leuioreſque monachos aduenientibus obuiam progredi hortatur, eorũque pronolui pedibus. Ita quæ eſt ſuperbiæ pleniſsima, humilitaté ſimulat: mores, habitum, inceſſumque moderando componit: ſubmiſſa loquitur voce: atque ad manus aduenientium vt aliquid accipiat, reſpicit. Dominos ac patres & primates appellat, & qui poſt Deum ſint vitæ illorum cauſa. Idem, ibidem.

Qui prærogatiuis naturalibus, puta acumine, peritia, lectione,

pronuntiatione, ingenio, cæterisque omnibus quæ nobis sine nostro labore proueniunt, extollitur: hic nunquam eis quæ supra naturam sunt, bonis potietur. Qui enim in modico infidelis est, in multo quoque infidelis erit. Ibidem.

Notauit quidam ex ijs qui videre acutius poterant, narrauitq; quid viderat. Cum sederem, (inquit) in cœtu quodam, aduenientes ad me xenodoxiæ & superbiæ Dæmones iuxta me ex vtraq; parte sederunt: & vnus quidem ex ijs digito illo suo vanissimo pulsauit latus meum, hortans, vt aliquid quod ad contemplationē pertineret, siue opus quodlibet in deserto à me gestum loquerer: quem cum à me repulissem, dicens: Conuertantur retrorsum, & erubescant, qui malè mihi cogitant: protinus is qui à sinistris erat, ad aurem mihi dixit. Eia, benefecisti: magnusque effectus es: quippè qui impudentissimam matrem meam viceris. Ad quē ego ritè sequentia versus resumens, dixi. Auertantur statim erubescētes qui dicunt mihi, Euge, benefecisti. Idem ibidem.

Cum aliquando in cella sedens, desidia torperem, cellulam ipsam ferè cogitarem deserere, aduentantes viri quidam, vt solitarium summis attollebant laudibus, atque beatum prædicabant, citiusq; negligentiæ spiritus ab inani gloria fugatus excessit. Admiratusque sum quomodo spiritibus omnibus tribulus iste aduersatur. Idem de different. & discret. quietis. Grad. 27.

Chrysos. Qui omnium contemptum pecuniarum habuerunt, & nulli huius mundi imaginationi se immiscuerunt, sed magis tyrannicas corporum concupiscentias domuerunt, hi multoties capti à vanagloria, omnia perdiderunt. Chrisost. sup. Ioa.

Melius est ædificia facere quæ aspiciant homines, non in hoc tempore solum, sed etiam in posterum. O insipiens, quid tibi prodest ista memoria: si vbi es, torqueris, & vbi non es laudaris. Idem sup. Mat.

COLLE. ¶ Qui de Deo rebusque spiritualibus ac diuinis ad hoc loquitur vt ipse vir sanctus atque religiosus habeatur; simile quiddam mihi facere videtur, ac si quis sacras vestes & vasa sacra ab Ecclesia tolleret: vt ijs in nuptijs aut festis prophanis abuteretur.

Ego (inquit Dominus) diligens iudicium & odio habens

rapinam in holocaustum. Rapinam autem offert in holocaustum, quisquis aut elemosina, aut alio bono opere gloriam mundi captare nititur: vt pote qui gloriam eripit Deo. Rapinam item offert in holocaustum quisquis indiscrete per abstinentiam carnem suam macerat. Rem enim alienam diripit, qui corpus Deo dicatum ac debitum iure suo defraudat.

Qualis sit superbiæ atque præcipue arrogantiæ & inanis gloriæ peccatum, subita ac horrenda Herodis mors declarauit. Qui quoniam laudatus à populo laudes non retulit in Deum ab Angelo statim percussus, exesus à vermibus expirauit. Quas tamen pœnas non dedit, cum Iacobum iugulauit, & manus in Petrum Apostolorum principem iniecit.

Inanis gloria pusillorum atque abiectissimorum animorum vitium est: quibus etiam parua placent, & magna videntur. Recte enim Seneca: Multis rebus non ex dignitate sua, sed ex paruitate nostra magnitudo accedit. Sic videmus & pueros & puellas, de nouarum vestium ornatu nimium gloriari, quod à principibus, grauibusque viris alienum est. Habet tamen hoc vitium blanditias suas quibus etiam magni interim viri capiuntur. Vnde prudenter Diuus Basyli. ait: Cauete fratres inanem gloriam, dulcem animarum nostrarum prædonem.

Maxima hominum pars, partim inani spe melioris fortunæ, partim rebus nihili sæpe extollitur, & maiora de se cogitat. Quod quidem Eccli. 34. satis aperte & breuiter significauit his verbis. Vana spes & mendacium viro insensato, & somnia extollunt imprudentes. Vere enim quidam adeo leues sunt, vt leuissimis etiam mundi fauoribus glorientur & intumescant, & magna de se sibi polliceantur. Quis autem explicare queat quã multa sint quibus leues homines inaniter extolluntur & exultant?

Ait Dominus ad Gedeonem, Multus tecum est populus: nec tradetur Madian in manus eius: ne glorietur contra me Israel, & dicat, meis viribus liberatus sum. Ex quo loco patet hoc præcipuè in operibus suis Dñm curare, vt ipse bonorũ nostrorũ autor agnoscatur, quatenus nemo debitã illi laudẽ & gloriã adimat, neque sibi superbiendi ansam arripiat, vnde obsequẽdi, amã- *Iud. 7.*

 di,

di, atque laudandi sumere deberet. Hac de causa opem sæpe suam nisi in deploratis casibus non præbet, vt eum salutis ac libertatis nostræ assertorem & vindicem agnoscamus. Sic Bethuliam ab Holophernis obsidione liberauit: cùm iá populus de deditione agere inciperet. Sic etiam Isaac, & Ioannem Baptistam, & Beatissimam Virginem in desperata parentum ætate nasci voluit: vt liquido appareret, sobolem illam non communi naturæ lege, sed singulari diuinæ gratiæ beneficio in lucem editam.

Quisquis vel gratiæ vel naturæ munera sibi, non bonorú omnium largitori tribuit, & in se non in illo gloriatur: simile quiddam facit, atque illi qui à Deo ab Ægyptiaca seruitute liberati, fabrefacto vitulo liberationis suæ beneficium tribuerunt
Exo. 32. dicentes, Ecce Dij tui Israel qui.t.e.d.Æ.

Sub interminatione mortis præcipit in lege Dominus, ne thymiamate quisquam, iuxta legis ritum confecto, in vsus suos vteretur: quod ille sibi vni offerri præceperat. Quid autem aliud nisi honor & gloria regi sæculorum & omnium bonorum largitori debetur? Quisquis autem hæc sibi tribuit, hoc thymiama contra legem Dei in vsus suos conuertit.

Gen .39. Quisquis humanæ gloriæ cupiditate tangitur sibi ipsi dicere debet, quod Ioseph dominæ suæ ad adulterium inuitāti respondit: Ecce, inquit, Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quicquã est, quod non in mea sit potestate, præter te quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in dominum meum? Vere enim omnium bonorum suorum participes nos Deus efficiens, vnam sibi gloriam, tanquam legitimam sponsam reseruauit. Quid igitur indignius, quàm & hanc illi gloriam velle præripere, & creatoris gloriam creaturæ copulare? Itaque (vt Bernardus ait) iustissima virtus est quæ gloriam fugit, sed magna & rara virtus est, vt magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam, te solum latere sanctitatem mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico.

Ita per viam mandatorum Domini incedere præcipimur, vt neque ad dexteram aut sinistram declinemus. Hoc est, vt cum recta ingredimur nequaquam nobis de virtutibus blandiamur,

neque

neque dextris successibus extollamur: neque rursum deflectamus ad sinistram, de hoc ipso gloriæ contemptu inaniter gloriãdo. Vt enim Cassianus ait, cui sub specie succinctæ ac nitidæ vestis nõ potuit aduersarius xenodoxiã generare, squallida & inculta conatur inferre: quem non honore deijcere, humilitate supplantat. Quẽ scientiæ & locutionis ornatu nequit elidere, grauitate taciturnitatis extollit &c. Pulchrè seniores naturam vitij huius in modũ cepę describunt, quæ vno decoriata tegmine, alio rursum inuenitur induta, totiesque reperitur obtecta quoties fuerit spoliata.

Puellæ filiæ Loth in monte patrem inebriantes de eo conceperunt, vnde Amonitæ & Moabitæ nati sunt, qui in æternum non ingrediuntur Ecclesiam Domini. Super quo Origenes ita ait, obseruare debes ne fortè cum effugeris flãmas sæculi ad instar Loth: & ad scientiæ altitudinem velut ad quædam cacumina mõtis perueneris, ne tibi insidientur duæ filiæ tuæ, quæ à te non discedunt, sed sequuntur te etiam cum ascẽderis in montem, nempe vanagloria, & maior soror eius superbia. Quæ idcirco filiæ dicuntur, quia non nobis extrinsecus veniunt, sed ex ipsis operibus perfectionis oriuntur. Vide ergo ne de his generes filios, quia qui de his nati fuerint, non ingrediuntur Ecclesiam Dei.

Hypocrisis.

Simon crucem portans, nequaquam moritur: quia omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam afficit, sed tamẽ per amorẽ gloriæ mundo viuit. Greg. lib. 1. Mor. *Grego.*

Quid est vita hypocritæ, nisi quædam visio phantasmatis, quæ hic ostendit in imagine, quod non habet in veritate. Greg. vbi supra.

Vult hypocrita scire diuina eloquia, nec tamen facere: vult doctè loqui, nec tamen viuere. Greg. lib. 15. Mor.

Quid dicturi sumus qui iniqua operibus docemus: & sola voce ea quæ sunt iusta prætendimus? Ossa ieiunijs atteruntur, & mẽte turgemus: corpus despectis vestibus tegitur, & elatione cordis, purpurã superamus: doctores humilium, duces superbiæ, ouina facie lupinos dentes abscondimus. Greg. in Regist.

Hypocritæ dum alijs lucere volunt, ſibi fiunt obſcuri: imitãtes lucem ſanctorum non ardorem. Greg. in mor. lib. 4. c. 15.

Hypocrita alienum tollit, quia iuſtorum laudem arripit. Greg. in mor. lib. 5. c. 14.

Hypocritæ cum per accepta bona in ſua laude ſe eleuant ipſis muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra largitorem ſuperbiunt, vnde ei amplius humiles eſſe debuerunt. Sed eo poſtea diſtrictior illos ſentẽtia percutit, quo nũc ingrati magis ea recipiũt: fitq; eis amplitudo muneris, incremẽtum dãnationis. Ideo ſcirpo comparãtur, qui exterius viret & creſcit, intus vacuus eſt. Greg. in mor. lib. 8. c. 27.

Hypocrita iuſtus eſſe non appetit ſed videri: iuſtus contra hoc ipſum videri fugit quòd eſſe meruit. Vnde Paulus. Parco autẽ ne quis &c. 1. Cor. 12. vbi dum quædam ſua loquitur, quibuſdam autẽ parcit, loquendo vitam auditorum erudit: tacẽdo ſuam cuſtodit. Greg. mor. 18. c. 5.

Hypocrita callide nouit, & occultare quod eſt, & oſtentare quod nõ eſt: vera mala premit, & falſa bona demonſtrat: atque vt maiorem gloriam teneat, fingit ſe gloriam declinare: quia enim videt ſe eam ſequendo apprehendere non poſſe, curat habere fugiẽdo. Greg. 26. mor. c. 28.

Hypocritæ foris oſtendendo ſeruant, quæ intus viuendo impugnant: qui dum ante oculos hominum ſanctitatẽ oſtendunt, ſunt teſtimonium ſibi quod bene viuere non ignorant. Gregor. vbi ſup.

Qui libenter de ſe foris falſa recipit, qualis intus ſit non requirit: oblituſque quod eſt, appetit videri quod non eſt.

Hypocritæ dum alios fallere volunt, occulto hoc Dei iudicio permittitur: vt tunc ipſi potius intus fallantur, & dum teſtimoniũ falſæ laudis aſpiciunt, remedium veræ confeſsionis amittunt. Gregor. 26. mor. c. 29.

August. Simulata æquitas nõ eſt æquitas, ſed duplex iniquitas: quia iniquitas eſt & ſimulatio. Aug. ſuper Pſal. 63.

Hypocrita qui latinè dicitur ſimulator, auarus eſt: qui dum iniquè agens deſiderat de ſanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ. Gloſſ. Auguſti. ſuper illud Iob. 27. Quæ eſt ſpes hypocritæ?

Hypo-

Hypocritæ volunt esse humiles sine despectu, pauperes sine defectu, bene vestiti sine solicitudine, delicate pasci sine labore, alias adulantes, alias detrahentes, mordaces vt canes, dolosi vt vulpes, superbi vt leones, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: mellis dulcedinem idest, inanis gloriæ & latentis lasciuiæ (vt vrsi) quærentes. Bern. *Bernard.*

Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Hypocrisis secura simulat, prospera fallit, curiosa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum. Ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem vacuat, misericordiam miseratione prosternit. Hypocrisis cognata febri, frigido poculo propinat ardorem. Petr. Chryso. in serm. *Petr. Chrys.*

Hypocrisis dum cupit captiuare oculos, oculis fit ipsa captiua. Hypocrita laborasti ieiunijs vt labor tibi ieiunij non prodesset. Hypocrita abstinentiæ fluctus intrasti, continentiæ conscendisti vndas, enatasti ieiunij pelagus, & in ipso portu ieiunij naufragasti quia non comparasti lucrum, sed mercatus es vanitatem, qui de Dei credito humanum negotium perfecisti. Hinc est, quod Deo redditurus es rationē, quia ab hominibus percepisti miseræ fraudis vsuram. Fratres fugiēdum est vulnus, pestilentia cauenda, quæ de remedijs creat morbos, conficit de medicina langorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimē. Thesaurum qui non abscondit, prodit: virtutes proditæ non manebunt. Virtutes sicut proditores suos deserunt, sic suos instant custodire custodes. Idem in ser. 7.

Hypocrita, si bonum est, bonū esse, vt quid vis apparere quod non vis esse? Si malum est, malum esse, vt quid vis esse, quod nō vis apparere. Si bonum est, bonum apparere, melius est bonum esse. Si malum est, malum apparere, peius est malum esse. Ergo aut appare quod es, aut esto quod appares. Chrysost. *Chrisost.*

Magis odimus mendacium quod simile vero est. *Quintil.*

Latere nullus nugator potest diu. *Adilon.*

Totius iustitiæ nulla est capitalior pestis quam eorum qui tum dum maxime fallunt, id agunt vt boni viri videantur. Cicero. 1. de offi. *Cicer.*

Cum

COLLE. ¶Cum hypocritæ atque lupi sub ouina pelle lactitantes deprehẽduntur, vere oues timent ouis speciem præseferre, ne hypochritis similes esse credantur. Quod quidem malum hoc nostro sæculo non infrequens est: cum hoc tamen imbecillis & infirmi animi argumentum sit. Contra tamen monet. D. Augusti. Quanuis lupus se pelle ouis contegat, ouis tamen pellem suam non deserat.

Multa aduersus hypocrisis vitium ab antiquis patribus scripta legimus. Ex quo apparet, non quidem peiora, sed forsitan fœliciora fuisse illa sęcula, quàm nostra: quanuis enim hoc teterrimum vitium sit, arguit tamen in pretio apud homines fuisse virtutẽ, quãdo solam eius imaginem ita honorabant, vt nõ deessent multi qui hac ratione populi honores aucuparentur. Nunquam enim homines virtutis imaginem induerent, nisi virtuti honos haberetur. At cum hoc nostro sæculo nec veræ quidẽ virtuti frequenter hic honos tribuatur, non est, cur ambitiosi homines falsam virtutis imaginem induant, quando nec verã honoribus affici vidẽt. Si enim in aliqua regione exigui aut nullius pretij esset verum aurũ, quorsum aliquis eò auricalchum importaret, vbi nec verũ quidẽ aurũ pretium habet? Itaque nõ est cur modo tantopere concionatores in hypocritas inuehi debeant, præsertim cũ solidum vulgus audito hoc nomine, non veros hypocritas, sed viros pietatem colẽtes intelligãt. Quo fit, vt huiusmodi doctrina pij animum contrahãt: improbi vero cristas erigant, & triũphent, & suam quodammodo causam agi (Diabolo fallente) arbitrentur.

Præcipit Dominus Noe arcam intus & extra bitumine liniri: quo quidem præcepto (vt Origenes ait) præcipit nobis ne de illorum numero simus, quos ipse dealbatis sepulchris cõparauit, quæ extra quidem nitida, intus autem plena erant ossibus mortuorum. Vult igitur nos sanctos esse & mente & corpore.

Humilitas.

Electi ne inuitè curuentur in morte, sponte curuantur in humilitate. Greg. in mor.

Ab omnib' corripi, ab omnib' emẽdari parat' sum: & solũ mihi

mihi amicum æstimo, per cuius linguam ante apparitionem districti iudicis, meæ maculas mentis tergo. Greg. in Regist.

In cunctis quę agitis, radicem boni operis, humilitatem tenete: nec quibus iam superiores, sed quibus adhuc inferiores estis, aspicite: vt dum meliora vobis exempla proponitis, ad maiora semper ascendere ex humilitate valeatis. Greg. in hom.

Tantum necesse est, vt se vnusquisque in humilitate deprimat, quantum si sit electus ignorat. Greg.

In cunctis se despicit, qui in suis oculis esse humilem profitetur. Greg. vbi suprà.

Magnus vnusquisque esse studeat, sed tamen aliquo modo esse se nesciat: ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat. Gregor.

Cum per tentationem humilitas proficit, prospera est illa aduersitas, quæ mentem ab elatione custodit. Greg. lib. 26. mor.

Laus sua iustos cruciat, iniquos exaltat: sed iustos dum cruciat, purgat: iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. Gregor. in moral.

Cum diuinis muneribus actus proprios meditare: nec dignum te iudicabis eo quod frueris, si intelliges quod mereris. Gregor. homil. 7.

Sancti viri quò altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quicquid eos in seipsis latebat, inueniunt. Gregor. in moral.

Fit Deo prouidente vt qui fortia vincit, à leui superetur: quatenus sic agnoscat à Deo fuisse quod vicerit: & ita mens sua infirmitate roboretur: Quare Chananæus conteri potuit, non potuit exterminari: efficitur tamen tributarius: quia & vitium illud humilitati subseruit. Quare Iudicum. 3. dicitur. Hæ sunt gentes quas reliquit Dominus vt erudiret Israel: semper enim ab eis vinci formidādum est. In paruis discit quòd ex se maiora non subijcit. Greg. in mor. lib. 4.

Super illud Iob. Ponit humiles in sublimi &c. D. Grego. ait. Ideo hoc dicit: quia vnde se humiles in omnibus despiciunt, inde contra omnia fiunt securiores: cumque in alto siti sint, miro modo ipsos reproborum tela etiam feriunt, & non contingūt. Greg.

vbi ſupra lib.6.capit.6.

Oportet bona opera ſciendo neſcire: quia & recta hæc æſtimare oportet, & minima: recta vt cuſtodiamus, minima ne inflemur. Greg. vbi ſup. lib.9.cap.17.

Iob.14. Dominus de B. Iob dixerat quod non ſit ſimilis ei: ipſe autem ſi fuero iudicatus, iuſtus inueniar. Non dicit iuſtior, fugit enim comparationem. Greg. lib. 11. Mor.cap.20.

Omnipotens Deus in ipſis ſpiritualibus profectibus modũ ponit: vt ex hoc homo quod apprehendere conatur, & nõ valet, in illis ſe non eleuet, quæ valet. Vnde Paulus cœlum ingreditur, ac deinde tentatur. Greg.12.Mor.cap.2.

Greg. ſuper illud. 1.Reg.15. Nonne cũ eſſes paruulus in oculis tuis &c. ſic ait: Magnus mihi fuiſti, quia deſpectus tibi: at nũc quia magnus tibi es, mihi es deſpectus. Tanto ergo fit quiſque vilior Deo, quanto pretioſio r ſibi. Li.Mor.18.cap.22.

Perfecti viri ſenſus non minoratur, cum ad inferiora trahitur: quia tanto ſubtilius ſuperiora penetrat, quanto humilius ad inferiora deſcendit. Greg.20.Mor.cap.20.

Humilitas in intelligendo ea etiam ſæpe aperit, quæ ad intelligendũ impoſsibilia videbantur. Greg.20.Mor.cap.9.

Greg. ſuper illud Iob.31. Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo, &c. ſic ait. Supra dixit iuuenes abſcondebantur, & principes ceſſabant loqui. Ecce tanta in Iob eſt authoritas, vt ad ſilentium principes adducat: tanta humilitas, vt ad iudicium ex æquo veniãt ancillæ. In poteſtate principibus potentior, in certamine ſeruis æqualis: inter principes memor regiminis, inter ſeruos memor cõditionis. 21.Mor.cap.10.

Saltat Dauid, vt ex humilitate ſolidet fortia quæ ante geſsit: Ego ipſum magis ſtupeo ſaltantem, quam pugnantem: Pugnans enim hoſtes, ſaltans ſe ipſum vicit. Greg.27.Mor.

Prima Angeli ſtultitia fuit, elatio cordis: & ideo prima hominis ſapientia efficitur humilitas ſuę æſtimationis. Licet ergo magna ſapiat, vehemẽter deſipit, quia neſcit ſe ipſum. Gre.28.Mor.c.7.

Dum tumor elationis creſcit, aciem contemplationis claudit. Greg.28. Mor.

Eccli.27. *Auguſt.* Vaſa figuli &c. Non eſt ſecurus figulus, cum vaſa ſua fornacem intrant, ſed cum exierint. Dominus autem ſecurus eſt, quia

nouit

nouit qui sunt eius, & nouit qui in fornace non crepent. Illi autem non crepant, qui non habent ventum superbiæ. Humilitas ergo custodit in omni tentatione. August. super Psal. 120.

Fœlix est cui ostendit Deus misericordiam suam. Ostendendo enim illi misericordiam suam, persuadet illi quia quicquid boni habet ipse homo, non habet nisi ab illo, quia omne bonum nostrum ipse est. Et cum hoc viderit homo, videt quia totum quod in se laudatur, de misericordia Dei est, non de meritis suis. Et videndo ista non superbit: non superbiendo non extollitur: non se extollẽdo, nõ cadit: non cadendo, stat: stando, inhærẽdo manet, manẽdo perfruitur & lætatur in Dño Deo suo. Erunt illi deliciæ, ipse qui fecit illum, & delicias ipsas nemo corrumpit, nemo interpellat, nemo aufert. Quis potens minabitur auferre? Quis vicinus malus? quis latro, quis insidiator tibi tollit Deum? Et potest tibi tollere totum quod possides corpore, non tibi tollit eum quẽ possides corde. Aug. super Psal. 84.

O quam excelsus es Domine, sed humiles corde sunt domus tuæ. Idem in Epist.

Virtutes habenti magna virtus est, contemnere gloriam. Idem de Ciuit. Dei.

Simulatio humilitatis, maior superbia est. Idem de virginit.

Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. Idem ibidem.

Humiliter ad humilem venite si amatis, & ne discedatis ab illo, ne cadatis: qui enim timet ab illo discedere, rogat, & dicit, Non veniat mihi pes superbiæ. Idem ibidem.

Qui vera pietate in Deũ quẽ diligit, credit, & secunda sperat, plus intendit in ea in quibus sibi displicet, quã in ea, si qua in illo sunt quæ nõ tam ipsi quam veritati placent: nec id tribuit vnde iam placere potest, nisi eius misericordiæ cui metuit displicere: de his sanatis gratias agens, de illis sanandis preces fundens. Idem de ciuit. Dei.

Semper conscientia serui Dei humilis esse debet & tristis: scilicet, vt per humilitatem non superbiat, & per vtilem mœrorẽ cor ad lasciuiam non dissoluat. Idem.

Vos qui me multum diligitis, si talẽ me asseritis, vt nunquam in scriptis meis errasse dicatis, frustra laboratis: non bonam

causam suscepistis:facilè in ea me ipso iudice superamini : quoniá non mihi placet,cum à charissimis talis esse existimor,qualis non sum. Profectò non me, sed pro me alium sub meo nomine diligunt,si non quod sum sed quod non sunt,diligunt.Idem in Epist. ad Marcellam.

Cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis,de fundamento prius cogita humilitatis.Idem de verb.Domini.

Non aliam tibi ad capescendam & obtinendam veritatis viam inuenies,quàm quæ monstrata est ab illo, qui gressuum nostrorú tanquam Deus vidit infirmitatem.Ea autem prima est humilitas, Et quoties interrogaueris,secunda humilitas, & tertia humilitas, & quoties hoc interrogaueris,idem dicerem. Idem in Epistol.ad Diosc.

Excelsa est patria,humilis est via:ergo qui quęrit patriam,quid recusat viam?Idem super Ioan.

Hierony. Fictam humilitatem fugiens,illam sectare quæ vera est : quam Christus docuit: in qua non sit superbia inclusa. Multi enim huius virtutis vmbram,veritatem pauci sequuntur. Per facile est aliquem habere vestem contemptam,salutare submissius, manus & genua deosculari,inclinato in terram capite, oculisque deiectis, humilitatem atque mansuetudinem polliceri,lenta voce tenuiq; sermones infringere,suspirare crebriùs,& ad omne verbum peccatorem ac miserum se clamare: sed si vel leui sermone offensus fuerit,continuò videbis attollere supercilium, leuare ceruicem, & delicatum illum oris sonum insano clamore repentè mutare. Idem in epist.

Paulus ne extollatur magnitudine reuelationum, colaphizatur,& monitor ei quidem humanæ imbecillitatis opponitur, in similitudinem Romæ triumphantium,quibus in curru retro comes adhærebat,per singulas acclamationes ciuium dicens,Hominem te esse memento.Idem ad Paulam.

Ambros. Qui paupertate contentus est,non est contentus iniuria:& qui potest ferre verborum pœnas,exagitatur verbo contumeliæ : & qui potest administrationes contemnere, dolet sibi aliquem honorificentia esse prælatum. Grande est in hominibus tenere humilitatis mensuram. Ambro.super Luc.lib.7.

Caßiodo. Vir fixus,purus,innocuus omnes laudat, se semper accusat, vt compla-

complaceat vniuersis, sibi soli displicet. Casiod. de Anima. *Cassio.*

In anima non est plane timenda quantalibet humiliatio, horrẽda autem nimiumque pauenda, vel minima temere præsumpta erectio. Quam obrem nolite ò homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Bern. sup. Cant. *Bernar.*

Appetere de humilitate laudem, humilitatis non est virtus, sed subuersio. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu sui: hoc solo plane superbus, quod laudes cõtemnit. Idem ibidem.

Vt castitas siue charitas detur, humilitas meretur: quoniam humilibus Deus dat gratiam: seruat acceptas: quia non requiescit spiritus, nisi super quietum & humilem: & seruatas consumat: nam virtus in infirmitate, hoc est in humilitate perficitur, & inimicam gratiæ omnisque initium peccati debellat superbiam. Idem in epist.

Humilitas est virtus qua homo vera cognitione sui ipse sibi vilescit. Idem de. 12. Grad.

Humilitatis primus gradus est, corde & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus. Secundus vt pauca & rationabilia verba loquatur, non clamosa voce. Tertius vt non sit facilis aut promptus in risu. Quartus, taciturnitas vsque ad interrogationem. Quintus, tenere quod cõmunis habet monasterij regula. Sextus, credere & pronuntiare se omnibus viliorẽ. Septimus, ad omnia indignum & inutilem se confiteri & credere. Octauus, confessio peccatorum. Nonus, per obedientiam in duris & asperis patientiam amplecti. Decimus, vt in omni obedientia subdat se maiori. Vndecimus, vt voluntatem propriam non delectetur implere. Duodecimus, vt Deum timeat, & memor sit omnium quæ præcepit. Idem ibidem.

Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viã non refugias humiliationis. Solus qui verè humilis est, parcit animæ suæ: qui ne putetur quod non est, semper quantum in se est, vult nesciri quod non est. Idem in epist.

Primus gradus humilitatis est, cognoscere contemptibilem se esse. Et quia sunt quidam qui contemptibiles se esse cognoscunt, sed inde non dolent: Secundus est, dolere contemptibilẽ se esse. *Ansel.*

Quia vero ſunt alij qui ſe contemptibiles dolent, ſed confiteri nō lunt, tertius eſt confiteri ſe cōtemptibilem eſſe. At vero quia rurſus ſunt alij qui ſe contemptibiles confitentur, ſed nolunt vt ita credatur, quartus eſt, perſuadere cōtemptibilem ſe eſſe. Sed quia quidam contemptibiles quidem volunt credi, ſed hoc ſibi nolunt dici, quintus eſt, patienter pati, vt contemptibilis dicatur. Sed quia quidam patiuntur, vt contemptibiles dicantur, ſed tamen pati nolunt, vt cōtemptibiliter tractentur, ſextus eſt, pati vt contemptibiliter tractentur. Sed quoniam & hoc quidam inuiti patiuntur, ſeptimus eſt amare, vt cōtepmtibiliter tractetur, vbi poſtquam quis aſcenderit, clara eſt in luce, ideſt in perfecta ſui cognitione. Anſel. de ſimilit.

Alterius virtutem non vitium, ſuumque vitium non virtutem attendere debet, quiſquis ad culmen humilitatis aſcendere ſtudet. Idem ibidem.

Iſido. Summa monachi virtus eſt humilitas, ſummum eius vitium eſt ſuperbia. Iſido.

Euſeb. Emiſ. Quanto plus proficimus, tanto plus humiliemur, quia quanto plus humiliati fuerimus, tanto plus proficiemus. Homil. 3. ad monach.

Nilus. Beatus cuius eſt vita excelſa, ſpiritus autem humilis.

Clim. Affectus & cogitationes vere humilis ac pœnitentis animi expreſsit quidā monachus nomine Iſidorus, qui iubente abbate ſeptem annis ad fores monaſterij excubauit. A quo cū Ioannes Climacus quæſiſsit, quam exercitationem mens eius habuiſſet, cū ad portam moraretur, ita eodem Climaco referente reſpōdit. Initio hoc exiſtimabā, quod pro peccatis meis eſſem venditus. Vnde cū amaritudine ſumma & violentia, prouoluebar omnium pedibus. Impleueram vix annum, cum ſine mœrore ac triſtitia id faciebā, mercedē à Deo tollerantiæ expectans. Impleto autē rurſus alio anno toto affectu cordis indignum me exiſtimare cœpi conuerſatione monaſterij, patrūque aſpectu & cōtubernio, diuinorūque participatione ſacramentorum, indignū itē qui in alicuius faciem intēderē. Quo circa, defixis in terrā luminibus, nec ab oculis diſcrepante animo, intrātes ac exeūtes vt pro me orarent, deprecabar.

Qui munera pro laboribus exigit, hic periculoſum iecit fundamētū: qui vero ſe ipſum debitorē exiſtimat, is inſperatas gratiarū

opes

opes repente suscipiet. Caue ne proditori vnquam obtemperes, cum te quasi pro audientiũ vtilitate virtutes propalare suggerit. Quid enim proderit homini, si mundo vniuerso prosit, sibi vero ipsi detrimentum faciat? Idem Grad. 21.

Ioannes Climacus varias Patrum humilitatis diffinitiones inducit his verbis. Alius quidem hanc esse dicebat recte factorum intentissimã obliuionẽ. Alius vero extremum se omniũ, magisque peccatis obnoxiũ existimare. Alius mentis cognitionẽ, qua scilicet imbecillitatem propriam infirmitatẽque cognoscit. Alius gratiæ Dei & misericordiæ agnitionem. Alius rursum contriti animi sensum, ac voluntatis propriæ abnegationem. Ego vero cum omnia audissem, apud me ipsum diligenter & vigilanter examinans beatissimũ illius sensum per auditũ addiscere nõ potui. Quo circa & omniũ nouissimus veluti canes cadentes micas ex mẽsa probatissimorũ beatissimorũque Patrũ colligẽtes, de hac singulari virtute ita diffiniẽs, dixi. Humilitas est animæ gratia sine nomine: apud solos eos nomẽ habẽs, qui illius experimẽtũ cęperũt. Idẽ Grad. 25.

Cuidã athletæ Christi fortissimo, qui ad hãc beatissimã virtute festinabat, impuri Dæmones laudem in corde subseminabant. At ille diuina inspiratione malignorũ spirituũ nequitiã pio & religioso cõpendio vincere aggreditur. Describit in cellulæ pariete altissimarũ virtutũ appellationes: puta perfectæ charitatis, angelicæ humilitatis, mũdissimæ orationis, incorruptibilis castitatis, & huiusmodi virtutũ reliquarũ. Cum ergo illũ cogitationes extollere cœpissent: dicebat illis. Eamus ad argumẽtũ: adueniensque relegebat appellationes, sibique ipsi clamabat. Cum has omnes possederis, tũc scies quàm longè adhuc à Deo sis. Cum enim eas possederis, seruus eris inutilis: fecisti enim quod facere debuisti. Quæ nam sit solis huius virtus & substantia, dicere ipsi non possumus: *Simil.* cæterũ ex effectibus eius & proprietatibus, quæ sit illius substantia, colligimus. Humilitas est protectio diuina: ex qua fit, vt recte facta nostra non videamus. Humilitas est, vilitatis abyssus, furibus omnibus inuiolabilis. Humilitas est turris fortitudinis à facie inimici: non proficiet inimicus in ea: & filius imo vero cogitatio iniquitatis nõ apponet nocere ei. Plurimi nos ipsos peccatores dicimus: & fortasse ita esse existimamus, ignominia vero cor probat. Nonnulli quidem peccata præterita, postea etiam quam

remiſsione potiti ſunt, humilitatis materiam vſque in finẽ tenuerunt, per eam tumorem inaniſsimum colaphis cædentes. Alij rurſus Chriſti conſiderantes paſsionem, ſe ipſos eſſe conſtanter tenẽt debitores. Alij ex quotidianis defectibus ſemet humiliant, & viliſſimos exiſtimant. Plerique ex accidentibus tẽtationibus morbiſque & lapſibus, gratiarum matrem ſibi familiariſsimam fecerunt. Sunt item nonnulli qui tamen an modo quoque ſuperſint, dicere non poſſum: qui ex ipſis Dei muneribus, quãtumlibet in eis profecerint, ſemetipſos humiliant, ſeq; indignos eſſe huiuſmodi diuitijs exiſtimãt, ſicq; afficiũtur, tãquã debitis ſuis quotidie adijciãt. Quoties aliquẽ vel audieris vel videris infra paucos annos altiſsimam tranquillitatem acquiſiſſe, noli hunc exiſtimare aliam quã hanc beatam celerẽq; viam pedibus ambulaſſe. Sacra eſt biga charitas atque humilitas: quippe illa exaltat, hæc exaltatos ne vnquã decidant, continet. Ibidem.

Chriſoſ. Hoc verè magnũ & mirabile eſt, quia is qui verè magnus eſt, nihil de ſe magnum ſentit, aut loquitur, ſed omnium ſe vltimum iudicat, & ſalutẽ de ſola miſericordia Dei ſperat. Chryſ. de cõpũct.

Sicut aurum veſtẽque pretioſam cũ in publico ponemus plurimos ad inſidias prouocamus: ſi vero ea recõdamus, in tuto ſeruamus: ſic ſunt etiã diuitiæ virtutũ, ſi eas in memoria quaſi venales aſsiduè reportemus, armamus hoſtẽ, irritamus inimicũ &c. Quando aliqua bona fecerimus, habemus Dominũ debitorem: quando vero nihil nos arbitramur operatos, amplius etiã de tali meremur affectu, quã propter opera ipſa quæ operati ſumus. Ita virtutũ omniũ merita bonũ humilitatis exuperat: nam & nos quoque famulos eos magis complectimur, qui cum omnia peregerint, nihil ſe tamẽ feciſſe arbitrãtur. Idẽ ſuper Math. homil. 3. oper. perfect.

T. Liuius. Triumphus repudiatus omni triumpho eſt clarior. T. Liui.

COLLE. ¶Quanuis verũ ſit quod Apoſtolus ait, nos autẽ non ſpiritũ huius mundi accepimus. ſ. ſp. q. e. D. è. vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis: ſæpe tamen Dñs electos ſuos propter humilitatis cuſtodiam dona ſua latere vult, ne magnitudine donorum extollantur. Sic Moyſes ignorabat faciem ſuam ſplendidam eſſe.

Ignis diu conſeruatur in cinere, charitas vero in humilitate, quæ vt aliarum virtutum ita charitatis cuſtodia eſt. Cæterum

ſicut

ſicut ventus cinerem ſpargit, quo ſparſo ignis cito extinguitur: ita ſi ſuperbiæ ventus humilitatem abigat charitatis ignis facile interibit.

Quanto maior es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam & hominibus: quia magna potentia Dei ſolius & ab humilibus honoratur. Prouidendum tamen eſt, vt humilitati modus & prudentia iungatur, ne nimia humilitas ac noſtri diffidētia eò deueniat vt facile quorumcumque dictis arcto ſenſu deijciamur. Propter hoc enim ſcriptum eſt: Noli eſſe humilis in ſapientia tua, ne humiliatus in ſtultitiam ſeducaris. Eſſe autem veram & falſam humilitatem oſtendit Eccli. his verbis: Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo: & eſt iuſtus qui ſe nimium ſubmittit à multa humilitate. *Eccli. 3.* *Eccli. 13.* *Eccli. 19.*

Mira humilitatis potentia quæ dum ſe proſternit, altiſsimū ſuperat. Sic Achab Rex humiliatus iram Domini aduerſum ſe concitatā (vt ita dixerim) temperauit. De quo Dominus ad Heliam. Vidiſti ait Achab humiliatū coram me. 3. Reg. 21. Non ignorabat hanc cœleſtē philoſophiā ille qui ait, Cuſtodiens paruulos Dominus, h.ſ.&.l.m. Eſt enim vel maxime propriū generoſi animi ſubiectis parcere atque proſtratis. Sic fulmen dura & ſibi obſiſtentia diruit, blanda vero & ſponte cedentia non lædit. Sic Deus &c. Leo quoq; generoſum animal proſtratis parcit & fœminis ac precipue paruulis, niſi tamen eſuriat.

Per ſcalam Iacob humilitatem deſignari ait Bernar. Hæc enim ſcala cū altera ſui parte terrā cōtingit, Deūque ſibi innixū habet. Sic igitur humilitas quo ſe profundius deijcit eo altius ſurgit.

Quam ſit humilitas Deo grata, declarat ſponſa in Cant. cū ait, cū eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorē ſuum. Nardi nomine fere intelligunt omnes humilitatis virtutem. Nardus enim fructex eſt humilis, & aſpectu deformis, ſiue ramos eius ſiue radicem ſpectes. Ex cuius tamen folijs & ſpicis duplex vnguentum conficitur: alterum foliatum, alterum ſpicatum: quod eſt multo pretioſius: quale erat, quod ſupra recumbentis Domini caput Maria effudit. Quæ quidem res ſatis naturam explicat humilitatis: quæ cum externa ſpecie abiecta ſit, & in infimo loco iacere videatur, cœleſtem tamē regem in accubitu ſuo ſupra Cherubin & Seraphim ſedentem, mira ſuauitatis ſuæ fragrātia & oble-

ctat & placat: & ad ima in summo cœlorum sedentem inclinat. Vnde est illud August. O quam excelsus es Domine, sed humiles corde sunt sedes tuæ. Hinc illud Isai. 57. Hæc dicit sublimis & excelsus, habitans æternitatem, & sanctum nomen eius: & cum humili & contrito spiritu &c. Huc pertinet & illud eiusdem, Cœlum mihi sedes est &c. Vide locum. Isai. 66. ¶ Quod si cur tam grata hæc virtus Deo sit, ac tantopere in sacris litteris commendetur inquiras: multæ sunt causæ: sed illa imprimis, quod mentem hominis tractabilem, & ad omnem virtutis formam maximè idoneam facit. Sicut enim abiectißimus seruus, qui vilitatis suæ conscius est, nullum Domini sui imperium recusare audet, sed ad omnia præsto est: ita quicunque verè humilis est &c. Vnde quemadmodum prima cura eius qui vel ceram vel ferrum in varias figuras transformare cupit, in eo ponitur, vt hanc materiam emolliat, ita quicunque mores suos ad Euangelicæ vitæ normam formare cupit, hoc primum curare debet, vt animum suum humilitatis virtute molliat, quo ita facile se se Deo ac maioribus suis subijcere, & in omnem virtutis habitum transformari valeat.

Simil.

Sponsus ille cœlestis in libro Canticorum se ipsum lilium conuallium, non montium, aut collium esse appellat: quoniam is superbas à se mentes repellens, in cordibus humilium tanquam in ima valle nascitur. Lilium autem appellatur, quod puritatis suæ candore & odore mirè horum mentes afficit.

Cùm feceritis quæ præcepta sunt vobis dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. Huiusmodi autem seruitutem non pharisaica iactatione, sed cum humili corde coniunctam, esse Deo gratißimam, declarat Sponsus in Canti. cum ait, descendisse se in hortum nucum, vt videret poma cõuallium. Pomorum autem nomine bona opera, conuallium autem humilitatem designari notißimum est. Hæc ergo pietatis opera in conualle humilitatis orta, nõ dubium quin gratißima Deo sint. Quãta porrò humilitas erat beati Martyris Cypriani: qui cum martyrij coronam expectaret, diem tamen iudicij formidans orabat, Cui monti dicturus illo die sum Domine, vt cadat super me? Sic igitur vir sanctus elationem animi quæ ex hac tãta gloria suboriri poterat, comprimebat.

Factum

Factum est, ait Moses vespere & mane dies primus. His diebus diuina opera distinguntur, qui à vespere incipientes, in mane terminantur. Et quidem vespere finem, mane autem initium significat. Dies ergo seruorum Dei à vespere incipit, & in mane terminatur: quia cum consumauerit homo, non se iam comprehendisse, sed tunc se putet incipere. Quicunque igitur ait Apost. perfecti sumus, hoc sentiamus. Quàm sit autem hoc difficile, Ricardus declarat his verbis, Valde siquidem est rarum, & valde paucorum magna agere, nec se magnum reputare: multis præeminere, & neminem despicere. Vnde vasa misericordiæ cum incipiunt de suis meritis intumescere, pia dispensatione cadere permittuntur, vt discant humiliter sapere, & de sua infirmitate vera sentire. Hoc autem illa verba Iob. 28. innuunt, Qui ponit ventis pondus, & appendit aquas in mensura. Ventis autem pondus addere est, cęlestib. hominib. ac sublimib. humilitatis intra se causas adhibere. Sic Paulo datur stimulus carnis suæ.

Cognitio sui.

Iste in hac vita iustorum labor est vt semetipsos inueniant, & inuenientes, flendo, & corrigẽdo ad meliora perducant. Gregor. mor. lib. 10. c. 22. *Gregor.*

Dominum tanto quis securius expectat, quanto quotidie vitam suam suspectus examinat. Greg. in mor.

Electi intra sinum cordis aduersum se quicquid se impugnat, enumerant: ibi ante oculos suos omne quod defleant, coaceruãt: ibi quicquid per iram districti iudicis discerni possit intuentur: ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent. Nec deest in hoc iudicio mente concepto, omne ministerium quod punire reos suos plenius debeat. Nam consciẽtia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat. Greg. vbi suprà.

Qui ad virtutem contendunt, cum alienas culpas audiunt, mox ad proprias cor reducunt: & tanto rectius sua diiudicant, quanto verius aliena deplorat. Verus namque humilis continuo sua prospicit delicta. Greg. in mor. lib. 3. c. 24.

Fidelis quisque quia cogitationes suas in iudicio subtiliter examinãdas cognoscit: ante iudicium vehemẽter examinat: vt iudex

eo veniat trãquillus, quo reatũ punitũ inuenerit. Seuerius enim iudicat, quem videt sibi mollius parcere. Greg. lib. 4. Mor. cap. 7.

Ille veraciter se ante se ponit, qui se in suis actibus tanquã aliũ attendit. Greg. vbi sup. lib. 5. cap. 1.

Super illud, Consumẽtur velut à tinea, &c. Tinea damnum facit, non sonitum. Ita iniqui quia damna sua considerare negligunt integritatem quasi nescientes perdunt. Greg. vbi sup. cap. 28.

Quidam innocentes se non suis actibus, sed alienis criminibus volunt. Greg. lib. 8. Mor. cap. 27.

Multa in occulto mala facientes, pro bonis quæ patenter laudantur, ab occultis malis oculos auertunt: talesque se æstimant, quales foris audiunt, non quales intus nouerunt. Ideo bona in iudicio numerant, domine in nomine tuo &c. Greg. vbi sup. c. 32. Sæpe quod Dei gratia putatur est ira: quod ira gratia. Vide locum super illud, Si venerit ad me &c. Greg. lib. 9. cap. 11.

Tanto quisque patientius ferrũ medici tolerat, quanto putridũ conspicit esse quod secat. Greg. lib. 10. cap. 8.

Quia homines non perpendunt quo tendunt, nesciunt quid sunt: iusti aliquando coram alijs se ipsos dijudicãt, vt ad hoc alios inducant: aliquando bona opera ostendunt, vt cæteri erubescant. Greg. lib. 10. cap. 19. Mor.

Qui plenissime appetit intelligere qualis est, talis nimirum debet conspicere qualis non est: vt ex bonorum forma metiatur ipse, quanto deserto bono deformis est. Lucem nãque debet conspicere, qui vult de tenebris iudicare. Lumẽ intelligentiæ humilitas aperit superbia abscondit. Greg. in Mor.

Sancti tanto se subtilius cõstringunt, quanto à Deo districtius consideratur: vt tanto ipsi fiant irreprehensibiles, quanto se sine cessatione reprehendunt. Nec tamen securos se putant, quia ab illo se videri considerant, qui in eis etiam illa videt, quæ ipsi videre non valent. Greg. 21. Mor. cap. 5.

Habet hoc humana infirmitas, vt plus intueri sibi libeat, quod ei in se placet, quam quod displicet. Greg. 22. Mor. cap. 6.

August. De illecebra odorum non satago nimis: cum absunt, non requiro: cum adsunt non respuo, paratus etiã eis semper carere. Ita mihi videor, forsitan fallor. Sunt enim & istæ plangendę tenebræ, in quibus me latet facultas mea, quæ in me est, vt animus meus de

viri-

viribus suis ipse se interrogans non facile sibi credendum existimet, quia & quod inest plerumque occultum est nisi experientia manifestetur. Et nemo securus esse debet in ista vita quæ tota tentatio nominatur: vt qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Vna spes, vna fiducia, vna fida promissio misericordia tua. Aug. confes. lib. 10.

Nihil est quod sic quisq; cogitare debeat, nisi vt in semetipsum oculos conuertat se discat, se discutiat, se inspiciat, se quærat, & se inueniat & quod displicet, necet, & quod placet, optet, & plantet. Idem de verb. Domini.

Magis cogitare debetis quid nobis desit, quàm quid vobis adsit. Quod habes caue ne perdas: quod nondum habes supplica vt habeas. In quantis sis minor, est cõsiderãdum, nó in quantis sis maior. Si enim cogitas quantum præcessisti alterum, time tumorẽ: si vero cogitas quãtũ tibi deest, ingemiscis, curuaris: si humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis, non laberis. Idem sup. Math. serm. 59.

Laudabilior est animus cui nota est infirmitas propria, quam qui ea non respecta, mœnia mundi, vias syderum, fundamenta terrarum & fastigia cœlorum scrutatur. Idem in proem. 9. de Trini.

Hæc tota scientia hominis, scire quare ipse nihil est per se, & quoniam quicquid est, ex Deo est, & propter Deum est. Idem sup. Psal. 70.

Tu autem Domine inter verba Potitiani duorum nobilium cõuersionem referentis, retorquebas me ad me ipsum, auferens me à dorso meo, vbi me posueram dum nollem me attendere & constituebas me ante faciem meam, vt viderem quã turpis essem, quã distortus & sordidus, maculosus & vlcerosus. Augu. confes. lib. 8.

Orans quidam sanctus: Deus, inquit, nouerim me, nouerim te. Breuis oratio, sed fidelis. Hæc est enim vera philosophia, & vtraque cognitio prorsus necessaria ad salutem: ex priori siquidem timor concipitur & humilitas, ex posteriore spes & charitas generatur. Bernar. in sermon. *Bern.*

Vt te ipsum semper aspicias ab omnibus oculos auerte. Idem in epist.

Babyloniorum manifesta sunt peccata præcedentia ad iudiciũ & non egent scrutinio & supplicio; mea autẽ qui videor mona-

chus & Hierosolymita, peccata certe occulta sunt, nomine & habitu monachali obumbrata: & ideo necesse erit subtili ea inuestigare discussione. Idē super illo, scrutabor Hierusalem in lucernis.

Te interroga de te. Alius vero dixit, Ne te quæsieris extra. Idē.

Generalis est humano generi miseria triplex si diligenter aduertimus: Nam & faciles sumus ad seducendum, & debiles ad operandum, & fragiles ad resistendū. Si discernere volumus inter bonū & malū decipimur: si tentamus facere bonū, deficimus: si conamur resistere malo deijcimur & superamur. Idem serm. 8.

Homo natus de muliere breui viuēs tempore &c. In sordibus generamur, in tenebris cōfouemur, in doloribus parturimur, ante exitū miseras onoramus matres, in exitu more vipereo laceramus: mirū quod ipsi nō laceramur: primā vocē ploratus edimus: merito quidē vt potè vallē plorationis ingressi, vt nobis illud sancti Iob ex omni parte possit aptari, Multis repletur miserijs: multis & multiplicibus inquā miserijs corporis, miserijs cordis, miserijs dum dormit, miserijs dū vigilat, miserijs quocumq; se vertit. Idem in serm.

Consideranti tibi quid sis, occurret tibi homo nudus, & pauper, & miser, & miserabilis homo dolens quod homo sit, erubescens quod nudus sit, plorans quod natus sit, murmurās quod sit homo natus ad laborē, nō ad amorē: Homo natus de muliere: & hoc cū reatu, breui viuens tempore, ideo cum metu repletur multis miserijs, & propterea cū fletu. Verè multis quia corporis & animæ simul. Idem ibidem.

Innocēt. Quare de vulua egressus sum, vt viderē laborē & dolorē, & cōsumerētur in cōfusione dies mei? Si talia locutus est de se ille quē Deus sanctificauit in vtero, qualia loquar de me, quē mater mea genuit in peccato? Innocēt. de vilit. condit. hum.

Formatus est homo de puluere, de luto, de cinere, quodque vilius est, de spurcissimo spermate cōceptus in pruritu carnis, in feruore libidinis, in fœtore luxuriæ, quodq; deterius est in labe peccati, natus ad laborē, timorē, dolorē: quodq; miserius est, ad mortē. Agit praua quibus offendit Deū, offendit proximū, offendit seipsum. Agit turpia, quibus polluit famā, polluit personā, polluit cōscientiā. Agit vana quibus negligit seria, negligit vtilia, negligit necessaria. Fit cibus ignis, qui semper ardet, & vrit inexstinguibilis

esca

esca vermis qui semper rodit & comedit immortalis, massa putredinis quæ semper fœtet & sordet horribilis. Idem ibidem.

Ipsi nos metipsos quotidie castigemus, ipsi nobiscum rationẽ de quotidiana cõuersatione faciamus: alloquatur se in secretis cordis vnaquæque anima & dicat: videamus si hanc diem sine peccato, sine inuidia, sine obtrectatione, sine murmuratione trãsegi: videamus si hodie aliquid ad profectum meum quod ad ædificationem aliorum pertinet, operatus sum: puto quod hodie mentitus sum, peieraui, ira vel cõcupiscentia victus sum, nec alicui benefeci, nec pro timore æternę mortis ingemui. Quis mihi reddet hanc diem, quam in vanis rebus perdidi, quã in cogitationibus noxijs pessimisque cõsumpsi. Eus. Emiss. hom. 1. de Epipha. *Euseb. Emiss.*

Nihil aliud est caro, cũ qua tãta est societas, nisi spuma caro facta, fragili decore vestita. Sederit quãdoq; cadauer miserũ & putridũ, & cibus vermiũ. Si diligẽter cõsideres quid per os, & nares, & cęteros corporis meatus egrediatur, vilius sterquiliniũ nũquã vidisti: Si singulas eius miserias enumerare velis, quam sit onerata peccatis, irretita vitijs, pruriẽs cõcupiscẽtijs, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malũ, & in omne vitiũ procliuis, plena cõfusione & ignominia inuenies. Hugo de Claustr. ani. *Hugo.*

Frustra cordis oculũ erigit ad videndũ Deum, qui nondũ idoneus est ad videndũ se ipsum. Prius enim est, vt cognoscas inuisibilia spiritus tui, quàm possis esse idoneus ad cognoscendũ inuisibilia Dei: & si nõ potes cognoscere te, nõ præsumas apprehẽdere ea quæ sunt supra te. Præcipuũ & principale speculũ ad videndum Deũ, animus rationalis intuens se ipsum. Idem. lib. 3. de Ani.

Melior es, si te ipsum cognoscas, quã si te neglecto cursus syderũ, vires herbarũ, cõplexiones hominũ, naturas animaliũ, cœlestiũ omniũ & terrestrium scientiã haberes. Multi enim multa sciunt, & se ipsos nesciũt: cũ tamen summa philosophia sit, cognitio sui. Idem. lib. 1. de Ani.

Ad id quòd natura aptũ est, trahimus vnũquodque animal: hominẽ, qui planta est cœlestis, natus ad cœli cõtemplationẽ, adhortamur ad Dei cognitionẽ: id quod est eius propriũ, eximiũ, & peculiare. Terram cole, si es agricola: sed cognosce Deum: & nauiga, sed cœlestẽ assumẽs gubernatorẽ. Clẽ. Ale. in adhor. ad Gẽtes. *Clem. Alex.*

Eũ vero (ait Climacus, narrãs quæ viderat in quodã monasterio) *Clim.*

qui

qui parandę fratribus refectioni præerat: cũ curiosus inquirerem hoc facere animaduerti. Cum ad eius latus appensum cingulo breuen libellum conspicerem, didici eum quotidie cogitantiones suas in eo notare, hasque omnes pastori annuntiare solitum. Non solũ autem illũ, sed & alios quam plures id facere ibidẽ compexi: erat enim id (vt comperi) Patris sancti mandatum. Clim.

Optimus ille trapezita est, qui quotidie vespere lucrum ac detrimentum omnino computat: quod scire manifestius non potest nisi horis singulis in tabulis omnia denotet. Nam cum calculi horis singulis ponuntur, totius diei ratio post modum clarius agnoscitur. Idem.

Chrys. Quando accubueris super stratum tuum, & neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicé, conscientiã tuam, & reminiscere peccata tua, si quid in verbo, seu in facto, vel in cogitatione peccasti. Chrysost. in serm.

Hera. Heraclitus adhuc iuuenis omniũ sapientissimus fuit: quoniam sciebat se nihil esse.

Socrates. Socrates existimabat, nihil se scire, præter hoc vnum quod nihil sciret, reliquos vero ne hoc quidem scire.

Idem. Qui valde febricitant, appetitum & robur amittunt: qui vero principum aulas inhabitant, mentem & bonos mores perdere solent, nisi frequenter animo repetant hoc dictũ, Nosce te ipsum.

Diogen. Diogenes interrogatus, quid esset difficillimũ, Nosse se ipsum, inquit. Multa enim propter amorem sui sibi quemque sumere solitum. Dioge.

Cato. Cum quis te laudat, iudex tuus esse memento:
Plus alijs de te, quam tu tibi credere noli.

Cicer. Suum cuique pulchrum est: adhuc neminem cognoui Poetam, qui sibi optimus non videretur. Sic res habet, te tua, me delectant mea. Cicero. 2. Tuscul.

Nemo vnquam neque poeta, nec orator fuit, qui quemquam meliorem quam se arbitraretur. Idem. lib. 5. Famil.

Vt medici causa morbi inuenta, curationem esse inuentam putant: sic nos ægritudinis causa reperta, medendi quoque facultaté reperiemus. Idem. 2. Tusc.

COLLE. Cognitionem sui totius Christianæ philosophiæ atque adeo

totius

totius virtutis fundamentum esse notius est, quam vt longa oratione probari debeat. Quamobrem in hanc præcipue curā Christianus homo incumbere debet, vt se ipsum intus & in cute (quod aiunt) cognoscat. Neque tantum reges de nouarum insularum nouique orbis inuentione lætari debent, quantum pius homo cum aliquid in moribus & ingenio suo deprehendit, quod ante non agnoscebat, siue id bonum sit, vt Deo gratus existat, siue malum, vt medicamentis opportunè adhibitis, grauius illud serpere non sinant. ¶ Adhoc autem illud in primis curandum, ne se homo aliorum iudicijs & opinione æstimet, quæ frequentissime cœca est. Vnde est illud, Ne te quæsieris extra: Et illud, Plus alijs de te, quā tu tibi credere noli. Et Apostolis prohibet ne in alijs gloriemur, nec aliorum nos comparatione metiamur, sed comparantes nosmetipsos nobis. ¶ Cauendum etiam ne se homo talem iudicet, qualem aliquando vel oblata aliqua noua raraque occasione, vel afflatu aliquo diuino adiutus forte se deprehendit. Non enim fluminum magnitudinem ex aqua, quæ alluuione aliqua superueniēte exundat, æstimare solemus: id enim non perpetuum sed rarum & insuetum est. Quod multi non aduertentes, seque de illa occasione metientes, longe plus sibi tribuunt, quàm habent. ¶ Iā quòd se quisquā vel ex nobilitate vel ex opibus, amicis, aut præceptoribus quibus operam dedit, vel ex gratia principum, vel studijs litterarum, vel ex dignitate status metiri velit, stultissimum est. Status enim dignitas non efficit hominem meliorem, sed exigit. Ad hanc vero cognitionem plurimum refert, vt affectuum suorū vim & naturam homo exploratam ac perfectam habeat: his enim fere humana vita regitur. Sunt enim qui vehementiores affectus, sunt qui moderatos & mediocres, sunt qui remissos atque languidos habeant. Refert autem ægrum siti laborantem intelligere, an sitis ista vera an falsa sit: hoc est, an ex humore noxio, an ex defectu humidi & frigidi oriatur. In hoc enim casu bibere, salutare: in illo vero noxium est. Ita ergo refert, vt cum vehementi aliquo desiderio vrgemur, an ea vis affectus ex ingenio & morbo nostro an ex vera indigentia proficiscatur.

Quam sit difficile seipsum perfecte cognoscere, non obscurè Eccli. significauit, cum de ipso Deo loquens, ait, Abyssum & cor hominis inuestigauit. Abyssi autem nomine (quæ solis Dei oculis patet),

patet)huius cognitionis difficultatem subindicauit. Sicut enim cũ alibi dixit, vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, periculum consuetudinis fœminarum designauit (quæ instar vini mentẽ etiam sapientibus eripiunt, & insanire faciunt) ita modo cum cor hominis abysso comparat (quæ solis Dei oculis peruia est) quàm sit eius rei cognitio difficilis ostendit. Idem etiam ipse Dominus Hiere. 17. explicauit, cum dixit, Prauum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscit illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. Hanc autem cordis humani prauitatem ex originis peccato prouenientem, non video qua similitudine commodius explicare valeam, quàm si illud velut chaos illum esse dicam, qui à Poetis fingitur rerum omnium conditarum congesta & confusa semina in se vno habuisse. Quod etsi falsum est, exemplo tamen nobis erit, vt intelligamus, cor nostrum post peccatum, velut huiusmodi chaos esse, in quo non omnium quidem rerum, sed omnium perturbationum ac vitiorum semina dicimus esse: passimque subpullulare, nosque ad mala omnia incitare, Vnde est illud Gene. 9. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Et Apost. Rom. 7. Scio inquit, quod non habitat in me, hoc est in carne mea bonũ. Immodicus autẽ amor quo se quisque amat, non minus in hoc iudicio, quàm Iudex alteri parti amicus, suspectus homini esse debet. Hic enim ferè est, qui nos in nostri ipsorum cognitione sæpe decipit.

A Domino diriguntur gressus viri. Quis autem hominum intelligere potest viam suam? Hinc illa sententia non semel in Prouer. repetita. Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem. Item illa, Omnis via viri recta sibi videtur, appẽdit autem corda Dominus. Inter quatuor autem genera hominũ quæ Salomon detestatur, hoc vnũ est, Generatio quæ sibi munda videtur, & tamen nõ est lota à sordibus suis. Talis erat ille, cui Dominus in Apoc. ait, Dicis quia diues sum & nullius egeo, & nescis quia tu es miser & miserabilis, pauper, & cæcus, & nud⁹. Talis etiã erat Pharisæus ille, qui in oratione sua dicebat: Deus gratias ago tibi quia nõ sum sicut cæteri hominũ &c. Vides ergo quã difficile sit seipsum agnoscere, quãdo tam multi in hac parte decepti sunt?

Examen vitæ suæ morumque suorum studiumque profectus illis verbis commendatur: Considerauit semitas domus suæ, &

panem

panem otiosam non comedit:hoc est,gratiam Dei & diuini spiritus auxilia atque solatia non accepit frustra:sed ijs ad salutem diligenter vsus fuit:indignum ratus,creditum à Domino talentum ligare,& in terram defodere.

Pro eo quod nos legimus,Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia.Hiero.ex Hebr.vertit,Vt numerẽtur dies nostri,sic ostende,& veniemus corde sapienti.Alius autem vertit, Enumerare dies nostros,ad hunc modũ tu nos doce:&offeremus cor sapientiæ.Quoniam in hoc Psal.89.de miserijs, breuitate, & inanitate vitæ nostræ egerat, fructum deinde huius cognitionis commemorat qui est illud implere quod oraculo proditum fuisse veteres crediderunt,nempe. Nosce teipsum. Quod quia difficile est homini,petit à Deo vt hoc modo seipsum cognoscat, diesque suos ita enumeret:quo fiet vt veram sapientiam assequatur. Vera nãque & salutaris sapientia in cognitione sui sita est. Facile enim ex cognitione sui peruenitur ad cognitionem Dei , cum effectus omnis ducat in cognitionem suæ causæ.

Vbi nos legimus,proba me Deus,& tenta me , alij verterunt, Scrutare me Deus,& cognosce cor meum:explora me & cognosce semitas meas.Itaque quamuis paulo ante affirmarat se pietatis studiosissimũ esse,tamen cõsiderans quãtæ latebræ sint in animis nostris,veretur ne quid fuci & doli insit in spiritu suo. Ideoque ait, Fac quæso Dñe periculũ innocentiæ meæ:atque vt aurum & argentum igne perspiciuntur:sic tu intimos sensus & cogitationes animi mei diligenter explora,& vide num ego imprudens de recto vitæ curriculo deflectã.Ex his autẽ verbis patet,quæ sit tentationum ac tribulationum vtilitas:quia videlicet nemo vires suas in pace cognoscit.Patet autem quam sit difficilis sui ipsius cognitio:quando vir sanctus tametsi nullius mali sibi conscius,explorari tamen vult innocentiam suam:cui non satis fidebat.

Hæc autem sui ipsius cognitio eò præcipue dirigitur,vt homo latentia in corde suo vitiorum germina agnoscat , vt hac cognitione & humilitatis virtutem foueat,& sibi à seipso, & ab ea quæ dormit in sinu suo,hoc est à carne sua solicite caueat. Cuius malitiam appositissima similitudine Ecclesiasti. designauit cum ait, Eccl.12. Non credas inimico tuo in æternum:Sicut enim æramentum æruginat nequitia illius. Inimici autem nomine carnem nostram

intelligit,

intelligit, quæ inter tres animæ nostræ hostes tanto est atrocior, quanto familiarior ac vicinior: cuius cupiditatibus & suggestionibus nullo modo fidendum est. Quam eius malitiam describit, cum illam ęramento comparat. Vt enim æs & ferrum nisi tractetur, sponte sua ferruginem generat, qua seipsum corrumpit, ita caro nostra originis peccato infecta, variarum cupiditatum & vitiorum ferruginem profert. Quo fit vt etiam si externus tentator & hostis desit, ipsa sibi ad perniciem nostram pro tentatore sit. Quid ergo magis miserandum, quid magis timendum, quàm

Prou. 26. talem intra nos hostem circumferre? De quo Salomon ait, Etsi submiserit vocem suam, ne credas ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde eius.

Quantum vero homini sui ipsius ignoratio noceat, declarant illa Sponsi verba ad Sponsam, Si ignoras te ò pulchra inter mulieres, egredere, & abi post &c. Minatur enim his verbis Sponsus cœlestium donorum, atque deliciarum spiritualium amissionẽ: quo futurum sit, vt his Sponsa destituta, hædos suos, hoc est, carnales affectus & cupiditates suas ibi pascat, vbi carnales homines affectus suos pascere solent, nempe in bonis terrenis & caducis. Neque enim cœlestibus donis dignus est, qui vel ingratus, datorẽ ex donis non agnoscit, vel elatus eis abutitur ad superbiam. Vnde est illud Eccle. 6. Ne extollaris in cogitatione tua veluti taurus, ne fortè elidatur virtus tua.

Virtutis atque adeò cuiusque habitus diuturna consuetudine acquisiti est, promptè & delectabiliter operari. Vnde de viro iusto dicitur, Gaudium est iusto facere iustitiam. Sic Dauid, In via, inquit, testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in omnibus diuitijs. Qui vero reluctante adhuc carne, virtutis opera exequitur, is quidem, non virtutem, sed continentiam assecutus esse dicitur: quæ infra veræ virtutis gradum posita est: cuius est promptè & delectabiliter (vt diximus) operari. Hac ergo mensura se quisq; metiatur, & intelliget, tantum ei à vera virtute, quantum ab hac promptitudine & voluptate operandi deesse. Ex qua consideratione colligi potest, quàm rara sit in terris virtus, quamque pauci sunt, qui ad hanc veræ virtutis laudem, peruenerint.

Fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in diuitijs eius. Origenes super hoc verbo, Quam, inquit, terram inhabitare nos

iubet

iubet si bonitatē fecerimus? Vtique si de ista terra loqueretur quā inhabitamus, & qui faciunt bonitatem & qui non faciunt habitāt eam. Sed videamus ne fortè illam dicat terram de qua scriptū est quia semen aliud cecidit in terram bonam, & attulit fructum centupl. &c. Hanc ergo iubemur inhabitare, hoc est non longius euagari, non vltra citraque discurrere: sed habitare & consistere intra animæ nostræ terminos, & considerare eam diligēter, & effici eius agricolas, & excolere terram quæ intra nos est, nostræ animæ nouare noualia, & non serere super spinas &c. Et sic erit quod sequitur, Pasceris in diuitijs eius. Hæc ille. Diuitiæ autem & gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ.

Quoniam magnum ad veram sui ipsius cognitionem impedimentum amor sui est, ideo Natham Propheta sub alienæ personę nomine Dauidis flagitium ei proposuit, vt facile damnaret in alio quod in se hoc amore obcæcatus, minus forsitan damnauisset. Simili quoque figura mulier Thecuites vsa est, vt Dauidis animū ad ignoscendum Absaloni inclinaret: vt videlicet quā sententiam in aliena causa tulisset, in qua ab hoc affectu immunis erat, eādem in propria ferret, in qua hoc affectu impediebatur. His exemplis vir prudens facile intelligit quam sit difficilis perfecta sui ipsius cognitio propter proprij amoris mentem obcæcantis impedimētum: quod declarauit in oratione sua Salomon cum ait, Tu solus nosti cor omnium filiorum hominum. Vnde Paulus, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est. Huc pertinet & illud, spirituum ponderator est Deus. Et illud, scrutans corda & renes Deus. Et, Abyssum & cor hominis inuestigauit. Iunxit abyssum cordi, vt vtriusque profunditatem designaret. Item, Prauum est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor & probās renes. Emphasim quoque habent illa verba. Et quia nō opus erat vt quis ei testimonium pręberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine. Nemo ergo inter homines sibi arroget quod propriū Dei, nisi eius fuerit beneficio ad hoc eruditus.

Amor sui.

NEmo potest mobilia diligere, & ipse immobilis stare. Greg. in Mor. lib. 8. cap. 28.

Quid laboriosius quam terrenis desiderijs æstuare? quid quietius quam nihil appetere? Ideo dicitur, Et inuenietis requiem &c. Greg. 18. mor. c. 27.

August. Duas ciuitates faciunt duo amores. Hierusalem facit amor Dei Babyloniam facit amor sæculi. Interroget ergo se quisque quid amet, & inueniet vnde sit ciuis: & si se inuenerit ciuē Babyloniæ, extirpet cupiditatem, plantet charitatem: si autem se inuenerit ciuem Hierusalem, toleret captiuitatem, speret libertatem. August. super Psalm. 64.

Inhiabam honoribus, lucris, coniugio: & tu irridebas: patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tātò magis, quantò minus sinebas mihi dulcescere quod non eras tu. Aug. Confess. lib. 6.

Duo amores, alter bonus, alter malus, alter dulcis, alter amarus, non se simul in vno capiunt peccatore. Et ideo si quis præter te aliud diligit, nō est charitas tua Deus in eo amor dulcedinis, & dulcedo amoris, amor nō crucians, sed delectans. Aug. in Medita.

Volumus vt nullæ sint concupiscentiæ, sed non possumus. Velimus, nolimus, habemus illas: velimus, nolimus, titillant, blandiūtur, stimulant, infestant, surgere volunt, premuntur, nondū extinguūtur, quamdiu caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Idem de verb. Domini ser. 49.

Bernar. Dominus communi disciplina, communi vita, communibus studijs delectatur. Vsquequò miser diuerticula captas, & consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas? tanto rubore mēdicas? Et quid faciam inquis? Eijce ancillam, & filium eius. Bern. in sermo.

Singularis ad omnia sua strenuus, ad communia piger, vigilat in lecto, dormit in choro. Idem de. 12. Grad.

Autor &c. Anima per odium mundi & sui proficit in amorē Dei & proximi: & per contemptum temporaliū & inferiorū, crescit in desiderium æternorum & superiorum. Autor de Spiritu & anima.

Clima. Amicus ingratus ac dolosus caro est: & si foueatur, amplius lædit. Clim. Grad. 9.

Maximus. Amor sui est corporis ratione carens amicitia, ex qua quidem nascitur gulositatis ratio, & inanis gloriæ cupiditas. Ex ijs autem nascitur vniuersus malorum numerus. Maximus.

¶ Primus charitatis actus est, diligere Deum: secundus, odisse peccatum: quo enim quisque amore diligit vitã, eodẽ gradu dilectionis odit mortem. Post odiũ vero peccati, cõsequẽter sequitur fomitis & carnis nostræ sanctũ odiũ: quãdoquidẽ hæc peccatorum omniũ semina sunt. Qui enim odit peccatũ, causas quoq; peccatorũ odisse merito debet. Hoc ipsum S. Catherina Senensis, morti iá proxima dixit: Hoc omnes Sancti exẽplo suo docuerũt, qui carnẽ suã varijs modis tanquã intestinũ & pernitiosum hostem semper insectati sunt. COLLE.

Contra eos qui immodico sui amore sibi nimium indulgent, faciunt illa Salomonis verba. Qui delicate à pueritia nutrit seruũ suum, postea sentiet eum contumacem. Diuturna enim cõsuetudo quæ à pueritia cœpit, & cum ipsa ætate adoleuit, difficillime superatur. Ideo Apostoli Dæmonem illum eijcere non potuerũt, qui ab infantia pueri corpus obsidebat.

Vehementer suspectus est regi miles, qui cum capitalibus hostibus suis vel clãdestina miscet colloquia, vel iungit amicitias: cùm illi fidus maximè regi habeatur, qui eius hostibus infensissimus sit, & irrecõciliabiles cũ eis gerat inimicitias. Cùm igitur caro nostra propriaque voluntas truculentissimi Dei hostes sint: qui aduersus eius scita atque decreta cõtinẽter bellũ gerũt, fidelis vtique Dei seruus sempiternas cũ illis inimicitias gerere debet, & nũquã illis, nisi sola necessitatis causa obsequi: semper autẽ illis in omnibus penè rebus aduersari. Hoc autẽ typicè Dñs præcipit, qui, Numer. 25. ait, Hostes vos sentiant Madianitæ: quia & ipsi hostiliter egerunt cõtra vos, quando videlicet carnali illecebra inductos, ad sacrificia sua vocauerunt. Hoc idem ad carnem & propriam volũtatem nostram dictum esse putemus: quæ nos toties cupiditatibus suis illectos in multa scelera præcipitarunt.

Vxor quæ deserto viri thoro adulterũ sequuta, cũ eo longo tẽpore versata est, si pœnitentia ducta ad virum reuersa, & clementer ab eo recepta fuerit, quid facere debet, quo viro plenè satisfaciat? Nimirũ acerbissimum aduersus adulterum illum odium præ se ferre, quò videlicet & viro ꝓ præteritis cõmissis satisfaciat, & securiorẽ eũ in posterũ reddat. Quo eñ maiori aduersus illũ odiũ incãduerit, hoc à simili scelere lõgius aberit, quod solo inhone-

sto amore cōflatū est. Si em̄ aliqua in re illi eá gratificari senserit, & amoris illi significationé ostéderit, suspectá fidé suá viro facit. Cū igitur caro nostra nos toties à Deo adulterari fecerit, vbi in illius gratiá misericorditer recepti sumus, quid aliud quá cótinéter aduersus carné hāc bellum gerere debemus, & hostili aduersus eá odio dissidere? Quia verò illá alere & sustétare præcipimur, alam tātú illā (quod illi negare nó possumus obsequi tamē illi, & indulgere, & voluptate afficere, velut proditionis cuiusdam & spiritualis adulterij instar esse arbitremur. Non enim molliter & amanter tractare illam cóuenit, quæ nos toties à Deo adulterare cópulit.

Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus. Ex his verbis sic D. Bernardus breuiter argumentatur, Nihil ergo est, quod non sit propter Deum. Vnde qui esse vult sibi, non Deo, nihil esse incipit inter omnia.

Vnaquæque res naturalis habet intra se formam quæ illi dat esse, quæque velut seminarium quoddá est, omnium quæ illud esse consequuntur. Quod enim in arboribus radix, hoc in vnaquaque re naturalis forma est. Vnde sicut diuersæ radices, diuersas quoque arbores, proceritate, folijs, fructu, colore, sapore, cæterisque producunt: ita dissimiles rerum formæ dissimilima in rebus accidentia pariunt. Nunc quoniam vix aliud in mundo quam labores & peccata, hoc est, culpas & culparum vltrices pœnas videmus, quærendum est, vnde hæc tanta malorum seges oriatur. Verum vtriusque mali huius facilis inuentio est: Peccatorum quippe omnium seminarium amor sui est: pœnarum verò atque dolorum voluntas propria. Quisquis enim peccat, propter commodum aliquod captandum, aut incommodum fugiendum peccat. Quod vtrumque amoris proprij est. Quisquis vero mœrore afficitur, ideo sic afficitur, quia non assequitur quod vult. Sicut enim voluptas omnis ex fructu alicuius rei vehementius appetitæ oritur, ita mœror omnis tunc existit, cum non est concessum potiri his rebus, quas ardenter exquirimus. Quæ cum ita sint, consequens est, vt quisquis peccata vitare velit, ad radicem lethalis huius arboris securim ponat, radice enim amoris proprij abscissa (quatenus in hac fragili carne fieri posit) rami deinceps peccatorum arescent. Simili quoque ratione, qui placidam & nullo sæculi mœrore respersam vitam degere vult, studeat quantum potuerit, propriam

à se

à se voluntatem abdicare: quod vbi fecerit, iucundissima quiete perfruetur, nihil enim habet in hoc sæculo cur dolere debeat, qui de sæculo nihil cõcupiscit. Sicut enim cœlestis patriæ fœlicitas est, bonorũ omniũ cõpotẽ fieri: ita viæ velut fœlicitas quedã est, nihil ex sæculo cõcupiscere. Eiusdẽ enim penè fœlicitatis est, omnia possidere, & nihil ex omnibus cõcupiscere. Et illud quidẽ impossibile: hoc verò Deo iuuãte, in manu mea positũ est. Vnde Seneca, Quare (inquit) à fortuna potius impetrẽ vt det, quã à me ne petã? Rursumq; idẽ, nihil interesse ait, an habeas, an nõ cõcupiscas: sicut idẽ est, vt vel comedas & satieris, vel nõ esurias. ¶ Cæterum quoniã reuera propria volũtas & amor sui (quãuis nominibus distinguãtur) idẽ pene sint, sequitur amorẽ sui vt omniũ peccatorũ, ita etiam dolorũ omniũ causam esse. Sic enim diuina sapientia disposuit, vt eadẽ & culparũ omniũ & pœnarũ radix & origo esset, vt quoniam, propter culpam pœna decreta est, quod parit culpam, simul pariat & pœnam. ¶ His ita constitutis, facile est intelligere quod saluator ait, Discite à me quia mitis sum, & h. c. & inuenietis requiem animabus vestris. Quia enim tota Christi doctrina in resignatione & abdicatione propriæ volũtatis posita est, hac ipsa voluntate compressa (quã laborũ omniũ seminariũ esse diximus) quid superest, nisi vt placidam vitã laborũ atq; dolorum sæculi expertem agamus. *Matth.* 11

Qui cupiditatũ suarũ mortificationi studet, necesse est, vt ad hoc prẹstandũ sancto cõtra se sui odio armetur. Difficulter. n. cupiditates suas frenabit, & carnẽ suã crucifiget, qui tenerè nimiũ eã diligit. Cuius rei locupletissimũ extat in Dauide exemplũ, qui quoniã vehemẽter Amonẽ filiũ primogenitũ diligebat, obiurgare fœdissimũ eius incestũ noluit, ne quẽ maximè diligebat, obiurgatione contristaret. Vide quid immodicus amor faciat?

Amor terrenorum.

QVi defluere deuitat, fugiat quod defluit: ne per hoc quod amat, in hoc cogatur deuenire quod vitat. Illo enim trahitur, quo tẽdit, quod tenet. Greg. 22. Mor. cap. 2. *Gregor.*

Animus mutabilia transcendens, in mũdo extra mundũ est, Sanctus dũ solã appetit æternitatem, infra se habet omne quod transit. Greg. 22. Mor. capit. 14.

Qui nulla prospera appetit, nulla aduersa pertimescit. Greg. 22. mor. c. 16.

Iob. 4. Greg. super illud Iob. 4. Ad me dictũ est verbũ absconditum, & quasi furtiue suscepit auris mea venas susurrij eius: sic ait: Venas superni susurrij auris cordis furtiue suscipit: quia subtilitate locutionis intimæ afflata mẽs & raptim & occulte cognoscit. Nisi enim se ab exterioribus abscõdat, interna nõ penetrat. Occultatur autẽ vt audiat, & audit vt occultetur: quia & subtracta visibilibus inuisibilia cõspicit, & repleta inuisibilibus, visibilia perfecte contemplatur. mor. lib. 5.

Iob. 31. Greg. super illud Iob. 31. Si expaui ad multitudinẽ nimiã, dicit: Magna est securitas cordis, nihil cõcupiscẽtię habere secularis. Nã si ad terrena adipiscẽda cor inhiat, securũ trãquillũque esse nullatenus potest: quia aut nõ habita concupiscit vt habeat, aut adepta metuit ne amittat: & dum in aduersis sperat prospera, in prosperis formidat aduersa: huc illucq; quasi quibusdã fluctibus voluitur: ac per modos varios rerũ alternãtiũ mutabilitate versatur. Sin vero semel in appetitione supernæ patriæ forti stabilitate animus figitur, minus rerũ tẽporaliũ perturbatione vexatur. A cũctis quippe externis motibus eãdẽ intẽtionẽ suã, quasi quẽdã secretissimũ secessum petit: ibiq; incõmutabiliter inhærens, & mutabilia cuncta trãscẽdẽs, ipsa iã trãquillitate quietis suę, in mũdo extra mũdũ est. Excedit profecto ima omnia intẽtione summorũ, & cũctis rebus quas nõ appetit, libertate quadã se superesse sentit: nec tẽpestatem rerũ tẽporaliũ intus sustinet, quã intuetur foris: quia terrena omnia quæ cõcupita opprimere mẽtẽ poterãt, despecta subteriacẽt.
Hier. 31. Vnde bene per Prophetã dicitur. Statue tibi speculã: vt dum quisque speculatur summa superemineat infimis. Hinc etiam Abacuc
Abac. 2. dicit, Super custodiã meã stabo. Stat quippe super custodiã suam, qui per solertiã disciplinæ terrenis desiderijs nõ succũbit, sed supereminet, vt dũ semper stantẽ appetit æternitatem, infra se sit ei omne quod transit. mor. lib. 22.

Iob. 39. Greg. super illud Iob. 39. Nunquid ad præceptũ tuũ eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidũ sibi, sic ait, Hoc loco aquilæ nomine, subtilis sanctorũ intelligẽtia, & sublimis eorũ cõtẽplatio figuratur. Cũctarũ quippe auiũ visum acies aquilę superat: ita vt solis radius, fixos in se ei⁹ oculos, nulla lucis suæ coruscatione reuerberãs

claudat.

claudat. Ad præceptũ ergo Dei eleuatur aquila, dũ iussionibus diuinis obtẽperás, in supernis suspẽditur fideliũ vita. Quæ & in arduis nidũ ponere dicitur: quia desideria terrena despiciẽs, spe iam de cœlestibus nutritur. In arduis nidũ ponit: quia habitationẽ mẽtis suæ in abiecta & infima cõuersatione nõ construit. Videamus aquilã nidũ spei sibi in arduis cõstructẽ, quę ait: Nr̃a cõuersatio in cœlis est. Et rursum, Qui cõresuscitauit, & cõsedere nos fecit in cœlestibus. In arduis habet nidũ, quia profectò in supernis figit cõsiliũ. Nõ vult mẽtẽ in ima deijcere, nõ vult per abiectionẽ cõuersationis humanæ in infimis habitare. Tũc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cũ se cõsedere Christo in cœlestibus testaretur: sed ibi erat, vbi ardẽtẽ iã mentẽ fixerat, nõ illic vbi cũ necessario pigra adhuc caro retinebat. Hoc nãq; esse speciale specimẽ electorũ solet, ꝙ sic sciũt præsentis vitæ iter carpere: vt per spei certitudinẽ nouerint iã se ad alta peruenisse: quatenus cũcta quæ prętérfluũt, sub se esse videãt, atq; omne quod in hoc mundo eminet, amore ęternitatis calcẽt. Hinc est em̃ quod sequẽti se animæ per Prophetã Dñs dicit: Sustollã te super altitudines terræ. Quasi quædã namque inferiora terræ dãna sunt, cõtumeliæ, egestas, abiectio: quę ipsi quoque amatores seculi, dum per latę vię planiciẽ ambulãt, vitãdo calcare nõ cessant. Altitudines autẽ terræ sunt, lucra rerum, blãdimẽta subditorũ, diuitiarũ abundãtia, honor & sublimitas dignitatũ: quæ quisq; per ima adhuc desideria incedit, eò ipso alta æstimat, quò magna putat. At si semel cor in cœlestibus figitur, mox quàm abiecta sint cernitur, quæ alta videbãtur. Nã sicut qui in mõtẽ cõscendit, eò paulatim cætera subteriacentia despicit, quò ad altiora gressum amplius tẽdit: ita qui in summis intẽtionẽ figere nititur, dum annisu ipso nullã præsentis vitæ gloriã esse deprehẽdit super terræ altitudines eleuat: & q̃d pri⁹ in imis desiderijs posit⁹ super se credidit, post ascẽdẽdo ꝓficiẽs, sibi subesse cognoscit. mor. lib. 31. *Philip. 3.* *Ephes. 2.* *Esa. 58.*

Tota vita boni Christiani, Sãctũ desideriũ est: tãtum enim nos exercet sanctũ desiderium, quãtum desideria nostra amputauerimus ab amore sæculi. Exinani quod implẽdum est: bono implendus es, funde malum. Puta quia melle te vult implere Deus: si aceto plenus es, vbi mel pones? Aug. ex tract. 4. in Epistol. *August.*

Miser eram, & miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium: & dilaniatur, cum eas amittit, & tunc sentit

 miseriam,

miseriā, qua miser es, etiā antequā amittat eas. Aug. Confes. lib. 4.

Bernard. Cor meum quando futurum non curat gaudium, implicatur amore terrestrium: cumque illis inuoluitur, vanitas decipit, curiositas deducit, voluptas inficit, cupiditas afficit, luxuria inquinat, turbat iracundia, sicque miser, per multa dispergitur: quærit, nec inuenit, vbi requiescere possit. Bernar. in quodam sermo.

COLLE. ¶ Inordinatus terrenarum rerum siue creaturarum amor, omnibus fere Diaboli tentationibus & laqueis materiā prębet. Quam obrē quisquis huic amori mortuus est, is vtique ad hanc cœlestē militiā instructissimus est: qui vero illo tenetur vel hac solum, de causa omniū inimicorū telis tanquā inermis & imbecilla pręda patet. Quo fit vt callidus ille explorator diligēter omnes cordis nostri latebras scrutetur: & si alicuius rei amore vehemēter affectos viderit, ibi se iā aditū ad nos inuenisse gaudet. Natura enim ita cōparatū est, vt quam rē ardēter amamus, illius sitienter fœlicitatem appetamus, infęlicitate cruciemur, pericula timeamus, & aduersus dāno afficientem, grauiter cōmoueamur, & pro illius incolūmitate & honore decertemus, & omne studiū omnesq; curas, & cogitationes nostras in illū ponētes, à rerū cœlestiū cura & cogitatione abducamur: quia vbi amoris nostri thesaurus est, ibi tota cordis nostri cogitatio & cura est. Quia enim (vt verissime Philosophi dixerūt) qui vere amat, præter vnū amare non potest: ideo quisquis ardenti alicuius terrenæ rei amore tenetur, is à studio diuini amoris, rerūq; cœlestiū magnopere impediatur. Quā obrē quicūque in spiritualē istā militiā nomē dare constituit, habenas cordi suo inijciat, neq; illud prohibito alicui terrenæ rei vehemēter affici patiatur: alioqui sciat se ad quotidianū hostiū cōgressum expositū esse. ¶ Audiāt hoc parētes, qui immoderato amore filios cōplectūtur: propter quod ingentē illis dotē, aut hæreditatē supra facultatē etiā suā parare studēt. Audiāt hoc itē materteræ, quæ frequēter ita neptibus afficiuntur, similēq; dotē congerere studēt. Quantis enim se periculis hoc studio addicunt: cū radix omniū malorū sit cupiditas? Hoc ergo primū sit, quod prouidere ante debet, quisquis se se Christo dicauit, vt ad hāc inordinati amoris crucē & abnegationē se accingat. Quod si hoc tibi difficile videtur, cōsidera nō magnū esse, si salus animæ, si regnū cœlorū hoc pretio cōparetur.

tur. Si enim ne ipsa quidẽ corporis salus nisi per inediã, & amaras potiones, nõ acquiritur: quid mirũ si nec animæ salus (quæ infinitis partibus potior est) nisi per labores non acquiratur?

Pro eo quod nos legimus, Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnũ. Hiero. ex Heb. vertit, Germinauerũt impij quasi fœnũ: & floruerũt oẽs qui operãtur iniquitatẽ, vt cõterãtur in ęternũ. Quibus verbis breuitas mũdanę fœlicitatis, arescẽtis fœni similitudine declaratur, quod idẽ Esai. 40. legimus, vnde est illud ex Iob, *Iob. 20.*
Laus impiorũ breuis est, & gaudiũ hypocritæ ad instar pũcti: Si ascẽderit vsq; ad cœlũ superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquiliniũ in fine perdetur &c. Iob. Misera profecto fœlicitas in qua momẽtaneũ est quod delectat, æternũ quod cruciat. Cõtra vero de iusto dicitur, Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. *Psal. 91.* Elegãter autẽ Propheta piũ hominẽ cõparat cedro, cuius odor est iucũdissimus, eaq; arbor nũquã putrescit, & vmbram gratissimam ministrat: quæ omnia ad hominem pium eleganter aptantur.

Mulier impletura vasa sua oleo, clausit ostium super se, & super filios. Quã fœlix illa anima, quæ ita omnia sensuũ & desideriorum suorũ ostia clausit, vt nihil pręter ipsũsum suũ, vel amet, vel timeat, vel cupiat? Sed quã fœlicior cui clausit à foris ostiũ Dominus, vt cũ inundauerint aquæ multæ, ad illũ non accedãt, & pereũtibus diluuio cæteris, ipse nõ pereat. Fœlix quæ contẽnit sæculũ, sed fœlicior quæ à sæculo & ipsa contẽnitur, cui & mũdus crucifixus est, & ipsa mũdo. Talis autẽ animæ vasa omnia implẽtur oleo: quia mens cum omnibus viribus suis, diuinæ gratię vnctione repletur: vacuatur mundo, impletur Deo.

Crudelis cõtemptorque Dei Mezentius, mortuorũ corpora viuis iungebat, vt mortui viuos horrẽdo mortis genere necarẽt. Simile quidã Dæmon facere videtur, qui immodico amore voluptatibus, sordidisq; rebus homines copulare nititur, quatenus ab eis corrupti, tales efficiantur, qualia sunt ea quib. se addixerũt. Vnde est illud, Abominabiles facti sunt, sicut ea quæ dilexerunt.

Mundus, de contemptu Mundi.

QVi transeũtia amplectitur, eo ipso ad decursum ducitur, quo decurrẽtibus implicatur. Greg. in Mor.

Tranſit quod extollitur, permanet quod punitur:& qui hono ratur in via, in peruētione dānabitur:& quaſi per amæna prata ad carcerē peruenit, qui per pręſentis vitæ proſpera ad interitum ten dit. Greg. vbi ſup.

Deſpiciēdus à nobis hic mūdus foret, etiā ſi blādiretur, ſi rebus proſperis demulceret animū. At poſtquā tot flagellis premitur, tāta aduerſitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud quā ne diligatur clamat? Greg. in Dial.

Quoſdā cor ad mundū pertrahit, mūdus autē ad cor repellit. Nēpe qui bona nō aſſequūtur, quæ optāt. Greg. in Mor. li. c. 29.

Quia Amalechitā Dn̄m ſequi nō valuit; dux efficitur Dauidis: quia ſæpe qui cū ſeculo currere nō valuit ſed fractus infirmitate torpuit: iſtum Deus inuenit, cibat, & prædicatorem etiam facit. Greg. vbi ſupra.

Mali dum pro mundo tolerant, leue putant: abſintio ebrij ſunt. Greg. lib. 7. cap. 9.

August. Frequenter ridens æger, ploratur à ſanis. Aug. in ſerm.

Mundus tranſit & concupiſcentia eius. Quid vis vtrum amare temporalia & tranſire cum tēpore, an Chriſtum amare & in æternum viuere. Idem ſuper epiſt. Ioan.

Ecce turbat mundus & amatur, quid ſi tranquillus eſſet? formoſo quomodo hęreres, qui ſic amplecteris fœdū flores eius quomodo colligeres, qui à ſpinis nō reuocas manum. Idē ſuper pſal.

Proſpera huius mundi aſperitatē habent verā; iucunditatē falſam, certam dolorē, incertam voluptatem, durum laborē, timidā quietem, rem plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem. Idem Epiſt. 36.

Hieron. Difficile imo impoſsibile eſt, vt pręſentibus quis & futuris fruatur bonis: vt hic ventrē, ibi mentē impleat: vt de delicijs tranſeat ad delicias: vt in vtroque ſæculo primus ſit: & in cœlo & in terra appareat glorioſus. Hiero. in Epiſt.

Nulla res lōga mortalium eſt, omniſque fœlicitas ſeculi, dū tenetur, amittitur. Cum enim tribulationis tēpus aduenerit, omne quod præteritū eſt, nihil adiuuat ſuſtinentē. Hier. ſup. Eſai. lib. 7.

Cypria. Ad contēptū mundi hortatur Cyprianus expoſita ſcelerū eius multitudine, vide hac de re elegātiſsimā ac prope diuinā Epiſtolā ad Donatum. Quā his verbis concludit. Vna eſt igitur placida &

fida tranquillitas: vna solida & firma & perpetua securitas. Siquis ab his fluctuantis seculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundat', ad cęlū oculos tollit à terris, ac Deo suo mēte iā proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime videtur intra suā cōscientiā iacere gloriatur. Nihil appetere iā, nihil desiderare de seculo potest, qui seculo maior est. Quā magna fœlicitas est implicātis mūdi laqueis solui, in lucē immortalitatis æternę de terrena fece purgari, videre quæ in nos prius infestantis inimici pernicies grassata sit. Plus amare cōpellimur q̄ futuri sumus, dū & scire cōceditur & dānare quod eram⁹. Nec ad hāc summā fœlicitatē parandā magnis laboribus opus est: gratuitū de Deo munus religiosa mēte concipitur, & facile est. Et vt spōte sol radiat, dies illuminat fons rigat, imber irrorat, ita se spiritus cęlestis infundit. Quo hausto, sole altior, ac omni terrena potestate superior esse incipit, quod esse se credidit. Tu quæso frater tene sobriā religiosis virtutibus disciplinā. Sit tibi vel oratio asſidua, vel lectio. Nunc cum Deo loquere, nūc Deus tecum. Ille te præceptis suis instruat, ille disponat: Quē ille diuitē fecerit, nemo pauperē faciet. Iā tibi auro distincta laquearia, & pretiosi marmoris crustis vestita domicilia sordebunt, cum scieris te magis esse excolendum, domum tibi hāc esse potiorē, quam Dominus insedit templi vice, & in qua Spiritus sanctus cœpit habitare.

Nulla verior miseria, quā falsa lætitia. Bern. de lib. arbit. *Bernar.*

Generositas sanguinis, proceritas corporis, forma elegans, iuuenilis decor, prædia, palatia, immensa supellex, insulæq; dignitatum, adde & sapiētiā mūdi: de mūdo sunt hæc: & mūdus quod suū est diligit. Sed quousq;? Non solū enim nō semper (vt qui nō semper erit) verum ne diu quidē. Diu siquidem ista in te mundus habere non poterit, & tu quidem ipsum in breui nō habiturus. Idem in epist.

Periclitatur castitas in delicijs, humilitas in diuitijs, pietas in negotijs, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam seculo. Fugite de medio Babylonis fugite, saluate animas vestras. Ibidē.

Mundus clamat, ego deficiam. Caro clamat, ego inficiam. Diabolus clamat ego decipiā. Christus vero dicit ego reficiam, & tamen superba mens mea magis vult sequi deficientes, quam reficientem. Idem.

Quid

quid profuit illis superbia? quid diuitiarũ iactãtia? mũdi potẽtia? vana voluptas? breuis lætitia? magna familia? mala concupiscentia post voluptatẽ? vbi iocus? vbi risus? vbi iactantia? vbi arrogantia? Heu de tanta lætitia, quanta tristitia? Idem lib. 2. de conside.

Prosper. Diuitijs, & floribus, & maiorũ nobilitate te iactas, de patria, & pulchritudine corporis, & honoribus qui tibi ab homnibus deferũtur te exaltas? Respice teipsum, quia mortalis es: & quia terra es & in terrã ibis, circũspice eos qui ante te sydereis fulsere splendoribus. Vbi sunt quos ambiebant ciuiũ potentatus? vbi insuperabiles oratores? vbi qui conueniẽtius festa disponebant? vbi equorũ plendidi nutritores? vbi exercituum duces? vbi satrapæ & tyranni? Nonne omnia puluis? nonne omnia fauillæ? Nonne in paucis versibus eorum vitæ memoria est? Respice sepulchra, & vide, quis seruus, quis Dominus, quis diues. Discerne si potes, vinctum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Memor itaque tui esto, ne aliquando extollaris: memor autem eris, si te ipsum respexeris. Prosper in sententijs.

Euseb. Emiss. Exultant improbi in rebus pessimis, & de sui perditione lætantur: similes illis qui forte sumentes exitiabiles herbarũ succos, cum risu perire dicuntur. Eus. Emis. in hom.

Chrisost. Contemne diuitias, & eris locuples: contẽne gloriã, & eris gloriosus: contemne supplicia inimicorum, & tũc eos superabis: contẽne remissionem & quietem & tunc eam recipies. Chrysost. sup. epist. ad Hebr. serm. 25.

COLLE. ¶ Sicut paruuli dũ sub nutricis cura sunt, nutrices ipsas, à quibus alũtur, magis amãt, quã matres, à quibus prognati sunt: vbi verò adoleuerũt, & inter matres, ac nutrices quid sit discriminis agnoscũt, multo magis matres diligũt, quibus omnia se debere intelligũt, quã nutrices, à quibus tantũ aliti sunt. Ita plane homines, qui sensu, atq; iudicio paruuli sunt, magis mundũ, à quo nutriuntur, quàm Deum, à quo cõditi sunt, diligũt: qui autẽ sensu, & ratione iã in spirituales viros euaserũt, Deũ magis diligũt quã mundum, cui & esse, & illa ipsa, quę à mũdo receperũt, se debere cognoscũt. Idẽ simile ad amorẽ Dei, amorẽq; parentũ accõmodari potest. Re uera enim parẽtes, si cũ Deo cõferãtur, nutritij magis quã parẽtes appellãdi sunt: vnus enim pater est, qui in cęlo residet &c. Hoc autem

rem non agnoſcere, id plane eſt brutis ſtupidiorem eſſe. Conſtat enim perdicum pullos, etiam ſi alterius perdicis opera dũ in ouis delitefcunt, cõfoti, & in lucẽ editi ſint, vbi veræ matris (quæ oua peperit) vocem audiũt, nutrice deſerta, ad illam cõuolant. Quod ita eſſe D. Hiero. ſuper illo Hieremiæ loco aſſerit, Perdix fouit, quæ non peperit: fecit diuitias, non in iudicio, in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas. *Hiere.* 17

Mundanorum fœlicitas, & gloria ſimilis eſt auleis pretioſis, quæ ex lana, ſerico, & auro contexta ſunt: quorum externa facies, & pulchritudo valde ab interna diſsimilis eſt. Hæc enim deformis, illa verò pulcherrima eſt. Talis ergo principum huius ſæculi fœlicitas eſt: quæ exterius quidem nitet, & fulget, interius tamen mille curarum, ac moleſtiarum aculeis laceratur: quas nemo ſentit, niſi qui patitur: quanuis quidam adeò miſeri ſint, adeoque veræ fœlicitatis ignari, vt ſub his ſentibus eſſe, delicias computent.

S. Bonauentura miratur, quod cum bona mundi breuia ſint, atque fragilia, ſemperque nos fugiant: nos tamen illa ſummo ardore conſectamur. At ſpiritualia bona, nobiliſsima, & æterna ſunt, ſeque nobis ſponte offerunt, nos tamen ea fugimus, & auerſamur. Quo ergo alio argumento humanæ naturæ morbus euidentius agnoſci poteſt?

Quærit apud Ciceronem Epicurus: Si Deus omnia noſtri cauſa fecit, cur viperas procreauit? Ego etiam illud addo, cur muſcas, culices, pulices, totque alia animalcula eſſe voluit: quæ nos non ſolum interdiu vexant, ſed noctu etiam quieſcere non ſinunt. Ad quod merito reſponderi poteſt, ſi cum vita (quæ in hoc ſæculo degitur) tot moleſtijs plena ſit, adeò à nobis diligitur, quid eſſet, ſi omni acerbitate, & fele careret? Quis eam propter Chriſtum paruifaceret? Voluit ergo Dominus vitam noſtram hoc modo fœdare, vt facile nobis eſſet eam propter ipſum contemnere. Sicut etiam voluit filios Iſrael in Ægypto varijs tribulationibus ac oneribus premi, vt libenter eam deſerere, & ad promiſſam terram cõtendere vellent.

Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos. Hoc vno argumẽto peruerſitatem, ac freneſim mundi agnoſcere poteris. Apoſtoli namque imo, & Apoſtolorum Dominus in hoc neruos omnes intendebant. Vt homines bearent, ſummoque beneficio mun-

dum

dum afficerent. Quorum tanta fuit cęcitas, & immanitas, vt prō summa gratitudine extremis eos supplicijs, & accerbissima morte necarent: & tanquam lupi (quos improba ventris exegit rabies) in agnos sæuirent.

Leuissimis de causis ab officio improbos homines reuocari, testatur Salomon, cum ait: Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. Hoc est, metus rerū leuissimarū (quæ sunt velut territamenta puerorū) & amor quoq; rerum leuissimarū (qualia sunt muliebria ornamenta, splendidæ vestes, & similia) auocant illos à virtutis, & pietatis officijs, sine quibus vita & fœlicitas nostra constare non potest. Hoc est propter res pueriles cœlestem vitam, tanquam pessimi rerum æstimatores negligunt. Propter quod alibi ait. Vsque quò paruuli diligitis infantiā. Quæcunque enim improbi vel timent, vel concupiscūt, vere puerilia, & inania sunt. Vndè etiam alibi. Reliquite (inquit) infantiam & viuite, & ambulate per vias prudentiæ. Hinc Seneca. Quid (inquit) tam necessarium, quam pretia rebus imponere? Quia enim homines in hac parte cæcutiunt, ideò pretiosissimis vilia antefe runt. Vnde idem philosophus prudentissime sapientiā esse deffiniuit, Scire contemnere, & contemni. Qua voce quid potuit sublimius, aut sapientius dici?

Quam breuis sit mundi gloria, declarant illa Prophetæ verba. Vidi impium exaltatum, & eleuatum, sicut cedros Lybani: & transiui, &c. Itē illa. Quomodo facti sunt in desolationē? subito defecerūt, perierūt ꝑpter. i. s. velut somniū surgentiū. Quā quidē somnij similitudinem explicat Esaias his verbis. Sicut somniat esuriens, & comedit: postquam autem expergefactus fuerit, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit: sic erit multitudo gentium, quæ dimicauerunt aduersus Ariel: hoc est aduersus Ecclesiam. Esai. 29. Elegantissima similitudine somni, breuitatem & inanitatem humanæ fælicitatis atque potentiæ descripsit, siquis eam diligenter ex-
1. Mac. 2. cutiat. Idem etiam illa verba ex libro Machab. declarant. Verba viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius in stercora erit, & in vermes: hodie extolletur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius peribit.

Abnega-

Abnegatio sui.

MAgna est securitas cordis, nihil concupiscentiæ habere sæcularis. Nam si ad terrena cõcupiscẽda cor inhiat, securũ trãquillũque esse nullatenus potest, quia aut nõ habita cõcupiscit, vt habeat, aut habita metuit, ne amittat. Gre. in Mor.

Nisi quisque à semetipso deficiat, ad eum qui supra ipsum est, non apropinquat: nec valet apprehendere quod supra ipsum est, qui nescit mactare quod est. Greg. in Hom.

Omnis qui vno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quẽ sanũ habet: quia & cui terrenũ desideriũ iam arefactũ fuerit, in solo pede amoris Dei, tota virtute se sustinet, & in ipso stat: quia pedem amoris sæculi, quem ponere in terra consueuerat, iam à terra suspensum portat. Greg. sup. Ezech.

Qui vult venire post me, abneget semetipsum &c. Ad se veniẽtibus Dominus præcipit, vt renũtiemus nostris: quia qui ad fidei agonẽ venimus, luctamẽ cõtra malignos spiritus sumimus. Nihil autẽ maligni spiritus in hoc mũdo possidẽt propriũ: nudi ergo cũ nudo luctari debemus. Nã si vestitus quisq; cũ nudo luctatur, citi᷒ ad terrã deijcitur, quia habet vnde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia nisi corporis indumẽta? Qui ergo cõtra Diabolũ ad certamẽ properat, vestimẽta abijciat, ne succũbat. Greg. in hom. 32.

Si carni quod licet, abscindim᷒, mox in spiritu quod delectat, inuenim᷒. Intẽtioni quippe animi si exterior euagatio clauditur, interior accessus aperitur: nã quo extra se spargi ꝓpter disciplinã mẽs nõ potest, eò super se intẽdere per prouectũ potest: qa & in altũ crescere arbor cogitur, quę per ramos diffundi prohibetur: & cũ riuos fontis obstruimus, fluẽta surgere ad superiora reuocamus. Greg. lib. 30. Mor.

Quos à cogitationib᷒ terrenis euacuat, donis cœlestib᷒ replet: & quos infimis curis exhaurit, supernis rigat fluẽtis. Gr. li. 18. Mo. c. 22.

Greg. super illud Iob. 28. Abscõdita est ab oculis omniũ viuẽtiũ, sic ait: Quia qui Deũ videt, vitę funditus moritur, ne eius amore teneatur: qui enim Deũ vidit, stãti moritur. Quare Paulus qui Deum vidit, se crucifixũ clamat. lib. Mor. 28. cap. 37.

Paulo dũ oculi interni aperiuntur, cladũtur externi in cõuersione. Greg. 20. Mor. cap. 4.

Quanto quiſque incipit viuere ſuperius, tanto incipit inferius interire. Vnde Paulus. Viuo iam non ego. Greg. 24. mor. cap. 26.

Auguſt. Amputanda ſunt omnia nobis quęcũque igniti fomitis ſulphurantibus flammis ſcatens fornax ębullientis carnis exæſtuant, ne vel tenuis quędam ſcintilla ſeruata, maiora conflet incendia. Aug. de ſingul. cler.

Ambroſ. Vince naturam diligentia, exclude corporis ſomnum. Naturá nobis formare non poſſumus, poſſumus diligentiam. Ambr. lib. de Ioſeph.

Bernar. Quid odit, aut quid punit Deus præter propriam voluntatem? Ceſſet voluntas propria & infernus iam non erit: in quem enim ignis ille deſęuiet, niſi in voluntatem propriam? Bern. in ſerm.

Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa. Velis nolis intra fines tuos habitat Iebuſæus ſubiugari poteſt, non exterminari. Idem ſup. Canti.

Non eſt via ad regnum ſine præmijs regni, nec ſperare poteſt cœleſte regnum cui neque ſuper propria regnare membra adhuc donatur. Idem.

Euſe. Emiſ. Sublimabunt nos ſi fuerint infra nos (affectus videlicet noſtri) de noſtris etiã vitijs ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus. Euſ. Emiſ. de Aſcen. Domini hom. 1.

Si quando terræ operarius & ruris cultor agrum ſuum ſeminibus præparat, non ſibi ſufficere putat rudẽ campũ vomere proſcidiſſe, & aſsiduo aratro duras edomuiſſe glebas, ac ſulcis frequẽtibus confeciſſe, ſed inſuper ſtudet agrum illum infœcundis germinibus emundare, noxijs euacuare ruderibus ſpinarum, ſtirpiũ fomites excuſſa radice conuellere, ſciens terram ſine purgatione mali germinis, boni feracem eſſe non poſſe ad ſe dictum putans illud quod ad ſpiritalem agricolã pertinet, Nouate vobis noualia, & nolite ſerere ſuper ſpinas: ita & nos qui Dei agricultura effecti ſumus, qui ſpem fructuum noſtrorum non terræ credimus, ſed in cœlo repoſitam habemus, non nobis ſufficere putemus terrã corporis noſtri vigiliarum exercitiis edomare, vel ieiunorum labore conficere: ſed in primis mentem extirpatione vitiorum mundare conemur, circũcidere mores, excidere paſsiones, eradicare ſuperbiam, plantare humilitatẽ, effodere iram, fundare patientiam, amputare

putare inuidiam, inserere beneuolentiam, & huiuscemodi virtuti bus agrum cordis, quasi quibusdam bonæ frugis fęcundare semi nibus. Idem ad monach. hom. 8.

Hoc est profecto difficilimum regnandi genus, exercere iuuenem in suis sensibus principatum. Rarum omnino bonum est, Dominum triumphare de moribus, & hoc consequi in florida ætate, ad quod vix creditur cana modestia peruenire. Casiod. *Cassio.*

Christus verbum paternum solus est humanarum ægritudinum medicus, & sanctus ægrotæ animæ incantator quia videlicet sopit omnes pasiones nostras. Clem. Alex. Pędag. lib. 1. cap. 2. *Clem. Alex.*

Esto sicut rex in corde tuo sublimis, in humilitate residens, & risui iubens vade, & vadat: & dulci fletui veni, & veniat: seruoque atque tyranno corpori, fac hoc, & faciat. Ioa. Clim. de luct. c. 7. *Clim.*

Qui corpus vicit, is etiam naturam superauit: qui vero naturam superauit, is profecto supra naturam effectus est: porro is cui id cõtingit modicum quid minus quam Angeli habet vt non dicam nihil? Idem Grad. 15.

Quẽadmodum feras ipsas arte atque industria mitigamus & cicurimus, ita etiam pasiones nostras quæ sunt feris omnibus truculentiores mitigemus. Si enim leonem arte reddimus mansuetum atque tractabilem, cur quæso iram & furorem quouis etiam leone sæuiorem sopire negligimus? Quam enim reperies excusationem, quem honestum colorem, cum hominem quodammodo facias de leone, tu tamen negligens leo efficiaris ex homine? Nam illi quidem donas aliquid habere supra naturã, tu vero nec naturales tibi affectus conseruas. Quæ vecordia est, cum naturalẽ ferarum crudelitatem in præternaturalem mansuetudinem conuertas, tuam vero mansuetudinem in contrarium naturæ tuæ furorem atque crudelitatem deducas? Extinguamus igitur hæc vitia. Neque enim posibile est nos vere viuere nisi hæc in nobis prius vitia moriantur: hæc nos necessario perimunt in futuro, si nos hic illa viuere patiamur. Quinimo & ante illam mortem hic exigunt à nobis horrenda supplicia suis nos crudelitatibus exagitantes. Itaque & dentes leonum, dentes earum, imo etiam sæuiores. Nam leo quidẽ simulac fuerit saturatus, semesum cadauer cõtinuo relinquit: hæc vitia núquam satiantur, nec ab anima nostra vnquam discedunt, captumque hominem Diabolo continuo tradunt. *Chrys.*

dunt. Quorum certè tanta vis est, vt seruitutem quã Christo Paulus impendebat, sibi potius à suis captiuis exigant. Qui enim his cupiditatibus capti sunt, regnum & gehẽnam contemnunt, dum modo vitijs suis obsequantur. Nequaquam igitur Paulo de se mirabilia prædicanti fidem adhibere dubitemus, qui tãto amore flagrauit, quando diuites inueniuntur ita pecuniarum amore flagrãtes, qui eadem ipsa faciunt, quæ propter Christum Paulus. Chrysost. super Matth. hom. 4. oper. perf.

Naturam atque ingenium carnis nostræ quam abnegare, cuiq; bellum inferre iubemur, miris colorib. depingit Ioan. Climacus, his verbis.

Quonam autem more & modo meum hunc amicum (corpus videlicet) vinciẽs dijudicẽ, nescio: prius. n. quã illum vinciã soluitur, & antequam dijudicẽ, cũ illo in gratiam redeo: & antequã puniam flector. Quomodo illũ vincam, quẽ vt amem, à natura suscepi? quomodo ab eo liberabor, cui in sæculũ colligatus sum? quomodo mecũ etiam surgentem destruã? quomodo incorruptibilẽ ostẽdã, qui naturam accepi corruptibilẽ? quid illi rationabile persuadẽs dicã, qui per naturam mille rationibus ac persuasionibus nititur? Si. n. ipsum ieiunio vinciã, rursus proximũ iudicãs trador: si & iudicare desistens hunc superẽ, elatus corde in eundẽ præcipitor: estq; cooperator & hostis, adiutor atque aduersarius, auxiliator simul & insidiator. Si foueatur, oppugnat: si affligitur debilior fit: lasciuit per quietẽ rursusque verbera & flagella nõ sustinet. Si illũ contristem, periclitor: si feriam, per quẽ virtutes acquirã non habeo. Quid sit circa me sacramẽti, quæ nã sit meæ cõcretionis ratio: quomodo mihi & amicus sim & inimicus, quis videat? quis intelligat? Dic tu mihi ò cõiux mea, ò natura mea (neq; enim ab alio quam abs te discere orabo) quomodo ex te inuulneratus maneã? quomodo possum naturale periculũ effugere? quãdo iam bellũ aduersum te gerere Christo pollicitus sum? quomodo tuã tyrannidẽ superẽ, ex quo vim tibi inferre delegi? Illa vero aduersus seipsam (vt ita dixerim) respondens ita dicere videbitur. Nõ tibi id loquar quod ipse non nosti: sed quod simul ambo cognouimus. Et mox. Si meã tuãque profundam infirmitatẽ penitus noueris, meas vinxisti manus. Si gulę concupiscentiã fregeris, meos obligasti pedes, ne gradi in anteriora possint: si obedientię collum submittas, à me disiun-

disiunctus es: si possideas humilitatem, amputasti caput meum Ioan. Clim. Gra. 15.

Optimæ sunt opes inopia cupiditatum.

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit Clemẽs.

Menia: nec virtus altius ire potest: Ouidius. *Ouid.*

Sine sæuo animo non repurgantur vitia. Philon. *Philon.*

¶ Laudare Dominum Propheta in tympano & psalterio precipit. COLLE.
Membrana ex qua tympanum conficitur, ab omni prius humore *Psal.* 150.
exsiccari, & psalterij cordæ, nõ modo exsiccari, sed etiã retorqueri debent, quò sonum edant. Sic ergo cum corda & corpora nostra ab omni humore noxio & carnis affectibus (quatenus liceat) exsiccata sunt, tunc demum tympanum Domini, & psalterium suauissimum efficiuntur: tunc etiam puritatem illius sacri veli imitantur, quod ex bisso retorta texebatur. Cum desinunt Sarræ fieri muliebria, tunc nascitur Isaac: ita cum carnis nostræ affectus deficere incipiunt, gaudium spirituale in nobis generatur. *Exod.* 35. *Gen.* 18.

Duplicia nobis Deus contulit beneficia, & duplicia à nobis itẽ exigit obsequia. Quædam enim sine suo labore nobis contulit, quædam cum summo cruciatu atque labore. Ideoque vt illi suo modo par pari referamus, duplicia illi obsequia debemus. Alia quidẽ suauia, qualia sunt quædam deuotionis & pietatis opera: alia vero aspera & difficilia qualia sunt patientia & abnegationis studia.

Nisi naturales insititiæ arboris rami frequenter euellantur, insititij non coalescunt: illis quippe natura mater est, istis velut nouerca. Quare summa cura carnalium affectum mortificationi incumbere debet, quisquis spiritualium affectuum surculos in animam suam germinare velit.

Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbiũ. Verũ in, plus quã imperiũ vincit qui se ipsum vincit. Bis autem vincere dicitur qui se ipsum vincit in victoria. Causa autem huius victorię, Dei amor est. Sic enim de B. Paula. D. Hiero. scribit, quod amorem filiorum quos in Bethleem profectura, deserebat, maiore in Deum amore superabat. Vere enim amor sui (qui adeo vehemẽs & naturalis est) solo Dei amore superari potest: hic enim solus illo maior est; cæteri enim sub eo sunt: frustra ergo hunc amorem sine Dei amore superare homo conatur. *Prou.* 16.

Poſt concupiſcentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Eccli. 18. Cæterum aduerſus cupiditatem, & perturbatos animæ affectus orat Eccli. his verbis: Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne deſiderium auerte à me. Aufer à me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me: & animo irreuerenti & infrunito (hoc eſt effrenato & impudenti) ne tradas me. Recte dicitur, Ne tradas: videlicet tanquam tortori ac tyranno, qui me pro libidine ſua, tanquam mancipio ſibi tradito abutatur: quēadmodum illi de quibus Apoſtolus ait: tradidit eos Deus in paſsiones ignominię &c. Ad Rom. 1

Eccli. 23.

Eccli. 25. Beatus qui habitat cum muliere ſenſata, & qui in lingua ſua nō eſt lapſus, & qui non ſeruiuit indignis ſe. Indignis autem ſeruiuit, quiſquis cupiditatum ſuarum ſeruus eſt: Hæ nanque rationali creaturæ indignæ ſunt, cum ſint brutorum propriæ.

Mortificationis eſt, vno ictu malorum omnium radicem ac ſeminarium abſcindere. Radix enim omnium malorum eſt, affectibus & cupiditatibus carnis noſtræ obtemperare, & iuxta illarum impulſum vitam ducere, quod proprie brutorum eſt. Hoc autem modo illi viuunt, de quibus dicitur, Tranſierunt in affectum cordis. Et illi etiam qui apud Hieremiam incircuncisi corde eſſe perhibentur: quique apud eundem poſt prauitatem cordis ſui abire dicuntur. Hiere. 7. Horum eſt illa vox, omnia quę deſiderauerunt oculi mei non negaui eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur. Huc pertinet illa Salomonis ironia, Lætare iuuenis in adoleſcentia tua, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorū tuorū &c. Ab huiuſmodi autē homine ſe liberari Propheta poſtulat, cum pro eo quod nos legimus. Noli æmulari in eo qui proſperatur in via ſua, in homine faciente iniuſtitias, Hierony. ex Hebr. vertit, Aduerſus virū qui facit quæ cogitat. Non potuit breui' abſoluta hominis prauitas, & nequitia explicari. Nullū enim facinus recuſat, quiſquis facit, quæcunque cogitat, quæque illi ſuggerit libido. A quo malo longiſsime ſe abeſſe Iob indicat, cum ait: Si ſequutus eſt oculus meus cor meum &c. Merito ergo laudanda eſt mortificatio, ſiue ſui abnegatio, cuius eſt huic malo reſiſtere, & illud implere quod dicitur, Poſt concupiſcentias tuas ne eas &c. quæ ſequuntur. Item illud, Qui autem Chriſti ſunt, carnem

Eccle. 2.

Pſal. 36.

Eccli. 18.

ſuam

ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs. Si enim inquit Apoſtolus ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu, facta carnis. m. v. *Rom. 8.*

Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populũ tuum &c. In his verbis ſponſus monet ſponſam, ſi velit amore ſui ſponſam incendere, neceſſe eſſe, vt ipſa viciſsim omnem amorem ſuum in illum trãsferat: atque omnia obliuiſcatur, quæ antea chariſsima habebat. Hæc eſt illa præſtantiſsima animi affectio, hominis Chriſtiani maxime propria, quam noſtri abnegationem ſui, & mortificationem carnis vſurpare, ac appellare ſolent. De ea ſponſus ipſe & ipſius diſcipuli, pręclariſsima & vere diuina præcepta nobis reliquerunt. *Pſal. 44.*

Quiſquis cupiditatum ſuarum (qui capitales animę noſtræ ſunt hoſtes) mortificationi ſtudet, magno ſæpe cordis deſiderio ad Dominum clamare debet, Quot ſunt dies ſerui tui: quando facies de perſequentibus me iudicium? Et illud, vſque quo Domine obliuiſceris me in finem? &c. Vſque quo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice &. e. m. D. D. m. Et illud item, Miſerere mei Deus quoniam conculcauit me homo, tota die bellãs. t. m. Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduerſum me. Multi inquit: quia videlicet hoſtis noſter accerrimus, eſt vetus homo: eius vero ſatellites multi ſunt: nempe variæ perturbationes & cupiditates animæ noſtræ. Vbi vero de his hoſtibus victoriam nactus fuerit, meminerit ſe gratias Deo agere debere, & cum Propheta dicere. Lętabor & exultabo in te: pſallam nomini tuo altiſsime. Cum ceciderint inimici mei retrorſum, & corruerint, & perierint à facie tua. Pſalmus item ille cuius eſt initium. Diligam te Domine fortitudo mea, carmen triumphale eſt, pro conceſſa à Deo de victis hoſtibus victoria: quam ibi copioſe deſcribit, Vnde ſunt illa, In te enim eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum. Et, Deus qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meam &c. Qui docet manus meas ad prælium &c. quæ ſequuntur. Cui ſimilis eſt Pſalm. *Pſal. 17.*

Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum, &c. *Pſal. 143.*

Nazarei conſecratio tribus potiſsimum in rebus conſtituta

erat, primo vt à vino & omni re quæ inebriare posset, abstinerent. Secundò vt ne super matre quidem & patre suo mortuis cõtaminarentur. Tertiò vt Cæsariem nutrirent, & nouacula non ascenderet super caput eorum. Primis quidem legibus mortificatio & affectuum sedatio videtur designari. Inter omnes autem affectus valde acres & vehementes sunt, erga parentes amor, & in eorum mortibus luctus. Hoc autem maximo affectu interdicto, cæteri quoque interdicti esse censentur, vbi modum exierunt. Idem etiã intelligi per vini prohibitionem videtur: immoderati enim affectus sicut & vinum mentem auferunt, & inebriant. Sed per vinum voluptuarij, per luctum vero turbulenti affectus designantur: à quibus omnibus immunis esse debet velut alterius naturæ alteriusque ordinis homo, qui ab humanis quodammodo exemptus, & Deo consecratus, in diuinæ naturæ consortium transijt. Per cæsariem autem siue capillos, qui à suprema & summa

Esai. 3. corporis parte procedunt (Diuus Hierony. super illo, Decaluauit Dominus verticem filiarũ Sion) sanctas cogitationes quæ à suprema interni hominis nostri parte, videlicet mente, oriuntur, intelligi ait. Quo admonemur præcipuum & continuum hominis Deo consecrati munus esse, diuinarum rerum contemplatione animum pascere. Duo igitur perfecti viri officia, nempe mortificationis & orationis, his Nazareorum legibus insinuantur: in quibus tota ferè spiritualis vitæ summa consistit.

Totam Christiani hominis vitam, si ad normam Euangelicæ perfectionis exigas, esse crucem, declarant illa Sponsæ verba,

Cant. 5. Manus meæ distilauerunt myrrham primam, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima. His enim verbis designatur Euangelici viri vita in myrrha, hoc est, carnis mortificatione, & maceratione esse plenissimam. Manuum quippe nomine actiones nostris significari notissimum est. Porrò autem qui Christi sunt, car-

Gala. 5. nem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Itaque cùm in carne multæ sint sensuum fenestræ multaque membra quæ seruierunt iniquitati ad iniquitatem: in anima verò multæ cupiditates ac perturbationes quæ diuinæ legi aduersantur, omnibus his singulas cruces vir pius parare debet, vt carni hoc modo mortuus, spiritu ambulet, ac Deo viuat. Quare necesse est vt

manus, digitosque myrrha plenos habeat, quo tam multa membra quæ super terram sunt mortificare possit. ¶ Ad hoc ipsum conferunt & illa Sponsæ verba, fasciculus myrrhę dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Vix alio nomine potuit conuenientius, & vitam & doctrinam Domini Saluatoris designari. Si quis enim eius vitam ab initio vsque ad finem & purissimum corpus eius, à capite ad calcem vsque collustret, quid aliud quam myrrham, hoc est, amaritudinem, laborem, ac dolorem inueniet? Vt meritò in persona eius dictum sit, Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea, exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus. In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Nec mirum si tam multa pertulit, qui omnia peccata mundi in corpore suo portauit. Iam verò si quis eius doctrinam diligentius contempletur, quid aliud in ea quam myrrham, hoc est, mortificationem, abnegationem sui, crucem, luctum, famem, sitim, humilitatem, patientiam, paupertatem, nuditatem, & rerum omnium contemptum inueniet? Vnde Sponsa mirabilem eius pulchritudinem sigillatim describens, Labia, inquit, eius, lilia distillantia myrrham primam. Quibus verbis puritatem eius & doctrinæ rationem insinuauit: quæ tota, in carnis & cupiditatum omnium mortificatione sita est. Det igitur operam fidelis anima, vt hunc fasciculum inter vbera sua reponat. Quæ quidem vbera, intellectus & affectus sunt, vt hos Sponsi dolores, pio & ardenti affectu contempletur. Sic enim fiet, vt amore eius incensa illum imitari, ac illi similis fieri contendat: vt cum Apostolo dicere possit, Christo confixus sum cruci. Et illud eiusdem, Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto. Huc etiam pertinet, quod in toto hoc Canticorum libro, quam sæpissime myrrhæ nomen sigillatim repetitur. Cum tamen aliarum virtutum, sub communi aromatum nomine vel pulueris pigmentarij, generatim mentio fiat. Vnde cum Sponsa Sponsum ad visendum hortum suum inuitasset, dicens. Veniat dilectus meus in hortum suum &c. ille vbi quod exigebatur, impleuit, hæc verba subiecit, Veni in hortũ meum soror mea Spōsa, messui myrrham meã cũ aromatibus meis. Veni autẽ, hoc loco, præteriti temporis est, non præsentis imperatiui, vt Græca & Hebrai-

Cant. 1. Psal. 87. Cant. 2. Gala. 2. Gala. 6. Cant. 5.

ca lectio facile ostendit. Vides autem hic, myrrhæ sigillatim mentionem fieri, qua nimirum cœlestis ille sponsus maxime capitur: quod in ea potissimum totius euangelicæ, hoc est, supernaturalis vitæ specimen maxime eluceat.

Ioan. 15. Mortificationis necessitas qua cupiditatum nostrarum immoderantiam resecamus (quæ cordis circuncisio in literis sanctis appellatur) illis Domini verbis insinuatur, Omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Quod quidem non ad tribulationes modò (quibus Deus piorum corda purgat) sed ad mortificationis quoque gratiam referendum est, qua ipsi prauas animæ affectiones resecare student. Hoc autem singulare diuinæ gratiæ opus esse declarant

Cant. 2. verba illa Cant. Tempus putationis aduenit. Cum enim ibidem sub verni temporis metaphora, euangelicæ gratiæ tempus atq; virtutes describeret, hanc inter eas præcipue enumerat, quæ ad euangelicæ vitæ perfectionem maxime pertinet.

Cant. 4. Quam frequenter in lib. Cant. myrrhæ & thuris mẽtio fit? certè Ecclesia ipsa, quod ad piorum cætum attinet, mons myrrhę & collis thuris appellatur. Ibo, inquit, mihi ad montẽ myrrhæ, & collem thuris. Myrrha autẽ mortificationem, thure verò orationem significari notissimum est. Harum autem præcipuè virtutũ inter omnes alias mentio fit: quia cum spirituales vitæ scopus sit secundũ meliorem nostri partem, nempe spiritum, Angelorum more viuere, & cœlestia semper meditari, hoc officiũ oratio .i. mentis eleuatio exequitur. Cæterum quia cupiditatis nostræ, & mollis carnis educatio atque indulgentia nos in hoc spirituali studio magnopere remorantur, & ascensum impediunt, ideo mortificatio orationi comes adhibetur, quæ omnia hæc impedimẽta amoueat, & abscindat, carnẽ ipsam cruci figens cũ vitijs & concupiscentijs. Sicut enim concupiscendi facultati natura, comitẽ irascendi vim dedit, quæ viam cõcupiscentiæ sternit, & impedimenta quæ cupidis obsistunt, procul ablegat: ita orationis studio, velut soror & comes, mortificatio data est: quæ illi facilem & expeditam viam in cœlum parat. Qua qui carent, vbi primum orare & mente in cœlum conscendere nituntur, in ipso nixu & conatu suo, curarum agminibus impediti, ad ima quodammodo inuiti sæpe & reluctãtes deijciũtur: quia sine scalis aut adminiculis sublimia petere voluerunt.

lnerunt, Scala autem ad superna tendens, carnis mortificatio & cõtemptus terrenorum est.

Inter cæteras sponsæ laudes hæc etiam numeratur, quod labia eius sint tanquam vitta coccinea. Hic autem sanguineus color, tum patientiæ virtutem, tum charitatis ardorem significare videtur. Vt per hoc intelligamus, omnes siue piorum, siue prædicatorum sermones in Christiana charitate & laborũ perpessione versari debere. *Cant. 4.*

Nihil ita mortificationis studium iuuat, atque deuota & sedula meditatio doctrinæ & vitæ Domini Saluatoris. Hoc autem sponsa in Cant. insinuat cum ait, Mandragoræ in portis nostris dederunt odorem suum. Mandragoras quidem herbas esse, quæ fœcunditatem mulieribus tribuant, arbitrati sunt: atque hoc nomine illas Rachelem tantopere expetiuisse aiunt. Quorũ tamen sententiam Aug. contra Faust. li. 22. cap. 56. refellit: dicens, Mandragoras poma quædam esse, quæ ipse viderit, pulchra quidem, & suaue olentia: gustui tamen parũ sapida. His autem pomis doctrinam & vitã Domini Saluatoris (cuius suauissimus odor Apostolorũ prædicatione per totũ mundũ diffusus est) significare aiunt. Quæ quidem dum prædicatur, pulchra & suauis est, acerba tamẽ & insipida cũ comeditur, hoc est, cum ad opus trahitur. Plinius verò naturalis historiæ lib. 25. cap. 13. ait, mandragorarũ odorem valde soporiferum esse: succum vero earum tantam grauedinem inducere, vt neque punctiones neque sectiones sentiant, qui hunc succũ largius biberunt: interdũ etiam moriantur. Hoc autem spiritualiter in anima efficit pia & sedula doctrinæ & vitæ Domini Saluatoris meditatio: quæ vim quandam soporiferã habet: quæ in Domino dulciter obdormire & requiescere facit: illo videlicet somno, quo spõsa in Cant. dormiens excitari prohibetur, quo nimirũ consopita, cum Propheta dicat, In pace in id ipsum dormiam & requiescam. Si vero largius quis succum ebibat horum pomorum, hoc est, toto se affectu huic sanctæ meditationi dedat, is iam neque puncturas, neque sectiones sentiet, hoc est, nullis huius mundi aduersitatibus exagitatus perturbabitur, & à somno suo excitabitur, insensibilis penè aduersus omnia mundi tela factus: In quo quidem statu Apostolus se esse testatur, cum ait, Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In quo etiam illi erant de quibus idem *Cant. 7.* *August.* *Psal. 4.* *Gala. 7.*

Heb. 10. ait, Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis: cogitantes, vos habere meliorem & permanentem substantiam. Et illi etiam de quibus ait, Notum autem vobis facimus fratres
2. Cor. 8. gratiam Dei quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ, quoniam in multo experimento tribulationis, abundantia gaudij ipsorum
Acto. 5. fuit &c. Sic etiam Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij &c. Hinc etiam Laurentius dum in craticula assaretur, ad impijssimum tyrannum ait, Carbones tui mihi refrigerium præstant. Martyrum quoque vna hæc vox erat, Vre, seca, punge, stimula, assa, versa, & reuersa. Horum enim pomorum largus succus omnes carnis affectus & sensus sopiens, in Deum quodammodo hominem transmittit. De beato quoque Bernardo scriptum est quod initio conuersionis suæ adeo totus in spiritu absortus erat, vt pene nullis vt homo sensibus vteretur. Qua de re mira in eius vita leguntur.

Gen. 18. Cum desierant Saræ fieri muliebria, concepit Isaac: vt intelligamus spiritale gaudium & cordis iubilum (cuius typū gerit Isaac, qui risus interpretatur) tunc præcipue in anima oriri, cū in nobis carnales affectus & studia cessarūt. Quandiu enim carnis affectus & terrenorum amor in nobis viget, spiritus ad cœlestia assurgere
Gen. 35. minus potest. Sic etiam cum moritur Rachel, nascitur Beniamin. Ille videlicet de quo scriptum est, Beniamin amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo, & inter humeros illius requiescet.

Nemo repente fit summus: ideoque nemo discrucietur, cum prauas adhuc malorum radices abscindere non potest, modo illis
Rom. 7. nō succūbat: quæ res frequēter ita pios homines angit, vt cū Apostolo clamare cōpellantur, Infœlix ego homo: quis me liberabit d. c. m. h? itaque consolatur quodammodo nos Spiritus sanctus (vt quidam ex sanctis patribus interpretatur) qui hoc in veteri lege
Leui. 22. sanxijt, ne in eadē die mater cū filijs immolaretur. Quæ quidem lex, quamuis ad pietatē & misericordiam homines assuefaciat, tamen hoc etiā designat, fieri & cōmuni lege nō posse, vt eodē tempore & cupiditatē (quæ delictorū omniū mater est) & delicta omnia simul vites. Vnde leprosi iam mundati, pili abradi, nō euelli ra-
Leui. 14. dicitus iubentur: quoniam propagines malorū abscindi possunt, radices verò non item. Quā obrem iure reprehenduntur, qui quauis piorū hominū offensione, aut cuiusuis affectus intemperantia,

grauiter offenduntur, cum fieri nō posſit, vt omnis prorſus cupiditas cū tota propagine filiorū repente euellatur. Non. n. anno vno ſed paulatim cōſequētibus annis Dñs praua Cananęorū germina ex terra filij Iſraël promiſſa deleuit: ne videlicet beſtiæ aduerſus eos creſcerēt. Creſcerent. n. mala ſuperbiæ & inanis gloriæ germina, ſi nullos intra ſe hoſtes homo experiretur: qui illū infirmitatis ſuæ quotidie admonerent. *Deut. 7.*

Nemo animum deſpondeat, aut immodico ſe mœrore contrahat, cum vehementes cupiditatū motus intra ſe inſurgere ſentit, dum illis tamē ope Domini adiutus nō cōſentit, nec ob eas de via deducitur. Vaccę illæ quę arcam Domini è regione Philiſtinorum in terram Hebręorum deducebāt, in directum gradiebātur, nec de via paululum declinabant, quamuis vitulorum ſuorū deſiderio ſauciæ, mugitibus aera complerent. Nos igitur curſum noſtrum, licet caro ſubmurmuret & frendeat, conſtanter & fortiter teneamus. Quiſquis enim ſic graditur, Deum intra ſe ductorem ſequitur. *1. Reg. 6.*

Inter amorē ſui & propriam voluntatem, nihil eſt diſcriminis: niſi quod propria voluntas apertius quædam comprehendit, quę non tam aperte amoris proprij nomine ſignificantur. Amor. n. ſui opes, honores, & voluptates præcipuè concupiſcit. Hæc autem ipſa & propria voluntas appetit, & præter hæc etiam immodico amore curioſitatis diſciplinarumque ſæcularium, cæterarūque rerū ſimiliū cupiditate feruet: quarum immoderato amore à rerū diuinarū ſtudio reuocatur. Propter hoc enim ad tribunal Chriſti vapulauit Hieronymus, quoniam &c. ¶ Vide vero gradus malitiæ propriæ voluntatis. Primo enim ſubtrahit ſemetipſam dominatui autoris ſui, dū ſe ipſam cōtra eius imperiū ſtatuere vult. Sed addit adhuc, quod quantū in ipſa eſt, Deum tollit volūtas propria. Omnino enim vellet Deum peccata ſua aut vindicare nō poſſe, aut nolle, aut neſcire. Quid autē eſt hoc, quā velle Deum non eſſe? Crudelis planè & execranda malitia, quæ Dei potentiam, iuſtitiam, ſapientiam euertere vult. Hęc eſt crudelis beſtia fera peſſima, rapaciſſima lupa, & Leena ſæuiſſima.

Multi cū ad bonorum operū ſtudiū ab alijs excitantur, reſpōdere ſolent, Pauper ſum, nō habeo vnde alijs benefacere valeā. His reſpondendum eſt, maximam Chriſtianę vitę partē non minores

in non faciendo, quam in faciendo positam esse. Cohibere náque omnes affectus, & cupiditates suas, & sub iugum mittere (hoc est non obsequi illis, neque facere quæ à nobis importuno impetu flagitant) linguæ quoque licentiam, atque oculorum siue curiositatem, siue lasciuiam comprimere, vt non quodcũque videmus, concupiscamus, maxima Christianæ philosophiæ portio est. His enim gradibus ad charitatis fastigium (in quo Christianæ vitæ summa posita est) peruenitur, Charitas autem per se adeo difficilis non est, vt omni gaudio & suauitate refertissima sit: ascensus tamen ad charitatem, qui est, immodicum sui amore ab anima pellere, hoc vere difficile est: quoniam hic affectus adeò visceribus nostris infixus est, vt, quemadmodum homo quidam spiritu Dei plenus dixit, Si fieri posset, vt in torculari aliquo totus homo expressus, hunc à se amorem excutere vellet, ex omnibus eius neruis, venis, ossibus, & medullis, vix quidquam aliud, quàm hic sui amor exprimeretur, qui tamen cum immodicus est, malorum omnium seminarium existit. Vnde fit, vt cum maxime gloriosum sit immoderatos animę motus subegisse, gloriosissima inter omnes victoria sit, hunc amorem superasse, qui inter omnes animæ motus potentissimus est, vt pote à quo omnes alij oriuntur.

Tonsores, barbæ pilos primum calida aqua molliunt: deinde nouacula facile abscindunt. Ad hunc modum vir pius calore deuotionis mentem emollire debet, ea verò emollita, mortificationis nouacula noxios ab anima sua affectus & cupiditates facile abscindet.

Qui cũ orationis studio diligenter insistant, mortificationis tamen laborem detrectant, ad quam spiritualia exercitia ordinãtur, Theologis quibusdam similes sunt, qui cũ omnes liberales artes didicerint, quo se ipsos ad sacrarũ literarũ studia idoneos reddant in via tamẽ remorati, & quò tendebant obliti, vix eas attingunt.

3. Reg. 18 Diuinæ gratiæ admiranda virtus & potentia appositissime in Eliæ sacrificio adumbrata est. cecidit nãque ignis Dñs, & vorauit holocaustũ, & ligna, & lapides, puluerẽ quoq;, & aquam quę erat in aquæ ductu, lambens. Per hoc aũt carnis cupiditatũque nostrarum mortificatio designatur: quod quidem maximum esse fidei nostræ argumentũ, declarat id quod protinus subditur. Quod cũ vidisset populus, cecidit id faciẽ suá, & ait, Dñs ipse est Deus, Dñs

ipse

ipſe eſt Deus. Quiſquis igitur hoc diuini ſpiritus igne cupiditates ſuas abſumpſit, magnum intra ſe fidei ſuæ argumentum habet.

Rachel enixum filium appellauit Benoni, id eſt, filium doloris mei, Pater vero appellauit Beniamin, id eſt dextera filium. Quem ergo caro filium doloris appellat, hunc ſpiritus dexteræ filium nominat: id enim maxime arduum eſt, idque ſpiritum potiſsimum commendat, quod caro cũ dolore parit. *Gene. 35.*

Fecit nos Dominus Ieſus reges & ſacerdotes: quia & gratiá ad orandum, & vim ad regendos moderandoſque affectus per ſpiritum ſuum contulit: in quibus penè tota chriſtiana philoſophia ſita eſt. Propter quod ſancti patres tantopere nobis orationis & mortificationis ſtudium commendant. Illud enim ad ſacerdotis, hoc ad regis officium pertinet. Hæc autem duo nobis thus & mirrha deſignant: quorum frequens in Canticis mentio fit.

Libertas Seruitus.

IGnorat mens gratiam libertatis, quam ligat ſeruitus timoris. Greg. in Paſt. *Greg.*

Quia homo iniquam ſuggeſtionem antiqui hoſtis libenter ſuſcepit, violenter ſe poſtmodum eius tentationibus deuictus tradit. Vnde in paradyſo blande ei loquitur ſtatim, at nunc etiam renitentem trahit, & delectationibus deuictũ penè interficit. Greg. in Mor. lib. 15. cap. 8.

Petra. i. Chriſtus fundebat riuos olei: Rurſum Iſai. Computreſcet iugum à facie olei: nempe quia dum à Spiritus ſancti gratia vngimur, à captiuitatis noſtræ iugo liberamur. Greg. 20. Mor. capit. 13. *Eſai. 10.*

Ioſeph cum eſſet captiuus contra dominantem nequitiam, etiá ſeruus fuit liber. Greg. Mor. 27.

Greg. ſuper illo. Quis dimiſit onagrum liberum? & vincula eius quis ſoluit? cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis, ſic ait: Quis dimiſit onagrum liberum, ſubaudis niſi ego? Onager qui in ſolitudine commoratur, non incongrue vitam eorum ſignificat, qui remoti à turbis ſecularibus conuerſantur. Qui apte etiam liber dicitur, quia magna eſt ſeruitus ſeculariũ negociorum, quibus mens atteritur vehementer, quamuis in eis *Iob. 39.*

sponte desudet. Cuius seruitutis conditione carere, est in mundo iam nihil concupiscere. Quasi enim quodam iugo seruitutis premunt prospera dum appetuntur, premunt aduersa dum formidantur. At si quis semel a dominatione desideriorum tẽporaliũ colla mentis excusserit, quadã iam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio fœlicitatis afficitur, nullo aduersitatis terrore coarctatur. Hoc graue seruitutis iugum Dominus vidit secularium ceruicibus impressum, cum diceret, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meũ super vos &c. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Asperũ quippe iugum & duræ (sicut diximus) seruitutis põdus est, subesse tẽporalibus, ambire terrena, retinere labẽtia, velle stare in nõ stãtibus, appetere quidẽ transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Liber ergo dimittitur qui calcatis terrenis desiderijs, ab appetitione rerũ temporalium securitate mentis exoneratur. Et vincula eius quis soluit? subaudis nisi ego. Soluuntur ergo vnius cuiusq; vincula, dum diuino adiutorio interna desideriorum carnaliũ retinacula disrũpuntur. Soluit itaque Deus onagri vincula, quando ab electi vniuscuiusque animo, infimarũ cogitationũ nodos rumpit, & propicius dissipat omne quod illectã mẽtẽ ligabat. Sequit. Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis. Hoc loco debemus intelligere solitudinem cordis. Itaque bene conuersantibus, primum solitudo mentis tribuitur, vt exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premãt, vt ebullientes ab infimis curas cordis, per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importune se offerentium leuium cogitationum, quasi quasdam circumuolantes muscas, ab oculis mentis abigant manu grauitatis, & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, vbi cum illo exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. De hoc secreto cordis alias dictum est. Factum est silentium in cœlo quasi dimidia hora. Cœlum quippe Ecclesia vocatur electorum: quæ ad æterna & sublimia, dum per subleuationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit. Quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum dimidia hora dicitur. Nolente quippe animo dum cogitationum

Apoc. 8.

tionum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intendentem, rursum ad respicienda terrena, cordis oculum violenter trahunt. Vnde scriptum est, Corpus quod corrumpitur aggrauat animam &c. Deinde & tabernacula eius in terra salsuginis. Salsugo accedere sitim solet. Et quia sancti viri quamdiu in huius vitæ tabernaculis degunt, ad supernam patriam desiderij sui quotidianis æstibus accenduntur, in terra salsuginis tabernacula habere perhibentur. Incessanter quippe accenduntur, vt sitiant: sitiunt, vt satientur; sicut scriptum est, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Moral. lib. 30. *Sapien. 9.* *Iob. 39.*

Libera seruitus est apud Dominum, libera seruitus, vbi non necessitas, sed charitas seruit. Vos, inquit, in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem. Aug. sup. Psal. 99. *August.*

Quem delectat vera libertas ab amore mutabilium rerũ liber esse appetat: & quem regnare delectat, vni omniũ regnatori Deo funditus adhæreat. Idem de ver. relig.

Bonus etiam si seruit, liber est: malus autem & si regnat, seruus est: neque est vnius hominis, sed (quod grauius est) tot dominorũ quot vitiorum. Idem lib. 4. de ciuit. Dei.

Vis vt seruiat caro tua animæ tuæ? Deo seruiat anima tua: debes regi, vt possis regere. Idem super Ioannem.

Est sapiẽti seruire libertas: ex quo colligitur quod stulto imperare seruitus est: & (quod peius est) cum paucioribus præsit, pluribus Dominis & grauioribus seruit. Seruit enim proprijs passionibus, seruit suis cupiditatibus: quarũ dominatio nec nocte nec die fugari potest: quia intra se dominos habet, intra se seruitium patitur intolerabile. Hiero. in epist. ad Simplicianum. *Hierony.*

Non natura seruum facit, sed insipientia: nec manumissio liberum, sed disciplina. Ambro. in epist. *Ambro.*

Ille in quauis conditione seruitij liber est, qui amore non capitur: auaritiæ vinculis non tenetur, metu criminis non alligatur: qui securus expectat præsentia, quem non terrent futura. Idẽ de Ioseph.

Seruit quicunque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exaspera-

tur,

tur, vel mœrore deijcitur, ſeruilis enim eſt omnis paſsio. Idem de Iacob & vita beata. lib. 2.

Euſeb. Emiſſ. A quo quis vincitur (ſicut & Apoſtolus teſtatur) eius & ſeruus eſt: iſte obtemperat iniuſtitiæ, ille iræ, iſte ſuperbiæ, ille ſæuitiæ, iſte malitiæ, ille iracundiæ. Neſcio quomodo ſe inter hæc ingenuum dicere audeat, quem tot domini in partes ſuas diſtrahunt. Quid prodeſt, quod liber eſt in natura, qui ſeruus eſt in conſcientia? Videmus nos extrinſecus generis claritate ſublimes, intrinſecus mentis infirmitate degeneres: innocentum dominos & criminum ſeruos. Euſ. Emiſſ. hom. 3. de Paſcha.

Petr. Chryſol. Luc. 15. Fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis. Hoc petit, quia qui penes extraneum ſeruam ſenſerat libertatem penes patrem credit ſibi futuram liberam ſeruitutẽ. In ſerm. de filio prodigo.

Epictet⁹. Si conditionem ſeruilem euadere velis, ſeruitutem ipſe tibi deponas: fies autem liber, ſi ab affectibus ſoluaris. Epictetus.

Terenti⁹. Omnes deteriores ſumus licentia.

Cicero. Regium eſt, ita viuere, vt non modo homini, ſed ne cupiditati quidem ſeruias: contemnere omnes libidines, non auri, non argẽti, non cæterarum rerum indigere: populi vtilitati magis conſulere, quam voluntati: nemini credere, multis obſiſtere. Cicero Pro Sylla.

Libertas eſt poteſtas viuendi vt velis. Is viuit vt vult, qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via conſiderata atque prouiſa eſt: qui ne legibus quidem propter metum paret, ſed eas ſequitur atque colit. Idem Parado. pen.

Qui proprie liberi ſint, vide apud eundem ibidem.

COLLE. Rom. 7. ¶ Ego autem carnalis ſum. v. ſ. p. Hoc eſt, ſub tyrannide carnis & appetitus de quo infra ſentio aliam legem in membris meis captiuantem me &c. Ibidem. Hoc dicitur propter magnã vim cupiditatum noſtrarum quæ nos vehementer adigunt ad peccandum. Prou. 7. Hanc quidem miſeriam, Salomon non tacuit, cum de meretrice loquẽs ait. Irretiuit illum multis ſermonibus. q. Et ſtatim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens, vide qua lętitia quo tripudio properent impij ad peccatum & tamẽ ignorat, quod ad vincula ſtultus trahatur, quaſi ſi auis feſtinet ad laqueum. Vides ergo hoc in loco & vincula, & captiuitatem, & laqueũ: Quod ſi ad-

si adhuc heres, nitere hunc à te amoris laqueum abscindere, & tunc vires huius tyranni experieris.

Veram animi libertatem, qua homo terrenæ cupiditatis vinculis solutus liber ad cœlestia conscendit esse maximum Dei donum declarat idem Leuit. 26. cum ait, Ego Dominus Deus vester qui eduxi vos de terra Ægyptiorum ne seruiretis eis, & qui confregi catenas ceruicum vestrarum vt incederetis recti. Non sic autem incedebat mulier illa quæ decem & octo annis à Dæmone obsessa adeò curua ingrediebatur, vt cœlum suspicere non posset. De hac autem libertate Dominus in Euangelio latè disserit, cum ait, si vos manseritis in sermone meo v. d. m. e. & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. *Leuit. 26* *Ioan. 8.*

Vbi spiritus Domini (ait Apostolus) ibi libertas. Quomodo, inquit Origenes, inuenire poterimus hanc spiritualem libertatem, rem omnium pretiosissimam, & à perpaucis mortalibus habitam, qui seruimus sæculo, qui seruimus pecuniæ, qui seruimus desiderijs carnis? Ego me ipsum corripio, me ipsum iudico, ego meas culpas arguo, viderint qui audiunt, quid de semetipsis sentiant. Ego interim dico quod donec alicui horum deseruio, non sum conuersus ad Dominum, nec vllam consequutus sum libertatem, donec talia me negotia & solicitudines stringunt. Illiùs à quo stringor negotij & solicitudinis seruus sum. Scio enim scriptum esse, quia vnusquisque à quo vincitur, huic & seruus additur. Etiam si me amor pecuniæ non superet, laudis tamen cupidus sum, & gloriam sector humanam, sic de hominum vultibus & sermonibus pendeo, quid de me ille sentiat, quomodo ille me habeat, ne illi displiceam, si alteri placeam. Donec requiro ista, seruus horum sum. Sed quis mihi dabit hanc manumissionem? Quis me ab hac seruitute turpissima liberabit? Nisi ille qui dixit, Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. *2. Cor. 3.*

TERTIA CLASSIS IN QVA DE BEATITVDInibus & donis & sacramentis aliquod deque quatuor nouissimis: & quibusdam alijs agitur.

Beati pauperes spiritu.

PAVPERTAS, inopia mentis est: non in quantitate possessionis: nam cui cum paupertate bene conuenit, diues est. Greg. super Ezech. hom. 6.

Sancti præsentis vitæ copiam putant inopiã. Nihil enim extra Deũ sufficit menti, quæ ipsum veraciter quærit: & plerumque ipsa abundantia fit eis vehemẽter onerosa, nempe quia festinantes ad patriam, coguntur multa portare. Greg. 22. Mor. cap. 3.

August. Hi sunt pauperes spiritu, qui quando faciunt aliquod bonum Deum laudant: quando aliquid mali se accusant. August. de verb. Domini.

Hiero. Quid ante paucos dies in Nitria gestum sit, referam. Quidã ex fratribus parcior magis quam auarior, centũ solidos quos lina texendo acquisierat, moriens dereliquit. Initũ est inter monachos consilium (nam eo loco circiter millia diuisis cellulis habitabant) quid facto super tam graui flagitio opus esset. Cumque sua cuique ferretur sententia, tandẽ consilio summorũ inter eos patrum, Sancto in eis loquente spiritu, decreuerunt infodiendos esse cum eodem. Tantusque ex hac re terror per totam Ægyptũ inuasit, vt vnum solidum reliquisse sit criminis. Hiero. ad Eustoch.

Bernar. Non paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor. Bernar.

Beatus qui post illa non abijt quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant, an non satius cum honore ea spernis, quæ cum dolore perdis? Idem in Epist.

Quod

Quod martyrium grauius est quam inter epulas esurire, inter vestes multas pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus? Propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate quidem emitur: sed in passione pro Christo absque dilatione percipitur. Idem in sermone.

Paupertatem æquo animo ferre, virtus patientiæ est. Sponte appetere, sapientiæ laus est. Sunt qui pauperes esse volunt eo tamen pacto vt nihil eis desit: & sic diligunt paupertatem vt nullam patiantur inopiam. Sunt & alij mites, sed quandiu nihil dicitur vel agitur nisi pro eorum arbitrio. Sed quam longe sunt à patientia apparet, si leuis oriatur occasio. Ibidem.

Paupertatis tres sunt species. Sunt enim quidã qui rebus temporalibus egent, sed inuiti: & hæc vocari egestas solet; egent enim rebus & egent bona voluntate, qua nihil ditius esse potest. Sunt alij qui rebus abundant: sunt autem pauperes spiritu: & hæc est aurea paupertas: quia licet affluant diuitiæ, corda tamen nolunt apponere. Tertia est mediocritas, quam Philosophi vocant frugalitatem: quæ est voluntaria. Hugo de Claust. animæ lib. 1. cap. 9. *Hugo.*

Nihil proderit pecunias non habere, si voluntas fuerit in nobis possidendi. Miserabile autem est paupertatis ac nuditatis æstus tolerasse: fructus vero earum prauæ voluntatis vitio perdidisse. Ioannes Cassianus lib. 7. de institu. monach. *Cassia.*

Nemo est qui non habeat quod dimittat. Vniuersis renũtiauit facultatibus mundi, quicumque affectum possidendi eas, radicitus amputauit. Idem cap. 27. *Clemẽs.*

Nolite soliciti esse &c. Præparat nos vt accincti & expediti ad æternitatem paratiores simus, docens vnumquemque nostrum esse penu sui ipsius: quibus in diem satis sit victum quærere. Clem. Alex. Pedag. lib. 1. cap. 12.

Nuditas rerum omnium curarũ est depositio, securitas vitę, viator omnibus impedimẽtis liber, mœroris alienatio, mãdatorũ fides. Nudus monachus mũdi totius est Dñs. Deo enim curã sui credidit, & per fidem omnes possidet seruos: nõ dicet homini necessitatẽ suam, sed quæ afferuntur, quasi de manu Domini suscipiet. Ioan. Clim. Grad. 16. *Ioan. Cli.*

Vir nudus purissimam orationem emittit: qui vero cupidus est materiæ imagines in oratione versat. Idem, ibidem.

Philon. Virtutis studiosus paucis indiget, in confinio mortalis & immortalis naturæ situs: indigentia quidem laborans propter mortale corpus: non multis autem indigens, propter animum immortalitatis cupidum. Philon.

Idem. Exerceri oportet vt paucis egeamus: hoc enim Deo proximos reddit, contrarium ab eodem remotissimos. Idem.

Aristi. Aristides ille iustus, cum diues quidam paupertatem ei obijceret, dixit: Mihi quidem nihil adferet mali paupertas, tibi vero diuitiæ non paucas perturbationes.

Clitar. Debemus nos assuefacere vt ex paucis viuamus, nequid pecuniæ gratia turpe discamus.

Socrates. Socrates interroganti quis videretur sibi ditissimus, respondit: Qui paucissimis contentus est. In frugalitate enim sibi sufficiente existunt diuitiæ naturæ. Socrates.

Epicurus. Gratias ago beatæ naturæ, quod quæ necessaria sunt, fecit parabilia: difficilia autem paratu non necessaria.

Cato. Quod nimium est fugito, paruo gaudere memento.

Tuta mage est puppis modico quæ flumine fertur.

Bias. Quis diues? Qui nihil cupit. Quis pauper? Auarus.

Quintil. Satis diuitiarum est nihil amplius velle.

Ex diuersis. Durus fames magister, multa perdocet.

Ægestas sæpe animum ad consilia mala deflectit ac traducit.

Inopia & generosos facit ignobiles.

Paupertas amicis spoliat.

Paupertas excitat artes.

Pauperiem faciũt ædificia & conuiuia.

Paupertas nec illos amicos habet quos natura coniunxit.

Parum valent egentium sententiæ.

Paupertas ingeniosa est.

Valer. Max. Cum Socrati rex Persarum magnam pecuniam tentans eius animum in proditionem dirigeret, admitti legatos iussit. Cum fortè olera comederet. Audite (inquit) hoc prandium proditorem facit? Valer. Max. lib. 7.

Cum ad Xenocratem legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, adduxit legatos ad cœnam in Academiam: his

tantũ apposuit quod satis esset, nullo apparatu. Cum postridie rogarent eum, cui numerare iuberet, Quid vos hesterna (inquit) cęnula non intellexistis me pecunia non egere? quos cum tristiores videret, triginta minas accepit, ne aspernari Regis liberalitatẽ videretur. Cicero. 5. Tuscul.

Beati qui lugent.

SI qua est præsentis temporis ita est agenda lætitia, vt nunquã amaritudo sequentis iudicij recedat à memoria. Greg. in ho. *Grego.*

Quatuor sunt qualitates quibus iusti viri anima compunctione vehementer afficitur: cũ aut malorum suorum reminiscitur, considerans vbi fuit, aut iudiciorum Dei sententiã metuẽs, & secũ quærens considerat, vbi erit: aut cum mala vitæ præsentis attendens, considerat vbi est: aut cum bona supernæ patriæ contẽplatur, quæ quia nec dum aspicitur, lugens conspicit, vbi non est. Greg. Mor. lib. 23. cap. 21.

Luctu suo anima pascitur, cum ad cęlum flendo subleuatur: pascitur autem, quia vis amoris per lachrymas emanat. Greg. in Mor. lib. 5. cap. 14.

Aliena plangentes sæpe plus nobis subuenimus: quia apud Deum perfecte diluit propria, qui pure plangit aliena. Greg. 20. Mor. cap. 28.

Perfecti tanto sciunt de alienis damnis ingemiscere, quanto iã edocti sunt non dolere de suis. Greg. 22. Mor. cap. 23.

Plagę affligentes cruciant, lamenta reficiunt, dũ affligunt: per illas in afflictione mœror, per hæc in mœrore lætitia. Greg. 23. Mor. cap. 21.

Aliquãdo seruis suis Dominus loquitur, cũ eos intrinsecus per cõpunctionẽ prouehit, aliquãdo cum eos ne extollantur premit. In illa persuadetur animæ vt proficiat, in ista reprimitur, quæ profecit: in illa discit quod appetat, in ista quod metuat. Greg. 28. Mor. cap. 2.

Greg. super illud Ezechi. 3. Abij amarus in indignatione spiritus mei: manus enim Domini erat mecum confortans me, sic ait: Mentẽ quã Spiritus sanctus replet amaritudine tẽporalium, delectatione æternorum commouet. Dulce enim est esse in rebus hu-

manis, sed ei qui adhuc de cœlestibus gaudia nulla gustauit: quia quanto minus æterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus requiescit. At si quis iam cordis ore gustauerit, quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum, qui illi hymnidici angelorum chori, quæ incomprehensibilis visio sanctæ Trinitatis: huic quãto illud dulce sit quod intus videt, tanto in amaritudinem vertitur omne quod foris sustinet. Rixatur secum de his quæ male egisse se recolit, & sibi metipsi displicet, cum ei ille placere iam cœperit, qui omnia creauit. Reprehendit se de cogitationibus, insequitur de verbis, & punit flendo de factis. Supernis inhiat, terrena iam omnia per mentis despectum calcat. Et quãdiu illud quod desiderat adhuc per speciem nõ habet, flere dulce habet, seseque continuis lamentis affligere. Et quia necdum se esse in patria ad quam creatus est, videt, in huius vitæ exilio nihil ei plus quam sua amaritudo placet. Dedignatur itaque subiacere temporalibus, & ardenter suspirat æternis. Vnde recte quoque per Salomonẽ dicitur: Eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, & qui apponit scientiam, apponit dolorem. Homil. 10. super Ezech.

Solum confugium, & vnica spes miserorum, cui numquã sine spe misericordiæ supplicatur, præstat mihi hanc gratiam propter te, & propter nomẽ sanctum tuum: vt quotiẽs de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero: quotiens tui reminiscor, tibi asisto, laudes, preces, & sacrificium offero: totiens obortis lachrymis in conspectu tuo copiose, & dulciter fleam: ita vt efficiantur mihi lachrymæ meæ panis die ac nocte. Rogo te bone Iesu per illas pretiosissimas lachrymas tuas, & per omnes miserationes tuas, quibus miserabiliter nobis perditis subuenire dignatus es, da mihi gratiam lachrymarũ, quam multum desiderat & appetit anima mea: quia sine dono tuo non possum habere eam: sed per Spiritum sanctum tuum, qui dura corda peccatorũ mollit, & ad fletum compungit. August. In Medita.

Hieron. Si qua est præsentis temporis lætitia, ita est agenda vt nunquã amaritudo sequentis iudicij recedat à memoria. Hierony.

Ambr. Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest, ablui potest. Lauant lachrymæ delictum, quod voce pudor est dicere vel confiteri. Lachrymæ veniam non po-

stulant

ſtulant, ſed merentur. Ambroſ. ſuper Luc. lib. 9.

Semper conſcientia ſerui Dei humilis debet eſſe & triſtis: vt ſcilicet per humilitatem non ſuperbiat, & per humilem mœrorē cor ad laſciuiam non diſſoluat. Iſidor. de ſum. bon. *Iſidorus.*

Irriguum ſuperius accipit anima cum ſe ſe in lachrymis cœleſtis regni deſiderio affligit. Idem.

Maior atque potētior baptiſmate poſt baptiſma (& ſi audax dictu id videatur) fons lachrymarum eſt. Illud enim præcedentia noſtra delicta purgauit, iſtud vero poſteriora. Atque illud quidē omnes ab infantia, acceptum inquinauimus, per hoc autem & illud repurgamus, quod niſi diuino munere datū eſſet hominibus rariſsimi quidem qui ſaluarentur inueniri potuiſſent. Mæſtitia & gemitus ad Dominum clamant: timoris autem lachrymæ legatione funguntur. Porro illæ quas ſancta charitas fundit, ſuſceptas atque exauditas eſſe preces noſtras indicat nobis. Sicut humilitati nihil æque congruit, vt luctus: ita nihil ei ſic reluctatur, vt riſus. Clim. de luct. cap. 7. *Clim.*

Is qui modo luget, modo delitijs & riſu ſolui deprehenditur, ei ſimilis eſt, qui canem voluptatis cum pane lapidat: qui hunc quidem perſequi actu videtur, re autem ſibi aſsidere hortatur. Idem ibidem.

Sicut in cæteris omnibus ita in lachrymis quoq; iudex noſter optimus atque æquiſsimus naturæ vires omnino dijudicat. Vidi modicas guttas inſtar ſanguinis cum labore effundi. Vidi itē fontes abſque labore profluere. Ego denique mœrentium dolorem atque gemitum pluris exiſtimaui, quam lachrymas: putoque & Deus item. Ibidem.

Compunctio proprie eſt animi dolor omni elatione carēs, nec vllam ſibi omnino conſolationem indulgens, ſolamque reſolutionem horis ſingulis meditans, conſolationēque Dei, qua humiles monachos viſitat, vt aquam frigidam expectans. Ibidem.

Quoties in ijs qui ſecundum Deum lugere videntur, ſuperbiam aut iram deprehenderis, horum ſcito lachrymas non ex eis eſſe, quas compunctio ſalubris elicit. Quæ enim ſocietas (inquit) luci ad tenebras? Solet adultera compunctio elationem gignere: ea vero quæ laudabilis & probata eſt, conſolationem. Sicut ignis ſtipulam inflammat & conſumit: ita & ca-

ſtæ lacrymæ ſordes omnes & viſibiles & inuiſibiles abſumunt. Ibidem.

Noli antequam perfectè emunderis lachrymarum tuarum imbribus credere: neque enim habet fidem vinum ſtatim è torcularibus expreſſum. Ibidem.

Qui lachrymarum ſuarum gratia in animo inflatur, eoſque qui non lachrymantur, damnat: is ei ſimilis eſt, qui ab imperatore contra inimicos ſuos accipit arma, hiſque ipſis ſemetipſum necat. Ibidem.

Inueniemus nonnũquam ſi obſeruemus diligentius ridiculum quiddam in nobis Dæmones moliri. Nam cum ſaturitate diſtenti fuerimus, compungunt nos: rurſum cum ieiunauerimus obdurãt: vt ſeducti lachrymis parenti vitiorum gulæ ac delicijs nos ipſos exponamus. Ibidem.

Equidem ipſam cõpunctionis vim conſiderans, ſtupeo, quonã modo ea quæ luctus & mœror dicitur, gaudiũ intrinſecus & lætitiã, veluti mel & fauũ connexa poſsideat. Quid igitur ex ijs nobis innuitur? Id profectò quod proprie Dei donũ huiuſmodi cõpunctio eſſe pro cõfeſſo habetur. Eſt tũc in anima nõ iniucũda voluptas Deo nos latenter mœſtos & cõtritos corde cõſolante. Verũ vt occaſio efficaciſsimi luctus doloriſque perutilis nõ deſit, hiſtoriã omnino miſerabilẽ ad ædificationẽ animorũ referre libet. Vide ibidem cap. 7. hanc hiſtoriam, quam (quod eſſet longior) hic referre nolui: & tamen digniſsima eſt quę legatur.

Chryſoſ. Nemo ad Deum aliquando flens acceſsit, qui non quod poſtulauit acceperit: nullus ab eo beneficia dolenter optauit, qui nõ impetrarit. Ipſe enim eſt, qui conſolatur flentes, dolẽtes curat, pœnitentes informat. Chryſoſt. in ſerm.

Sicut poſt vehemẽtes imbres mundus aer & purus efficitur: ita & poſt lachrymarum pluuias ſerenitas mentis ſequitur atque tranquillitas. Idem ſuper Matth.

Pſal. 55. Pro eo quod nos legimus, Poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo: alij verterunt lachrymas meas repone in vtrem tuum. Vt intelligas eſſe in mente diuina receptacula ſua, in quibus, & verè pœnitentiũ & calamitoſorum hominum lachrymæ cõduntur,
Pſal. 37. ac ſeruantur. Vnde eſt illud, Domine ante te, o. d. m. & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Beati qui esuriunt &c.

REprobi recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta mala semper recurrũt. Bona quidẽ cupiũt, sed à malis nũquã recedũt. Esse quidem humiles, sed sine despectu: esse contenti proprijs, sed sine necessitate: pauperes esse volunt, sed sine defectu: esse casti, sed sine maceratione carnis: esse patientes sed sine contumelijs volunt. Cumque adipisci quærunt virtutes, sed labores virtutum fugiunt: quid aliud quam & bellare in campo nesciũt, & triumphare in vrbibus de bello concupiscunt. Greg. in Mor. *Greg.*

Valentiores voces apud sacratissimas aures Dei, non faciũt verba nostra, sed desideria. Greg. vbi sup.

Differre solet omnipotens Deus desideria petentiũ vt crescãt, quatenus eo magis exaudiantur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad votum. Greg. vbi sup.

Sancta desideria dilatione crescunt: si autem dilatione deficiũt, desideria non fuerunt. Greg. in hom.

Augent spirituales delitię desideriũ in mẽte dum satiant: quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur quod auidius ametur. Greg. vbi sup.

Parua est valde diuinitatis concupiscentia, quam non sequitur proprius defectus. Concupiuit & defecit anima mea &c. Dignum est enim vt tanto quis frigescat ab amore sæculi, quanto surgit ardentior in amorem Dei: quem si perfecte appetit, mundum plene derelinquit: & tanto funditus ei moritur quanto altius ad supernam vitam animatur. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est: nam ipso quo absorbetur desiderio liquitur. Hinc Iacob Angelum videns ex altero pede claudicat, quia tenens Deum vno solo pede graditur. Greg. in Mor. libr. 4. capitul. 4. Vide locum.

Nonnunquam non assequimur quod petimus, vt desideria dilatentur: & quæ extenuari impleta poterant, repulsa crescũt. Differuntur ergo vt proficiant. Ideo sponsa sponsum non inuenit. Greg. vbi sup. lib. 5. cap. 3.

Super illud, Cur faciem tuam abscondis? Non hanc fugisti in paradyso? Vtique. Post culpam enim metuebat videre, quem consueuerat amare: sed faciem quã timuit in culpa, requirit in pœna. *Iob. 13.*

Sequitur enim ad culpam pœna, ad pœnam timor, ad istud desiderium. Greg. lib. 11. c. 13.

Nescit mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Greg. 22. Mor. c. 3.

Tunc probatur desiderium, cum aliqua ei aduersitate resistitur. Greg. 26. Mor. c. 10.

Sæpe nostra desideria quia celeriter non fiunt, exaudiuntur; & quod impleri concite petimus; ex ipsa melius tarditate prosperatur. Greg. 26. Mor. c. 16. vide locum.

Electorum suorum Deus vota differens, cruciat, crucians purgat, vt ad percipiendum quod desiderant, quandoq; melius ex dilatione conualescant. Greg. lib. 8. Mor.

Augusti. Desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est. Augustinus de correptione & gratia.

Cypria. Corporibus omnium (qui & si torti non sunt, in carcere tamen glorioso exitu mortis excedunt) impendatur & vigilantia & cura propensior. Neque enim virtus earum aut honor minor est, quominus ipsi inter beatos martyres aggregentur. Quod in illis fuit, tolerauerunt quidquid tolerare ac pati parati fuerant. Non enim ipsi tormentis, sed tormenta ipsis defuerunt. Denique & dies eorum quibus excedunt annotate vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Ex ijs Cypriani verbis liquido constat desiderium pro ipso opere à Domino computari. Cypria. in Epist.

Eusebius Emisse. Beneficium non potest custodire, qui nescit desiderare: periclitatur numerantis donum, si non inueniat suscipientis affectum. Eus. Emiss. de Pasch. homil. 21.

Petite (inquit) & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis: id est, vt petamus orando, quæramus laborando: pulsemus desiderando, pulsemus proficiendo, pulsemus perseuerando: & in spem cœlestium promissorum tanto incitemur studio, tantoque inardescamus affectu, vt cum præmiorum dignitate desideriorum magnitudo cōcordet. Non vult Deus noster bona sua nimia inueniendi facilitate vilescere. Pretiosa & concupiscibilis merces, cupidum, amatorem & auidum negotiatorem requirit. Ergo ille tantorum munerum repromissor, non vult in opere suo tepidum, despicit fastidiosum, recusat coactum, respuit indeuotum.

tum. Lentum enim & parum gratum quærere gratiam diuini muneris, maxima est iniuria remuneratoris. Idem homilia.3.ad monach.

Ipsa apprehendendi, ipsa consuetudo proficiendi semper nos ad maiora prouocabit: & vbi viderit Deus deuotionem animi, ardentiorem insinuabit affectum: & quantum nos addiderimus, tantum ille apponet ad adiutorium: quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam. Qui habet, dabitur illi, & superabundabit. Et alio loco dicit, Posui adiutorium super potentem. Gratia ergo de gratia nascitur, & profectus profectibus seruiunt, lucra lucris, & merita meritis lucrum faciunt: vt quanto quis plus acquirere cœperit, tanto plus conetur, & delectetur inquirere, vt acquisitionis lucrum, acquirendi nutriat appetitum. Et quanto quis auidius de sapientię bonis hauserit, tanto plus haurire desideret: sicut ipsa de se Sapientia loquitur, Qui edit me, adhuc esuriet. Ibidem.

Modicum & non videbitis me: Pie Domine, modicum dicis quod non videmus te. Saluum sit verbum Domini mei: longum est & multum valde: veruntamen vtrunque verum: & modicum meritis, & longum votis. Bern. super Cant. *Bernar.*

Sicut fides ducit ad plenam cognitionem, sic desiderium ad perfectam dilectionem: & sicut dicitur, Nisi credideritis non intelligetis, sic dici non absurdè potest, si non desideraueritis, non perfectè amabitis. Idem in epist.

Nemo te Domine quærere valet, nisi qui prius inuenerit. Vis ergo inueniri vt quæraris, quæri vt inueniaris: potest quæri & inueniri, non tamen præueniri. Idem de dilig. Deo.

Si nolumus frustra quærere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseueráter, vt nec quæramus pro illo aliud, nec cum illo aliud, sed nec ab illo ad aliud conuertamur. Facilius est enim cœlum & terram transire, quam vt sic quærens non inueniat, sic petens non accipiat, & sic pulsanti non aperiatur. Idem ser.24.

Si non vendideris omnia, nec emes: & si animã non habueris solicitam & quærentem, non inuenies. Duo enim oportet esse, & à vitæ huius negotijs abesse, & vigilantem esse. Chrysosto. super Matth.13. *Chryso.*

¶ Toto

COLLE. ¶ Toto corde quærenda sapientia est. Si quæsieris inquit, eam
Prou.2. quasi pecuniam & quasi thesauros effoderis illam. Vide quo studio, quo ardore Saul Dauidem quærebat ad necem. Perscrutabor inquit eũ in cunctis m illibus Iuda: & quærebat eum super
1.Reg.24 abruptissimas petras quæ solis ibicibus peruiæ sunt. Sicut ergo ille ex odio, tu simili studio ex amore, Deum quære, & inuenies. Sic sponsa quærebat, quæ ab omnibus inquirebat, Nũ quẽ
Cant.3. diligit anima mea vidistis?

Multum in diuinis literis, desiderijs sanctis attributum est: hæc enim virtutis & veræ sapientiæ initia felicissima sunt. Hinc Sap.6. legimus: cõcupiscite ergo sermones meos, & diligite illos, & habebitis disciplinã. Clara est & quæ numquam marcescit sapientia, & facile videtur ab his qui diligunt illam: & inuenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, vt se prior illis ostendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit, assidentem enim illam foribus suis inueniet. Et infra, Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia. Quod autem ait, vera concupiscentia, aperte designat esse falsam concupiscentiam,
Pro.21. qualis eius est de quo dicitur, Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus eius operari: cuius videlicet desideria non vera, sed remissa & languida sunt. Denique ex ijs quæ dixerat colligit ad hunc modum. Concupiscentia vtique sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.

Psal.118. Pro eo quod nos legimus, Concupiuit anima mea desiderare iustificationes. t. i. o. t. Hieronymus ex Heb. vertit, Desiderauit anima mea desiderare. Quod perinde esse videtur atque illud quod pœnitẽti minus dolẽti præcipitur, vt videlicet doleat, quòd nõ dolet: ita si quis minus vehementer Deũ desideret, cupiat saltẽ desiderare. Alij autem vertunt, Attrita est anima mea præ desiderio iustificationum tuarum in omni tempore. Quibus verbis magnam vim desiderij carnem ipsam attenuantis designat.
Eccli.21. Ex talibus autem desiderijs illud sequitur quod Eccli. ait, Vigilia honestatis tabefacit carnes, & cogitatus illius aufert somnum. Hinc etiam oritur animus ille postulans gemitibus inenarrabilibus. Ardens enim desiderium coram Deo preces fundit. Vnde est illud Aug. Desideriũ tuũ oratio tua: & cõtinuũ

desiderium continua oratio. Hinc Psal. Desiderium pauper. ex. Dominus.

Beati mundi corde.

Vigilantissima cura puritati conscientiæ studendum esse, indicant illa Apostoli verba, Has ergo promissiones habentes charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini. Hoc autem est, quod alias dixerat, Abdicantes occulta dedecores &c. Et illud, testis est mihi Deus cui seruio in spiritu meo. Et alibi secundum aliam versionem: Glorificate & portate Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro quæ Dei sunt, vt videlicet integer spiritus, & corpus, & anima inueniatur &c. COLLE. 2.*Cor*.7. 2.*Cor*.4. *Rom*.1. 1.*Cor*.6.

Omni custodia serua cor tuum: quia ex ipso vita procedit. Naturæ opifex Dñs, cor ipsum à quo vita manat in medio corporis membris omnibus tãquã satellitibus, & thorace pectoris ossea circundatum ac munitum: cerebrum autem à quo & motus, & sensus animalium in omnia membra diriuatur firmissimo cranio, velut galea quadam (vt verbis vtar Galeni) sepiuit. Dignũ est igitur, vt gratia naturam imitetur, & cordis puritati studiosissime inuigilet: quando ex eo spiritualis animæ vita, ac proinde salus æterna procedit. *Prou*.4.

Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius. Rem quippe eandem millies cogitat, eodemque reuoluitur, vbi affectus eius alicubi hæret: vt qui se inde explicare, sibique imperare, & certum aliquid statuere nesciat, Hanc cordis vulubilitatem, par linguæ volubilitas comitari solet. *Eccli*.33.

Quod in Cant. de sponsa dicitur. Hortus conclusus fons signatus, ad curam sui & vigilantiam referendum est: qua videlicet pij omnes solerter inuigilant ad custodiam cordis sui: dum & sensuũ ac linguæ suæ aditus diligenter obstruunt, & omnes etiam otiosas cogitationes manu discretionis, & sollicitudinis abigũt: vt hortus animæ suæ, vbi cœlestis sponsus pascitur, & fons vnde bibit, nullo terrenarum cogitationum cœno turbidus, sed purus semper & serenus existat. Contra autem faciunt illi, qui cordis & sensuũ ianuas omnes apertas habent: quibus animam suam non vt hor- *Cant*.4.

tum

tum conclusum, aut signatum fontem, sed vt fœdissimam sentinã intra se gerunt, in quam omnis impurarum cognitionum spurcitia confluit.

Quanta cura & solicitudine homo puritati cordis inuigilare semper debeat, eleganti similitudine D. Gregorius declarat his verbis. Si à domo mentis vel ad momentum ratio discedat, quasi absente domina, cogitationum se clamor, velut garrula ancillarũ turba multiplicat. Vt autem ratio ad mentem redierit, mox se cõfusio tumultuosa compescit: & quasi ancillę se ad iniunctum opus tacite reprimunt, dum cogitationes protinus se ad vtilitatem subdunt. Greg. in Past. c. 55.

Cæterum de mansuetudine & misericordia, quæ inter beatitudines connumerantur, suis in locis traditum est.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

Gregor. PRauis moribus semper grauis est vita bonorum. Gregor. in Dialogo.

Iob. 30. Quisquis malos non tolerat; ipse sibi per intolerantiam testis est, quia bonus non est. Super illud, Frater fui draconũ. Nullus perfectus est, qui inter mala proximorum patiens non est. Quicumque æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia ab omni plenitudine longe distat. Abel quippe renuit esse quem Cain malitia non exercet. Sicut in tritura paleæ grana premuntur, sic flores inter spinas prodeunt, & rosa quæ redolet, crescit cum spina quæ pungit. Greg. in homil.

Iob. 12. Deridetur iusti simplicitas. Istam ergo quam impij abominantur, iusti Deo offerunt. Sicut quondam filij Israel abominationes Ægyptiorum immolabant Domino. Greg. in Mor. lib. 10. c. 27.

Iob. 11. Verbosi amici mei ad Deum, &c. Tanto mens ad interiora se erigit, quanto per exteriora opprobria intus fedire cogitur, ne foris euanescat. Greg. vbi supra, lib. 13. c. 14.

Sanctos quos donis firmat, tribulationibus tentat: animam quã eius gratia vocat, tentatio interrogat: siniitque aduersarios excrescere, vt per malorum sæuitiam purgetur vita bonorum. Vtilitati

Prou. 11. ergo innocẽtium militat vita prauorum. Vnde Salomon ait, Qui stultus

ſtultus eſt, ſeruiet ſapienti. Vide Greg. 20. Mor. c. 21.

Dei moderamine fit, vt cum vox laudantis eleuat: vox detrahentis humiliet: vt arbor quam ventus inflexit: contrarius ventus ſtatuat. Vnde Paulus: Per gloriam & ignobilitatem. Gregorius. 22. Mor. c. 9.

Refert Pericles, non picturam, non aurum & lapides, ſed ſcutũ diuulſum, fractam galeam, hebetem gladium, faciem vulneratam cedere militibus ad ornatum. Petrus Bleſ. in Epiſt. 94. *Petrus Bleſ.*

Patrem cum fugaſſet è regno filius perſecutor, bonus in breui Dominus vindicauit, nec vindicauit modo, ſed cumulatius vindicauit, quàm ipſe voluit qui vindicabatur: vt oſtẽderet grauiorem ſibi eſſe iniuriã iniuſtè tolerãtium, quã tolerantibus ſuam. Nã qui ſupra votũ eius vindicat qui vindicatur, quid aliud vult intelligi quã ſeipſum, in eo quem ſic vlciſcitur, vindicare. Sal. contra Gent. *Saluia.*

¶ Mirum eſt quam facile homines à ſacramentorum frequentia & pijs exercitijs abducantur: cum perſonæ aliquot claræ famæ in peccatum aliquod aut dedecus prolabuntur. Quo fit vt hominibus verè pijs & religioſis minus recte ſentiant, minuſque illis fidant: exiſtimantes tales quoque hos eſſe, quales illi fuerunt, qui ceciderunt. Qua cogitatione quid dementius? An non, tempore Apoſtolorum fuerunt Pſeudoapoſtoli: & tempore Prophetarum Pſeudoprophetæ? Nũ ergo quia illi illuſores fuerunt, minus veris Apoſtolis veriſque Prophetis fidendum erat? aut aliorum dedecus, aliorum ſinceritatem obſcurare debebat? ¶ Iam vero quod fœminæ viris matrimonio collocatæ, aut à viris ipſis interfectæ, aut in ipſo puerperio mortuæ ſunt? Quis autem parens hoc metu territus, filiam ſuam matrimonio collocare recuſauit? Quam multi vero eorum qui ad Indos auri cupiditate incenſi, nauigant, aut naufragio periere, aut à Barbaris in bello, aut inclementia peregrini cœli extincti ſunt? Quis vero opportunitatem nactus, à nauigando ſe hoc metu continuit? In cauſa eſt, quia in hiſce rebus quæ ad corporis vſum pertinent, non in eos oculos conijcimus, quibus male res ceſsit (quamuis multi ſint) ſed in eos tantũ, quibus bene ceſſerit, licet pauci ſint. In alijs vero quæ ad animæ ſalutem pertinent, non ſtantes (quamuis multi ſint) ſed cadentes aſpicere ſolemus, vt à virtutis officio (quam minus diligimus) *Coll. X.*

reuoce-

reuocemur. O te miserum & infælicem? quid tibi quæso magis necessarium, quam ad Deum accedere? Quanto vero plures eorũ qui sacramenta frequentabant & pijs exercitijs indulgebant, passim reperies quibus hoc negotium fœlicissimè cessit, quam quibus male? Cur ergo te magis paucorũ malorum exempla ad mortem, quam multorum piorum ad vitam, incitare debeant? Si vnũ respicis labentem & retrocedentem, cur non tot stantes intueris? Non diuellis oculos ab vno aut altero cui hæc vitio suo non bene vertit, nec tam multos respicies, qui hac ratione vitam consequuti sunt.

Cum gratia sit forma super naturalis, pręcipua coniectura ad dignoscendum quis in gratia sit, affectus supernaturales esse dicũtur. Cuiusmodi sunt, laborum & contumeliarum desideria propter Christum. Natura enim appetit honorifica, mollia, & vtilia, cõtraria autem his vltro appetere supra naturam est.

Odium Cain aduersus Abel (quod quidem oriebatur ex eo, quod opera eius mala erant, fratris autem bona) odium disignat, quod improbi aduersus pios gerunt. Si enim propter hoc frater fratri non pepercit, & naturæ vinculum ac fœdus vis huius inimicitiæ disrupit: quid fiet vbi nullum huiusmodi vinculum intercedit? Præterea, si caro & spiritus in eodem homine tantopere sibi aduersantur (quæ naturæ fœdere in vnam persoNam coeunt) quid erit cum ista inter se separata sint: quando vide-
Eccli. 33. licet alter homo totus carnalis, alter vero totus spiritualis est? Hinc illud, Contra malum bonum, & contra vitam mors, sic con-
Prou. 29. tra virum iustum peccator. Item, Abominantur iusti eos qui operantur malum: & abominantur impij eos qui in recta sunt via.
Prou. 14. Et iterum Ambulans recto itinere & timens Dominum despicitur ab eo qui infami graditur via. Item illud, considerat peccator
Psal. 36. iustum, & quærit mortificare eum. Et gladiũ euaginauerunt pec-
Eccli. 1. catores, intenderunt arcum suum, vt decipiant. p. &. 2. &. t. r. c.

Quod pios impij intestino odio persequantur, docet Eccli. his verbis. Execratio autem peccatoribus sapientia &c. Execratio au-
Ibidem. tem peccatori cultura Dei, vide quæso quo per peccatum natura humana degenerarit, vt execrationem & abominationem esse ducat id ad quod potissimum facta est, & cuius intra se aculeos & semina naturæ vi insita gestat.

Laqueo

Laqueo peribunt qui oblectantur casu iustorum: dolor autem consumet illos antequam moriantur. Eccli. 27. Ex quibus verbis intelliges tale esse flagitium hoc, vt non in alia vita solum, sed etiã in pręsenti puniatur. Sic sanctum Britium ferunt, graues in hac vita pœnas dedisse, quod beatum Martinum dum viueret insectatus fuerit. Idem etiam de ijs legimus, qui. D. Thomam Cantuarieñ. persequuti sunt: qui omnes varijs calamitatibus presi, iniustæ persequutionis acerbißimas pœnas dederunt.

Contra eos qui pios homines propter leuia quędam delicta (sine quibus hac vita non transigitur) insectantur, clamat Salomon, Prou.24.
cum ait, Ne insidieris, & ne quęras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius, septies enim in die cadet iustus & resurget: impij autem corruent in malum.

Hoc supplicio improbos plectere Dominus solet, vt quibus ipsi tendiculis innocentes illaqueare parant, illaqueentur. Quod exẽplo fratrum Ioseph euidenter apparet: qui qua ratione illum serui tuti subijcere nitebantur, se ipsos illi subiecerunt. Hinc illud, con- Psal. 6.
uertetur dolor eius in caput eius &c. Et, laqueum aperuit & effo- Ibid.
dit eum &c. Et, Gladium euaginauerunt peccatores &c. Et, Gla- Psal. 36.
dius eorum intret in corda ipsorum &c. Aucupes ex stercore tur- Ibid.
di viscum conficiunt, quo turdos ipsos illaqueare & prendere solent: ita plane Dominus armis & consilijs improborum, ad eorum perniciem vtitur. Hoc est enim Goliam Goliæ gladio sternere. Itaque adeo aduersus diuinitatem humana consilia nõ proficiũt, vt ipsa in autores suos retorqueantur.

De persequutionibus & odio impiorum aduersus pios sunt illa verba Psal. 10. Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sa Psal. 10.
gittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde. Huc pertinet & illud, Nonne cognoscẽt omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam velut escam panis? Vetus hoc Psal. 13.
odium à prima mundi origine cępit: nempe à duobus fratribus Caino & Abele. Hinc illud Apost. Quomodo tũc is qui secũdũ car Gala. 4.
nẽ natus fuerat, persequebatur eũ, qui secundũ spiritũ: ita & nunc. Ab hoc forte pharisęorum perpetua pugna aduersus Dominum Iesum manauit.

Quale piaculum sit pios homines maledictis aut iniurijs afficere, & offendiculo eis esse declarat in Cant. sponsus cum ait, Adiu-

ro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosque camporum, ne eui gilare faciatis dilectã donec ipsa velit. Nomine vero caprearũ atq; ceruorum, qui in altissimis rupibus habitant, celerrimèque mouentur, & acutissime vident, virtutes angelicæ designantur: quibus hæc omnia maxime conueniunt. Ex virtutum ergo cœlestium nomine adiurantur omnes, ne piorum quietem & tran-
Gal. 6. quillitatem perturbent, ne in illam Apost. maledictionem incur-
Ibid. rant, vtinam abscindantur qui vos conturbant. Et, Qui autem
Math. 19 conturbat vos, portabit iudicium quicumque ille est. Cui similis est & illa, væ mundo à scandalis. Et, væ homini illi per quem scandalum venit. Cum autem hac adiuratione omnis in pios offensio prohibeatur, tum vel maximè ea quæ illos ab otio sanctæ contemplationis (in quo dulciter in Domino obdormiunt & requiescunt) auocat, prohiberi videtur. Nomine autem dilectæ intelligit amores ac delitias suas: quorum maximè offensionem prohibet: quibusq; nullum vult exhiberi negotium; de his enim ait, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.

Num. 24 Inter benedictiones quibus Balã populum Domini honorauit, hæc vna est, Qui bene dixerit tibi, erit & ipse benedictus; & qui maledixerit tibi, in maledictionibus computabitur. Audiant hoc qui pios homines maledictis insectantur, eosque multis modis traducere solent.

4. *Reg.* 2. Sicut à pueris irrisus fuit Eliseus cum in Bethel ad Deum pergeret: ita à malis hominibus irrideri frequenter solent, qui mundi rebus spretis, ad Deum redeunt. Sed illos tamen pueros vrsi truci darunt, hos vero Dæmones interficiunt, qui commode per vrsos intelliguntur. Vrsus enim capite quidem debilis, sed posteriore tamen sui parte, hoc est lũbis fortior est (vnde non tam ore quam manibus pugnat) sic igitur Dęmon initio quidem peccati debilis, in fine tamen fortissimus est.

Exod. 5. Improborum persecutiones & odia aduersus pios illa Pharaonis verba declarant, quibus ad Mosen & Aaron ait, Quid Moyses & Aaron peruertitis populũ ab operibus? Discedite vnusquisque ad opus vestrum. Hoc in loco Origenes, donec ait secum est populus, & lutum operatur ac laterem, donec in paleis occupatur, non putat esse peruersum. Si verò dicat, volo ire viam trium dierunt, & seruire Domino, peruerti populum ait. Sicut hodie, cum

sermo

sermo Dei sollicitat hominem ad eius seruitium, cótinuo dici audies ab ijs qui Pharaonis vnanimes & amici sunt, videte quomodo seducuntur homines, quales adolescentes ne laborent, ne militent, relictis rebus necessarijs & vtilibus, inertiam sectãtur & otiũ. Laborare nolunt, & inertis otij occasiones requirunt.

Quæ sit persequutionum vtilitas, & quonam modo se in eis iusti viri gerere debeant, illustri exemplo Num. 16. declaratur vbi multitudo temeritate populari in seditionẽ versa, post Datam & Abironis interitum, Mosem & Aaron voluit lapidare. Et murmurauerunt ait filij Israel aduersus Moysem & Aaron dicentes, Vos occidistis populum Domini. Et factum est cum irrueret Synagoga super Moysem & Aaron, in impetu fugerunt ad tabernaculũ testimonij. Illud vero obtexit nubes, & apparuit maiestas Domini, & recepit intra nubem Moysem & Aaron. Non legimus (ait hoc in loco Origenes) antea quia obtexerit nubes tabernaculum, nisi nunc, cum insurrexit in sanctos populus & lapidare voluit. Discamus ex hoc quanta sit in persequutionibus vtilitas. Quamuis enim magni essent vitæ merito Moyses & Aaron, quamuis animi virtutibus pollerent, apparere tamen eis Dei gloria non potuisset, nisi in persecutionibus, in tribulationibus, in periculis, & in ipsa penè morte iam positis? ¶ Sed persequẽtibus Israelitis, videamus isti quid faciunt, qui sancti & perfecti sunt, & magis Euangelij discipuli, quam legis. Procidunt in faciem suam super terram, & ait Moyses ad Aaron, Assume batillum, & impone super illud ignẽ ex altari, & effer velociter in castra. Exijt enim ira à conspectu Domini, & cæpit vastare populum.

De donis in communi.

ORandum est ne sapientia eleuet, ne intellectus dum subtiliter currit, aberret: ne consilium dum se multiplicat, confundat: ne fortitudo dum fiduciam præbet, præcipitet: ne scientia dum nouit, & non diligit, inflet: ne pietas dum extra rectitudinem inclinat, intorqueat: ne timor dum plus iusto trepidat, in desperationis foueam mergat. Greg. in Mor.

Ex his D. Greg. verbis intelligimus, in portu quoque naufragium cótingere posse: quandoquidem hæc ipsa Dei dona minus

cautis ruinę occasionem prębere poterũt: ni se humilitatis discretionisque virtute,& oratione stabiliant.

Sapientia.

August. LIber quidam Ciceronis exhortationem continet ad philosophiam, qui vocatur Hortensius. Ille vero liber mutauit affectum meum,& ad te ipsum Domine mutauit preces meas, & vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes,& immortalitatem sapientiæ concupiscebam æstu cordis incredibili, & surgere iam cæperam, vt ad te redirem. Non enim ad acuendam linguã referebam illũ librũ,neq; mihi locutionem sed quod loquebatur,persuaserat. Quomodo ardebã Deus meus, quomodo ardebam euolare à terrenis ad te, & nesciebam quid ageres mecum. Apud te est enim sapientia,& hoc tamẽ solum me in tanta flagrantia refringebat,quod nomen Christi non erat ibi, quoniam hoc nomen secundum misericordiam tuã domine, hoc nomen saluatoris mei filij tui,in ipso adhuc lacte matris cor meũ piè biberat,& alte retinebat,& quidquid sine hoc nomine fuisset, quanuis literatum,& expolitum,& veridicum, non me totum rapiebat. August.confes.lib.3.

Quoniam multi mei anni mecum effluxerant,forte duodecim anni,ex quo ab vndeuicesimo anno ætatis meæ lecto Ciceronis Hortensio, excitatus eram studio sapientiæ, & differebam contẽpta fœlicitate terrena ad eam inuestigandam vacare,cuius nõ inuentio,sed vel sola inquisitio iam præponenda erat etiam inuentis thesauris regnisque gentium, & ad nutum circunfluentibus corporis voluptatibus. August.confes.lib.8.

Fac precor me Domine gustare per amorem, quod gusto per agnitionem: sentiam per affectum, quod sentio per intellectum. Plus tibi debeo quam me ipsum totũ: sed nec plus habeo, sed nec hoc ipsum per me totũ possum reddere. Trahe Dñe in amorẽ tuũ vel hoc ipsum, quod sum. Augu.in Medit.

Nemo sine sapientia beatus est: nemo enim beatus est, nisi summo bono, quod in ea veritate quam sapientiam vocamus, cernitur,& tenetur. Idem, de lib.arb.

Super illud Prouer.2.Si sapientiam quæsieris,quasi pecuniam, & sicut thesaurũ effode illam. Qui thesauros effodit, terram reijcit,foueam in altum facit, sedulus insistit, donec inueniat quod quærit: sic qui thesauros sapientiæ inuenire desiderat,omne pondus terrenum à se reijciat, in se fossam humilitatis faciat,nec quiescat, donet inueniat.Glo.Hiero. *Glo.Hie.*

Stultus vt luna mutatur.Sapiens enim non metu frangitur, nõ potestate mutatur,at non attollitur prosperis,nõ tristibus mergitur. Vbi enim sapientia, ibi virtus est, ibi constantia & fortitudo. Sapiens ergo idem est, animo non minuitur, non augetur rerum mutationibus, nec vt paruulus fluctuat, vt circunferatur omni vento doctrinæ: sed manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatus fide. Ambros. in epistola ad simplicia. *Ambr.*

Sapientia nihil alienum nisi quod virtuti incongruum: quocumque accesserit, sua omnia secum portat totus ei mundus possessio est: quoniam toto eo quasi suo vtitur. Idem epistol.36. ad Constant.

Nullus sapientiam Dei plenè recipit,nisi qui se ab omnium abstrahere actionum cura contendit.Isidor.de sum.bo. *Isidor.*

Primus sapientiæ gradus est,falsa intelligere. Secundus, vera cognoscere.Lactan.Firmia. *Lact.Fir.*

Docti ab indoctis tantum differunt, quantum Deus ab hominibus. *Demas.*

In nihil sapiendo iucundissima vita:& in multa sapientia multa & anxietas. *Adilon.*

Nullus stultus beatus,nec sapiens miser. *Cicero.*

Mater omnium bonarum artium est sapientia: à cuius amore verbo Græco philosophia nomen inuenit: quia nihil à Dijs immortalibus vberius,nihil florentius, nihil præstabilius hominum generi datum est.Hæc enim vna nos cum cæteras res omnes,tum quod est difficillimum docuit,vt nos metipsos noscer emus. Cuius præcepti tanta vis,tanta sententia est,vt ea non homini cuipiã, sed Delphico Deo tribueretur.Nam qui se ipsum norit, primum aliquid se habere sentiet diuinum:ingeniũque in se suũ sicut simulacrum aliquod putabit:tantoq; munere Deorum semper dignũ aliquid & faciet,& sentiet:& cum se ipse perspexerit,totumque tẽ

tarit, intelliget quemadmodum à natura subornatus, in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat, ad obtinendam adipiscendamque sapientiam: quoniam principio rerum omniū quasi adūbratas intelligentias animo atque mente conceperit, quibus illustratus sapiētia duce bonum virum, & ob eam ipsam causam cernat se beatum fore. Cicero. 1. de legib.

Sapientia, ars viuendi putāda est, quæ mæstitiā pellit ex animis, quæ exhorrescere metu non sinit: qua præceptrice in tranquillitate viui potest, cupiditatum ardore restincto. Idem. 1. de fin.

Vt medicorum scientiam, non ipsius artis, sed bonæ valetudinis causa probamus: & gubernatoris ars quia bene nauigandi rationem habet, vtilitate non arte laudatur: sic sapientia quæ ars viuendi putanda est, non expeteretur, si nihil efficeret: nunc expetitur, quia est tāquam artifex conquærendæ & comparandæ voluptatis. Idem. 2. de Fin.

Vt stultitia & si adepta est quod concupiuit, nunquam se tamen satis consecutam putat: sic sapientia semper eo contenta est, quod adest: neque vnquam sui pœnitet. Idem. 5. Tuscul.

COLLE. ¶ Sapientiæ donum est, diuinæ bonitatis & suauitatis experimentalis quædam cognitio: quæ secundum D. Thom. cum sit in intellectu, causam habet in voluntate, quæ ipsum experientia & gustu suo erudit intellectum, quæ etiam mystica theologia dicitur. Hæc autem cognitio amorem ipsum à quo excitata est, incendit & auget. Sicut enim in personis diuinis verbum patris amorem inspirat increatum, nempe Spiritum sanctum: ita huiusmodi cognitio amorem spirat creatum, videlicet charitatem quam plurimum accendit.

Eccli. 38. Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu percipiet sapientiam, quia sapiētia replebitur: Hoc est quod vulgo dicitur, Animam quiescendo fieri sapientem. Quæ tamen quies non torpens & ociosa, sed maxime actuosa est. Nocent enim occupationes, si nimiæ sint: quia spiritum orationis suffocant & extingunt. Vnde est illud Eccli. Qui conatur multa agere, incidet in iudicium Eccli. 29. Hinc Senec. Nemo vnquam ad bonam mentem peruenit occupatus.

Miram sapientiæ cōmendationem inuenies Prouer. 3. Beatus

homo qui inuenit ſapientiam &c. Cap. vero. 8. Salomon inducit ſapientiam laudes ſuas prædicantem. Melior eſt ait, ſapientia cunctis pretioſiſsimis: & omne deſiderabile ei non poteſt comparari. Ego ſapientia habito in conſilio: & quæ ſequuntur.

De ſtudio vero huius cœleſtis ſapientiæ ibidem ait: Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerint ad me inueniẽt me. Ac deinde. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Ex quibus plane verbis illud conſequitur, vt qui nondum inuenerunt ſapientiam, nec veram inuenerint vitam. Alioqui non ad eos idem Salomon diceret: Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ. Tot enim miſerijs impiorum vita referta eſt (cum ea Dei præſidio nudatur) vt multi frequenter aut mortẽ optent, aut ſibi etiã inferant, fœliciorem mortem vita ſua iudicantes. *Prouer. 9*

Quæ bona ſapientiæ ſtudium conſequatur, colligitur ex illis verbis Eccli. 1. Plenitudo ſapientis eſt timere Deum, & plenitudo à fructibus illius, Omnem domũ implebit à generationibus (hoc eſt fructibus ſuis) & receptacula à theſauris illius. De ſtudio vero ſapientiæ (quod quidem in aſsidua diuinarum rerum contemplatione poſitum eſt, ac de admirandis huius ſtudij fructibus) vide Eccli. 4. In quo quidem ſtudio quantum laboris, & ſolicitudinis ſit, declarat ibidem, his verbis. Timorem, & metum, & probationem inducet ſuper eum, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ ſuæ. Doctrina enim ſapientiæ veterem hominẽ cũ actibus ſuis, vt nouũ ſuſcitet qui ſecũdum Deũ creatus eſt, demoliri conatur, ideoq; neceſſe eſt in hoc certamine (in quo aduerſus corruptam naturam, inueteratamque conſuetudinem gratia pugnat) multum ineſſe ſollicitudinis ac laboris.

Multitudo ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum: & rex ſapiens populi ſtabilimentum eſt. Laudes vero ſapientiæ habes deinde Sap. cap. 7. Et præpoſui illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe dixi in cõparatione illius, &c. quæ ſequuntur. Item. ca. 8. Hãc amaui, & exquiſiui eã à principio &c. quæ ſequuntur. Eccleſiaſticus vero ſapientiam ipſam inducit laudes ſuas & virtutẽ prædicãtem. cap. 22. his verbis. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris:

& flores mei fructus honoris & honestatis: & multa in hanc sententiam, quæ mire sapientiam & fructus eius commẽdat. De eius autem effectibus Sap. 7. dicitur. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem vbique propter suam munditiẽ: quia videlicet nec sceleribus inquinatur, nec affectibus excæcatur, nec cupiditatibus ad terram deprimitur: sed ab his omnibus pura, quocunque voluerit, penetrare potest.

Quod summa sapientia in diuinorum mandatorum obseruatione sita sit, ostendit Moses Deut. 4. his verbis, Hęc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis: vt audientes vniuersi præcepta hæc dicant, En populus sapiens & intelligens, gens magna, nec est alia natio tam grandis, &c. Et Baruch. 3. habes mirum sapientiæ encomium, in cuius tandẽ fine dicitur, Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Quo in loco pro timore Domini, D. August. in Enchiridio. Eusebiam Græcè haberi ait: quæ vox cultum Dei significat. Iam verò quam longa oratione & verbis idem significantibus ipsa in Ecclesiast. Sapientia prædicat se in electis Dei, & sanctificata ciuitate habitare, vt intelligas veram sapientiam piorum hominum esse possessio-

Psal. 110. nem. Denique regius Propheta de timore Domini agens, Intelle-

Psal. 118. ctus, inquit, bonus omnibus facientibus eum. Et rursum, A mandatis tuis intellexi, &c. Rectissimè Sapiens ille ait, Fili concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Dominus præbebit illá tibi. Sine hac verò cœlesti sapientia, quid omnis humana sapientia iuuat? Vani enim sunt homines in quibus non subest scientia

Sap. 9. Dei. Et, Si quis fuerit cõsummatus inter filios hominum, & abfuerit ab illo sapientia tua, quasi in nihilum computabitur.

Miseratione dignum esset, si cum in remota aliqua regione infinita pene vis esset lapillorum atque gemmarum: indigenæ autem adeò rudes essent, vt ijs pro vilibus saxis in structura domorum vterentur. Quanto ergo magis miserandi sunt, qui cum intellectu & voluntate diuino munere præditi sint (quibus Deum contemplari, diligere, & diuinos mores imitari, diuinisque delitijs pasci possent) hæc Dei dona ad res vilissimas atque abiectissimas deijciunt, & siliquis porcorum, quam diuinis epulis vesci malint? Quid quod tempus etiam, & vitæ spacium (quo inęstimabiles, perpetuoque duraturas diuitias

uitias sibi comparare poterant) in rebus nihili expendunt? Quod si barbari illi & inculti homines miseratione digni essent, tu profectò magis miserandus es, qui res longè præstantiores ita proteris atque conculcas.

Magna est piorum fœlicitas, quos Deus interno magisterio docet, & erudit ad vitam. Sicut ipse testatur cum ait, Intellectum tibi dabo: & instruam te, &c. Et iterum, Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas. Et, Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. Hinc illud sequitur. Os iusti meditabitur sapientiam, &c. Et illud item Ecclesiastici: Anima viri sancti enuntiat aliquando vera plusquam septem speculatores sedentes in excelso ad speculandum. Huius verò doctrinæ dignitatem insinuat Propheta cùm ait, Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Fructus verò doctrinæ exponit cum subdit, Vt mitiges ei à diebus malis, d. f. p. f. Hoc est vt placidam illi quietem inter huius vitæ procellas, & turbines tribuas: donec iudicij tempus appropinquet, quo impij perfectè puniendi, & pij plenissimè coronandi sunt. Hæc enim sapientia, & veram libertatem, & libertatis comitem pacem largiri solet, secundum illam Domini vocem, Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & conoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Miras autem sapientiæ laudes inuenies, Iob. 28.

Psal. 31. *Esa. 48.* *Deut. 33.* *Psal. 36.* *Eccle. 37.* *Psal. 93.* *Ioan. 8.*

Timor.

Via est vita præsens: & tanto quisque necesse est vt insidiantes spiritus caueat, quanto maiora sunt dona quæ portat. Greg. super Ezech. *Gregor.*

De statu suo Dauid cadente, nemo superbiat: de lapsu etiam suo Dauid surgente, nemo desperet. Greg. in Mor.

Scriptura nostrum est speculum: & dum aliorum victricia commemorat, nostra debilia confirmat: quia eo minus mens trepidat, quò ante actos triumphos videt: sicut & lapsus eorum scribit, vt nouerimus quid timere debeamus. Ita fit, vt animus hinc fiducia,

hinc humilitate erudiatur: & ita nec superbiat, nec desperet. Gregor. in Mor. lib. 2. c. 3.

Amici Iob laborando ad culpam veniunt: & inde Deum offendunt, vnde putant se magis placere: vt discamus quia & bona opera timenda sunt: quia quæ bona credimus, à Deo vt mala iudicantur: & videamus quomodo puniat manifesta mala, qui ea quæ bona videntur ita examinat. Greg. lib. 5. c. 21.

Super illud Prouer. 14. In timore Domini fiducia fortitudinis. Quia mens nostra eo valentius terrores temporalium despicit, quanto se Deo veracius per timorem subdit. Nam dum recto metu conditori omnium subditur, potestate quadam super omnia subleuatur. Greg. lib. 5. c. 13.

Sancti viri magno se metu in ipsa exultatione concutiunt, quia subiecti se procellis sciunt. At mali cum aliquod vitium superant, quod in mari nauigent, obliuiscuntur. Greg. vbi supra. c. 18.

Humana mens quo altiora considerat, eo magis tremefacta formidat: quia tanto verius se ream cernit, quanto se ab illo lumine discrepasse cognoscit. Sicque fit vt magis illuminata, plus metuat: & suus eã profectus quatiat, quia prius secura nihil videbat. Gregor. vbi supra, cap. 21.

Anchora cordis est pondus timoris. lib. 6. c. 24.

Si placere Deo veraciter cupimus, ipsa in nobis etiam bene gesta timeamus. Greg. lib. 9. c. 25.

Sæpe mens iusti vt magis secura sit, magis trepidat. Greg. vbi supra. c. 34.

Iusti ne Deum commotum sentiant, tranquillum timent: mali tunc feriri pertimescunt, cum feriuntur: ideo eis non timor parit requiem, sed pœna timorem. Greg. vbi supra, lib. 11. c. 17.

Super illud, Duo ne facias mihi, & à facie tua non abscondar. *Iob. 13.* Manum tuam longe fac à me, & formido tua non me terreat. Percussionis duritiam amoue, formidinis pondus tolle: quia in conspectu tuo iustus esse non valet, qui tibi non per dilectionem, sed per formidinem seruit. Greg. vbi supra. c. 22.

Iob. 17. Super illud, Putas ne saltem ibi erit requies mihi? Quis ergo de requie securus erit, si ille trepidat cuius virtutis præconia, iudex ipse qui percutit, clamat? Greg. lib. 13. c. 22.

Iob. 23. Super illud, Considerans eum, timore solicitor. Considerandũ

est,

est, quam pauidus Iob ante flagellum fuit, qui etiam percussus metuit ne feriatur. ¶ Et infra super idem. Diuinæ animaduersionis vim qui non considerat, non formidat: & tanto magis securus est, quanto ab hac consideratione est alienus. At iusti eo magis tunc volunt esse securi, quo hic minus securi vixerunt. Greg.lib. 16.cap.19.

Gregorius super illud Psal. 2. Exultate ei cum tremore, sic ait: Vt de spe exultatio, ita de suspicione nascatur tremor. Vnde dicitur, Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum: non autem vt securum sit. Positi ergo inter spem & metum, confidunt & timent, confortantur, & titubant. 20. Mor. c. 4. *Psal.2.* *Psal.85.*

Gregorius super illud Iob. 37. Audiet in terrore vocis, sic ait: Auditio vocis Dei, prius fit in terrore, vt postea vertatur in dulcedinem: prius enim nos iudicij timor castigat, vt castigatos supernæ dulcedinis consolatio reficiat. Prius ergo cor terrore concutitur, vt postea in amore solidetur. 27. Mor. c. 12.

Mens de summis solicita trepidat, quæ prius in infimis male secura torpebat. Greg. 27. Mor. c. 15.

Deum timens, Dei sapientia plenus es: dicitur enim hic timor Domini, ipsa est sapientia. Si enim eam cognoscere nõ potes, quid sit in se, iam interim cognoscis quid sit in te. Greg. 19. Mor. c. 7.

Gregorius super illud Iob. 31. Quasi tumentes super me fluctus timui Deum, sic ait: Nempe, quia tempestatis tempore, omnia viuendi amore negliguntur: Timet ergo Deum, quasi fluctus, qui amore veræ vitæ omnia despicit. 21. Mor. c. 16.

Ecce me miserum multis mœroribus plenum, dum vitæ meæ finem timeo, dum peccata mea considero, dum iudicium tuũ formido, dum mortis horam cogito, dum supplicia tartari horreo, dũ opera mea qua districtiõe & discussione à te pẽsentur, ignoro, dum quo fine illa clausurus sim penitus nescio. Aug. in Manuali. *August.*

Augustinus super illo Psalm. 41. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Domino. Quasi responderit illi anima eius in silentio, Quare conturbo te, nisi quia nondum sum ibi, vbi est dulce illud, quo sic rapta sum quasi per transitum? Nunquid iam bibo de fonte illo nihil metuens? Iam nullum scandalum pertimesco? iam de cupiditatibus omnibus tanquam edomitis victisque secura sum? Nonne aduersus

me

me Diabolus vigilat hostis meus? Nonne laqueos mihi quotidiè deceptionis intendit? Non vis vt conturbem te posita in sęculo, & peregrina adhuc à domo Dei mei? Respondet ergo conturbanti se animæ suæ, & quasi rationem reddenti perturbationis suæ, propter mala quibus abundat hic mundus: respondet & dicit, Spera in Domino. Interim, inquit, habita in spe: spes enim quę videtur, non est spes. Aug. super Psal. 41.

Nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur: vt qui fieri potuit ex deteriori melior, non fiat etiam ex meliori deterior: Vna spes, vna fiducia, vna firma promissio Deus, misericordia tua est. Idem in Confessi.

Non intrat charitas incomitata: habet secum socium suum timorem, quem introducit ipsa, sed illum castum, permanentem in seculum seculi. Idem de verb. Apos.

Hiero. Vbi timor & tremor est, non ibi vocis elatio est, sed animi flebilis lachrymosa deiectio. Hierony. in epist.

Nunquam tuta est humana fragilitas; sed quanto virtutibus crescimus, táto magis timere debemus ne de sublimibus corruamus. Idem.

Bernar. Primus timor est, ne cruciemur à gehenna: secundus, ne exclusi à visione Dei, priuemur tam inęstimabili gloria. Tertius replet animam omni solicitudine, ne forte deseratur à gratia. Bern. in sermo.

Sicut securitas vel desidia causa & mater est omnium dilictorũ, sic timor Domini radix & custos omnium bonorum. Idẽ ibidẽ.

Isidor. Timor expellit peccatum: timor reprimit vitiũ: timor cautũ facit hominẽ atque solicitũ. Vbi timor nõ est, ibi dissolutio vitæ est: vbi timor non est, ibi desperatio est. Isidor. in Synod.

Sæpe quæ apud hominum iudiciũ bona patent, apud examen diligentissimi & acutissimi iudicis reproba deteguntur: ideoque omnis sanctus veretur, ne forte bonum quod agit pro aliqua animi intentione, in oculis Dei reprobũ sit. Idem de sum. bo.

Eusebius Emisse. Nemo de præteritis securus sit. Tanti laquei obiecti sunt ante pedes animæ nostræ, tam innumeri hostes obseruãt & custodiunt iter nostrũ, tantæ foueæ & tanta prærupta, tãtæ rerũ difficultates interiacent inter nos & finem nostrum: via ipsa quæ per se arcta & ardua est, tantis spiritalium latronum insidijs obsidetur,

tantos

tantos nos scopulos tantosque fluctus transire necesse est & vide re,antequam anchoram optato in littore collocemus: & putamus nos de præteritis debere esse securos,& sine quotidiana cura,sine quotidiano timore & tremore diem nostrum transigere debere? Quis transiens super alicuius profunda fluminis perarctissimi pō tis angustias,etiam si maiorem partem inoffenso transmiserit pe de,iam periculum euasisse se credat, cum in vltimo pontis spatio si paululum titubauerit,casum quem in medio spatio timebat, incurrit?Sic nos etiam si magna pars vitæ istius prospere videatur fuisse transacta,non ideo fiduciam præsumamus, cum adhuc periculum pars extrema minetur. Quis in acie positus,ante finem certaminis aut ante victoriæ securitatem,arma deponat?Eus. Emiss. ad monach.hom.5.

Quemadmodum solis radius per foramen illapsus , quidquid in domo est illustrat,ita vt vel minima videantur,etiam puluis ipse volitans:ita Dei timor cum discretione natus in corde , omnia eius peccata prodit.Clim. *Clim.*

In quibus locis cōsueuisti expauescere,ad ea nō te pigeat noctu proficisci:nam si ijs,quæ parua sunt cedas,consenescet tecum puerilis ista & ridiculosa perturbatio. Dum vero ad ea proficisceris, orationis armis accingere:& cum perueneris, expande manus, & Iesu nomine cæde inimicos:nulla enim nec in cœlo, nec in terra sunt arma potiora.Idem Grad.20.

Non tenebræ, non locorum solitudines Dæmones contra nos roborant,sed animæ sterilitas.Idem ibidem.

Sūmo tibi metu opus est charissime in solitudine. Nihil enim ita persequi & fugare accidiam,vt timor potest.Inspectat assidue reus quando iudex adueniat in carcerem, verus autem operarius quando qui exire vrgeat venturus sit.Idem de differen.& discret. quietis.

Plus in metuendo est mali,quam in eo ipso quod timetur. Cicero.A.Torq.fam.lib.6. *Cicer.*

Nos omnia tum venientia metu augentes,tum mærore præsentia,rerum naturam,quam errorem nostrum damnare malumus. Idem.5.Tuscul.

¶Confige timore tuo carnes meas.Tam magnum petit Propheta timo-

timorem, vt non solum animam sed ipsum etiam corpus vi sua transfigat: vt huius doloris & vulneris sensu admonitus homo, in officio cótineatur. Vnde alij verterunt, inhorruit timore tui caro mea: &c. Habet autem insignem emphasim verbum illud, inhor-
Iesa. 26. ruit, non modo enim spiritus, sed etiam ipsa caro inhorrescere dicitur, quod maius est, Talis autem timor potenter expellit peccatum. De eo enim scriptum est, A timore tuo Domine concepi-
Psal. 28. mus, & parturiuimus &c. Hinc & illud ex versione Hieronymi, vox Domini parere faciet præ metu ceruas, hoc est animas maiestatis diuinæ metu trepidas.

Psal. 2. Quicunque ex toto corde Deum diligunt, curare studiose debent, vt amori semper timor & filialis reuerentia iungatur. Sic
Iob. 37. enim legimus, seruite Domino in timore, ex exultate ei cum tre-
Cant. 2. more. Et illud, Ad Deum formidolosa laudatio. Et sponsa in Cát. inter vbera sua sponsum commorari ait: quæ quidem vbera, recte timorem & amorem possumus interpretari; inter quæ ille libenter conmemoratur: quem & propter infinitam maiestatem reuereri, & propter summam bonitatem amare debemus. Est & alia ti-
Iob. 9. mendi causa, quam S. Iob, expresit cum ait: In turbine enim con-
Idem. 23 teret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa. Et rursum, Ipse inquit solus est, & nemo auertere potest cogitationes eius. Cumque impleuerit in me voluntatem suam, & alia multa præsto sum ei: Idcirco à facie eius turbatus sum, & considerans eum timore sollicitor.

Eccli. 18. Homo sapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum attendet ab inertia, hoc est, cum instauerint tempora periculosa,
Eccli. 25. cautius & diligentius se geret. De timoris commendatione est illud Eccli. Quam magnus qui inuenit sapientiam, & scientiam: sed non est super timentem Deum: Timor Domini su-
Ibid. per omnia se superposuit: Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei: Qui tenet illum cui assimilabitur? Timor Domini initium dilectionis eius: fidei autem initium adgultinandũ
Idem. 27 est ei: Porro autem timoris necessitaté declarant illa eiusdé Eccli. verba. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subuer-
Eccli. 5. tetur domus tua. Sic & illud, de propitiato peccato noli esse sine metu.

Quam magnum à nobis timorem & reuerentiã Dominus exi-

gat

gat, declarat ingens ille apparatus ignis, & fumus, & sonitus bucinæ (qui paulatim crescebat in maius, & prolixius tẽdebatur) quo Deus leges Hebræis tulit. Quod postea perterrito & tremefacto populo Moses declarauit dicens, Nolite timere: vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis & non peccaretis. Terror autem plus est quam vel formido, vel metus aut timor: quod videlicet hominis mentem perterrefaciens, à malo reuocat. Tali erat Hieremias terrore tremefactus cum aiebat, sedebam solus, quia comminatione replesti me. *Exod.19.*

Siquis ea omnia quæ cum filijs Israel Dominus operatus est, cũ eos ab Ægypto eduxit, & annis quadraginta cum eisdem in deserto versatus est, donec eos ad promissam terrã traduxit, attentè cõsideret, inueniet hic planè maxima spei simul & timoris incitamẽta, quæ quidẽ velut duo calcaria sunt, quibus in itinere huius vitę potissimum indigemus, ne vel timor sine fiducia desperationem, vel fiducia sine timore præsumptionem pariat. Quis enim quamlibet infirmus & æger non fidat illi Domino, qui infirmum & rudẽ populum, & toties aduersus eũ rebellantem, tot editis miraculis, tot impensis beneficijs, in longissima illa peregrinatione die noctuque deduxit: adeo vt ipse locum metaretur, in quo castra ponere deberent? Sed quis magnalia cuncta quæ in hoc tam longo itinere contigerũt, & cœlestem annonã. 40. annis præstitam, & stantem in cœlo solem, cæteraque miracula verbis cõsequi possit? Deniq; Moses ait, Circũduxit eũ & docuit, & custodiuit quasi pupillã oculi sui. Sicut aquila prouocãs ad volandũ pullos suos, & c.e.v. Expandit alas suas, & assumpsit eos, & portauit in humeris suis. Quis igitur tali prouidẽtiæ, taliq; misericordiæ nõ fidat? quis in omni calamitate, ad illius auxiliũ nõ fidẽti animo cõfugiat? Sed ais, Infirmus & peccator homo sum: ideoque non audeo mihi tantum de diuina ope polliceri. Et quidem talis erat populus, cui hæc omnia beneficia præstita sunt: nec ideo tamen Deus illi vnquam defuit: non enim infirma corporis sui membra pater misericordiarũ despicit, quæ multa sunt. At verò multa quoq;, & maxima timoris incitamẽta in hoc eodẽ itinere reperiemus. Vix enim vnquàm populus iste deliquit, quin grauiter aduersus eum diuina censura sæuiret: multis eorum millibus, ferro, flammis, & ignitorum serpentum morsu interfectis. Refert autẽ omnes strages *Exod.32.*

illas

illas ad memoriam reuocare, quo diuinæ seueritatis & iustitiæ timor, arctius mentibus nostris infigatur. Vnde Moses ait, Dominus zelotes nomen eius, Deus est æmulator. Et Iosue conuocatis ad se filijs Israel ait, Non poteritis seruire Domino: Deus enim sanctus & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris ac peccatis. Vides ergo quanta sit Domini misericordia, quantaque rursus iustitia? Quomodo igitur hæc duo adeò interse diuersa cohærent? Nimirum quia misericordia ad pios maxime & verè pœnitẽtes latissime patet, iustitiæ vero seueritas ad improbos pertinet & rebelles. Est igitur mirabilis Deus noster in misericordia pariter & iustitia: quæ duo Propheta canit cum ait, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.

Exod. 20. 34. *Iosue*. 24. *Psal*. 100.

Cum sint multæ iusti ac pij metus causæ, præcipua tamen esse videtur quorundam peccatorum occultissima natura. Sicut enim lima quædam est quæ videlicet nullo edito sono ferrea vincula exedit: ita sunt quædam peccatorũ genera occultissima, quæ vix committentes aduertimus. Cuius rei gratia Propheta dixit, Delicta quis intelligit. Inter hæc autem peccata, connumeratur primũ quidem superbia, qua se homo vel alijs præponit, vel sibi nimium tribuit. Deinde iudicium temerarium: quo quæ dubia sunt, in deteriorem partem interpretamur. Detractio quoque per quam nõ nunquam sub zeli vel charitatis specie secreta proximorum crimina detegimus, in hoc numero collocatur. Præterea, precibus nonnunquam amicorum flexi, vel apud principes, vel iudices, partim literis, partim verbis aduocantes, ea nonnunquam petimus, quæ nec principibus dare nec iudicibus facere permissum est.

Psal. 18.

Beatus homo qui semper est pauidus. Simeon iustus & timoratus, & Spiritus sanct. e. i. e. Ne mireris quod timuerit iustus, & in quo Spiritus sanctus erat. Nonne enim erat vacuus coram latrone viator? Thesaurum magnum habebat in vase fictili, & timoratum fuisse miraris? Tua credo securitas, aut de inopia aut de ignorantia est. Aut enim deest quod possit auferri, aut deesse iam putas qui possit auferre. Time igitur vel ob hoc ipsum, quod te inuenis non timentem.

Prou. 28.

Inter passiones animę vilissima est timor, ideoque præcipue viget in pueris, ac fœminis, & animalibus abiectis, vt gallina &c. nõ in aquila, accipitre, & leone. Hinc illud Poetę, Degeneres animos

timor

timor arguit. Et illud item; Esto audax, animi namque vilis timor argumentum est. Hac consideratione seipsos erubescere, atque accusare deberent: qui metu ignobilis atque imperiti vulgi, religionis & pietatis opera omittunt: quale est, templa adire, peccata cõfiteri, sacram Eucharistiam sumere, & cum bonis viris conuersari.

Sacramentum.

SAcramenta nouæ legis sunt velut corporis ecclesiastici nerui à Christo capite prodeuntes: per quos spiritualis sensus & motus in omnia eius membra diriuantur. Quo fit, vt spiritualibus his neruis sublatis in spiritualem paralysim, hoc est, insensibilitatem, & stuporem omnia hæc membra incidant, quod modo plerisque accidere videmus: nimirum ijs qui vix vnquam, aut certe violenter ad hæc mysteria accedunt: quos propterea non mirũ est, adeo insensibiles ad spiritualia omnia existere. COLLE.

Causæ vniuersales nõ producunt effectus particulares, nisi particularibus causis adhibitis. Cœlum enim non generat triticum, aut animal, nisi animalis aut tritici semine adiuncto. Causa aũt vniuersalis salutis nostræ passio Christi est, cui tamen oportet adiungere sacramenta per quæ suam religiose suscipientibus applicat virtutem. Ideo vtilissimum est, frequenter confiteri, & sacram Eucharistiam sumere.

Sicut aquæductus influens ciuitatem, ad vnum aliquem cõmunem locum peruenit, vnde per angustiores fistulas in varia loca distribuitur: ita cum virtus passionis Christi fons & origo sit salutis humanæ, per varios tamen sacramẽtorum canales, ad alios atque alios effectus & functiones distribuitur.

Si diuina prouidentia corporibus curandis tam multas herbarum vires esse voluit, consequens est spiritualia medicamenta (quę sunt sacramenta) animarum morbis curandis (quæ longe plura & grauiora sunt) prouidere debuerit. Præsertim cũ illic natura sola per se interim ad salutem vel non adiuta sufficiat, hic vero corrupta natura non modo ad hoc non sufficiat, sed interim medicamentis ipsis repugnet.

Vbera sponsæ frequenter in Cant. commendantur, varijsque re- *Cant. I.*

bus comparantur. Alibi enim hinnulis caprarum, alibi etiam botris vineæ. Duo autem vbera quibus Ecclesia filios suos nutrit & lactat, spiritualis doctrina est, & gratia sacramentalis. In lege olim cum sacramenta nostris similia non essent, sola doctrina velut vnico vbere filios suos Ecclesia nutriebat: ideo nihil mirum si aridi, & si imbecilles essent: modo vero duo habet vbera, nempe doctrinam & sacramenta: quorum altero intellectum, altero voluntatē precipue nutrit & reficit: dum & illius tenebras veritatis luce discutit, & huius infirmitatem gratiæ virtute corroborat. Hoc autē lacte fideles in Ecclesia lactantur, pascuntur, vegetantur, roborantur, & exhilarantur.

Baptismus.

August. DEus vltionum & fons misericordiarum, simulque conuertens nos ad te miris modis, ecce abstulisti hominē amicū meū de hac vita, cū vix expleuisset annū in amicitia mea. Quis laudes tuas enumerat vnus in se vno quas expertus est? Quid tūc fecisti Deus meus, & quā inuestigabilis abyssus iudiciorū tuorū? Cum enim laboraret ille febribus, iacuit diu sine sensu in sudore letali. Et cum desperaretur baptizatus est nesciens, me non curāte, & præsumente id retinere potius animā eius quod à me acceperat: nēpe errorē meū, non quod in nescientis corpore fiebat. Longe autē aliter erat, nā recreatus est, & saluus factus. Statimq; vt primū cū eo loqui potui, potui autē mox vt ille potuit, quoniā nō discedebā, & nimis pēdebamus ex inuicē. Tētaui apud illū irridere, tanquā & illo irrisuro mecū baptismū, quē acceperat mēte ac sensu absentissimus, sed tamē iam se accepisse didicerat. At ille ita me exhorruit vt inimicum, admonuit mirabili & repentina libertate, vt si amicus esse vellē talia sibi dicere desinerē. Aug. Cōfes. li. 4

Cyprian. Quantum ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secūdūm vel tertiū diem quo nati sunt constitutos baptizari nō oportere, & legem ad hoc circuncisionis octauo die esse cōsiderandā, longe aliud in concilio nostro visum est omnibus. In hoc enim quod tu putabas esse faciendū nemo cōsensit: sed vniuersi potius iudicauimus nulli homini nato misericordiā Dei denegandā. Nā cum Dominus in Euangelio suo dicat, Filius hominis non venit

animas

animas perdere ſed ſaluare, quãtum in nobis eſt, nulla anima perdẽda eſt. Quid enim ei deeſt, qui ſemel in vtero, Dei manibus formatus eſt? Quod de octaua die allegabas, ſacramẽtum reſurrectionis Christi eſt, in qua ad vitã ſpiritualẽque circuncisionem reparati ſumus: quæ die Dominico videlicet octauo die ab antecedenti ſabbato numeratur. Cypria. in Epiſto.

De miraculo conuerſionis aquæ in vinum. Hæc itaq; videntibus miracula erant, intelligentibus ſacramẽta. Si enim bene reſpicimus, quodãmodo in aquis ipſis ſimilitudo baptiſmatis & regenerationis exponitur. Dũ enim aliud ex alio intra ſe efficitur: dũ inferior creatura in ſpeciem meliorem ſecreta conuerſione transfunditur, myſterium ſecundæ natiuitatis peragitur. Mutantur ſubito aquæ, homines poſtmodum mutaturæ. Euſ. Emiſ. hom. 2. de Epiph. *Euſebius Emiſſe.*

Infideles & criminoſi baptiſmum cum fide ſuſcipientes, ſic abſoluuntur à debito damnationis, vt non teneantur debito expiationis. Fideles vero & criminoſi poſt lapſum vere pœnitentes, ſic abſoluuntur à debito dãnationis, vt tamen teneantur ſub debito expiationis. Sed cur quæſo expiatur difficilius, niſi quia offendit grauius. Richard. de poteſt. ligand. *Richar.*

Omnes (inquit Apoſtolus) baptizati ſunt in nube & in mari. His verbis Apoſtolus per illud mare rubrum inſinuat, baptiſmi ſacramentum adumbrari. Sicut enim filij Iſrael inſequentes ad perniciem ſuam hoſtes euaſerunt, vbi mare ingreſsi ſunt (ibi enim Pharaonis exercitus ſubmerſus eſt) ſic plane peccata omnia noſtra hoc eſt veros animæ noſtræ hoſtes euadimus, cum ad ſalutaris lauacri vndam deſcendimus. *COLLE. 1. Cor. 9.*

Confirmationis Sacramentum.

QVia in hoc mundo tota ętate victuris inter inuiſibiles hoſtes & pericula gradiendum eſt: in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam. In baptiſmo alimur, poſt baptiſmum roboramur. Euſ. Emiſſ. in hom. in die Pentecoſtes. *Euſ. Emiſ.*

Mirabilem huius ſacramenti virtutem oſtendit Paulus, qui ma-

nuum impositione Spiritum sanctum & prophetici spiritus lingua rumque dignitatem duodecim viris contulit. Adueniens quippe Ephesum (vt Actu.19. scribitur) inuenit quosdam discipulos, qui solum Ioannis Baptismũ susceperant: à quibus cum quæsisset, an Spiritum sanctum accepissent credentes, illique respondissent, se nec si Spiritus sanctus esset audiuisse, iussit eos in Christi nomine baptizari. Cũque post baptisimum manus illis imposuisset, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebãtur linguis, & prophetabãt. Quid igitur mirabilius, quam hæc tanta cœlestium donorum effusio, tam facili negocio exhibita? Quanta legis gratiæ dignitas, & vbertas est, quæ adeo gratis hæc tam magnifica & stupenda dona largitur, vt appareat verisime per Prophetam dictum esse. Gratis venundati estis, & siue argento redimemini: hoc est minimo negotio atque labore vestro veram libertatem consequimini. Sic Dominus in Apoc. ait. Qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Gratis quidem si recipiẽtis meritum spectes, non gratis autem si redimentis pretium consideres. Quod enim nos gratis accipimus, Christus sanguinis sui pretio comparauit. Vtrumq; enim Apostolus expoluit, cum ait, iustificati gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu &c.

Esai. 40. *Rom. 3.*

Eucharistia.

Grego. *Exod. 19.*

IN Syna monte Dominus ad populum locuturus, prius eundem populum abstinere à mulieribus præcepit. Et si illic vbi Dominus per creaturam hominibus loquebatur, tanta prouisione est munditia cordis requisita vt qui verba Dei perciperent, mulieribus mixti non essent: quanto magis mulieres quæ corpus Domini omnipotentis accipiunt, custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsa inæstimabilis mysterij magnitudine grauentur? Greg. in Regist.

Si quis sua coniuge non cupidine voluntatis, sed solum procreandorum liberorum gratia vtitur, ille profecto siue de ingressu Ecclesiæ, siue de sumendo dominici corporis sanguinisque mysterio suo est relinquendus iudicio: quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Greg. vbi sup.

August. Quid suauius pane Angelorum? Quomodo ergo non est suauis

uis Dominus, quando panem Angelorum manducauit homo? Nõ enim aliunde viuit homo, & aliunde viuit Angelus: Ipsa est veritas, ipsa est sapientia, ipsa est virtus Dei: sed quomodo ea perfruũtur Angeli, tu nõ potes. Illi enim quomodo perfruũtur? Sicuti est. Tu autẽ quomodo contingis? Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Vt autẽ panẽ Angelorum mãducaret homo, creator Angelorum factus est homo. August. super Psal. 34.

Peccata si non tanta sunt, vt excommunicandus quisque videatur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare. Idem ad Ianuar. lib. 1.

Hoc sacramentum in hoc tempore est nobis necessarium ad æternam fœlicitatem consequendam: vnde quia per peccatum sumus vulnerati, necesse est, vt nostris vulneribus medicinam adhibeamus. Medicina summa est, venerabile sacramentũ corporis & sanguinis Domini. Idem in exp. sac. fid.

Si quotidie peccamus, atque peccatum peccato cumulamus, quotidie etiam panis mysticus necessarius videtur: qui animæ laboranti & peccatis obrutę certissima est medicina. Idem serm. 18. secundum Lucam.

Si Raab meretrix salutem consecuta est, cum omni domo sua, quia ducis à Deo missi exploratores semel excepit: quid ille consequetur, qui Deum ipsum intra mentis suæ domum frequenter deuotè receperit? Idem.

Quando iratus fuero, & aliquid mali cogitauero, & me nocturnum phantasma deluserit, basylicas martyrum intrare non audeo: ita animo & corpore contremisco. Hiero. in Epist. *Hieron.*

Quanta cordis contritione & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate, atque animi puritate, illud diuinum & cœleste mysterium est celebrandum Domine Deus, vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summis imma, humanis diuina iunguntur? Vbi adest sanctorum præsentia Angelorum, vbi tu es sacerdos & sacrificiũ mirabiliter & ineffabiliter? Quis dignè hoc celebrare mysterium potest, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignũ? Ambros. in orat. ante missam dicendam. *Ambros.*

Si quotiescũque effunditur sanguis, in remissionem peccatorũ funditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi pecca-

ta dimittantur: qui semper pecco, semper habere debeo medicinam. Idem de sacramen.

Qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus est quia sub peccato sumus: medicina est, cœleste & venerabile sacramentum. Ibidem.

Quotidie iste cibus sumitur, quotidie in remedium quotidianæ infirmitatis. Idem in lib. de sacram.

Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Ambrosius. lib. 5. de sacris. cap. 4.

Graue est quod ad mensam tuam mundo corde & manibus innocentibus non venimus. Sed grauius est, si de peccatis metuimus, , & sacrificium non redimus. Idem lib. de sacra. cap. 6.

S. Thom. In primitiua Ecclesia quando magna vigebat deuotio fidei Christianæ, statutum fuit, vt fideles quotidie communicarent. Vnde Anacletus papa dicit, Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim statuerunt Apostoli, & sancta Romana tenet Ecclesia. Tho. in 3. par. quæst. 80. art. 10.

Effectus proprius Eucharistiæ est transformatio hominis in Deum. Idem. 14. senten. dist. 2. quæst. 2. art. 1.

Athana. Si quis gulositate aut turpium consensu cogitationum quasi luto contaminatus est: si quis odio & iniuriarum recordatione quasi vertigine affectus est: si quis inuidia, aut ira perturbatus est: si quis superbia aut arrogantia victus tenetur: is ad diuina & pura hæc mysteria accedere ne ausit, prius quam per pœnitentiam conuenientem eluerit, & purgarit se ipsum, ab omni carnis & spiritus inquinamento. Athanasius.

Adrian. Quia hoc sacramentum operatur ex opere operato, ideo non paris efficaciæ est voluntas sumendi, & ipsa actualis sumptio. Adrianus. in. 4.

Cum quis oblitus est peccati mortalis, & discussa conscientia facit quod in se est, pro amotione indignitatis quæ est per mortale peccatum, non peccat accedendo etiam in morta-

li pec-

ſi peccato : ſed ſæpe veniam conſequitur ratione operis operati ipſius ſacramenti : Quo caſu locum videtur habere illud Auguſt. Hoc ſacramentum non ſolum cibat, quos reperit viuos, ſed etiam viuificat mortuos. Idem ibidem.

Hunc panē nobis dari quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto (dum abſtinentes & non cōmunicantes à cœleſti pane prohibemur) à Chriſti corpore ſeparemur. Cyprianus in ſer. de ora. Dom. *Cypria.*

Idoneus eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſia corpore & ſanguine Chriſti non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non accepta Euchariſtia erigit & accendit. Idem in Epiſt. ad Corneli. Papa.

Super illud, Panem noſtrum quotidianum, ſic ait. Hic eſt panis de quo Dominus ait. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Vt ergo manifeſtum eſt eos viuere, qui corpus eius attingunt, ita contra timendum eſt, ne dum quis abſtinet ab hoc corpore procul maneat à ſalute, dicente Domino, Niſi manducaueritis carnem &c. Et ideo panem hunc quotidianum Dominus appellauit, vt in ipſo ſemper & viuamus & maneamus. Idem de orat. Domi. *Ioan. 6.*

Sacramentum illud duo operatur in nobis : vt videlicet & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrum non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſentit motus iracundiæ, luxuriæ, inuidiæ, aut cæterorum huiuſmodi, gratias agat corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus ſacramenti operatur in eo. Bernar. in ſerm. de Cœm. Domini. *Bernar.*

Nec tamen ex eo debemus nos à Dominica communione ſuſpendere, quia nos peccatores agnoſcimus. Sed ad eam magis eſt propter animæ medicinam, & purificationem ſpiritus auide feſtinandum verum tamen ea humilitate mentis, & fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ iudicantes, remedio potius noſtris vulneribus expetamus : alioqui nec anniuerſaria quidem digna præſumenda eſt communio : vt quidam faciunt qui in monaſterijs conſiſtentes, ita ſacramentorum cœleſtium dignitatem & ſanctificationē, ac meritum metiuntur, vt exiſtimēt *Ioā. Caſ.*

ea non nisi sanctos, atque immaculatos debere præsumere, & non potius sanctos mundosque nos sua participatione perficiant, qui profecto maiorem arrogantiæ præsumptioné, quam declinare sibi videntur, incurrunt: quia vel tunc, cum ea percipiunt dignos se eius perceptione dijudicant. Ioan. Caß. Coll. 23. cap. 22.

Euseb. Emiß. Quia corpus assumptum Dominus ablaturus erat ex oculis nostris, & syderibus illaturus, necessarium erat, vt nobis in hac die sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret: vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium: vt quia quotidiana & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio: & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia. *Ioan. 6.* Vnde merito cœlestis confirmat autoritas, Quia caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui autor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Eusebius Emiß. homil. 5. de Pasch.

Matt. 26. Idem super illud, Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus sic ait, Ergo sicut ad nutum præcipientis Domini, repentè ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi præcipit virtus, & seruit effectus. Quanta itaque & quam celebranda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur, attende: & vt tibi nouum & impoßibile non debeat videri, quod in Christi substantiam terrena & mortalia commutantur, te ipsum, qui iam in christo es regeneratus interroga: dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via intrinsecus mortuus exulabas, subito initiatus Christi legibus & salutaribus mysterijs innouatus, in corpus Ecclesiæ, non viuendo, sed credendo transisti; & de filio perditionis, adoptiuus Dei filius fieri occulta puritate meruisti. In exteriore nihil additum est, & totus in interiore homine mutatus es: ac sic homo Christi filius effectus, & Christus in hominis mente formatus est. Idem ibidem.

Ioan. Ce. Immunda es? accede mundanda ad fontem puritatis incõtaminabilẽ. Esuris? Accede pascenda ad panem viuificũ, & indefectibilẽ. Ægrotas? Erit hoc efficacißimũ tuæ valetudini medicamentum. Fluxum pateris, nec sanari potest à medicis tuis? tange ple-

na fide cum Hæmorroissa fimbriam, videlicet hostiam, vt purgeris. Ioan. cc. par. 2. de pollu.

Dionysius ait: quod post Euangelium, sacrarumque literarum lectionem, qui ad sumendam Eucharistiam parati non erant à Basylica pellebantur: reliqui vero moniti ab Episcopo, Eucharistiá recipiebant. Sumpta demum atque omnibus tradita communione diuina, gratias referens, finē mysterijs imponit. Dionys. de Eccles. Hier. cap. 3. *Diony.*

Quanto frequētius homo accedit, tāto magis dignificatur, Deo approximat, & vnitur, ac gratia augetur. Ga. Biel. Lect. 87. *Ga. Biel.*

Laudabilius est ex amore sacramenti, & confidentia misericordiæ Dei sæpius accedere, quam ex timore, vel scrupulis diu se ab eodem sacramento quodammodo excommunicatū facere. Alex. de Alex. in. 4. en. & . fr. *Alex. de Ales.*

Omni ratione in omnibus christo coniūgimur, aluisse sæpe affert plura amoris incitamenta, quam procreasse. clem. Alex. Pædag. lib. 1, *Clem. Alex.*

Sicut corporalis cibus cum ventrē inuenerit diuersis humoribus occupatū, amplius lędit, magis nocet, nullū præstat auxiliū: ita spiritualis cibus, si aliquē reperit malignitate pollutum, magis eū perdit, non sua natura, sed accipientis vitio. chrysost. in ser. *Chryso.*

Ad diuina christi mysteria negligenter accedere suppliciū intolerabile meretur: & si vel semel in anno quis hoc audeat, ignis enim spiritualis plena est ipsa mensa. Et quemadmodū fontes naturaliter aqua scaturiunt, sic & hæc mensa flammam quandā ineffabilem fouet. caue igitur accedas cum stupula lignis & fœno, ne maius efficias incendium, & animum qui fit eius particeps, exuras. Regem excepturus es per cōmunionē, rege autē in animū intrante, magna esse debet tranquillitas, magna quies, alta summaque cogitationum pax. Idem.

O consuetudinem, ò pręsumptionem, ò sacrificium frustra quotidianum, in cassum assistimus altari, nullus est, qui communicetur. Idem hom. 61.

Vnus sit nobis dolor, hac esca priuari. Idem hom. 61.

De huius vero diuini mysterij vsu Iacobus Payua qui nostra ætate aduersus Kemnicium hęreticum eruditissime scripsit, sic in secundo aduersus eū opere ait, Quid de sacrosanctæ Eucharistiæ

vsu dicam? quam hodie solis sacerdotibus licet contingere, cum à Diaconis olim deferri absentibus consueuerit: laicis verò hominibus in manus etiam tradi deglutiendam? Vnde illa fuit Cyrilli Hierosolymitani exhortatio, pietatis & religionis plenissima, vt manus quisq; suas quibus sacrosanctã Eucharistiã exceperat, oculis defigeret, & osculis prosequeretur, quo tantam illam Eucharistiæ sanctitatem, cum cęteris membris communicaret. Omnes verò qui sacris mysterijs aderant Cathecumenis duntaxat, & Energumenis, atque pœnitẽtibus exceptis (qui antequam Eucharistia conficeretur, è templo eijciebantur) Christi corpus sanctissimũ, ac sanguinẽ vna cum sacerdote percipere solitos fuisse, auctor

Dionys. est in primis Dionysius ille Areopagita, & Iustinus Martyr, qui de *Iusti.* baptismatis ritu agens, Consueuisse, inquit, sacram Eucharistiam dari à Diaconis, omnibus, qui pręsentes aderant percipiendam, & absentibus deferendam. Et paulò post, In more inquit positum fuisse diebus solis, quos Dominicos appellamus omnes qui in oppidis, vel agris morantur, vnum in locum conuenire, & precibus, scripturarumq; lectione peracta, sanctificatũ panem, & vinũ, qui aderant percipere, & ad eos, qui absunt Diaconis dari perferenda. Dionysij autem verba sunt. Quod tamen coram Episcopis fieri valde esse indecorum, & à sanctissimæ Eucharistiæ maiestate alienum, Nycena Synodus putauit: quare decreuit, vt Episcopis, aut presbyteris absentib⁹, liceret Diaconis Eucharistiam proferre, & edere. Omitto Anacletũ qui omnes qui peracta consecratione nõ cõmunicant Ecclesiasticis vult carere liminibus. Nõ sum nescius quosdam magni nominis viros arbitrari, solos ministros qui sacrificanti aderant Pontifici, hoc Anacleti decreto contineri, quibus fortasse assentirer, ni viderem grauissimos eiusdem fere ætatis & sanctissimos Martyres Dionysium atque Iustinum idem quod Anacletus de omnibus qui sacris aderant mysterijs, tradidisse.

COLLE. ¶ Inter mirabilia mundi, hoc nonnulli graues auctores referunt: esse fontem quendam, ad quem si placidis oculis & in eum semper defixis accesseris, aquam puram inuenies: sin ab eo oculos alio deflectas, aut cum altero loquaris turbidam. Hoc ad præparationem sacramenti Eucharistiæ, aptari conuenienter potest.

potest. Quod tale vnicuique futurum est, quali ad eum animo accesserit. Vnde est illud quod canit Ecclesia, sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ vel interitus.

Tria sunt homini ad vitam necessaria: mater quæ illum pariat, cibus qui eum alat, medicus qui eundem vbi ægrotauerit, curet. Itaque partu homo nascitur, cibo alitur, & medicina curatur. Hæc eadem ad spiritualem vitã necessaria sunt. Mater, est Baptismus: cibus, Eucharistia: medicus, Pœnitentia. Quisquis ergo iam per baptismum regeneratus es, his duobus potissimum sacramentis eges, vt in spirituali vita diu conseruari possis.

Qui dum frequenter communicant, à maledicis arguuntur, illud quod viri Iuda cæteris tribubus dixerunt, meritò respondere possent, Nunquid comedimus aliquid ex Rege, aut munera data sunt nobis? Hæc enim accusatio si vim aliquam haberet, magis in eos qui mercedis gratia celebrant, quam in eos qui nulla temporali mercede, sed magis improborum accusatione proposita, communicant, iactari deberet. *2.Reg.19.*

Acris Dæmonis pugna aduersus sacramenta est. Ad hoc autem perditionem hominum linguas excitat, qui sub prætextu pietatis & reuerentiæ pios homines ab huius sacramenti frequentia retrahant. Qui plane eo zelo moueri videntur, quo motus est ille, qui dixit, Vt quid perditio hæc? potuit enim vnguentum illud venundari multo & dari pauperibus. Dixit autem hoc (ait Euangelista) non quod de egenis pertineret ad eum, sed quia fur erat & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Sic isti non zelo quidem diuinæ reuerentiæ, sed honoris proprij concitantur, dedecus suum esse putantes si non ea faciant, quæ in alijs laudantur, vt videri velint se non quidem vitio, sed iudicio id omittere. *Matt.26.*

Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Iucundissimum spectaculum paternis oculis est, videre mensam suã paruulis filiolis circũdatam & gratissimum illi officium est escã singulis distribuere. Tunc enim pascitur ille cũ oculos pascit. Quod si hoc facit paterna charitas, quid ille faciet, de quo scriptum est, Patrem nolite vocare super terram, cũ nos ad sacram altaris mensam circunstantes videt, & pane Angelorum filios quos per crucem regenerauit, cibat. *Psal.127.* *Matt.23.*

Refert

Refert Macrobius in Heliopoli hoc est in ciuitate solis: in quodam eius festo currum solis principes ciuitatis viros trahere: qui vt se ad hoc officium digne prępararent & capita radebant & certo dierum numero ab vxorum consuetudine abstinebant. Quod si illi hunc Idolis honorem exhibebãt, quid nos dominicum corpus suscepturi facere par est?

Gene. 3. Ait serpens, si comederitis ex hoc ligno, eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Hoc mendacio persuasa mulier tulit à ligno & comedit: modo vero dicit Deus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quod plane diuinitatis participatio quædam est; & tamen huic voci pauci admodum sunt qui obtemperare velint: vide quæso quanta sit hominum cæcitas & insania. *Ioan. 6.*

Valde cæci sunt, qui detrahunt ijs, qui frequenter ad sacramenta accedunt. Quid enim stultius quam mirari quod ęger pergat ad medicũ? pauper ad diuitẽ? sordidus ad fontem? vulneratus à serpẽte, ad apothecam medicorum, & miles pugnaturus, ad armamentarium, vnde pugnaturis arma suggeruntur? Quo nam modo qui Christianus es, fidei tuæ dogmata prorsus ignoras? An te latet omnes homines per vnũ hominem fuisse ad mortẽ damnatos, & per vnum hominem à morte redemptos, & ad sempiternam vitam euocatos? An nescitis vetitum illum cibum malorum omnium causam extitisse, aliũque rursus cibũ à Christo institutũ horũ malorũ antidotũ esse. An ignoras sacramenta ipsa velut canales esse à Christi latere deriuatos, per quos sacratissimę passionis eius virtus ad nos manat? hoc est, gratia, charitas, remissio peccatorum, robur spiritus & omnia denique infirmitatis nostræ medicamenta?

Dicunt quidam, satis mihi est semel in anno Eucharistiam accipere. Si quotidie tentaris, si quotidie nutas & periclitaris, si quotidie eges gratia, virtute, robore, medicina, venia, fauore, pręsenti Dei ope, & alimonia spirituali, vt pietatẽ colas, quo modo semel tantum in anno huius gratiæ particeps esse cupis, qui per singula penè momenta gratia, & prępentia Dei eges?

Amoris impatientia facit, vt cum dilectissimum siue filium siue sponsum peregre agentem, parens aut sponsa, coram cernere non potest, imaginem saltem eius ad

viuum

viuum depictam, ad se ad ferri curent, vt eius conspectu (quando aliud non licet) animum pascant. At cum Christus Dominus intelligeret, electos suos in hoc mundo ita sui desiderio angi debere, vt mortem haberent in desiderio, vitam in patientia, non imaginem suam, sed se ipsum in sacramẽto altaris reliquit, quo interim reficiantur, & spem suam atque amorem in eum alant, quandiu aperta diuinitatis & pulchritudinis eius visione pasci non possunt.

Quod Dominus benedixerit domui Obededon, & omnibus quæ illius erant, eò quod arcam Dei in domo sua haberet, aperte indicat quam multis & magnificis opibus perfruantur, qui sacrã Eucharistiam intra pectus suum reuerenter & deuote suscipiunt. Cæterum, quod cum timore simul & amore ad eam digne recipiendam præparari debeamus, exemplo nobis sit Dauid, qui vbi occisum à Domino Ozam vidit, timuit arcam Domini inferre in domum suam. At vbi fœcundasse Dominum audiuit domũ Obededon, & omnia quæ illius erant, hac spe animatus mutato consilio, eam intulit in domum suam, vt benedictionis eius particeps efficeretur. *2.Reg.3.*

Quemadmodum Deus Pater verbum genuit, in quo ipse est, & quo se ipsum dixit, ac declarauit: ita ipsum Dei verbũ, vbi in hunc mundum venit. Eucharistiæ sacramentum instituit: in quo & totus ipse est, & per quod immensam bonitatem, charitatem, benignitatem, & paternam prouidentiam, ac familiaritatem hominibus declarauit. In eo enim quod Deus cum hominibus habitare & intra pectus eorum recipi dignatur, immensa eius charitas, suauitas, & familiaritas cum hominibus mirabiliter elucet.

Refert Nicepho. lib. 5. cap. 25. quod Philippus, qui primus Romanorum imperatorũ fidem Christi suscepit, cum in peruigilio Paschatis ad altare accederet, sacram Eucharistiam sumpturus, ab Episcopo (quoniam publicus peccator erat) repulsus est & in loco pœnitentium (qui erat humilis & contemptus) cum alijs stare iussus fuit: qui etiam sacræ cõmunionis tempore extra Basylicam pellebantur. Qua in re nescio quid magis mirer, an Episcopi constantiam, qui hoc ausus est, an Imperatoris obedientiam, qui mandato Episcopi adeo humiliter paruit.

Duo insignia Xenodochia, in ægrotantium subsidia, Toleti de-

stinata

stinata sunt: alterum ad ægrotos decũbentes, alterum ad eos qui iam à morbo conualuerunt, reficiendos, ne iterum in pristinum morbũ relaberentur. Sic Dominus Iesus in Ecclesia sua duo quotidiana sacramenta instituit: quorum altero à peccati morbis curamur (nempe confessione) altero in acquisita sanitate cõseruamur, videlicèt Eucharistia. Sicut enim natura singulis officijs, singulas
Arist. facultates & organa destinauit (quippe quæ, vt Aristot. ait, non facit opera sua similia gladio delphico, qui varijs vsibus seruiebat) ita germana naturæ gratia singulis muneribus singula sacramenta instituit.

Cuius amoris & suauitatis fuerit Christum Dominum Eucharistiæ sacramentum nobis reliquisse, declarant illa verba Sap. 16.
Sap. 16. Substantiã enim tuã & dulcedinẽ tuã quã in filios habes, ostendebas: & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur. His etiam verbis mirabilis huius sacramenti dulcedo, varijsque affectus & sapores interni declarantur.

Ad sumendum pretiosissimum corporis & sanguinis Domini sacramentum, hoc est, epulum pretiosissimum, & omni suauitate
Cant. 5. refertum, nos cœlestis sponsus, dulcissimis illis verbis inuitat: Comedite amici, & inebriamini charissimi. Ad conuiuiũ enim amoris & diuinæ suauitatis, suauissimis amoris verbis debuimus inuitari. Quo etiam significatur, epulum hoc amicorum tantum esse, nõ aliorum. Probet igitur se ipsum homo, an amicus Dei sit. Amicus certe non est, qui proximo suo non est. Non est autem amicus, qui egentem negligit atque contemnit.

Pœnitentia, Confessio.

Gregor. A Regione nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vitium gustando discessimus, sed ad eam necesse est flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atq; appetitum carnis refrenando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur. Quoniam qui à paradisi gaudijs per delectationẽ recessimus, ad hæc per lamenta reuocamur. Greg. hom. super illud Matth. Cum natus esset, &c.

Fit plerunq; Deo gratior amore ardens post culpam vita, quã securitate torpens innocentia. Greg. in Past. c. 49.

Deus

Deus etsi pœnitenti veniam spopondit, peccanti tamen crastinum non promisit. Greg. in hom. quadam.

Cum vehemens pœnitentiæ spiritus mentem occupat, omne gaudium perturbat, vt nihil iam nisi flere libeat, nihil nisi quod terrere possit attendat. Blandimenta ergo culpæ non secura quies foueat, sed sæuiens amaritudo pœnitentię irrumpat. Gregorius in Mor. lib. 4. c. 22.

Super illud; Gressus meos dinumerasti, sed parce, &c. Dinumerat & parcit: quia & subtiliter acta nostra considerat, & tamen hæc pœnitentibus misericorditer relaxat. Culpas dinumerat, cum nos ipsos ad singula quæ fecimus deflendo conuertit. Tamen parcit: quia dum eas punimus, ipse nequaquam in extremo examine dijudicat. Et hoc significat quod subditur. Signasti quasi in sacculo, &c. Signat enim ea & curat, cum ea deflemus: quia nec inulta deserit, nec in iudicio punienda reseruat. Grego. lib. 12. c. 10.

Iudicia veræ confessionis sunt, si cum quisque se peccatoré dicit, id de se etiá alteri dicenti non contradicit. Greg. 22. Mor. c. 14.

Iob dum peccata cófitetur, sublimis apparet etiam in peccatis, non enim minus miror in eo humillimam confessionem peccatorum, quam sublimia gesta virtutum. Greg. vbi supra.

Debet quisque discutere & causas suas apud Dominum, & causas Domini aduersus se: nempe & bona Domini ei collata, & mala quæ aduersus eum perpetrauit. Greg. 25. Mor. c. 6. vide hoc in loco multa de pœnitentia.

Peccatum peccato addit, qui culpæ quam fecit, patrocinia defensionis adiungit. Greg. 22. Mor.

Culpa cum defenditur, geminatur. Greg. lib. 4. c. 13.

Quia potius defensionis solatia, quam confessionis elegerunt, ideo culpam auxerunt, quam tueri conabantur. Retorquent auté illam in Deum: vt quia Deo similes esse non potuerunt in diuinitate, eum facerem similem in culpa. Gregorius. 22. Moral. cap. 13. vide locum.

In defensione non se peccator Deo abscondit, sed Deum sibi. Agit quippe ne omnia videntem videat: non autem vt ipse nó videatur. Greg. vbi supra.

Augustinus super Psalm. 144. Spe simul ac desperatione duci *Augusti.*

hominés

homines ait ad augenda peccata his verbis. Audi vocem desperátis, iam inquit, damnandus sum, quare non facio quicquid volo? Audi & vocem sperantis. Misericordia Domini magna est, quando me conuertero, dimittet mihi omnia, quare non facio quicquid volo? Desperat ille vt peccet, sperat iste vt peccet. Vtrũque metuendum est, vtrumque periculosum. Væ à desperatione, væ à peruersa spe. Non tardes conuerti ad Dominum: nec differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Noli ergo dicere cras me conuertam, cras Deo placebo, & omnia hodierna & hesterna peccata dimittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus conuersioni tuæ indulgentiam promisit: sed dilationi tuę diem crastinum non promisit. August. sup. Psal. 144.

Pœnitens omnes fructus suæ pœnitentiæ paruos habeat: nunquam sufficiat, semper doleat, semper coram Domino ante quem peccauit, erubescat & dolorem cum vita finiat. Idem de Pœnit.

Quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia. Vnde patet quia quanto pluribus confitebitur in spe veniæ, turpitudinem criminis, tanto facilius consequetur gratiam remissionis. Idem, de Pœnit.

Non est quod fugias à Deo irato, nisi ad Deum placatum. Idem sup. Psal. 74.

Qui pectus suum tundit, & se non corrigit, peccata solidat, nõ tollit. Idem in quodam serm.

Qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis prius purgabitur igne purgationis. Hic ignis & si non sit æternus, miro tamẽ modo grauis est. Superat enim omnẽ pœnã, quã homo vnquã passus est in hac vita, vel pati potest. Idem in serm. de igne Purgat.

Inanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat. Nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata: nihil valet à malis veniam poscere, & mala denuò iterare. Idem in soliloq.

Hieron. Vtinam tam cito conuertatur peccator ad pœnitentiam quam cito Dominus paratus est præfinitam mutare sententiam. Hierony.

Deus natura misericors est, & paratus vt saluet clementia quos non potest saluare iustitia. Nos autem vitio nostro paratam misericordiam, & vltro se offerentem perdimus. Idem.

Hierony.

Hieronymus in Epitaphio Paulæ sic ait, Mollia etiam in grauissima febri lectuli strata non habuit, sed super durissimam humũ stratis ciliciolis dormiebat: lauabatque per singulas noctes lectulum suum. Oculos eius fontes crederes lachrymarũ. Ita leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorũ criminum crederes ream. Cumque à nobis crebrius admoneretur, vt parceret oculis, & eos seruaret euangelicæ lectioni aiebat, Turpãda est facies, quam cõtra Dei præceptum, purpurisso & cerussa, & stibio sæpe depinxi. Affligendum corpus quod multis vacauit delitijs. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia lintheamina & serica aspe ritate cilicij commutanda sunt. Quæ viro & seculo placui, nunc Christo placere desidero. Idem in epitaphio Paulæ.

Ille qui nos malos tolerat, non dubium est, quin conuersis clementer ignoscat. Ambros. de sum. bon. *Ambros.*

Facilius inueni qui innocentiam seruauerint, quàm qui congrue egerint pœnitentiam. Idem de Pœnit.

Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit: atque ideo maiorem gratiam reperit, quam amisit. Idem in serm. ad vincula.

Nihil peccare solius Dei est, sapientis est, & corrigere erratum, & pœnitentiam agere peccati. Idem in epist.

Pœnitentia respuit auaritiam, horret luxuriam, fugat furorem, firmat amorem, calcat superbiam, continet linguam, componit mores, odit malitiam, excludit inuidiam. Cypria. in serm. *Cyprian.*

Primus fœlicitatis gradus est, non delinquere, secundus delicta cognoscere. Illic currit innocentia integra quę seruet, hic succedit medella quæ sanet. Idem epist. 3.

Contendit hoc loco Cyprianus pluribus argumentis probare Deum non latere delicta cordium. Homo (inquit) vidit in facie, Deus autem videt in corde &c. Denique quando & fide maiore & timore meliore sunt (loquitur de ijs qui tormentis territi in fidei confessione vacillauerunt) qui quamuis nullo sacrificij, aut libelli facinore constricti fuere, quoniam tamen de hoc vel cogitarunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentur, exomologesim cõscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medellam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt. Idem in ser. de Lapsis.

Isidor. Ex eo vnusquisque iustus esse incipit, ex quo sui accusator extiterit. Isidorus.

Si patet vitium, fit ex magno pusillum: si latet, fit ex minimo magnum. Silentio culpa crescit. Idem.

Hugo. Tres sunt species obstinatorũ. Prima eorũ qui ex correctione nõ proficiunt. Secunda eorũ qui ex cõmonitione deteriores fiũt. Tertia eorũ qui emendationẽ pomittũt, sed nõ faciunt. Ex correctione Manasses factus est melior, Nabal ex commonitione deterior, Pharao ex afflictione durior. Hug. de. 12. Abusio.

Clim. Ad confessionẽ peccatorum posthabito omni rubore, habes exemplum insigne apud climacũ serm. 4. de obediẽtia. In quo refert latronẽ quẽdam publice omnia peccata sua ad præceptum abbatis in cœtu fratrum protulisse, quo tempore vnus ex fratribus, qui illic aderant, procerum quendam atque terribilem se vidisse affirmauit, conscriptam chartã & calamum tenentẽ: & cum latro ille humi prostratus peccatũ confitens, pronuntiaret, hoc ille calamo delebat. Et merito sanè. Dixi enim, inquit, Confitebor aduersum me iniustitiam meã Domino: & tu remisisti, &c. Clim.

Sicuti vidua quæ viro suo fuerit orbata, si filius sibi vnigenitus sit, illi soli innititur, eiusque post Dominum solatio potitur: ita & anima si lapsa fuerit, nullo alio solatio exitus sui tempore ita securè nititur, vt abstinentiæ labore atque lacrymis. Idem de Luct. Grad. 7.

Veræ germanæque pœnitentiæ certum argumentum est, obliuio iniuriarum. Qui vero inimicitias tenet, & se pœnitere affirmat, similis est ei, qui se in somnijs currere putat. Idem Grad. 19.

Vidi imbecilles animas ac debilia corpora, pro peccatorũ multitudine superiora atque maiora certamina arripere conari, nec ea posse sustinere. Quibus ego, humilitatis (inquam) non laborum magnitudine Deus pœnitentiam metitur, atque iudicat. Idem de discretione ad discer. facili.

Chrysost. Si forte in corpore parum aliquid morbi pulsauerit, statim & medicos adhibemus, & pecuniam profundimus, & omni obseruãtia quæ competunt, gerimus: nec prius cessatur, quam quæ molesta sunt, mitigentur: anima vero cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur, vratur, præcipitetur, & modis omnibus per

cat,

eat, nec parua quidem pro ea nos cura solicitat. chrysost. de cõpunct. cordis.

Viæ pœnitudinis sunt quinque: prima agnitio & increpatio peccatorum. Secunda proximis suos errores condonare. Tertia quæ fit per orationem, quarta per eleemosinam, quinta per humilitatem animi. Idem.

Malum est peccare, peius est perseuerare: sed pernitiosius est, defendendo se, in Deum culpam refundere. Glo. super Psal. 69. *Gloss.*

Non multum ab impeccabili discedit, qui peccatum vt decet, fatetur. *Arist.*

Nihil prorsus erroris cõmittere, proprium Dei est, & forte etiã hominis diuini: ab errore autem ad inculpabilem vitã redire prudentis est, & vtilia planè non ignorantis. *Philon.*

Sit erranti medicina confessio. Cicero ad. Q. Frat. *Cicero.*

COLLE.

¶ Quid est toto corde ad Deum conuerti? Non modo de præteritis malis dolere, sed etiam futura vitare. Quisquis vtrũque facit, is ex toto corde conuertitur. Vtrũque enim præstãdum esse monet Salomon cum ait, Qui ascondit scelera sua, non dirigetur: qui autẽ cõfessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiã consequetur. Inditium enim salutiferæ confessionis, est depulsio iniquitatis. *Prou. 28.*

Si tantopere nititur æger, cum intra stomachũ noxio humore vexatur, vt vel immissis in os digitis, vel amarissima etiam potione sumpta illum vomat: cur ergo non idem faciat, cum animam peccatis intus vexari sentit, vt illa per os puræ confessionis salubriter euomat. An fortasse minus homini peccata quam humor biliosus noceant?

O si oculos haberemus, quibus admirabilem hanc animæ pulcritudinẽ videremus, quando sacerdote efficaciter absolutionis verba proferente, homo iustificatur & fit noua creatura. Non minor enim hæc suo modo transformatio est, quam cum Deo dicẽte fiat lux, facta est lux: sic enim noua quædam & nobilior lux in anima oritur cum à sacerdote hoc modo absolutio impenditur. Sicut autem ad vocem Angeli ceciderunt catenæ de manibus Petri, ita hic ad vocem sacerdotis vincula Diaboli soluũtur, & Deus homini pectus suum aperit, illumque in filiũ adoptat, Spiritu sancto vngit, virtutibus ornat, & regni sui heredem instituit.

D.Tho. Iustificationis seriem & processum D. Thom. describit in.4. quæst.45.art.5.vbi exponit, quomodo in hoc opere concurrunt, primum quidem Dei motio, secundo motus fidei, tertio timoris, quarto spei: quinto charitatis: sexto timoris: septimo cõtritionis, & pœnitentiæ cui potissimum tribuitur iustificatio. Cuius rei causa est, quia iustificatio est spiritualis quidam, ab iniustitia ad iustitiam motus. Quo fit vt illi potissimum iustificatio tribuatur quæ vtrumque motum complectitur, ea vero est pœnitentia quæ præteritam iniustitiam detestatur & proponit in futuro sequi iustitiã. Adde his quod pœnitentiæ est cooperari Deo ad satisfactionem cõmissorum ea videlicet amplectendo quæ ad huiusmodi satisfactionem requiruntur, quod ad pœnitentiam spectat.

Prou. 15. Per misericordiam & fidem purgantur peccata, per timorem autẽ Domini, declinat omnis à malo. Hæ sunt igitur virtutes quibus potissimum vera pœnitentia ornari atque perfici debet. Hoc autem in loco fides pro fidelitate (qua quisque officij sui debito satisfacit) accipienda est. Quæ quidem virtus adeo rara est: vt Salomon dicat. Multi homines misericordes vocantur: virum autẽ fidelem quis inueniet? Vir autem fidelis est, qui toto animo in hoc vnum incumbit, vt fideliter quidquid se debere intelligit, prestet, etiam si illi molestum ac detrimentosum sit. Hanc autem appellari hoc in loco fidem, patet ex eadem sententia.16. Prouer. repetita his verbis. Misericordia & veritate redimitur iniquitas: in timore autem Domini.d.o.a.m. veritatem autem pro iustitia & officio præstito vsurpari in sacris literis, notius est, quam vt probari debeat. Hinc. Reg.4.cap.32. legimus. Post quæ & huiusmodi veritatem venit Senacherib rex Assiriorum &c.

Vera pœnitentia describitur Eccli.17. his verbis; Conuertere ad Dominum & relinque peccata: precare ante faciem Domini & minue offendicula. Offendiculi autem nomine non modo peccata, sed etiam peccatorum occasiones intelligimus: quas si nõ tollas, peccata non vitantur.

Psal.31. Virtutem humilis confessionis declarant illa verba. Delictum meum cognitum tibi feci &.i.m.n.a. Dixi, cõfitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.e.t.r.i.p.m. Huius vero confessionis defectu se in multa mala incidisse insinuat, cum ait, Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea. Hoc est, quoniã delicta mea celabã,

nec illa vt par erat, agnoſcebam, iracundiam & pœnam mihi non remittebat Deus: itaque ob eam cauſam in tantas incideram calamitates, vt confectus animi & corporis doloribus, ſqualore & macie contabeſcerem. Quod autem ſubdit, Dum clamarem tota die, alius vertit apertius, in rugitu meo tota die. Quod ad præcedentia verba facile refertur. Significat enim mœrores & æſtus quos ante patiebatur.

Contra fictam ſubdolamque malorum pœnitentiam qui cum meliorem ſe vitam acturos polliceantur, non præſtant quod pollicentur, ſunt illa Prophetæ verba, Inimici Domini mentiti ſunt ei: & erit tempus eorum in ſæcula. Quaſi dicat, Modo mentiuntur Deo eiuſque leges & maieſtatem contemnunt, ſed erit tamen cum contemptus huius pœnas pendant: quas perpetuo hoc eſt in ſæcula daturi ſunt. Simile eſt & illud, Cum accepero tempus, ego. i. i. Quod tempus iamiam inſtare pronuntiat cum ait, Iuxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora. *Pſal. 74.* *Deut. 32.*

Ad ſpem veniæ nos ille verſiculus incitat, Si iniquitates obſeruaueris Domine, D. q. ſ. Quia apud te propitiatio eſt, hoc eſt, quia in me non eſt cur mihi propitieris, ſed cur magis iraſci debeas, in te habes vnde mihi propitius fias. In te eſt miſericordia tua: & apud te eſt ſacrificium filij tui: quæ vere pœnitentibus ſalutem donant. Itaque (vt Auguſti. ait) ſi ego Domine admiſi vnde me damnare poſsis, tu certe non amiſiſti vnde me ſeruare poſsis. In certamine ergo conſcientiæ, cum lex, Diabolus, & ſenſus peccati nos accuſant, ad hunc verſiculum confugiendum eſt. *Pſal. 129.*

Virtus quidem difficilis eſt ex corrupta natura, facilis ex gratia. Vnde vbi de ſponſa Canti. 8. dictum ecce ſoror noſtra paruula eſt, & vbera non habet, paulo poſt ſubditur, Ego murus & vbera mea quaſi turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens. Hanc autem pacem vera pœnitentia inuenit, quæ nos Deo reconciliat. Ait autem (quaſi pacem) vel quia plena pax in hac vita non datur, vel quia nemo poteſt certo ſcire, vtrum odio vel amore dignus ſit.

Pęnitentia eorum qui cum vitam omnium ſceleribus tranſegerint inſtante mortis hora, pęnitere ſe dicunt, Pharaonis interdum pęnitentiæ ſimilis frequenter eſt. Qui dum plagis vrgere- *Eccle. 9.*

tur obedientiam pollicebatur: sublatis verò plagis ad solitam continuo pertinaciam & inobedientiam redibat. Denique emisso iam è finibus suis post tot plagas populo, Pharao populusque eius pœnitentia ducti dixerunt, Quid voluimus facere vt dimitteremus
Exod. 14. Israel ne seruiret nobis? Iunxit ergo currum, & omnem populum &c. Talis igitur eorum pœnitentia apparet, quos non Dei, sed sui amor & præsentis periculi metus solùmodo agit: quos videmus periculi vel morbi tempore transacto ad vomitum sæpe redire.

Cum lepra dubia est recludi æger in lege præcipitur septem diebus, & interdum etiam alijs septem: vt hoc indicio sacerdos deprehendat quid in ea causa, pronuntiare sine errore & hæsitatione posit. Hoc exemplo confessarij monentur, vt cum de confitentium pœnitentia & contritione dubij sunt, dierum aliquot spatio interiecto de contritionis & propositi firmitate experimentum capiant: neque sententiam facile præcipitent: ne quos sanare debuerant eadem contaminatos lepra relinquant.

Confeßionis imaginem varijs modis in veteri quoque testamento inuenimus. Sic enim. Num. 5. legimus, vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgreßi fuerint mandatũ Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum: & reddent ipsum caput quintamq; partẽ desuper ei in quẽ peccauerint. Sin autẽ non fuerit qui recipiat, dabunt Domino, & erit sacerdotis. Hoc in ijs peccatis intelligitur: in quibus damnum aliquod proximis illatũ fuerit. Quo in loco vides etiam incertorum restitutionem ad Ecclesiam maxime pertinere.

Si de sanguine hostiæ quæ offertur pro peccato, vestis sacerdotis fuerit aspersa, lauabitur in loco sancto, ait Dominus Leuit. 6. Sãguis huius hostiæ, opera sunt corruptionis quibus peccator succubuit. Vnde est illa vox, Libera me de sanguinibus Deus Deus salu
Psal. 50. tis meæ. Hæc itaque cum per confeßionem pastori deteguntur, plerunque licet ad corpus non transeant, tamen vestem aspergũt, quia quamuis consensum non impetrent, excitant appetitum. Quod enim vestis ad corpus, hoc est ad consensum appetitus. Vestis sæpe sine noxa corporis aut maculatur aut scinditur: sic & appetitus plerũque absque salutis animæ dispendio, ratione videlicet reluctante nõ consensu sed cogitatione raptatur. Lauanda igi-

tur

tur vestis: sed in loco sancto poterit lauari, quia qui hoc nomine maculatus est, nõ necesse habet donec se expiet à sacrificijs diuinis sequestrari. Et lauat ergo vestẽ suã & in loco sancto est: quia illecebra carnali qua exterius afficitur pro virib⁹ sine dilatione se purgat. Sed tamẽ quod hãc pugnã sustinet, augmẽtum ei fit retributionis, nõ imminutio sanctitatis. Hinc D. Greg. ait, A bonis pastoribus viscera materna subditis exhibenda sunt, vt si forte eos tẽtationib⁹ infestari cõtigerit, ad eos quasi ad portũ salutis cõfugiãt nec eis peccatorũ suorũ reuelare vulnera vereãtur. Fit autẽ plerũque vt pastoris conscientia, auditis tẽtationibus & ipsa tẽtetur, & velut aqua aliorũ manus abluẽs, vnde eas mũdat, ipsa sordidetur. Quod tamẽ doctoribus nõ nimis formidandum est &c.

Est apud Origenem homil. 2. super Leuit. satis euidens de confessione testimoniũ. Obijcit enim quod melioris cõditionis fuerit lex Mosis, in qua tot sacrificiorũ genera expiãdis peccatis instituta erãt, quã Euangeliũ in quo horũ nihil est. Cui quæstioni respõdet multis quoq; modis in lege gratiæ expiari peccata. Expiãtur enim baptismo, martyrio, eleemosynis, remissione iniuriarũ, & dilectione qua peccatrici mulieri peccata multa remissa sunt. Deniq; ait, Expiãtur etiã alia ratione quãuis acerbius quidẽ & laboriosius pœnitẽtia: cũ lauat peccator in lachrymis stratũ suũ, & fiũt ei lachrymæ panes die ac nocte: & cũ non erubescit sacerdoti Domini dicere peccatũ suũ & quærere medicinã secundũ eũ qui ait, Dixi cõfitebor aduersum me iniustitiã meã, & tu remisisti. 1. p. m. In quo impletur illud quod Iacobus Apost. ait, Infirmatur quis in vobis, vocet presbyteros Ecclesiæ: & imponẽtes ei manus &c. *Psal. 41.* *Psal. 31.* *Iacob. 5.*

Quo mærore affici verè pœnitẽtes debeãt, omnemq; à se lætitiã depellere cũ pro peccatis mœrent Leuit. 5. in sacrificio similæ ꝓ peccato oblatæ adũbratur, super qua neq; oleũ funditur, nec thus adhibetur, quæ in alijs sacrificijs apponũtur: quia pro peccato est. Super quo loco Origenes ait, In sacrificio ꝓ peccato nec oleũ lætitiæ ei, nec thus suauitatis imponitur. De peccãtibus. n. ait Apostolus, vt lugeã eos qui ante peccauerũt, & nõ egerũt pœnitentiã &c. Nec odor in eo suauitatis est. Quia ex persona peccatorũ dicitur, Putruerũt, & corruptæ sunt cicatrices meæ &c. Hæc interim à nobis obseruata sunt de sacrificio pro delicto. *2. Cor. 12* *Psal. 37.*

Non putet confessarius, aut etiam pœnitens leue se negotium

 agere,

agere, cum auersam ac deprauatam vitam & voluntatem suam diuinæ puritati & sinceritati (quæ totius æquitatis & sanctitatis regula est) debeat conformare: Qui enim tot spatijs ab hac regula discessit, quot flagitia commisit, quomodo tam cito poterit eò redire à quo tot commissis sceleribus tam longo tempore discessit: nisi studiose ac diligenter in hoc insistat? Hoc est enim quod vehementer Diuus Augustinus & optabat & timebat, cum orans diceret, Miser ego, quando poterit, Domine obliquitas mea tuæ rectitudini conformari? Cum enim tanta sit hominis obliquitas, tantaque rursum rectitudo diuina, non dubium quin arduum ac difficile sit, hanc tantam obliquitatem ad illam rectitudinem exigere.

Excusatio in peccatis.

COLLE. PEccator homo vitabit correptionem & secundum voluntatem suam inueniet comparationem. Hoc est non deerit animo male affecto apparens aliqua ratio qua stultitiam suam tueri, & in ea perdurare possit.

Nullam in extremo iudicio mali scelerum suorum excusationem prætexere poterunt. Si enim dixerint se imbecilles fuisse, & aduersarios suos fortes ac potentes ideoque illis succubuisse, facile ipsos iudex coarguet, qui tot armorum spiritualium genera & munimenta in Ecclesia sua prouidit. Hoc enim illa Cant. 4. verba designant, Sicut turris Dauid quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex illa, omnis armatura fortium. Quare licebat infirmo cuique hinc arma capere: quibus imbecillitatem suam non modo tueretur, sed etiam roboraret: vtrumque enim hæc arma præstant. Cæterum si locum hunc locupletare volueris vide tit. Euangelium. Ibi enim mira & maxima ad virtutem adiumenta per Christi gratiam nobis collata recensentur.

A primis parentibus excusationis sicut & fomitis cæterorumque malorum virus in nos deriuatum est. Illi namque à Domino obiurgati, ad friuolas se se excusationes contulerunt. Vir
Gene.3. enim ait, Mulier quam dedisti mihi sociam &c. Quibus verbis

bis criminis sui culpam in Deum quodammodo transtulit. Quem plane imitantur, qui cœlo, aut astris scelera sua imputant. Mulier verò in serpentem transtulit crimen suum cum ait, Serpens decepit me. Sunt qui dicant Dauidem cum se adulterio & cæde maculasset grauius deliquisse quam Saul, veniam tamen consecutum fuisse, quoniam scelus suum simpliciter confessus est dicens, Peccaui Domino. Cum tamen Saul multis tergiuersationibus inobedientiam suam partim negare, partim excusare conatus fuerit. *2. Reg. 12* *1. Reg. 26*

Homini leproso Leuit. 13. inter alia hoc præcipitur vt vestimenta eius dissuta sint, & caput quidem eius detectum, os verò contectum. Ita enim oportet vt qui spiritualiter leprosus & flagitiosus est, flagitia sua, nullis verborũ assumẽtis tegat, nullis excusationũ velaminibus operiat, vt ne fiat sepulchrũ dealbatũ, quod foris quidẽ paret candidũ, intus autẽ mortuorũ ossibus plenum est. Verũtamen leprosus hic os tãtummodo iubetur obtegere. Quid est hoc quod omnes corporis partes nudas habere præcipitur, & os solum operire iubetur? Nóne palã est & in aperto positum, quod ei qui in lepra peccati constitutus est, clauditur os, vt docendi ab eo autoritas excludatur? Peccatori enim dixit Deus. Quare tu enarras iustitias meas &c. Clausum ergo habeat os peccator, quia qui se ipsum non docet, docere aliũ non potest, & ideo suum iubetur operire, qui male agendo loquendi perdidit libertatem. *Psal. 49.*

Contritio.

Peccator compunctus de peccatis in fletibus, iam iustus esse inchoat, cum cœpit accusare quod fecit. Greg. *Greg.*

Tempus redimimus quando ante actam vitam, quam lasciuiendo perdidimus, flendo reparamus. Greg. vbi sup.

Qui peccata confitetur & non deflet, perinde est, ac si vulnus detegeret medico, & curari nollet. Greg. vbi sup. lib. 8. c. 15.

Non inuenit Esau locum pœnitentiæ, licet cum lachrymis quęrat: quia fructum non habent lamenta quæ student cum gemitu desiderare peritura. Greg. lib. 11. Mor. cap. 6.

Sancti non solum inspiciunt mala quæ fecerunt, sed bona, quæ accepto munere reddere debuerunt. Tãto enimse amplius sentiũt

peccatores, quanto ex neglectis bonis debitores tenentur. Greg. 22. Mor. c. 5.

Graui luctu afficit gratia, quæ post facinora mentem replet: insequitur nanque quotidianis flectibus peccatum: & quanto homo clarius cernit quod iustum est, tanto appetit se iniustum gemitibus punire. Greg. 27. Mor. c. 15.

Dolet homo quod fuit, quia incipit videre quod nō fuit. Odit qualem se fuisse meminit, & amat qualem se debere esse cognoscit. Greg. vbi supra.

Ad videndum internum lumen, polluta conscientia, lachrymis baptizata, renouatur. Greg. 27. Mor. c. 15.

Augusti. Quid enim miserius misero non miserante seipsum & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te? Augusti. Confessio. lib. 1.

Ego fremebam spiritu indignans turbulentissima indignatione, quod nō irem in placitum & pactū tecum Deus meus, in quod eundum esse omnia ossa mea clamabant. Nam non solum ire, verum etiam peruenire illuc, nihil erat aliud, quam velle ire, sed velle fortiter & integrè, non semisauciam hac atque hac versare, & iactare voluntatem, cum hac parte assurgente, cum alia parte cadente luctātem. Et mox, Vnde hoc monstrum, & quare istud? imperat animus corpori, & paretur statim, imperat animus sibi & resistitur. Imperat animus vt moueatur manus, & tanta est facilitas vt vix à seruitio discernatur imperium: Et animus, animus est, manus autem corpus est. Imperat animus, vt velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Vnde hoc monstrum? Et quare istud? Imperat, inquā, vt velit, qui nō imperaret nisi vellet, & non fit quod imperat. Nō igitur monstrū partim velle, partim nolle: sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit veritate subleuatus, cōsuetudine prægrauatus. Et ideo sunt duæ voluntates, quia vna earum tota nō est, & hoc adest alteri, quod deest alteri. August. Confes. lib. 8.

Satis durus est cuius mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare: sed sciat culpabiliter se durum, qui deflet damna corporis, vel mortem amici, & dolorem peccati non ostendit lachrymis. Idem de pœnitentia.

Sit pœnitentia continua, amara, comes ætatis meæ, continuus dolor,

dolor, insatiabilis terror vitæ meæ. Si non sum dignus oculos ad cœlum leuare orando, certe non sum indignus eos vel exsiccare plorando. Idem ibidem.

Qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed ardere: ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennam metuit. Idem in Epist.

Ad agendã pœnitentiã nõ sufficit mores in melius cõmutare, & à malefactis recedere, nisi & de his quæ facta sunt, satisfacias Deo per pœnitẽtiæ dolorem, per humilitatis gemitũ, per contriti cordis sacrificiũ, cooperantibus eleemosynis. Idẽ in lib. de Pœnit.

Quia post baptismũ inquinauimus vitam, baptizemus lachrymis conscientiam. Ambros. *Ambros.*

Nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris mutare delictum. Idem super Luc.

Lachrymæ pœnitẽtiæ apud Deum, pro baptismate reputantur. Vnde & quantũlibet sint magna delicta, quantũuis grauia, non tamen in illis Domini misericordia desperanda. Isidor. de sum. bon. *Isidor.*

Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & sine fructu præterierunt, impossibile est vt reuocem: placeat tibi Domine vt recogitẽ eos in amaritudine animæ meæ. Bern. super Cant. *Bernar.*

Abscindatur ferro acutæ compunctionis, vlcus inueteratæ consuetudinis. Idem ibidem.

Fœlices lachrymæ, quas benigna manus conditoris absterget: & beati oculi, qui in talibus liquefieri elegerunt, magis quã in superbiam eleuari, quàm omne sublime videre, quàm auaritiæ & petulantiæ famulari. Idem de contempt. mundi.

Primum opus fidei per dilectionem operantis, cordis compunctio est, in qua planè de intus eijciuntur dæmonia, cum ab affectu cordis eradicantur peccata. Idem, de. 12. Grad.

Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus: alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit. Putas ne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnegasti, cui patrimonium præponere maluisti, cuius templum sacrilega contagione violasti? Putas eum facile misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigilijs noctes atque fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamẽtationibus *Cypria.*

nibus occupare, ftratos folo adhærere cineri, in cilicio volutari & fordibus: poft indumentum Chrifti perditũ, nullũ iam velle vefti tũ: poft Diaboli cibũ, malle ieiuniũ: iuftis operibus incũbere, quibus peccata purgantur: eleemofynis frequẽter infiftere quibus à morte animæ liberantur: quod aduerfarius auferebat, Chriftus accipiat: nec teneri iã nec amari patrimoniũ debet, quo quis & deceptus & victus eft. Cypria. in ferm. de lapf.

Si charus tibi aliquis vita functus effet, doleres, & ingemifceres, & lugubri habitu triftitiam mentis oftenderes: & moritur tibi caftifsima anima, & interdum etiam rides, & in nullo commoueris? Idem ibidem.

Eufeb. Emiff. Non fufficit fummis labijs dicere, Peccaui, parce, remitte. Et Saul dicebat, Peccaui: fed non obtinuit illam veniam quã Dauid vna pœnitentiæ voce promeruit: & hoc quare? Quia confefsionẽ illam nuda magis verba, quã gemitus exprimebant: quia non cõpenfabat magnitudinem criminis lenta humiliatio fupplicantis. Non leui agendum eft contritione, vt debita illa redimantur, qui bus mors æterna debetur: nec tranfitoria opus eft fatisfactione pro malis illis propter quæ paratus eft ignis æternus. Si volumus intelligere, quam graues apud fe faciat iudex nofter hominum culpas, refpiciamus ad pœnas. Eufeb. Emiffe. ad monach. hom.

Et faciam (inquit) vt difpliceatis vobis in oculis veftris. Vides quia iam non parua pars meriti eft, ad confpectum erubuiffe peccati. Idem in quadam hom.

Clima. Qui re vera reatus fui pęnas dat, is omnem diem quo nõ luget, fe amififfe arbitratur, etiam fi qua fortafsis bona alia in illo fecerit. Canis fi à fera vlla mordeatur, aduerfus ipfam vehementer accenfus, animatur ex dolore vulneris, incomparabili ferocia infaniens. Sic ergo aduerfus peccatum incitari debemus. Caueamus ne forte non ex munditia, fed ex falfa confidentia feipfam confcientia defiftat reprehendere. Id erit folutionis delictorum certifsimum indicium, fi femper quifque debitorem fe exiftimet. Signum item diligentis atque accuratæ pęnitentiæ eft, fi omnibus contingentibus, vifibilibus, inuifibilibufque tribulationibus, atq; etiam pluribus dignos effe conftanter teneamus. Ioan. Clim. de Pęnit. cap. 5.

Caue

Caue qui luges, ne vnquam canem illum suscipias, qui misericordem nimis Deum tibi pollicetur: agit enim hoc, vt abs te interim luctum ac securissimum expellat metum. Tunc vero solú clementiam eius tibi pollicere, cum te desperatione absorberi videris. Idem de memor. mort. cap. 6.

Beatus qui cœlestibus intellectualibusque virtutibus defigere animi obtutus valet. Sed ille absque metu ruinæ est, qui ex mortis scelerũque memoria genas suas viuẽtium aquarum perpetuis imbribus rigat. Idem de Luct. cap. 7.

Non angitur spectaculorum ordinãdorum cura is reus in quẽ fuerit lata sententia: ita ne is quidem qui attentius luctui studet, delitijs, aut gloria, aut furore, aut iracundia, vnquam capietur. Idem ibidem.

Etiam si quodlibet magnum atque electissimum vitæ institutum arripueris, id quasi externum & nothum æstimare debes, nisi cor afflictum mœrensque possideas. Ibidem.

Non accusabimur ò socij, nec nobis crimini dabitur in separatione animæ à corpore, quod non miracula egimus, quod nõ theologica disseruimus, quod non contemplationi operam dedimus: sed ob hoc maximè rationẽ omnino Deo reddituri sumus, quod lugere vnquam destitimus. Ibidem.

Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postulauit, accepit: nullus ab eo beneficia dolenter optauit, qui non impetraret quod voluit. Ipse enim est, qui consolatur flentes, curat dolentes, informat pœnitentes. Chrysost. in ser. *Chrysost.*

Sicut impossibile est, vt ignis inflãmetur in aqua, ita impossibile est compunctionem vigere in delitijs: contraria enim hæc inuicem sibi sunt & peremptoria. Illa enim mater fletus, hæ mater risus: illa cor constringit, istæ dissoluunt. Idem de compunctione cordis.

Sola est compunctio quæ facit hominem horrescere purpurã, desiderare cilicium, amare lachrymas, fugere risum. Idem ibidẽ.

Hæc est humilis cordis vera compunctio, magna agere, & humilia loqui: iustè operari, & super peccatis timere, atque tremere. Idem ibidem.

¶ Alexander, qui ebrius Clitum fidissimum amicum occiderat, COLLI.

vbi compos sui factus, admissum facinus intellexit, præ magnitudine doloris seipsum occidere volebat. Quod si ita dolet, qui amicos occiderunt: quo putas dolore cruciari viros sanctos, cum recolunt se toties Deum suum peccando crucifixisse? Quo dolore angebatur? quæ verba iactabat? quibus se lamentis conficiebat? quas animo cogitationes voluebat, ille de quo scriptũ est, Egressus foras, fleuit amare? *Matt. 26*

Nullo dolore afficitur homo, cum capilli eius conscinduntur, & lacerantur. Tunc tamen dolorem sentit, cum ij à capite euelluntur. Sic sancti viri nihil sua referre putant, cum varijs iniurijs infestantur (rapinã enim bonorum suorum cum gaudio suscipiunt) at grauissimè anguntur, cum per peccatum à capite suo, nempe Christo auelluntur. Sic Dauid, Miser factus sum, & curuatus sum, &c. *Psal. 37.*

Quanta esse vis contritionis & doloris propter admissa scelera debeat, exemplo suo idem Vates ostendit, dum de se ait, Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, &c. Pro quo Hierony. vertit, Natare faciam tota nocte, &c. Pro eo verò quod subdit, Turbatus est à furore oculus meus, alij verterunt, Calligauit præ amaritudine oculus meus. Quibus verbis significat se tantam vim lachrymarum profudisse, vt penè lumen oculorum amiserit. Itaque versiculi huius sensus est, Si paucas illas noctes Domine inter falsa & flagitiosa gaudia consumpsi, reliquas, quas ego dum vixero noctes, inter gemitus & amara suspiria consumam. Si lectum meum impura libidine contaminaui, illum ego largo & perenni lachrymarum flumine lauabo. *Psal. 5.*

Vim salutaris & veræ contritionis exemplo suo declarat Propheta, cum ait: Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Quo significare voluit continuò lachrymarum fluxu, oculorum aciem hebetatam, ac obscuratam fuisse. Idem quoque designant illa verba ex Psal. 4. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata, siue vt alius vertit ossa quæ contriuisti. Significat enim se ob sceleris conscientiam *Psal. 37.*

ſcientiam magnitudine doloris attritum & conſumptum. ¶ Cæterum demiſsionem animi ac affectum veræ pœnitentiæ inſinuat protinus cum ait: Quoniam ego in flagella paratus ſum, &c. ſiue vt Hieronymus vertit, Quoniam ego ad plagas paratus ſum, & dolor meus contra me ſemper. Quia iniquitatem meã annuntio, & ſollicitus ero pro peccato meo: ſiue vt alius vertit, Anxius ero.p.p.m. Quod quidem verbum, falſam multorũ ſecuritatẽ ſatis arguit: qui ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorũ facta habeant

Eſto (ait Sapiens) firmus in via Domini, &c. Hanc animi firmitatem, & melioris vitæ propoſitum, deſignant illa Prophetæ verba, Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitię tuę. Magna enim propoſiti firmitudo in his duobus verbis ſignificatur. *Eccli. 5.* *Pſal. 118.*

Vbi nos legimus, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, & Hiero. vertit, Riui aquarum defluebant ab oculis meis.q.n.c.l. Quo verbo vis lachrymarum, & vehemens dolor Prophetæ propter violatas Dei leges ſignificatur. *Pſal. 118.*

Qui verè pœnitet, ita de admiſsis ſceleribus ſuis dolere debet, vt propter Deum ex charitate doleat. Ex hoc enim dolore vera pœnitentia conſurgit, quæ per arcum in nubibus cœli poſitum nõ incommodè figuratur. Hic enim arcus ex nube rorida Solis radijs percuſſa fit: ſola quippe nubes niſi ſole irradiata fuerit ad hoc ritis non eſt. Hunc igitur veræ pœnitentię arcum reſpiciens Dominus, furorem deponit, hominibuſque propitius fit. Huius rei in Maria Magdalena imaginem videmus, quæ lachrymarum rore plena, & diuinæ dilectionis radijs percuſſa velut arcus in nubibus facta eſt, quæ iram Domini mitigauit. *Gene. 9.*

Quàm ſit gratũ Deo cordis cõtriti & humiliati ſacrificiũ, & quę ſint verè pœnitẽtis officia, typicè Dñs in auiũ holocauſto adumbrauit. Sic enim Leuit. 1. ait, Si verò de auibus holocauſti oblatio fuerit, de turturib⁹ & pullis colũbæ offeret eã ſacerdos ad altare, & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet ſanguinẽ ſuper crepidinẽ altaris: veſiculã verò gutturis effundet in loco in quo cineres effundi ſolẽt: cõfringetq; aſcellas, & nõ ſecabit, neq; ferro diuidet. Holocauſtũ eſt, & oblatio ſuauiſsimi odoris Dño. Hoc igitur in loco obſeruandũ illud primo eſt, quod cũ Dñs aues ſibi in holocauſtũ offerri iubet, nõ cignũ expetit, q magnitudine corporis præſtat, qui plumarũ candore nitidus, & colli proten-

protensione caput in altum leuat: nec mergulo delectatur, qui frequẽter aquis immergitur: nec accipitre qui mortibus pascitur alienis: sed turturem petit, aut columbam, quarum columba societatis, turtur vero castitatis amator est. Vtraque tamen hæc auis gemere non canere solet. Esse autem gratissimos Domino pios pœnitentium gemitus, declarat Propheta cum ait, Dominus de cœlo in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorum, &c. Modus autẽ immolandi aues est, vt retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciat sacerdos sanguinẽ super crepidinem altaris. Ad collum caput reflectitur, vt quasi corpus suũ respicere videatur. Debet enim vere pœnitens conuertere oculos suos ad anteactæ vitæ corpus, & pristina peccata recordari, vt cũ sancto illo rege dicere posit, Recogitabo tibi oẽs annos meos. i. a. m. Post hoc autem rumpatur vulnus, sed caput tamen à corpore non abscindatur. Quid igitur aliud per hoc nobis innuitur, nisi (quemadmodum Apostolus ait) rationabile sit obsequium nostrum, quo castigati, & non mortificati, corpus spiritui subijciatur no occidatur? Sanguis vero super basim altaris fundi præcipitur. Saguis noster substantia nostra est, quæ instar sanguinis dum redudat, noxia esse frequenter corporibus solet: dum vero non redu dat, salutaris. Hæc ergo vbi redundauerit, minuenda & super basim altaris, hoc est, super pauperes & infima quæque Ecclesiæ membra effundenda est. Huiusmodi enim sanguinis nostri, hoc est, rerum nostrarum effusione purgari peccata, scripturæ sacræ vbique testantur. Superest vesica, quæ ab auibus auferenda, & in locum in quo cineres effundũtur mittenda est. Qua re quid aliud significatur, quam omnem cordis nostri tumorem & inflationem, cineris & corruptionis nostræ consideratione deponere?

Psal. 101

Isai. 38.

Rom. 12

Multa sunt quæ nos ad peccati odium & commissorum dolorẽ excitare debeant: sed illud in primis, quod peccando Deum amittimus. Deserit enim is mentem, quæ eius hospitium peccati contagione polluit. Sic Saulem videmus à spiritu Domini relictum, & à Dæmone obsessum, vbi se peccato contaminauit. Quid autẽ lamentabilius, quid infelicius, quam à Deo bonorũ omnium parentem deseri? Væ eis, ait Dominus, qui recesserunt à me. Hoc est primum væ. Secundum vero quod ex hoc sequitur, Væ eis cum recessero ab eis. Quid enim reliqui esse posit ei qui Deum amisit?

Osee. 7.

Hoc

Hoc est illud malum, quo ita vxor Phinees sacerdotis perculsa est: vt cum mortem sibi ex doloribus partus imminere cerneret, & nasciturus ei filius nuntiaretur, obstetrice dicente, Noli timere, quia hunc habebis filium, non intellexisse, ne animaduertisse dicitur. Ea enim doloris magnitudine concussa fuit, cum arcam Dei à Philisteis captam audiuit, vt nec instantis mortis metu, nec nascituri filij gaudio vllo modo tangeretur, sed acerbissimo doloris sensu hanc vocem repeteret, Trāslata est gloria Dei ab Israel, quia capta est arca Dei. credebat enim prudens mulier, ad nihilum esse illum populum redigendum, hoc tam incomparabili præsidio destitutum: vnde tota illius populi salus & gloria manabat, ideoque inter causas doloris & lætitię constituta, hoc solum cogitabat, hoc solum lamentabatur, hanc vnam querimoniam iterum atque iterum repetebat. Translata est gloria Dei ab Israel, quia capta est arca Dei. Cum igitur per lethale peccatum homo hoc tantū bonum amiserit, & à se repulerit, cur non simili modo lamentetur? Noli, ait Propheta, lætari Israel, noli exultare sicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo. *1. Reg. 4.*

Qualis esse debeat vere pœnitentis conditio, declarat Moyses Deut. 4. his verbis, Cum quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Hic locus vehementer vrget Lutheranos, qui merorem ac dolorem à vera pœnitentia submouent.

Satisfactio.

QVamuis certum sit, quod Ezechiel ait, In quacunque die impius conuersus fuerit ab impietate sua &c. tamen temporariam pœnam impietati debitam non sæpe rogantibus, & ad eum conuersis aufert. Id primum patet ex eo quod. 1. Reg. legimus, Iurauit Dominus domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in sempiternum. Ibidēque legimus, Porro triumphator in Israel non parcet, nec pœnitudine flectetur: neque enim homo est, vt agat pœnitentiam. Item nec Dauidem exaudiuit multis lachrymis pro filioli ex adulterio Bersabe suscepti vita deprecantem. Et ad Hieremiam Dominus COLLE.

ait, Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas laudẽ & orationem pro eis, & non obsistas mihi: non enim exaudiam te. Et ad populum propter quadraginta annorum errorem à Domino indictum mœrentem ac deprecantem Moses ait, Cũque reuersi ploraretis coram Domino, nõ audiuit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. Quodq; his omnibus mirabilius est, nec Mosem quidẽ (qui sæuientẽ aduersus peccantẽ populũ iram Domini toties placauit, cuique insigne sanctitatis & amicitiæ testimonium Dominus tulit) exaudire voluit cum ingressum in promissam terrã supppliciter ab eo postularet. Sic enim Deute. 4. idem ait, Precatusque sum in tempore illo dicens, Domine Deus tu cæpisti ostendere seruo magnitudinem tuam &c. Transibo igitur & videbo terram hanc optimam trans Iordanem &c. Iratusque mihi Dominus propter vos, nec exaudiuit me, sed dixit mihi, sufficit tibi, nequaquã loquaris vltra de hac re ad me.

In his similibusque cõminationibus, nequaquã Dominum misericordiæ suæ signum (quod ad remissionem culpæ attinet) claudere credendum est: cum fixa & irreuocabilis illa Ezechielis promissio maneat, in quacunque die impius conuersus fuerit &c. Sed hæc omnia ad remissionem pęnę pro peccato debitæ referenda sunt: quæ non semper pœnitentium precibus & victimis reuocantur. Qua ex re liquido constat, dimissa culpa, temporariam pęnam culpæ debitam remanere. Cuius rei gratia tertia pœnitentiæ pars, nempe satisfactio constituitur, quæ ad huius pœnæ remissionem ordinatur, quæ si in hac vita non expletur, igne purgatorio expianda relinquitur: vt diuinæ iustitiæ locus sit, quæ nullum crimen impunitum relinquit, quod vel in hac vita, vel in altera non puniat.

Recidiuatio.

Greg. SIcut qui à fide recedit apostata est: ita qui ad peruersum opus quod deseruerat, redit, ab omnipotente Deo absque vlla dubietate apostata iudicatur, etiam si fidem tenere videatur. Greg. super Eccl.

Isido. Esai. I. Lauamini, mundi estote. Lauatur itaque & mundus est, qui & præterita plangit, & futura non admittit. Lauatur & non est mundus

ctus qui plangit, quod gessit, nec deserit: & post lachrymas quæ deuerat, repetit. Isidor.

¶ Videant Christi fideles quomodo se post pęnitentiam & sacramenta paschalia gerant, & qua cura susceptam gratiam tueantur. Vnus enim læthalis peccati lapsus aditum ad alia multa aperit. Quemadmodum enim (vt Chrysost. ait) qui noua aliqua veste induitur, diligenter curat, ne vestem illam sordibus vllis inquinet. Vbi vero vestis ipsa per incuriam sordidata est, curam illam deponit, nec iam moleste admodum fert, si iterum sordidetur: ita homines, vbi per pęnitentiam candidā iustitiæ vestem induerunt, studiose curare solent, vt candorem illum incontaminatum seruent: At vbi illum per peccatum commacularunt, iam non admodum curant, si nouis iterum maculis pristinus ille candor obscuretur. Ex quo patet, quantum priora peccata noceant, quoniam ea sequentibus aditum parant. COLLE.

Disputant Theologi doctores vtrum grauius peccatum sit, id quo amittitur innocentia, quam quod committitur post pęnitentiam. Sunt qui dicant illud tanto grauius esse, quantò maius bonum est, seruata semper innocentia, quam restituta per pęnitentiam. Cæterum Diuus Thom. ait, maius quidem bonum esse innocentiæ: sed interim tamen hac ratione maius beneficium esse pęnitentiæ, quod in immeritum & inimicum Dei conferatur. Cuius rei gratia grauius est post pęnitentiam delinquere, quam peccando innocentiam amittere. Vt videas quam grauiter Deum offendant, qui post pęnitentiæ beneficium ad vomitum redeunt.

Imago suscitati Samuelis quæcunque illa fuerit, aperte pronunciauit iram atque vindictam Domini contra Saulem iamiam imminere: eo quod non feceris (inquit) iram eius contra Amalech. Mira profecto res, quod cum Saul incredibili furore exagitatus septuaginta sacerdotes Domini vestitos Ephot interemerit, & Nobe ciuitatem sacerdotum nihil commeritam incenderit, ouéque & bouem, camellum, & asinum occiderit (quod crudelissimus omniū mortalium Nero nusquam fecisse memoratur) & tamen hoc tantum nefas siletur: & sola indiscreta illa pietas profertur, propter quam cęlestis aduersus eum 1. Reg. 20.

 vindi-

vindicta parabatur. Quare hoc? Nimirum quia propter primum illud peccatum à Deo derelictus fuit, atque eius spiritu & gratia nudatus. Quæ res omnium aliorum criminum fons & origo extitit, quemadmodum & protoparentis culpa, ideo maxima esse dicitur: quia culparum omnium consequētium velut seminariū fuit. Qua quidem re pœnitentes admonentur, vt primum lætale peccatum admittere diligentisšime caueant. Huius enim admisšio, quia gratia spoliat, aditum deinde cæteris parat.

Exod. 32. Quis indagando consequi posšit, cur Dominus oratione Mosis placatus fuit, cum Iudæi vitulū conflatilem adorauerunt (quod maximum nefas erat) cum vero de expugnanda terra Chananæorum diffisi sunt, tamen quadraginta eos annis per desertum circūducens, eius criminis diutisšimum supplicium sumpsit? Cæterum quamuis hoc in loco cum Apostolo liceat exclamare, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt. i. e. &. i. v. e. scripturæ tamen verba huius tantæ seueritatis causam subindicant. Ait enim Dominus. Verumtamen omnes qui vi-
Num. 14. derunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto, & tentauerunt me iam per decem vices, non ingredientur terrā pro qua iuraui patribus eorum. Toties ergo errasse, & toties erratorum veniam obtinuisse, in causa fuit, vt huius errati pœna nulla Mosis oratione relaxaretur. Cur igitur adeò securi degunt, qui post impetratam quotanis in confesšione peccatorū, veniam, statim à confesšione in eadem flagitia relabuntur?

Eccli. 26. In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit. Vir bellator deficiens prę inopia, & vir sensatus contemptus: & qui transgreditur à iustitia ad iniquitatem, Deus parauit illum ad romphęam. Ex his apparet postremum hoc malum tātum esse, vt inter reprobationis inditia hoc in loco numeretur.

Contra eos qui in eadem scelera prolabūtur clamat Eccli. 34. Vnus ædificans, & vnus destruens, quæ vtilitas in vtrisque? Vnus orans, & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus? Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid illi prodest lauatio eius? Sic homo qui ieiunat in peccatis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationē eius quis exaudiet?

Iosue. 6. Maledictus (ait Iosue) qui reædificauerit Hierico. In primogenito suo fundamenta iaciat, & in nouisšimo liberorum portas ponat.

nat. Si hic igitur maledictus est, quanto magis maledictionis huius particeps erit, qui peccata quæ destruxerat, reædificans, præuaricatorem se constituit? Hic igitur cum primum præuaricatus est, primogenitum, hoc est, timorem Domini amittit: quod est dilectionis eius initium: sed si in hac tamen præuaricatione perseueret, nouissimo liberorum, hoc est, beneficio patriæ cęlestis orbabitur.

Pœnitentiæ dilatio.

Satis alienus à fide est, qui ad agendam pœnitentiam tempora senectutis expectat. Metuendum est enim ne dum sperat misericordiam, incidat in iudicium. Greg. in Mor. *Greg.*

Qui tempus congruæ pœnitentiæ perdit, frustra ante regni ianuam, cum precibus venit. Exemplum in fatuis virginibus clamãtibus, Domine Domine aperi nobis. Greg. vbi sup.

In homilia tractans illud, Et si in secunda vigilia, siue in tertia venerit &c. Quos diu vt conuertantur tolerat, non conuersos durius damnat. Grego. vbi sup.

Gregorius super illud Iob. 27. Nunquid clamorem eius exaudiet Deus &c. sic ait, Eius clamorem tempore angustiæ Deus non audit, qui ipse tranquillitatis tempore clamantem Dominum non audiuit. Iuxta illud, qui auertit aurem suam, &c. Prou. 28. Tantò enim tunc magna exercetur seueritas, quantò nunc maior misericordia prorogatur. Vnde Isai. 55. Quærite Dominum dum inueniri potest: inuocate eum dum prope est, &c. Modo inquit non videtur, & prope est: tunc videbitur, & prope non erit: nunc nõ videtur, & inuenitur: tunc videbitur, & inueniri non poterit. Mor. lib. 18. cap. 5.

Ego autem adhuc terræ obligatus militare tibi recusabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodũ impediri timendum est. Ita sarcina seculi veluti somno assolet, dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erãt conantibus expergisci volentium: qui tamen superati soporis altitudine, remerguntur. Non enim erat quod tibi responderem dicenti mihi: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus: & vndique ostendenti vera te dicere non erat *August.* *Ephe. 5.*

omnino quid responderem, viritate deuinctus, nisi tantum verba lenta & somnolenta: modo, & ecce modo; sine paululum: Sed modo & modo non habebant modum, & sine paululum, in longum ibat. Frustra condelectabar legi tuæ secundum interiorem hominem, cum lex alia in membris meis repugnare legi mentis meæ, & captiuum me duceret in legem, quæ in membris meis erat. Aug. Confes. lib. 8.

August. Conuertitur, idest, totus & omnino vertitur: qui iam non pœnas tantum timet, sed ad bonum Deum redire festinat. Quæ conuersio si contigerit alicui etiam in fine, desperandũ non est de peccatorum suorum remissione. Sed quoniam vix vel raro est, tam iusta conuersio, timendum est de sero pœnitente. Idem de Pœnit.

Si tunc vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Idem in serm.

Hierony. Væ illis qui tunc habuerunt terminum luxuriæ, quando vitæ. Hierony.

Bern. Dignum valde est, & omnino exigit ratio æquitatis, vt quibus à constitutione mundi regnum paratur, ipsi etiam se se regno parare non negligant. Bern. in serm.

Cæsarius Dicit aliquis. Cum ad senectam venero, tunc ad pœnitentiæ medicamenta confugiam. Quare hoc de se fragilitas humana præsumat, cum diem vnum in vita sua in potestate non habeat. Cæsarius.

Hugo. In illa ætate quando flauescunt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corporis vires subministrat, iuuenilis ætas longioris vitæ spatium repromittit: quando viget ratio, viget etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus iucundior, qui in hac ætate se domant, & Deo se sociant, præmium Ioannis expectent. Hugo de claust. animæ libr. 3. cap. 10.

Tales offerunt hostiam viuentem, Deo placentem immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non cauda carentem. Audiat hoc senum sera conuersio, quibus ex defecta senectutis, aures obturantur, oculi turbantur, & vt cuncta breuiter perstringam ipsi in se per se deficiunt. Hi non

offerunt

offerunt agnum immaculatum. Idem ibidem.

Ne forte charissimi, aliquem nimis securum faciat, aut remissum tam noua fœlicitas credulitatis, ne forte dicat aliquis in corde suo, Non me vsque adeo conturbet, & cruciet mea conscientia, non me vsque adeo contristet culpabilis vita: video sub momento, video sub exiguo spatio latroni crimina fuisse donata. Primum consideranda est in latrone illo non solum credulitatis compendiosa deuotio, sed temporis illius sub quo hæc agebantur occasio, quo iustorum legitur titubasse perfectio. Euseb. Emiss. in hom. de latrone beato. *Euseb. Emiss.*

Periculosissima est in vltimum diem promissa securitas. Deinde stultissimum est, vt causa quæ de necessitatibus agitur æternis, mutabilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile est apud Deum, quando homo sub fidutia pœnitentiæ in senectutem reseruatæ, liberius peccat. Credite charissimi, difficile est, vt callida simulatio ordinandæ consummationis obtinere digna sit facultatem: apud illum cordis interpretem, ars non admittitur ad salutem. Idem ibidem.

Si præsenti tempore prætermisso futurum semper obserues, nobis paulatim dilationibus per Diabolum conflictis, latenter deceptus, vt mos est illius (Mihi inquit, da præsentia, Deo futura: mihi iuuentutem, Deo senectam: mihi voluptates, illi corpus inutile:) ò quantum tibi periculum, quanti casus inexpectati imminent? aut enim bellum absumit, aut terremotus obuoluit, aut mare suscipit, aut rapit fera, aut morbus extinguit, aut frigidus aer transiens, leuissima causa (quid enim facilius quam hominem mori, vtcumque turgeat sua specie?) aut fluuius inundans, aut ventus ex alto deturbans, aut equus corripiens, aut pharmacum siue de industria per insidias datum, siue pro salutari venenum assumptum. Chrysost. *Chrysost.*

COLLE.

Psal. 4. ¶Filij hominum vſque quo graui corde &c. His verbis votes ſanctus aduerſus illos præcipue commotus eſſe videtur, qui in obſequium mundi conſenuerunt, qui nec tam aſsiduis mundi calamitatibus eruditi eius amaritudinem & inanitatem agnoſcere potuerunt. In quos etiam inuehitur Salomon cum ait: vſque quo

Prou. 1. paruuli diligitis infantiam, quando tandem ſapere incipietis: ſit

Iere. 8. vitijs ſcelerique datum eſt. Contra hos item Dominus, Nun-

Iſai. 12. quid qui auerſus eſt non reuertetur. Populus autem iſte auerſus eſt auerſione contentioſa. Rurſumq; alibi venit mane, venit nox: ſi quęritis quęrite, conuertimini & venite. Hoc eſt, hora ſaltem vndecima ad vineam meam properate. Quicumque igitur ad has Domini voces obſurduerunt, tempus aderit cum gementes ac fru

Prou. 10. ſtra pœnitentes dicant, Tranſijt meſsis, finita eſt æſtas, & nos ſaluati non ſumus. Scriptum eſt enim. Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt: qui autem ſtertit ęſtate, filius confuſionis: qui videlicet ſero culpam & inſaniam ſuam agnoſcens, æterno dolore torquebitur.

Longiſsima ſibi vitę ſpatia improbi pollicentur, quo liberius in omnia flagitiorum genera ruant. Hinc de malo illo ſeruo Domi-

Mat. 24. nus in Euangelio ait. Quia ſi dixerit malus ille ſeruus in corde ſuo moram facit Dominus meus, & cęperit percutere cõſeruos, & edere & bibere cum ebrioſis, veniet Dominus ſerui illius &c. Item Prouer. 7. incautum iuuenem meretrix ad flagitia, ſub hac eadem ſpe inuitat: Non eſt, ait, vir in domo ſua, abijt via longiſsima, ſaculum pecuniæ tulit ſecum, in die plenæ lunæ reuerſurus eſt in domum ſuam. Qua ſpe irretitus adoleſcens, ſtatim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimã, & ignorat quod ad vincula ſtultus trahatur &c.

Quis nautarum cum poſsit benigniſsima aura nauem ſoluere, procelloſum tempus expectat quo nauigare incipiat? Cur ergo pęnitentiæ munus quod ad ſalutem adeo neceſſarium eſt, quoq; nobis viam in cœlum munimus ad impeditiſsimum mortis tempus reſeruamus cum modo opportune admodum pœnitere nos poſsit?

Duo videmus eſſe tempora ab ipſa natura deſignata, quorum alterum ſerẽdis frugibus, alterum colligendis accõmodatum eſt. Stultus autem merito iudicandus eſſet, quiſquis hæc ipſa opera

alieno-

alieno tempore moliretur. Simili ergo ratione duo tempora Dominus ad salutem hominum desinauit, alterum ad sementem bonorum operum faciendam, alterum ad meritorũ messem colligẽdam. Hoc est, alterum ad pugnam, alterum ad coronam, alterum ad laboris exercitium, alterũ ad laborum præmiũ. Qui ergo seminant in lachrymis, ij plane in exultatione metent, & qui transeunt per ignem & aquam, hi adducuntur in refrigerium. Stultissimus autem est, quisquis has rerum vicissitudines inuertit, & requiem atque lætitiam ante capit, quo tempore laborandum esset ac decertandum.

Sicut occasiones quærit qui vult ab amico recedere, ita etiam qui nouam vitam inchoare detrectat. Semper enim illum occasione aliqua Dæmon remoratur. Contra hunc autem Salomon ait. Qui obseruat ventum non seminat, & qui considerat nubes non metet. Quisquis vero recte sapit, illud eiusdem consilium sibi datum putet. Mane semina semẽ tuum & vespere non cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur hoc an illud, & si vtrumque melius erit. Hinc Hieremi. ait, Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Sic Thobias filium ab infantia sua, timere Deum docuit & abstinere ab omni peccato. Sic Salomon, Memento (inquit) creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ & appropinquẽt anni de quibus dicas, non mihi placẽt. Sic etiam Ecclesias. Ne tardes (inquit) conuerti ad Dominum: & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. *Eccle.* 11. *Eccle.* 10. *Thre.* 3. *Tob.* 1. *Eccle.* 12. *Eccle.* 12.

Ne dixeris, Peccaui & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. Hinc illud, Deus iustus fortis & patiens &c. Itẽ illud: An diuitias patientiæ & lõganimitatis eius contẽnis? &c. *Eccli.* 5. *Psal.* 7. *Rom.* 2.

Non demoreris in errore impiorum. Ante mortem confitere: à mortuo enim quasi nihil perit confessio. Confiteberis viuus, viuus & sanus confiteberis. *Eccli.* 27.

Non esse ad horam mortis pœnitentiam differẽdam vnico verbo Propheta designauit cum ait: Pro hac (scilicet venia impetranda) orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Opportunum autem pœnitendi tempus est, quod Propheta insinuauit cum ait. Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra. Huius autem opportunę conuersionis fructum exponit, cũ *Psal.* 31. *Psal.* 94.

secundum Hieronymi versionem subdit, vt cum inundauerint aquæ multæ, ad illud non accedant. Hoc est opportuno tempore vir iustus veniam petet, nec mortis horam expectabit: vt imminẽs mortis tempestas, iustitia ac innocentia instructum illum ac paratum inueniat.

Gene.3. In quo periculo versentur qui patientia & misericordia Dei abutentes conuersionem suam quotidie differunt, declarant illa verba Domini, Genes. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum quia caro est: eruntque dies illius cẽtum viginti anni. Hoc enim tempus agendæ pœnitentiæ destinauit: futuram mundi cladem illa immensæ arcæ fabrica denũtiante. Cùm autem nihil hoc vaticinio profectum esset, viginti annos ex hac summa Dominus detraxit (vt D. Hieronymus ait) & centesimo anno diluuium induxit.

Gene.15. Nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhęorũ vsque in præsens tempus: ideo expectantur quadringenti anni vt compleantur, & tunc deleantur: sic ante diluuium centum & viginti annos se dixit Dominus ad pœnitentiam homines expectaturũ. Qua ex re colligimus esse certam peccatorum mensuram & numerum à diuina sapientia cognitum, ad quem cum homo peruenerit, vel è medio tollitur vel excæcatur. Quod quidem D. August. confirmat his verbis. Nos multorum exempla proferre possumus per quæ probare sufficimus homines peccatorum suorum fine completo è medio tolli, & præsentem eis vitam non minus quam futuram denegari. Hoc maximum illis timorem incutere deberet, qui iam dudum in peccatorum suorum sordibus volutãtur, nec vllis Ecclesiæ vocibus ad meliorem mentem redeunt. Vehementer enim formidare deberent, nisi diutius in malo persistant hanc peccatorum suorum mensuram impleant: qua vel de medio tollantur, vel iusto Dei iudicio excæcati in tenebris relinquantur.

Matrimonium.

Augusti. SIcut adulterium non potest esse sine bono naturæ, nec ideo est bonum: ita connubium non potest esse sine malo concupiscentiæ,

tiæ,nec ideo malum est. Augustinus contra Iulianum.

Intemperans in coniugio,quid aliud nisi quidam adulter vxoris est? Omnis vehemens amator propriæ vxoris,adulter est. Idē. Hæc D. August. sententia per Hyperbolem accipienda est.

Vxorem pauperem alere difficile est, diuitem ferre tormentū. *Hiero.* Quid prodest diligens custodia cum vxor seruari impudica non posit,pudica non debeat? Infida enim custos castitatis est necessitas:& illa veræ pudica dicenda est,cui licuit peccare, sed noluit. Hierony. contra Iouinianum.

Pulchra cito adamatur,fœda facile concupiscit, difficile custoditur quod plures amant: molestum est possidere,quod nemo habere dignetur. Minori tamen miseria deformis habetur,quàm formosa seruatur. Idem ibidem.

Quod autem carminibus illis te quidam ad secūdas nuptias adhortantur. Sola ne perpetua mœrens carpere iuuenta, &c. Breuiter respondeat ipsa quæ passa est, Tu lachrymis euicta meis,tu prima furentem,His germana malis oneras,atque obijcis hosti. Non licuit thalami, &c. Proponis mihi gaudia nuptiarum,ego tibi opponam pyram,gladium,& incendium. Non tātum boni est in nuptijs quod speramus,quātum mali quod accidere potest,& timendum est. Libido transacta semper sui relinquit pœnitudinem, nunquam satiatur,extincta reaccenditur,vsu crescit & deficit,nec rationi paret,quæ impetu ducitur. Idem ad Gerontiam.

Cum Marcellæ in coniugium senex quidam nobilissimus, atque ditissimus offerretur, illa respondit, Si vellem nubere, & non æternæ me pudicitiæ consecrarem, vtique maritum quærerem, non hæreditatem. Illoque mandante, posse & senes diu viuere, & iuuenes cito mori, eleganter lusit. Iuuenis quidem potest cito mori, sed senex diu viuere non potest. Idem in Epitaphio Marcellæ.

Non vxor ducenda est sapienti: primum, quia studia Philosophiæ impedit, nec potest quisquam libris & vxori pariter inseruire. Multa sunt quæ matronarum vsibus necessaria sunt: videlicèt, pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumptus, ancillæ, supellex varia, deinde per totas noctes garrulæ quæstiones. Illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus: ego in conuentu fœminarum misera despicior. Cur aspiciebas *Hugo de S.Victo.*

vicinam?

vicinam? quid cum ancilla loquebaris? de foro veniens, quid attulisti: non amicum habere possumus, non sodalem: alterius amorem, suum suspicatur odium. Hugo de S. Victo. in libel. ad sociũ volentem nubere.

Adde, quod nulla est vxoris electio: sed qualis aduenerit, talis sit habenda: si fatua, si deformis, si superba, si fœtida: quodcumque vitium est, post nuptias discimus. Equus, bos, asinus, canis, & vilissima mancipia prius probantur, & sic emuntur: sola vxor non ostenditur, ne ante displiceat, quam ducatur. Attendenda est semper eius facies, & pulchritudo laudanda: ne si alteram inspexeris, se existimet displicere. Si totam domum ei regendam commiseris, seruiendum est. Si aliquid tuo arbitrio reseruaueris, fidem sibi haberi non putabit: & in odium vertitur & iurgia, & nisi cito consulueris, parabit venena. Ibidem.

Ducuntur hodie vxores non causa fornicationis vitandæ, sed causa luxuriæ: non causa prolis, sed causa pecuniæ. Vnde Marci Catonis filia iunior cum quæreretur ab ea, cur post amissum virum denuo non nuberet, respondit se non inuenire virum qui se magis vellet, quam sua. Quo dictum elegantur ostendit, diuitias in vxoribus magis eligi solere quàm pudicitiã: & multos non oculis sed digitis vxores ducere. Optima & sana res, quã non auaritia conciliat, quam non luxuria copulat. Idem ibidem.

Ignatius. Decet vt sponsi futuri & sponsæ cum Episcopi assensu matrimonium contrahant: vt nuptiæ secundum Deum, non secundum turpem cupiditatem fiant. Ignatius.

Clim. Is quidem qui sine vxore in mundo degit solis negotijs obligatus, ei similis est, cui ferreis nexibus manus circũligatæ sunt. Ideoque si ad solitariam vel monasticã vitam currere voluerit, nõ prohibetur. Qui vero vxori cõiunctus est, ei qui vinctos habet pedes & manus similis videtur. Clim.

Chrysos. Super illud Matth. 19. Non expedit nubere. Quid aliud est mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta. Ergo si dimittere illam peccatum est, tenere autẽ verè tormẽtum, necesse est, vt aut dimittentes, adulterium faciamus: aut tenẽtes, quotidianas pugnas habeamus. Chrysost.

Metellus

Metellus respondit Mario, cuius Marij filiam dote fœlicẽ, forma nobilem, genere claram, fama celebrem, ducere noluit, Malo, inquit, meus esse quam suus. Cui Marius. Imo ipsa erit tua. At ille: Imo virum oportet vxoris esse. Logicum enim est, Talia erũt prædicata qualia subiecta esse permiserint. Sic facetia verbi Metell⁹ diuertit dorsum ab oneribus eius. Valer. Max. in epist. ad Ruf. *Valer. Maxi.*

Audax est ad omnia quæcumque amat, vel odit fœmina, & artificiosa est nocere cum vult. Sed ne longo dispendio te suspendam, lege Aureolum Theophrasti, & Medeã Iasonis: & vix pauca inuenies impossibilia mulieri.

Socrates ab adolescentulo quodam consultus, vtrum vxorem duceret, an se omni matrimonio abstineret: respondit, vtrum eorum fecisset, acturum pœnitentiam. Hinc te, inquit, solitudo, hinc orbitas, hinc grauis interitus, hinc hęres alienus excipiet: illinc perpetua solicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affiniũ supercilium graue, garrula socrus lingua, successor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus. Idem, in lib. de memorabil. dict.

An ille mihi liber est, cui mulier imperat, cui leges imponit, pręscribit, iubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? Poscit, dandum est: vocat, veniendum: eijcit, abeundum: minatur, extimescendum. Ego vero istum non modo seruum, sed nequissimum seruum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto cicero in par. *Cicero.*

Puella non dotata erit modestior. *Adilon.*

COLLE.

¶Sol duas habet periodos: alteram ab ortu in meridiem, in qua lux crescit: alteram à meridie vsque ad occasum, in qua decrescit. Similes habet periodos coniugum vita: quæ initio quidem dum adhuc coniugalis amor tener est, & filioli ante ora parentum garriunt, & ludunt, iucunda est: postmodum vero vbi ijdem adoleuerunt & iuuenili ardore pręcipites ad inconcessa rapiuntur, & nubiles filiæ non solum dotandæ, sed diligenter adseruandæ, parentum curas augẽt, tum demum sol incipit occumbere, & prior illa iucunditatis lux obscurari: dũ cor innumeris pene curis, necessitatibus, & repentinis filiorum casibus, & necessaria alterius coniugis morte pungitur & laceratur. Quam obrem debent prudentes

coniu-

coniuges, futurorũ cogitatione, præsentia gaudia moderari: atque Deo suppliciter subijci, & eius assidue opẽ implorare, animũq; ad fortuita, & impendẽtia mala præparare. Verissime enim ab Apostolo dictum est, Tribulationem carnis habebunt huiusmodi.

1. Cor. 7.

Videant coniuges quo temperamento ac sobrietate concesso matrimonio vtantur. Magna enim in hoc difficultas, & magna itẽ virtus posita est. Id quod D. August. de bon. cõiug. indicat his verbis. Multi quidem facilius se abstinent, vt non vtãtur nuptijs, quã temperanter & bene vtantur. Ego verò facilius non vtor nuptijs quibus vsus est Abraham, quam sic vtar nuptijs, quemadmodum vsus est Abraham. Et infra. Sicut non est impar meritum patiẽtiæ in Petro qui passus est, & in Ioanne qui passus non est: ita non est impar meritum continẽtiæ, in Ioanne qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham qui filios generauit.

Eccle. 25.

In tribus beneplacitũ fuit spiritui meo, quæ sunt probata apud Deum & homines: Concordia fratrum, amor proximorum, & vir & vxor sibi bene conuenientes.

In formatione fœminæ costa à viro subtrahitur, & mollis pro ea caro subrogatur: vt intelligas fortitudinem virilem, mulierum amore & complexu mollescere. Vt enim D. Augustin. ait, nihil est quod virilem animum ita ab arce virtutis deijciat, atque complexus ille sine quo vxor haberi non potest. Hoc autem in bonam quoque partem accipi potest. Vulgo enim dicitur virorum ferocium effrenatamque licentiam coniugij vinculis & oneribus mãsuefieri: quando maleficium aliquod patraturi nõ sibi tantum, sed etiam vxori & liberis prospiciunt.

Impedimentum non vulgare ad studium sapientiæ matrimonij vinculum esse declarat August. Confes. lib. 6. c. 14. in quo narrat se cum paucis amicis secedere à tumultu & turba secularium negotiorum voluisse: quò ab omnibus liber, animum ad sapientiã appellere cum illis posset. Sed posteaquam, ait, cœpi cogitare, vtrũ hoc mulierculæ sinerent: quas & nostrum aliquis habebat, & nos habere volebamus, totum illud placitum quod bene formabamus, dissiluit in manibus atque abiectum est.

Quod Dominus mulierem ex substantia viri, non ex terra aut aqua formauerit, coniugalem charitatem & vnitatem hac ratione commendatam esse voluit, vt qui essent duo in carne vna, essent

item

item in duobus corporibus anima vna,& voluntas vna.

Filiorum educatio.

Difficile eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarũ conchilia quis in pristinum candorem mutabit? Recens testa diu, & saporem retinet, & odorem. Græca narrat historia Alexandrum potentissimum Regem orbisque domitorem & in moribus, & in incessu Leonidis pędagogi sui non potuisse carere vitijs: Procliuis est enim malorum æmulatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia. Hieronymus ad Florentium. *Hiero.*

Quemadmodum aqua in areola digitum sequitur præcedentem: ita ætas mollis & tenera in vtramque partem flexibilis est, & quocunque duxeris trahitur. Hiero. de infant. educat.

Hoc loco expressius requiramus, quæ tandem causa paruulis, (hoc est septem Machabęis) vires dedit, vt inter tam exquisitos nouosque cruciatus infatigabiles in Dei confessione durarent? Quæ inquam alia causa charissimi, nisi diuina gratia, & doctrina domestica? Quæ causa alia nisi quia statim post transacta cunabula inter annos infantiæ religionis affectum de institutione & conuersatione pię parentis acceperant: & de tam sanctæ matris pectore Deum traxerant, & in nomine Domini vincula linguæ trepidantis absoluerant? Quæ cum ita sint, discant boni parentes tantæ matris exemplo erudire filios suos: vt quos se in hanc vitam munere acquisiere naturæ præparent æternitati sedulitate doctrinæ. Quapropter studete eos ad Domini seruitutem (quæ nobis sola est causa viuendi) non lingua erudire, sed vita. Abraham diuina voce laudatur. Scio, inquit Dominus, quia Abraham precepturus sit filijs suis, vt custodiant viam Domini. Eusebius Emissenus, homilia. 4. de Epiphania. *Euseb. Emiss.* *2. Machabæ. 7.* *Gene. 18.*

Tanquam verna genitoribus tuis seruito: quid enim illis tale reddas, quale ab illis accepisti? quia vicissim generare illos non licet. Chrysost. *Chrysos.*

Idem super illud Matth. 9. Relinquet homo patrem & matrẽ, &c. Quod est in herbis aut in arboribus humor, hoc est, in hominibus amor. Sicut enim herbæ ex humore nascuntur & crescunt: sic

ſic homines per amorem incipiunt & augentur. Humor quidem de radicibus aſcendit in herbam, de herba autem non reuertitur ad radices: ſed ſurſum tranſmittitur in ſemen: Sic & amor de parẽtibus aſcendit in filios, de filijs autem non reuertitur ad parentes: ideò parentes quidem diligunt, ſed non ſic diliguntur à filijs: quia ſicut herba non deorſum ſed ſurſum ad ſemen tranſmittit humorem: ſic etiam homo non ad parentes ſed ad procreandos filios tranſmittit affectum.

Hierony. Ingenia liberaliter educata, facilius verecundia quam metus ſuperat: & quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor. Hierony. ad Pammachium.

Bernar. Quid amabilius verecundo adoleſcente? Quam pulchra & ſplẽdida gemma morum eſt verecundia in vita & vultu adoleſcentis: quam vera & minime dubia bonæ ſpei nũtia, bonæ indolis index? Virga diſciplinæ expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, ſpecialis gloria conſcientiæ, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, & naturæ laus, & inſigne totius honeſti. Idem ſup. Cant. ſer. 86.

Adilon. Pudore amiſſo, omnis virtus ruit.

Cicero. Cuſtos virtutum omnium, dedecus fugiens, & laudem maximã conſequens, verecundia eſt. Cicero in Par. orat.

Sæpe videmus fractos pudore, qui nulla ratione vincerẽtur. Idẽ 2. Tuſcul.

Cicero. Vt equus indomitus, quamuis natura bene compoſitus ſit, idoneus non poteſt eſſe ad eas vtilitates quæ deſiderantur ab equo: ſic homo indoctus, quamuis ingenioſus ad virtutem non poteſt peruenire. Cicero.

Valer. Maxi. Decius imperator, cum Decium filium ſuum imperiali diademate proponeret inſigniri, renuit filius dicẽs, Vereor ne ſi fiã imperator dediſcam eſſe filius. Malo non eſſe Imperator ſed humilis filius, quam Imperator & filius indeuotus. Imperet pater meus: meum imperium ſit, parere humiliter imperanti. Valer. Maxi. lib. 5.

Eximia ciconijs ineſt pietas. Nam quantum temporis impenderunt fœtibus educandis, tantum & ipſæ à pullis inuicem aluntur. Solinus lib. de mira. mun.

Solon interrogatus, cur nullas pęnas aduerſus eos qui patres verbe-

verberaſſent cõſtituiſſet. Quod nullos (inquit) tales extituros exi ſtimabam.

Alexander Rex cum interrogaretur vtrum magis deſideraret, Patrem Philippum, an Ariſtotelem: Magiſtrum inquit. Ille enim vt eſſem, hic autem vt præclare inſtitutus eſſem, autor fuit. Iſocrates. *Iſocra.*

Dijs, parentibus, præceptoribus, non redditur æquiualens. *Adilon.*

¶ Qui maledicit patri ſuo aut matri extinguetur lumen eius in medijs tenebris. Hoc eſt, in medijs tribulationibus à cœleſti patre deſeretur: quando ipſe in parentes ſuos ingratus & iniurius extitit. Inter illa autem quatuor flagitiorum genera quæ Salomon deſtatur, hoc primum eſt: Generatio quæ patri ſuo maledicit, & quæ matri ſuæ non benedicit. Ideque paulo ante, oculum (inquit) qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partũ matris ſuæ, ſuffodiant eũ corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. Hoc enim ſupplicium meretur, qui paternis beneficijs ingratus exiſtit. COLLE. *Prou.* 30. *Ibidem.*

Contra eos qui vt amplum patrimonium filijs relinquant, locupletandæ rei familiari, omni cura & ſtudio incũbunt, illa Salomonis ſententia militat: Rurſus deteſtatus ſum omnem induſtriã meam, qua ſub ſole ſtudioſiſsime laboraueram, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro vtrum ſapiens &c. Vide locum. *Eccli.* 2.

De honorandis parentibus multa & ea quidem ſcitu digniſsima inuenies. Eccli. 3. De filiorum item educatione, multa apud eũdem legis. cap. 30. Qualis vero ſit parentum culpa, qui vel male viuunt, vel male filios ſuos educauerunt, declarant Eccli. verba. 41. De patre impio queruntur filij, quoniam propter illum ſunt in opprobrio.

Qua cura & ſtudio parentes reuereri debeamus, & cuiuſmodi piaculum ſit eos negligere & contemnere, quamque ſit parentum benedictio optanda, & formidanda maledictio: ſatis declaratur exemplo filiorum Noe: quorum qui obſequentes fuerunt, & paternum dedecus texerunt, paternam benedictionem conſecuti ſunt: qui vero patris dedecus neglexit, eiuſdem maledictioni cum tota etiam poſteritate obnoxius fuit. Vnde eſt illud Eccli. 3. Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. Eſt autem hoc inſigne exemplum

pro filijs frugi, contra inobedientes.

Timeant filij parentibus immorigeri & inobsequentes iudicium Domini. Exemplo sit nobis Ruben primogenitus Iacob, qui primogeniti iure principem locum, hoc est, vel sceptrum regni, vel summum sacerdotium inter fratres suos sortiri debebat. Vtraque tamen dignitate, paterna maledictione (quod patrem offenderit) priuatus est. Sic enim ad illum ait, Non crescas, id est, inter fratres tuos non excellas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Gen. 49.

Magnã erudiendis liberis curam adhiberi Dominus voluit, qui toties hæc verba in legibus suis repetit, Cumque interrogauerit te filius tuus cras dicens, Quid est hoc? Respondebis ei, In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti &c. Exod. 13.

Quemadmodum filiorum institutio, & pietas parentibus curæ esse debeat, declarat Origenes super illud Iob. Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis, hoc est, Ne forte filij mei mali aliquid in corde suo cogitauerint aduersus Deum. O sinceritas patris, ò dilectio parentis, ò studium genitoris. Non enim tantum pio corpore solicitus erat, sed plus de anima cogitabat: Dic ò beate Iob, quomodo permitteres vt aliquid mali filijs tuis in verbis aut operibus euidentioribus excideret, qui pro occultis, & abditis, aut omnino non existentibus ita solicitus fueris? Sed plerique hominum hæc non reminiscuntur: qui filios suos non erudiunt, cum tamen omnia quæ filij delinquunt, parentibus imputanda sint? Cuius rei exemplum euidens in Heli filijs ostenditur. Hæc autem faciebat hic vir beatus, non semel, aut secundò, sed omnibus diebus.

Virtus, ait Tertulianus, aut nascitur, aut discitur, aut cogitur. Quod si ita est, sæpe igitur seueritate legum & arctiori disciplina cogenda est, præsertim in ætate tenera, quæ rationis indiga solo disciplinæ metu in officio continetur.

Contra parentes qui religiose filios suos educare negligunt, afferi potest quadraginta duorum puerorum strages, qui. 4. Reg. 2. à duobus vrsis trucidati sunt, quod Eliseum prophetam irriserint, dicentes, Ascende calue, ascende calue. Quod quidem exemplum eos etiam arguit, qui pios homines, qui sacerdotes, & monachos amarulentis verbis lacerant. Quo enim honore sacerdotes

dotes

dotes colendi sint, Paulus exposuit cum ait, Nesciebam fratres, quia princeps sacerdotum est: Scriptum est enim, Principi populi tui non maledices.

Iustificatio impij.

SVperna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, vt subsequente nostro libero arbitrio, bonũ quod iam appetimus agat nobiscum: quod tamen in iudicio ita remunerat, ac si solis ex nobis processisset. Hinc Paulus gratia Dei sum id quod sum: Et, Plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. Greg. in Mor. lib. 16. cap. 11. *Greg.*

Hominis meritum Deus non vt inueniat, venit: sed postquam venerit, facit: atque indignam mentem dignam exhibet, veniendo, & facit in ea meritum quod remuneret. Gregor. lib. Mor. 18. cap. 25.

Lazari morte, & latronum disparitate probatur, quod inuisibiliter Deus visibilia operatur: & in corde causet pœnitentiam. Gre. 27. Mor. cap. 16. Vide locum.

Et ingrauescentibus febribus iam ibam & peribam. Quo enim irem si tunc hinc abirem, nisi in ignem atq; tormenta digna factis meis in veritate ordinis tui? August. confes. lib. 5.

Tibi laus, tibi gloria fons misericordiarum, Ego fiebam miserior, & tu propinquior. Aderat iamque dextera tua ereptura me de cœno, & ablutura, & ignorabam. August. confes. lib. 6.

Sed vbi erat tum annoso tempore, & de quo imo altoque secreto euocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem ceruicem leni iugo tuo, & humeros leui sarcinæ tuæ Christe Iesu adiutor meus, & redemptor meus? Quam suaue mihi factum est subito carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me vera tu & summa suauitas: eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior: omni honore sublimior, sed nõ sublimibus in se iã liber erat anim' me' à curis mordacibus ambiẽdi & acquirẽdi, & volutãdi atq; scalpẽdi scabiem li-

bidinum, & garriebam tibi claritati meæ, & diuitijs meis, & saluti meæ domino Deo meo. Et placuit mihi conspectu tuo non tumultuosè abripere, sed leniter subtrahere ministerium linguæ meæ nundinis loquacitatis. Plenus igitur tali gaudio, tolerabam illud interuallum temporis, donec decurreret: nescio vtrum vel viginti dies erant, sed tamen fortiter tolerabantur, quia recesserat cupiditas, quę mecum solebat ferre graue negotium. August. confes. lib. 9.

August. Non erat quid responderent tibi Domine, dicenti mihi, surge, quid dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus: & vndique ostendenti te vera, non erat omnino quid responderem veritate conuictus, nisi tantum verba lenta: Ecce modo, sine modo, sine paululum: sed modo & modo non habebat modum, & sine paululum, in longum ibat. Idem de confes.

Intelligat qui potest, iudicet qui potest: maius ne sit iustos creare, quàm impios iustificare. Certe enim & si æqualis est vtraque res potentiæ, hæc maioris est misericordiæ. Idem sup. Ioa.

Dei gratia cur ad istum veniat, ad illum non veniat, occulta causa esse potest, iniusta non potest. Idem de baptis. paruul.

Quid eram nisi subuenires? Quam desperatus eram, nisi curares? vbi iacebam nisi eleuares? Certe ingenti vulnere periclitabar, & illud vulnus meum medicum omnipotentem requirebat. Et infra. Deus meus misericordia mea. Nō inuenit impletus bonis Dei quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam. O nomen sub quo nemini desperādum est. Deus meus inquit misericordia mea. Si dicas salus mea, intelligo quia dat salutem: si dicas refugiū meū, intelligo quia cōfugis ad eū: si dicas fortitudo mea, intelligo quia dat tibi fortitudinem. Misericordia mea, quid est? Totum quidquid sum de misericordia tua est. Sed promerui te inuocato te? vt essem, quid feci? vt essem qui te inuocarem, quid egi? Si enim egi aliquid vt essem, iam erā antequam essem. Porro si omnino nihil eram antequam essem, nihil promerui, vt essem. Fecisti vt essem: & non tu fecisti vt bonus essem? Dedisti mihi vt sim & potuit mihi alius dare vt bonus sim? Si tu mihi dedisti vt sim, & alius mihi dedit vt bonus sim, melior est ille qui mihi dedit vt bonus sim, quam ille qui mihi dedit vt sim. August. sup. Psal. 58.

¶Ad

¶Ad iustificationem aduertendum est duas interioris hominis esse præcipuas vires: intellectum scilicet & voluntatem: vtrasque autem ad iustificationis præparationem requiri: vt quando totus homo iustificandus est, totus etiam ad iustitiam præparetur. Sola enim & nuda fides dimidiatam hominis partem dispo nit, non totum hominem. Est enim in anima nostra aditus: est & intimum penetrale atque recessus. Aditus enim & veluti limẽ animæ nostræ intellectus est: penetrale autem voluntas. Quidquid ergo ad solum peruenit intellectum, velut in limine tantum domus est. Quod autem ad voluntatem perlatum est, hoc iam intra penetrale eius est, & ideo vel vitium, vel virtus, vel meritum vel demeritum est: sine volũtate enim nihil horum esse potest. Præterea cũ voluntas cæteris animę potentijs imperet, consequens est, vt quicquid ad voluntatis domicilium peruenerit, iam plane totum hominis regnum occuparit: in eius enim consensu & actu vltimæ moralis actus perfectio, & veluti complementum est. Ex quibus omnibus patet, iustificationis initium esse fidem, non tamen solam. Fides enim sine charitate, otiosa, mortua, & informis est, quamuis vera fides sit. COLLE.

Inter beneficia Dei iustificationis beneficium plurimũ cõmendatur. Quo enim tẽpore degebas in terra obliuionis, & in regione vmbræ mortis, vt pote cũ via tua peruersissima esset, Deoq; contraria: tunc te diuina pietas vocauit, non solum fugientem, sed etiam repugnantẽ: tũc Spiritum sanctum dedit, & in filium adoptauit. In alijs beneficijs aut aliquid est meriti, aut nihil demeriti. Beneficium enim creationis, si non merebaris, non tamẽ demerebaris: beneficium vero æternæ fœlicitatis meritis datur, quamuis ipsa merita Dei dona sint. At cum primum ad iustitiã vocatus es, in peccato eras, Dei hostis eras, Gehẽnæ filius, atque Diaboli mancipiũ eras. Quale ergo beneficium fuit, Diaboli mancipium in Dei filiũ adoptari? & Babylonis ciuẽ, in cœlesti Hierusalem ciuẽ conscribi?

Quanta sit iustificationis gratia, quanque mirabilis sit hæc animæ commutatio, declarãt illa Esaiæ verba, Ponet desertum eius quasi delitias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. Anima enim in peccato existens, merito desertum omni cultura vacuum, & solitudo etiam (quoniam à Deo destituta est) appellatur. Quę ve

 ro in

ro in gratia est, cœlestibus diuitijs repletur. Quam quidem cõmutationem sancti Angeli demirantes aiunt: Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delitijs affluens? &c.

Quantum sit vocationis & iustificationis beneficium vel hoc vno argumento licebit vtcumque conijcere. Si mille homines in bello captos rex iuberet interfici: & ex tanta hominũ strage viginti tantũ seligeret, quos nõ solũ à morte liberaret, sed inter domesticos suos ascribi iuberet: quantum isti & de sua prosperitate lætari & principi gratificari deberent: quibus inter tot aliorum clades tam fœlix sors contigisset? Talis est ergo iustorum sors, qui ex tam magno infidelium numero, ad fidem vocati sunt: & ex tanta fidelium multitudine, qui relinquunt iter rectum, & ambulãt per vias prauas, in eorum sortem vocati sunt, qui iuste cum pietate viuere nituntur. Quid ergo isti debent ei qui eos eripuit è potestate tenebrarum, & transtulit in regnum dilecti filij sui?

Magnitudo beneficij iustificationis late tractari videtur Psal. 160. cuius initium est, Confitemini Domino &c. Dicant qui redempti sunt à Domino: quos redemit de manu inimici & d. &c. In quo quidem Psal. variæ eorum miseriæ qui in peccato viuũt, recensentur: nempe, varij errores in vita, fames, & sitis sæculariũ desideriorum, mentis tenebræ horridæ, & ignoratio Dei, vincula ferrea variarum cupiditatum & vitiorum, quibus astricti sunt, fastidium rerum spiritualium, tempestas irarum ac perturbationum animi, & calamitates quæ eas consequuntur. De quibus ait, Ascendunt vsque ad cœlos, &c. Et turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, &c. Hæc & similia sunt mala, quorum in hoc Psal. mentio fit, vt facile est videre: à quibus Dominus liberat quos potenter & misericorditer iustificat, & à Diaboli ac peccati tyrannide redimit. Eos namque ab errore in viam salutis reuocat, & famẽ ac sitim cupiditatum eorum, dulcedinis suæ fonte extinguit, & spiritualium rerum cognitione illuminat, & à peccati iugo & vinculo soluit, variasque animorum tempestates sedat, & ad pacis & tranquillitatis portum perducit, de quo ait, Et statuit procellam eius in auram &c. Hos igitur in hoc Psalm. ad gratiarum actionem inuitat Propheta dicens, Confitemini Domino quoniam bonus &c. Dicant qui redempti sunt à Domino: quos redemit de manu inimici &c. Magnitudinemque deinde huius

bene-

beneficij in fine Psalm. exaggerat elegantissima optatione cum ait, Quis sapiens, & custodiet hæc? & intelliget misericordias Domini? (Hoc est quis sapiens considerabit, quàm multa beneficia in hoc vno beneficio contineantur) & intelligit misericordias Domini: hoc est, huius tantæ gratiæ, & beneficij magnitudinē? Quadrat autem huius Psal. materia ex magna parte cũ Euangelio de duobus filijs, frugi & luxurioso. Vtrobiq; enim miseria iacentis in peccato, & fœlicitas resurgentis à peccato appositissime describitur.

Dupliciter Dominus ad se vocat quos iustificat: quosdam enim non quærentes, ipse vltro vocat & quærit, vt illos quibus ab eo dictum est, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: sic enim Matthæum, sic Petrum, & Andreã fratrem eius, Iacobum & Ioãnē, nihil tunc minus cogitantes, ad se vocauit. At D. Augustinus diu in inquisitione veritatis laborauit, & frequentissimis Dominum precibus compellauit, post quæ tandem plenissime inuenit quod quęsiuit. Hoc autem Dominus insinuasse videtur, cum regnum cœlorũ partim thesauro qui non quæsitus inuentus est, partim quæsitæ margaritæ simile esse dixit. Hac eadem ratione idem Dominus in Cant. Euangelij gratiam, & fontem hortorum, & puteum aquarum viuentium appellat: fontem qui aquam haurientibus sine vllo negotio tribuit: puteum autem qui labore atque opera ab imo haurientis eandem præbet. *Ioan.15.* *Matth. 4* *Cant. 4.*

Iubet nos Petrus Apostolus pro iustificationis & vocationis beneficio gratias agere cum ait, Gratias agentes ei, qui vos de tenebris vocauit in admirabile lumē suum, qui aliquãdo non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiã &c. Sic filij Israel ab Ægypti tenebris & seruitute egressi, Dominũ laudauerũt dicẽtes, cantemus Dño, gloriose enim & cæt. Super quo loco sic Origenes ho. 6. sup. Exo. ait, Tu quoq; si mare rubrũ trãsieris, si Ægyptios submergi videris, & extingui Pharaonē, memēto hoc Dñi virtute, nõ tua factũ esse. Memēto grãs agere ei, qui te de tenebris vocauit in. a. l. s. & dic, Cãtemus Dño gloriose. n. & c. ¶ Melius autē & digni⁹ hæc dices, si habueris tympanũ in manib⁹ sicut Maria cũ mulierib⁹ habebat. Quorsum ergo in obsequiũ Dñi & laudē profana tympana fęminarũ? Vt intelligas te quoq; habiturũ tympanum in manu tua, quod quidem habebis si carnem tuam mortificaueris, & crucifixeris cum vitijs suis. *1. Pet. 2.*

Gratia.

August. QVid ego sum mihi sine te, nisi dux in præceps? aut quid sum cum mihi bene est, nisi sugens lac tuum, aut fruens te cibo, qui non corrumpitur? August. confes. lib. 4.

O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas Deus meus accende me. continentiam iubes. Da quod iubes, & iube quod vis. August. confes. lib. 10.

Nostrum est velle, sed voluntas ipsa & admonetur vt surgat, & sanatur vt valeat, & dilatatur vt capiat, & impletur vt habeat. August. de vidui.

Sola gratia discernit redemptos à perditis, quos in vnum coaceruat massa perditionis ab origine ducta creationis. Idem in Enchirid.

Bern. Non ex folijs, non ex floribus, sed ex fructu arbor bona malave cognoscitur. Denique à fructibus eorum cognoscetis eos. Opera ergo & non verba discernunt inter filios Dei & filios diffidentiæ. Bern. in epist.

Prosper. Sicut ipse fecit nos & non ipsi nos, ita refecit nos & nō ipsi nos. Prosper.

Euseb. Emiss. Eus. Emiss. super miraculo de cōuersione aquę in vinum. Ecce vera, ecce prædicanda miracula, stupendas admirationes, quas quotidie in nobis Redemptor noster operatur: quando de pessimis bonos facit, castos de luxuriosis, humiles de superbis, de sectatoribus seculi amicos Dei. Quæ potest maiora exercere miracula, quàm quando hominem de substantia pulueris in Angeli statum prouehit, ac terrenam materiam cœlo inserit, & in immortalitatem figmentū mortale transcribitur. Eus. Emis. hom. 2. de Epipha.

Diony. Candidissimæ lucis processus à patre in nos manans, rursus ad cogentis ad se patris vnitatem atque deificam simplicitatē conuertit. Diony. de cœlesti hier. cap. 5.

Clim. Possibile non est, vt quispiam naturam suam vincat: vbi denique natura superata est, illic is qui supra naturam est, aduenisse cognoscitur. Ioa. Clim. Gra. 15.

COLLE. ¶ Varie diuina gratia describi potest: ea enim velut adoptio

quædam

quædam eſt, qua homo in Dei filium adoptatus, in hæreditatem paternam, atque omnia iura filiorum admittitur, quamuis naturalis filius non ſit, ſed aliunde aſcitus, adoptatuſque. Quod tamen per leges ſine naturalis filij aſſenſu fieri non poteſt: quem tamen pleniſsime Dei filius præbuit. ¶ Eſt etiam vt ita dicam velut legitimatio quædam, qua filius ſpurius exhæres per leges, fit legitimus paterni patrimonij hæres. ¶ Eſt etiam participatio quædam diuinæ puritatis: quemadmodum ferrum in ignem coniectum, ignis candorem caloréque participat: aut velut aqua igni admota, quæ calorem motumq; eiuſdem ignis ſortitur. ¶ Eſt etiá ſupernaturalis quædam hominis transformatio, ac nobilitatio: qua homo natura vilis, & ignobilis (vt pote Adæ proditoris filius) in Dei filium tranſiens, ſupernaturali virtute nobilitatur. Et quidem reges terræ cum volunt, ex ignobilibus nobiles faciunt: qui interdum recepta pecunia, nobilitate ſicut ciuilitate, illos donant: ſed re vera nobiles non faciunt, vt pote qui non corda, ſed nomina mutare poſſunt. Sic enim olim Diuus Gregor. de ſe auguſte ſcripſit. Imperator voluit vt ſimia vocaretur Leo: non tamen id efficere potuit, vt ſimia eſſet Leo. Ceterum Deus (qui vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quę ſunt, cuiuſque velle poſſe eſt) cum nominibus res ipſas immutat: atq; ita vere nobiles ſunt, quos ipſe nobiles appellauerit: huic ſimile eſt, quod per Prophetá dicit, Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata, ſed vocaberis voluntas mea in ea &c. Ad hunc modum cum Saulem, atque Dauidem, & Salomonem ad regnum vocauit, corda eorum immutauit, ſpirituſque generoſos & regios illis contulit. Hinc Salomoni latitudinem cordis ſicut arenam maris contuliſſe dicitur: Hoc igitur gratia præſtat, quæ hominem nó appellatione tantum, ſed re ipſa diuinę naturę conſortem, hoc eſt, diuinæ puritatis & ſanctitatis imitatorem facit. Itaque naturam gratiæ mihi conſideranti, apparet, gratiam id eſſe quod homines alchimiam vocare ſolent, quæ cuprum in aurú mutare, falſo quidem pollicetur. Hoc tamē quod hominibus impoſsibile eſt, Deus quotidie in Eccleſia facit, quando homines, ex impiis iuſtos, ex terrenis cœleſtes, ex carnalibus ſpirituales ac diuinos facit. Quod non obſcure ſignificauit Ioan. Baptiſta cum ait, Potens eſt Deus ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ: hoc eſt, ex filijs homi-

Eſai. 62.

3. Reg. 4.

Matth. 3.

num,

num filios Dei. Gratia autem huius transformationis causa est: cuius proprius effectus (vt Theologi loquuntur) est, hominē Deo gratum reddere: vtpote quæ illi spirituale esse, atque diuinū (quo fit nouus homo, & noua creatura) confert.

Lex est vitæ regula: quæ nos adigit ad sic viuendum, quomodo illa præcipit. Quo fit, vt ex bonis legibus boni quoque ciues oriantur. Propter hoc carnis propensio, & ad malum inclinatio, ab Apostolo lex carnis aut membrorum dicitur: quia ipsa sua procliuitate potentius nos ad malum, quàm quæcunque lex ad bonum inclinat. Hic ergo affectus, hæc procliuitas, & inclinatio, quæ siue appetitus corruptus, siue lex carnis dicitur, omnium malorum causa est: quæ quidem lex & prudentiam carnis, & prauam ad malum propensionem includit. ¶ Cum ergo Deus homini consulere vellet, & huic tanto malo mederi, contra hanc legem carnis aliam legem spiritus opponere voluit, vt lex lege, & inclinatio inclinatione vinceretur. Id autem non effecit lex scripturæ, quæ intellectum solum erudiebat, sed lex gratiæ (id est virtus Spiritus sancti, scripta in cordibus fidelium) quæ & mentem vnctione sua illuminat contra carnis prudentiam, & voluntatem ad bonum incitat contra prauam carnis propensionem. Quo effectum est, id quod Apostolus ait, Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis: hoc est à lege carnis & membrorum, de qua supra dictum est. Lege autem gratiæ appellari ipsam gratiam, siue Spiritus sancti præsentiam, declarat Diuus Thomas, de mente Augustini. Vnumquodque enim id esse dicitur, quod in eo præcipuum est. At præcipuum in lege gratiæ est ipsa gratia: ideo lex gratiæ appellatur gratia ipsa quæ in lege noua datur. Ex hac philosophia patet inter singulares gratiæ effectus hoc non esse postremum, videlicet mentem hominis vehementer ad pietatem propellere, & inclinare. Ideoque Spiritus sanctus sub typo flatus bis Apostolis datur, & post resurrectionem, & iterum post ascensionem, vt hac ratione vis & impetus eius, quo nos ad iustitiam vocat, intelligatur. Ex hac Philosophia conuincitur illorū error, qui legem Domini velut importabilem & inaccessam detrectāt, quoniam illam solis viribus suis, non etiam Spiritus sancti metiuntur, quæ vere pœnitentibus datur.

Rom. 8.

S. Thom. 1.2.

Ignis

Ignis aurum ab omni viliori materia purgat, ipſumque vt purius, ita ſplendidius efficit. Hoc idem gratia præſtat: quæ culpam ab anima depellit, & vi ſua naturam perficit, & ſplendidiorem reddit. Gratia quoque miro modo nobilitat hominem, dum Chriſto inſerit, atque vnum cum eo efficit. Quemadmodum ſi ramuſculum oleæ oleaſtro inſeras, idem vtique ſtipes oleaſtri manet, ſed folia tamen & fructus, cæteraque, oleæ ſunt, non oleaſtri. Ita ergo ſi per gratiam Chriſto hominem inſeras, homo idem perſeuerat, ſed mores tamē & opera eius, Chriſti magis quam hominis ſunt. Vnde Apoſtolus, Viuo ego, iam non ego, &c.

Fons aſcendebat è medio Paradyſi, qui diuiditur in quatuor capita. Fons hic gratia eſt, quam in animæ centro Deus collocat: ex qua flumina quatuor deriuantur: quorū primum influit in intellectum, per fidem, prudentiam, cæteraque intellectualia dona, quæ ipſum perficiunt. Secundum in voluntatem per ſpem, charitatem, iuſtitiam, atque timorem Domini. Tertium in partem animæ noſtræ iraſcibilem, per fortitudinem, patientiam, & perſeuerantiam, & cæteras fortitudinis partes. Quartum in partem concupiſcibilem, per temperātiam, caſtitatem, ſobrietatē, &c. Omnes enim hæ virtutes, velut flumina quædam cœleſtia, à fonte gratię deriuantur: quibus fidelis animæ paradyſus irrigata, fructus germinat bonorum operum. *Gene.2.*

Paruulus cui amplum à parentibus patrimonium relictum eſt, pædagogo & tutore eget, non quidem propter indigentiam opū, ſed propter bonum vſum earum. At viri iuſti vtroque nomine patrocinio & præſentia egent Spiritus ſancti, non modo propter indigentiam gratiæ, ſed etiam vt ea bene vtantur. Non defuerunt enim qui gratiæ opibus à Deo conceſsis, ad ſuperbiam abuterentur, eleuantes cor ſuum in decore ſuo.

Iubet Eliſeus Iſraelis Regi, vt aſſumpto arcu iaciat ſagittas, manibuſque Regis manus ſuas ſuperponat. Quod quidem myſterio non vacat. Hac enim ratione deſignatur, tunc conatus hominum, ac præcipuè regum proſpere cedere, cum labores noſtri diuina ope iuuētur: manibuſq; noſtris diuina manus adiungitur. *4. Reg.13*

Anima noſtra primum vitæ principium eſt (propter quod actus primus ab Ariſtotele definitur) quæ tamen tria præcipua

inſtru-

inſtrumenta habet, quibus ſuum munus exerceat. Epate namque corpus nutrit: corde vero membra vitali calore fouet: facultate autem cerebri eadem membra mouet. Hoc ipſum in ſpirituali vita reperire licet. Gratia enim velut ſpiritualis vitæ anima eſt: charitas autem inſtar cordis eſt quæ virtutibus cunctis calorem & vitam præſtat: oratio vero & ſacra lectio & meditatio velut epar eſt, quo in ſpirituali vita alimur. Hoc enim eſt animæ pabulum in lege Domini meditari die ac nocte. Deuotio vero inſtar cerebri eſſe videtur, ea enim virtutes omnes ad operandum mouet: cum proprium eius ſit promptum & alacrem ad omnia pietatis & religionis officia hominem reddere.

Opera gratiæ adeo magnam Dei cognitionem præſtant: adeoque nos in eius amorem accendunt: vt frequenter homo internis Dei motibus & beneficijs admonitus, magis Dei bonitatẽ hoc argumento agnoſcat, & diligat, quam omnium rerum viſibilium
Pſal. 47. contemplatione. Quod quidem illa Dauidis verba ſignificare videntur: Deus in domibus eius cognoſcetur, cũ ſuſcipiet eam. Pro quo Hieron. ex Heb. vertit, Deus in domibus eius cognitus eſt in auxiliando. Item Ezech. 34. Et ſcient quia ego Dominus, cum cõtriuero cathenas iugi eorum, & eruero eos de manu omnium imperantium ſibi. Item Iſai. 66. Et cognoſcetur manus Domini ſer-
Eſai. 66. uis ſuis &c. vide locum. Item Pſal. Quoniam quis Deus pręter Do-
Pſal. 17. minum &c. Deus qui præcinxit me virtute. e. p. i. v. m.

Pſal. 67. Pro eo quod nos legimus, Si dormiatis inter medios cleros, alij vertunt, ſi dormiatis inter ollas ſiue cacabos pennæ columbæ &c. Quæ ſententia eundem pene ſenſum reddit atque illa, Cũ tranſiens per aquas tecum ero, & flumina non o. p. t. in igne non combureris. Huc pertinet & illud Iſai. Lætabitur infans ab
Eſai. 11. vbere ſupra foramina aſpidis &c. Hoc autem vis & abundantia gratiæ præſtat, vt viri ſancti inter tot laqueos, inter tot hoſtes, inter aſpides & dracones tuti ſint, & inter carnales homines, & in ſordida carne degentes nitorem & pulchritudinem candidæ ac deauratæ columbæ referant. Hoc præſtitit beata Lucia in lupanari à iudice proſtituta. Hoc beata
Iob. 13. Dorothea inter nouem turpioris matris turpiſsimas filias conſtituta. Hoc ſanctus Iob cum ait, Frater fui draconum

& ſocius

& socius struthionum. Denique hoc fidelis anima præstat de quá scriptum est, Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. *Cant 2.*

Tangit Moyses virga sua mare; & diuisis hinc atque inde virgæ virtute aquis, sicco pede filij Israel per medium eius gradiuntur. Quid autẽ hoc est, nisi quod virtute ac merito crucis Christi sancti homines mirabile consequuntur iter: quibus inter aquas validas tribulationum ac tentationum terra apparet arida, & in mari rubro via sine impedimento. Imo verò aquæ ipsæ quæ alios submerserunt pro muro illis à dextris & sinistris erant. Quod plane expertus ille fuerat, qui dixit, Propter quod complaceo mihi in infirmitatibus, & in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo: cum enim infirmor tunc fortior sum & potens. Vnde colligitur tribulationum aquas ei fuisse pro muro, qui tribulationibus pressus fortior reddebatur. Hoc autem inuicti animi robur spiritus Domini præstat: qui nobis per Christum contingit. Vnde dicitur quod flante vento vehementissimo & vrente, sustulit Dominus rubri maris aquas: qui quidem ventus diuini spiritus vim aperte repræsentat: qui sublatis aquis tutum electis suis iter præbet. Hoc igitur modo per hoc vitæ pelagus ingrediũtur qui hunc spiritum habent: quo qui carent, Ægyptiorum more in eius fluctibus suffocantur. *2. Cor. 12* *Exo. 14.*

Quandiu vasa vacua mulier habuit, numquam olei vena siccata est: stetit vero oleum, vbi vacua vasa defuerunt. Quid igitur hic nobis innuitur, nisi quod per Prophetam Dominus dicit, Dilata os tuum, & implebo illud. Dilatatur autem cor, cum amore mundi vacuatur. Corda igitur hoc amore vacua, diuini amoris oleo implentur: quæ vero illo plena sunt, vacua relinquuntur. Diuina igitur gratia nullis terminis circunscribitur: nos autem socordia nostra terminos illi præfigimus. *4. Reg. 4.* *Psal. 80.*

Sicut aqua frigiditatis suę causam intra se permanentem habet: caliditatis autem (si quando caleat) aliunde venientem & extraneã (quo fit, vt per se frigiditatem obtineat, calorem autẽ aliunde percipiat) ita plane natura humana in hoc statu degens, peccati & malitiæ intra se permanẽtem causam, nempe cupiditatem habet, quæ quandiu viuimus, animo semper infixa hæret: pietatis autem & virtutis causa extra hominem est, & aliunde pendet, nempe à Deo operante, & homine cooperante. Deus enim hac in re primas partes,

tes, vt prima & maxima causa, homo autem secundas velut instrumentum, quod non mouet nisi moueatur, obtinet. Quod quidem non obscurè Apostolus significauit, cùm spiritum pro nobis gemitibus inenarrabilibus postulare dixit. Vt enim significaret omne opus bonum magis Deo quàm homini esse tribuendum, hac loquendi figura vsus est: idque in postulandi officio. Quod quidem non magis Deo quàm satisfaciendi aut mœrendi conuenit, quæ ab eo alienissima sunt. Si igitur orare nostrum, Dei est, quid misereri, & benefacere, quæ Dei propria sunt?

Rom.8.

Quod diuina gratia hominem supra naturæ suæ facultatem attollat, insinuatur illo verbo. 2. Reg. 3. Facta est longa concertatio inter domum Dauid & domum Saulis, Dauid proficiens, & semper se ipso robustior, &c. Quid est enim se ipso robustiorem esse, nisi eò deuenire per gratiam, quò pertingere natura non poterat?

Quod sit inter alia diuinæ gratiæ munus, declarant illa Salomonis verba, quæ. 3. Reg. 8. dixit, Sit Dominus Deus nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque proijciẽs: sed inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in omnibus vijs eius, & custodiamus mandata eius, &c. Iuxta hanc verò sententiá Dauid orat Dominum dicens, Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Hoc est, auoca illum ab huius sæculi amore, ad quod corruptæ naturæ vitio propensum est, & ad mandatorum tuorum studium inclina, à quo eiusdem naturę vitio auersum est. Hinc patet gratiam & Spiritus sancti dona beneficiorum vim quodammodo in bonam tamen partem imitari: vtrorumque est, cordis affectus & amorem externa virtute immutare: sed illa tamen ad malum, hæc ad bonum.

Psal. 118.

Status naturæ integræ similitudinem gerebat lampadis eius in qua oleum supereminet, & aqua subsidet: ideoque lux oleo fota & aqua minimè impediente, lucet & splendet. Quod enim hic oleum, hoc in illo statu iustitia originalis & gratia efficiebat: quæ ab affectibus carnis minimè impediebatur. At vero naturæ lapsæ status lampadi oleo vacuæ & aqua plenæ comparatur, quæ virtutis & charitatis lumen sustentare per se nullo modo potest, nisi oleum gratiæ in eam infundatur. Hac autẽ de causa oportet semper orare, & non deficere: orationis quippè munus est, huiusmodi oleum à Domino petere.

Digni-

Dignitas & pulchritudo animæ exitis in gratia.

Dilectissimi, filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Quis non exultaret, si subito nescio cui peregrināti & ignorāti genus suū, patienti aliquā egestatē diceretur, Filiꝰ Senatoris es, pater tuus amplo patrimonio gaudet reuera, reuoco te ad patrē tuū? Quali gaudio exultaret, si hoc nō fallax promissor diceret? Venit ergo non fallax Apostolus Christi, & ait: Quid est quod de vobis speratis? Quid est quod vos affligitis? Quid est quod concupiscētias vestras sequēdo in egestate istarū voluptatū cōteri vultis? Habetis patrem, habetis patriā, habetis patrimoniū. Quis est iste pater? Dilectissimi, filij Dei sumꝰ. Quare ergo nōdum videmus patrem nostrū? Quia nondū apparuit quid erimus. Iam sumus, sed in spe: nā quid erimus nondū apparuit. Et quid erimꝰ? Scimus, inquit, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. August. super Psalm. 84. *August.*

¶ Cùm in rebus omnibus Deus maximè mirabilis sit, in sanctis tamen suis mirabilior est, qui & carne peccati circunsepti, & in hoc mundo cum scorpionibus & draconibus versantes, dono eius vitam agunt vix humanam. Reuelata quippe facie, gloriam Domini contemplantes, in eandem imaginem transformantur. Atque ita viuunt, vt cum Apostolo dicere possint, Nostra conuersatio in cœlis est. Vbi enim est thesaurus eorum, ibi cor, hoc est, ibi omnis cura, omnis affectus & cogitatio eorum. Quæ res tanta est, vt cœlestis Sponsus hanc tantam pulchritudinem admiratus dicat. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? An non ergo admiratione dignissimum est, in tali loco talem inueniri odoramentorum fragrantiam? Verè enim desertum hic mundus appellatur, in quo omnia arida, sterilia, squalentia, infœcunda, & ab omni virtutis cultura aliena sunt: quippe qui totus in maligno positus, omni vera & solida fœlicitate vacuus est, nihilque in medio eius nisi iniustitia, labor, & afflictio

COLLE.

2. Cor. 3.

Phil. 3.

Cant. 3.

ſpiritus inuenitur:in quo tranſeunt omnes beſtiæ ſyluæ,catulique leonum rugientes vt rapiant,& pernicie noſtra quærant eſcam ſibi. An non igitur mirabile eſt, quod fideles in hoc loco, corpore quidem degentes,mente,ſicut virgula fumi in cœlum euolent,& omnium virtutum odoramentis fragrent? Quid enim aliud vniuerſi pulueris pigmentarij vocibus niſi omnium virtutum fragrâtia deſignatur,quæ ſuauiſsimè in cõſpectu Dei redolet?Inter quæ tamen mirrhę potiſsimum ac thuris mentio fit:quorum altero carnis mortificatio,altero deuota oratio ſignificatur:& mortificatione quidem carnis mundo morimur,oratione autem Deo conuiuimus:& in terris poſiti in cœlum mente conſcendimus. Quem quidem aſcenſum mirantur Angeli cum quærunt, Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi. Pro quo alij verterunt: Vt fumus altiſſimus,& palmarũ inſtar. Altiſsimus,quia ſuperna penetrat,vt palmarum autem,quia ſine vllis terrenarum cogitationum diuerticulis recta in cœlum contendit. Denique tanta eſt huius animæ puritas,dignitas & pulchritudo, vt cœleſtis ſponſus eius amore captus,in has voces prorumpat. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es:oculi tui colũbarum, abſque eo quod intrinſecus latet. Interna quippe animæ ſpecies,eiuſque opes ac delitiæ ita latent, vt nulla ratione pro dignitate explicari poſsint.

Cant. 4.

Ibidem.

Beata Catharina Senen. ſæpe veſtigia prædicatorum humi impreſſa exoſculabatur. Cauſamque huius rei interrogata, dicebat Dominum ſibi aliquando animarum exiſtentium in gratia decorem & pulchritudinem oſtendiſſe. cuius illa amore ſic capta & incenſa erat, vt continere ſe non poſſet, quo minus terram oſcularetur, quam eorum pedes calcaſſent, qui miniſterio verbi Dei animas à peccati deformitate ereptas, honeſtare, & pulchras efficere contenderent. Sed quid mirum ſi facies animæ diuini ſpiritus gratia decorata, & diuinæ pulchritudinis particeps effecta, ſic ad ſui amorem incendat: quando honeſtas illa, quam Philoſophi naturali virtute aſſequi potuerunt, ſi oculis humanis cernerent (vt Plato ait) mirabiles ſui amores excitaret. Denique tanta eius pulchritudo eſt, vt ſummus ille formarum conditor & amator intelligens, nullam animam decorem ſuum aſſequi poſſe niſi ſanguinis ſui rubore tingeretur, & paſsionis acerbiſsimæ meritis iuuaretur, nõ dubitauerit, ſanguinem ſuum fundere: vt hac tãta pulchritudine animas

mas honestaret. Quod quidé illa Apostoli verba significãt. Christus dilexit Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugã. Hoc idem ipse Cant. 3: testatur cum ferculi sui. i. Ecclesiæ ornamétis præclarissimis enumeratis, tandem ait, Media charitate constrauit propter filias Hierusalem. Siue, vt alij verterunt, amore filiarũ Hierusalem. Cuius orationis sensus est, Christum Dominum Ecclesiam suam, ineffabilis cuiusdam amoris operibus & beneficijs constrauisse. Quod quidem fecit, amore captus filiarum Hierusalem, hoc est, vt dignas eas supernæ Hierusalem filias & hæredes faceret, virtutumque omnium ornamentis decoraret. Quod vero ait: Media, hoc est, quidquid in huius ferculi medio est, charitate constrauit, eadem figura dictum est qua & illud confessio & magnificentia opus eius: hoc est, talia Dominus opera facit, quæ omnes ad laudes eius prædicandas & magnificandas inuitant. Sic igitur talia Dominus Iesus in Ecclesia sua opera edidit, tot illi bona contulit, tot propter illam mala pertulit, vt omnia hæc & amorem spirare, & amorem ab omnibus exigant. Quod quidem ipse Dominus apertè significauit cum ait, Ignem veni mittere in terram & q.v.n.u.a? ¶Hoc autem totum fecit amore ductus pulchritudinis filiarum Hierusalem, non quod ipse per se pulchræ essent, sed quod pulchras ipse efficere vellet. Colligitur autem pulchritudo non solum ex bonitate coloris, sed maximè ex conuenientia omnium inter se partium, & ex cuiusque partis conuenienti habitudine atque decentia: Sic enim suauitas melodiæ & ex cuiusque vocis suauitate, & ex apta omnium inter se se consonantia resultat. Ergo animæ nostræ pulchritudo primum ex cuiusque singularis partis eius recta constitutione & decore constabit: cum videlicet intellectus animæ nostræ consiliarius, ea quæ sunt digna præcipue cogitat: voluntas vero ea diligit & amplectitur, quę ille diligenda, ea fugit quæ idem fugienda monstrauerit: inferiores autem vires & affectus non suo, hoc est, cæco impetu feruntur, sed rationi præcipienti, quæ animæ oculus est, obediunt. Memoria in diuinis legibus & beneficijs recolendis sedulo occupata est. In corpore oculi Propheticum illud exequuntur, Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum L.&.l.q.t.f. Pedes vero per semitam diuinorum mandatorum ingrediuntur, manus aperiuntur inopi & extendun

Ephes 5.

Psal. 8.

tur ad pauperem, lingua in diuinis laudibus prædicandis exerceatur, aures verò diuinis præceptionibus audientes sunt: ac denique membra omnia seruiunt iustitiæ in sanctificationem. Cæterum cùm hæc omnia ita disponuntur, vt perpetuum & ęquabilem quẽdam tenorem in vita retineant, & omnia inter se se & cum personæ dignitate aperte consentiant (vnde manat decorum illud à Philosophis tantoperè commendatum) tunc vera animi pulchritudo constat: qua Dei opificium splendore virtutis & gratiæ illustretur. Huius igitur pulchritudinis amore ita splendor ille paternæ gloriæ, & imago bonitatis illius captus fuit, vt, quo deformes peccati vitio animas reformaret, se ipsum in omnium dolorum pelagus spontè coniecerit. Quis igitur hunc tantum animæ suæ decorem negligat? quis non toto mentis ardore & cõtentione assequi curet quod tanti vnigeniti Dei filio constitit?

Si nulla in nobis iustitia, nulla puritas est (vt hæretici blaterant) quid sibi vult quòd toties in libr. Cant. cœlestis sponsus pulchritudinis admirandæ sponsam suam commendat? Quid sibi vult quod ait, Tota pulchra es amica mea & macula (siue vt alij vertunt) vitium non est in te? Si peccatum nobis & iniustitia indelebiliter hæret. Quid illud, Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es? Non enim semel contentus pulchram appellasse, bis hoc idem nomen repetit. Quod quidam non incommodè ad habituum & actionum pulchritudinem referunt: vt videlicet pulchra sit anima non modo cum rectè operatur, sed etiam cum dormiens, aut cessans nihil operatur.

Cant. 1. & 4.

Inspirationes Dei.

Greg.

DEdit ei Deus locum pœnitentiæ, & ipse abutitur &c. Ideo Deus peccatorẽ tolerat, vt compescat. Qui igitur diu toleratur, nec compescitur, ex ipso munere se arctius astringit. Nam quia accepta tempora conuertit ad culpam, Deus ipsa misericordiæ argumenta conuertit ad pœnam. Necesse est ergo vt ipsa prorogatæ pietatis tempora, quasi damnationis argumenta timeamus: ne ex clementia iudicis crescat supplicium peccatoris. Greg. in Mor. lib. 17. cap. 3.

August. Ita ne tu tacebas tunc mihi? Et cuius erant nisi tua verba illa per matrem meam fidelem tuam, quæ cantasti in aures meas? Volebat

enim

enim illa,& secreto memini vt monuerit cum solicitudine ingenti ne fornicarer, maximeq; ne adulterarē cuiusquā vxorē. Qui mihi monitus muliebres videbātur quibus obtēperare erubescerē. Illi autē tui erant, & nesciebā,& te tacere putabā,atq; illam loqui,per quā mihi tu non tacebas,& in illa cōtemnebaris à me filio eius, & præceps ibam tanta cæcitate,vt inter coętaneos meos puderet me minoris dedecoris,quā audiebā eos iactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis,quāto magis turpes essent:& libebat malū facere nō solū libidine facti, verū etiam laudis. Quid dignū est vituperatione,nisi vitiū? Ego ne vituperarer,vitiosior fiebā:& vbi nō suberat quo admisso æquarer perditis, fingebā me fecisse, quod nō fecerā:ne viderer abiectior,quo erā innocētior, & ne vilior haberer,quo erā castior. Ecce cum quibus comitibus iter agebā platearum Babyloniæ,& volutabar in cœno eius tanquam in cinamomis & vnguentis pretiosis. August. confes. lib. 2.

Bonitas omnia ad se cōuertit, & quæ dispersa sunt congregat, velut vnitatis autor atq; viuifica deitas: omniaque ipsa velut principiū, velut cōtinentiā, velut finē desiderāt: ita & Sol omnia ad se conuertit: quare & helios Græcè dicitur quod seruet omnia inuiolata congregetque dispersa, omnia nanque ipsum appetūt. Diony. de di. no. cap. 4. *Diony.*

Lux intelligibilis Deus dicitur: quia omnē ignorantiā & errorem abigit ab animabus quibus se insinuauerit, tradatq; illis primū quidem exigui consortia luminis: deinde vbi illæ degustauere lucē, maiorique eius tanguntur desiderio, se se eis magis infundat, quia dilexerunt multum, semperque eas in anteriora intendat, quātum ad ea aspirare pro captu suo possunt. Ibidem.

Viris quātū licuit, angelicā condonat vitā superabūdantia pietatis auersos nos cōuertit, atque ad se reuocat. Idem cap. 6.

Nunc homines tanto magis impij, quanto Deus benignior est & humanior: Dominū pudore afficitis: libertatem pollicetur, vos aufugitis in seruitutē: nō negligit Dominus, suadet, terret, hortatur, excitat, monet. Clem. Alex. in adhort. ad Gent. *Clem. Alex.*

Cum pullus è nido excidit, mater auis è nido volat: si serpens instet, mater circumuolat, natum deflens. Ita Deus Pater suum quærit figmentum, & ei quod lapsum est medetur, & feram persequitur, & pullum in nidum recipit: iniuriæ acceptæ obliuisci

tur: adhuc miseretur, adhuc postulat pœnitentiam. Idem ibid.

Hic amore nostri præditus noster pater, verè pater non cessat adhortari, admonere, docere, diligere: nec enim cessat dare salutem. Do tibi cœlum, terram, omnia: vt solum patrem sitias, Deus tibi gratis ostendetur. Ita exponit illud, omnes sitientes &c. Idem.

Quemadmodum lucem oculus non quærit vt videre poſsit, sed ipsa præsentiſsima est, si desit obstaculum: ita & diuina lux ad oculum mentis nostræ se habet. Idem pędag. libr. 1. cap. 6.

COLLE. ¶ Sicut inter omnia mundi corpora, nullum sole prestantius est, à cuius huc calore & virtute, nec supera nec infera abscondere se possunt: nec splendoris ac beneficiorum eius exortes fieri: ita plane nihil est inter hæc ipsa corporea, quod magis Dei nostri naturam, bonitatem, pulchritudinem, virtutem, fœcunditatem, & communicabilitatem referat. Quod enim sol corporibus, hoc diuina bonitas corporeis & incorporeis, visibilibus & inuisibilibus est. Vnde sicut illius officium est, radios ex se incessanter emittere, quibus corporeos oculos illuminat: ita immensa illa lux, atque adeo sol iustitiæ, spirituales radios quibus mentes hominum erudiat, emittere non cessat, nisi illi vitio suo aditum ei mentis obstruant. Vnde Ioannes, Erat, inquit, lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in húc mundum. Quod idem quoque Dominus proprius ac apertius expresit, cum ait: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor: videlicet hominum salutem, nec ad hoc sabbati religionem curo, tantisper dum hominibus consulo ac prospicio: sabbatum enim mihi est, de hominibus benemereri.

Ioan. 1.

Ioan. 5.

Ingens periculum esse diuinis inspirationibus & vocationi resistere, declarant illa Domini verba. Amen dico vobis, nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Quæ quidē verba simpliciter dicta, fulminis instar nobis esse debent: nihil enim minus habent, quàm illa, Discedite à me maledicti in ignem æternum. Simile quidem legimus Matth. 23. postquam enim Dominus dixerat, Hierusalē, Hierusalem quæ occidis Prophetas &c. Quoties volui congregare filios tuos, quēadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti, Subdit protinus, Ecce relinquetur.

Luc. 14.

quetur vobis domus vestra deserta. Huc pertinet etiam parabola de vinea, Esa.5.& Matth.21. Illic enim dicitur, Auferam sepẽ eius, & erit in direptionẽ, diruam maceriam eius & erit &c. Hic vero dicitur, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti &c. Huc etiã pertinet parabola de ficulnea sterili, alio anno expectanda, & abscindenda nisi fructum reddiderit.

Quid sibi vult quod Dominus post primi parentis lapsum deambulat? Nimirum hac ratione significare voluit, quonam modo se cum homine peccante gerat. Deambulare quippe est, huc atque illuc ire & redire: Quod quidẽ Deus facit homine peccãte. In iustos enim venit, & mansionẽ facit, in peccatoribus autem & venit, & abit. Abit, cũ eos gratia sua destituit: venit autem, cum eos misericorditer visitat, ad ostium pulsat, & ad veniam, vitæque melioris propositum secretis inspirationibus inuitat. Hoc ipsum fecit Eliseus, qui mortuum puerum suscitaturus, prius huc atque illuc deambulauit, ac mortuum deinde vitæ reddidit. *4. Reg. 4*

Oritur sol & occidit &c. Quod sol hic visibilis in hoc visibili mundo operatur, hoc quotidie verus iustitiæ Sol Christus in animis piorum efficit. Oritur quippe in illis, cum illos visitationis atque claritatis suæ luce perfundit, occidit autem, cum ita se nobiscum gerit, vt cum Psalm. dicere posimus, Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Gyrat per meridiem, crebrius excitando feruorem dilectionis: & reflectitur ad Aquilonem, cum ad humilitatis custodiam affectum inspirat timoris. *Eccle. 1.* *Psal. 29.*

Meritum.

MErita tua nusquam iactes, quia & ipsa tua merita illius dona sunt. Augst. sup. Psal. 144. *August.*

Per gratiam merita comparamus, quibus ad vitã perueniamus æternam. Idem.

Quia ipsa merita hominis Dei munera sunt, quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur, cum ipsa merita ex gratia sint? Idem.

Quisquis tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua? Idem lib. de confes.

Dignaris enim quoniam in sæculum misericordia tua; eis quibus omnia debita dimittis etiam promissionibus tuis debitor fieri. Idem.lib.5.confess.

Grego. Quidquid gesseris parũ est, quicquid feceris minus est. Omne enim meritum breue est, comparatione donorum: numera beneficia si potes, & tunc considera quid mereris. Gregor. hom.7.super Euang.

COLLE. ¶Sicut in electuarijs conficiendis mel aut saccarum pręcipue ad ea condienda requiritur, & hunc precipuum saporem ipsi referũt, quãuis ex varijs fructibus composita sint (transeunt enim hæc fere ex naturali sapore suo in saccari, mellisue saporem) ita plane charitas est, quæ opera nostra Deo gratissima reddit, cuiuscunq; generis illa sint, modo bona sint. Quo fit, vt vel minima etiam opera bona, si maxima charitate fiant, maximi apud Deum meriti sint. Quale fuit viduæ illius, quæ æra minuta duo in gazophilaciũ misit. Vnde quisquis gratissimum Deo obsequium pręstare velit (quamuis ad summa virtutum opera niti debeat) non tam de excellentia operum, quam de magnitudine charitatis qua fiant, solicitus esse debet. Paria enim virtutum opera dispari charitate facta, disparis quoque apud Deum meriti sunt. Ex quatuor potissimum rebus bonorum operum meritum consurgit: primum, ex nobilitate operis: quæ attenditur ex præstantia virtutis, quemadmodum religionis actus, præstantior est actu temperantiæ. Secundo ex difficultate operis: quæ videlicet non ex deprauata consuetudine, sed ex natura operis proficiscitur: qualis est actus martyrij, Tertio, ex charitate, quantò enim quis maioris charitatis affectu operatur, tanto opus ipsum maioris apud Deum meriti est. Quarto ex conatu operis: qui quidem conatus procedit à libera voluntate, & ab habitu virtutis cuius actum exequimur. Quanto enim conatus fuerit generosior, eò actus ipse meriti maioris erit. Cæterum tam ardor charitatis, quàm vehementia conatus, diuinis auxilijs excitantur: quæ cum maiora sunt, eò nos ad nobiliora rapiunt.

Leui.16. Aqua expiationis quæ in lege homines mundabat, à cineribus vitulæ incensæ hanc purificandi vim trahebat: neque enim aqua sola hoc præstare potuisset nisi cinerũ virtus aquæ adiungeretur. Quo nimirum admonemur, vt labores nostros laboribus Christi

lachry-

lachrymas lachrymis, ieiunia ieiunijs: ac virtutes virtutibus cõiungemus: vt illius merito opera noſtra, quæ ex ſe ieiuna & ſterilia ſunt Deo grata & fœcunda fiant. Sic videmus guttam aquæ in vini dolium immiſſam, vini naturam & ſpeciem induere. Sic etiam humilem hæderam proceræ arbori adiunctam ſurſum attolli, quę tamen per ſe humi reperet.

Cum virtus circa difficile verſetur, quo maior fuerit oblata difficultas, eo magis ibi emicat virtus. Sic igitur perfectiſsima obedientia illa erit, cum id quod præcipitur & rationi & voluntati noſtræ penitus aduerſatur. Fides etiam eo maior & illuſtrior, quo minus ad credendum humana ratio ſuffragatur, cum ea ſit de ijs quæ non apparẽt. Similiter ſpes etiam laudatiſsima eſt quæ in deſperatiſsimis rebus non deſperat: quæ (vt Apoſtolus ait, in ſpem contra ſpem credit: qualis fuit Abrahæ, verbis Dei filium ætate iam affecta promittentis, firmiter credens: qualis etiã Suſannæ quæ ad mortem dãnata, fiduciam habuit in Domino: qualis etiam B. Iob, qui ait; Etiam ſi occiderit me ſperabo in eum. In huiuſmodi ergo caſibus, perfectiſsimæ virtutis materiam vir pius ſibi miniſtrari credat. *Rom.4.* *Dam.13.* *Iob.13.*

Quam ſint piorum bona opera Deo grata, declarat illa ſponſæ inuitatio quæ ait, Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorũ. Poma autem eſſe virtutũ ſuauiſsimarum fructus quibus cœleſtis ille ſponſus paſcitur, notiſsimum eſt. Recte autem dicit pomorum ſuorum: quia verè bona opera noſtra, quamuis noſtra ſint, magis tamen illius quam noſtra ſunt. Sic enim de terrenis opibus Dauid ait, Tua ſunt Domine omnia, & quæ de manu tua ſuſcepimus, dedimus tibi: ita etiam dicimus bona opera noſtra diuinæ pietatis eſſe munera. *Cant.5.*

¶ Cæterum ſponſus ipſe hac voce inuitatus libenter præſtitiſſe ſe teſtatur, quod ab eo ſponſa quæſiuit dicens, Veni (quod verbum præteriti temporis eſt) in hortum meum ſoror mea ſponſa: meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi fauum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo. In quibus verbis fatetur ſe ſponſus collegiſſe horti ſui fructum. Quamuis quæ illa poma vocauerat, ipſe aromata appellat. Quo nomine virtutum omnium odoramenta, quæ Deo ſuauiſsime fragrant intelligit. Sed præcipue *Ibidem.*

tamen myrrhæ, mellis, lactis, & vini, hoc est mortificationis, spiritualis dulcedinis, lactis, idest puritatis, & vini hoc est salutaris compunctionis mentionem facit. Lachrymæ enim pœnitentium, Angelorum vinum sunt vt Bernar. ait. Idem etiam declarant illa eiusdem sponsæ verba; Dabo tibi poculum ex vino condito, & musto malogranatorum meorum. Vinum autem conditum, est charitas externis misericordiæ operibus illustrata, mustum verò malogranatorum, vel spiritualis dulcedo est charitatis comes, quæ ex multis granis quasi ex multis pijs cogitationibus exponitur; vel iustitia quæ ex omnibus virtutibus constat. ¶ Huc etiam pertinent illa sponsæ verba; Dilectus meus descendit ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Areola autem aromatum, anima iusti est, omnium virtutum odoramentis consita: quorum suauissimo odore cœlestis ille virtutum autor & amator suauissime reficitur & pascitur: cuius illa verba sunt, Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me. Voluntas autem eius est sanctificatio nostra. Sigillatim autem liliorum mentionem facit: qui animas puritatis candore nitentes, & boni nominis odore fragrantes, designant: qui bona prouident non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Quo etiam nomine castitatis & virginitatis candor aptissime significatur: qui Deo gratissimus est. ¶ Quod vero ait, Messui myrrham meam, duo potissimum insinuat; alterum quod myrrha illa magis sua quàm nostra sit (sicut antea poma sua appellauerat) alterum quod illam in cellario suo seruatam & conditā habet, vt merito honore remuneret: in quo vides Deum cū præmiat merita nostra coronare munera sua. ¶ In eandem sententiam & illa quoq; eiusdem sponsi verba dicta sunt; Dixi, ascendam palmam, & apprehendam fructus eius. Vbi enim sponsæ staturam palmę similem esse dixisset, modo ait se in hanc palmā ascendere velle, vt suauissimis eius fructibus, hoc est, pijs operibus reficiatur. Sicut enim ante sponsa de sponso dixerat, Descendit dilectus meus in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis: ita modo ait, Dixi, ascendam palmam &c. Nec pugnant inter se descendere & ascendere: quoniam verba ad rationē comparationis aptari debent. In arborē autem ascendere solemus quò fructus eius colligamus. Huc etiā & illa quoq; eiusdem

sponsi

sponsi verba referuntur, Descendi in hortũ meum, vt viderem poma conualliũ, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica. Quæ verba quidam ad sponsam referunt, sed cõmodius tamen sponso tribuuntur. ¶ Quod autem sponsus tot modis se pijs fidelium actionibus maiorem in modum oblectari testatur, mirũ videri nõ debet. Qui enim infinite bonus est, vt infinito odio peccatum detestatur: ita infinito amore & bonos, & bona ipsorũ opera prosequitur. Quòd si verè dictum est, Gaudium est iusto facere iustitiam (cum tam exigua bonitatis portio homini cõtingat) quale gaudium de iustitia illi erit, qui sine mensura bonus est. Et si charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati .i. veræ iustitiæ & sanctitati: quomodo mensa illa & infinita charitas, bonis nostris congaudebit: præsertim quum ea quoque bona, sint dona & munera sua? Lætatur enim Dominus in omnibus operibus suis vt est in Psal. *Pro. 21.* *1. Cor. 13.* *Psal. 103.*

Euangelium.

COLL. *

ABundantia gratiæ spiritualiumque donorum per Christũ frequentissime sub diuersis metaphoris, ac præcipue sub aquarum nomine in scripturis promittitur. Aqua enim terram fœcundat, sitim sedat, corpora abluit, atque refrigerat: quæ omnia spiritualiter efficit gratia. Apud Esai. Ecclesia Christi dicitur esse locus fluuiorum, riui latissimi atque patentes. Item, Fons hortorum, puteus aquarum viuentium. Ex quibus locis abundantiam gratiæ per Christum in ecclesiam effundẽdam intelligimus, vt nemo se propter naturę infirmitatem, à diuinarum legũ obseruatione excusare possit: si vero cõtra fecerit, inexcusabilis maneat. *Esai 33.* *Cant. 4.*

Vide quæso monstrum. Cum Euangelium in Ecclesia in die celebri pro more cantandum est, assurgunt omnes, capita nudãt: procedit sacris initiatus, & sacris indutus vestibus minister, cerei accẽduntur, altaria fumãt: sed quid ibi tandem legitur? Nempe (vt cętera omittamus) illud in primis, Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam &c. Item, Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit Gehẽnæ ignis, Et, Nolite iurare omnino &c. Et cum ista sic legantur (quæ tanta astantis populi reuerentia audiuntur) vix tu templi ianuam egressus es, & frequenter etiam in ipso tem- *Matth. 5.* *Ibid.* *Ibid.*

plo ea transgrederis, dum & iuras, & peieras, & astantes fœminas impudicis oculis contueris, & proximo fortitan cōcupiscis. Quid quæso monstrosius? Converte quæso oculos ô homo, ad ea ipsa quæ audis, & sic transgrederis, & vtriusque rei facta collatione, te tui misereat, atque pudeat.

Magnum ad virtutem incitamentū esse debet opportunitas & abundantia gratiæ quę nobis in Euangelica lege exhibetur, cuius præsidio viam virtutis ingredi facilius possumus. Vnde frequentissime hoc nomine Spiritus sanctus nos in diuinis literis ad eam
2.Cor.7. hortatur. Hinc Apostolus, Hortamur, inquit, vos ne in vacuū gra-
Ibidem. tiam Dei recipiatis: ait enim tēpore accepto exaudiui te, &c. Et, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: est enim hic annus Iubilæi, annus remissionis. Simili quoque ratiōe nos ad idē
*Esai.*55. Propheta vocat, cum ait, Quærite Dominum. d. i. p. Inuocate eum
*Matt.*22. d. p. e. Sic etiā Dominus in Euangelio, Dicite inuitatis, Ecce prandium meum, &c. & omnia parata, venite ad nuptias. Nautæ, agricolæ, & milites, nunquam temporis opportunitatem prætermittūt: sic igitur nos, qui hoc tēpore reuelatæ gratiæ nati sumus, hāc tantā opportunitatē prætermittere nullo modo debemus. Aliter enim
*Hebr.*2. quo nam modo (inquit Apostolus) euadere poterimus, si tantam neglexerimus salutem.

Opes omnes & omnia gratiarū genera quæ Prophetæ in Aduētu Messiæ conferenda prædixerunt, Ioannes Euangelista paucis verbis idque (sicut in luce Euangelij par erat) apertissimis complexus est, cū ait. Quotquot autē receperūt eum, dedit eis potestatē
*Ioan.*1. filios Dei fieri. h. q. c. i. n. e. qui non ex sanguinibus, nec, &c. sed ex Deo nati sunt. Omnia enim Christi dona, omnia gratiarū munera ad hoc instituta sunt, vt hausto eius spiritu, filij Dei nominemur, & simus. Si enim filij, & hæredes: hæredes quidē. D. c. a. Christi. Hac enim dignitate percepta, omnia quæ filij à pijs parentibus expectant, nos à Deo Patre expectare debemus.

Donorū cœlestiū & gratiæ vbertas sub elegantissima fœcunditate agrorū allegoricè describitur Psal. 64. ab illo versu. Visitasti terrā, & inebriasti eā, multiplicasti locupletare eā, &c. quæ sequuntur vsque ad finē Psalmi. Hæc item gratiæ vbertas, quæ nobis per Christum contigit, terrena illa opulētia quæ Salomonis tempore
Psal. 71. fuit, adūbrata est. De eadem etiā scribitur in eo Psal. cuius initium

est,

est, Deus iudiciũ tuum regi da. Vbi dicitur, Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, &c. Et, erit frumentũ in terra in summis montiũ, superextolletur super Lybanũ fructus eius, &c. Pro quo alius vertit. Erit pugillus fruméti in terra in summis montium tã frugifer, vt cõcutiatur velut Lybanus fructus eius, & florebunt de ciuitate sicut herba terræ. Quibus verbis sub terrenæ vbertatis imagine, Euãgelicæ gratiæ vbertas designatur. Hanc eandem gratiæ abundantiam sub aquæ nomine designat Esaias cum Ecclesiã vocat locum fluuiorum, riuos latissimos, atque patentes. Quam tamen Dominus apertissimè declarat cum ait; Ego veni vt vitã habeant, & abundãtius habeant. Et Apostolus, Benedictus Deus, &c. qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Et iterum, Saluos nos fecit per lauachrũ regenerationis & renouatiõis Spiritus sancti, quẽ effudit in nos abũdè, per Iesum Christum Saluatorem nostrum. Huius autem promissionis veritatem intelliget, quisquis nascentis Ecclesiæ historiam, & sanctorum Martyrum, Episcoporum, & monachorum vitas studiose perlegerit. In ciuitate Ancyra decem millia virginum fuisse, refert Palladius, ac multos item memorat fuisse patres, qui sub cura & magisterio suo alij quinque millia, alij sex, alij septem millia monachorum haberent. Quis autem vel hoc vno exemplo non agnoscat imperuestigabiles illas diuitias Christi: quarum Apostolus præco erat atque minister, quando ad solam manus impositionem Spiritum sanctum copiosè fidelibus dabat? Huius autem rei consideratio magnopere nos ad spem & charitatem in Christum excitat: qui passionis suæ meritò tantæ nobis salutis autor extitit.

Esai.33. *Ioan.10.* *1.Cor.1.* *Tit.3.*

Quanta cura, quamque mirabili prouidentia naturæ conditor specierum quas condidit conseruationem prouiderit, facile colligitur ex mirabili seminũ copia, quæ vnaquæque plantarum ex se fundit (quod & in leguminibus & arboribus videre licet) ac multo magis in piscium fœcunditate, quę ita vniuersa maria complet, vt vbiq; sagena missa inueniat quid capere possit. Quæ omnia (si quis attentos & perspicaces oculos adhibeat) maximã certè diuinæ prouidentiæ curam & sollicitudinem agnoscet. Si ergo hac tanta plenitudine creaturarum conseruationi naturæ conditor prospexit, qua illum plenitudine, & vt ita dicam, spiritualium

bonorum opulentia animarum saluti Saluator atque Redemptor noster consuluisse putandus est? Verissime igitur dictum est,
Psal.129. Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum repemptio.
Esai.11. Item illa. Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operiente. Ideo etiam de Ecclesia dicitur, Sicut turris Dauid quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex illa, omnis armatura fortium. Hoc est innumera in ea suppetunt spiritualium armorum genera, & innumera item instrumenta, & adiumenta virtutum. Quid enim tanta opulentia naturæ regnum ditauit, quid igitur gratiæ? qui sic naturalem mundum, quid supernaturalem?

Cant.4.

Euangelicæ gratiæ opes, & imperuestigabiles diuitiæ describũtur sigillatim Psalm. 84. qui incipit, Benedixisti Domine terram tuam. Sunt autem hæ diuitiæ gratia, cœlestium bonorum abundantia, remissio peccatorum, redemptio à captiuitate Diaboli, vera libertas filiorum Dei, pax interna, reconciliatio cũ Deo: de qua Apostolus ait, Deus erat in Christo mundum recõcilias sibi, non reputans illis &c. Harum autem opum gratia merito idem Propheta exclamat, Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.

Cant 2. Pulchre sub hyemis & veris similitudine legis & Euangelij differentia in Cant. designatur. Hyemis enim frigus, charitatis defectum, nubilum cœlum, iram Dei & inimicitias aduersus homines: lucis diminutio, ignorantiam rerum diuinarum designant: quibus malis homines sub lege premebantur. Adde quod hyemis quoque tẽpus triste & inamœnũ est, & ad iter agendum minus opportunum: quod ad tempus illud maxime pertinet, in quo sine Christo omnia tristia, sterilia, & inamœna erant, & ad viam salutis ingrediendam, varijs modis impedita. At in vere Euangelij, hæc omnia diuersa sunt, vt facile ex collatione patere potest. Quare quibus hoc tempore viuere datum est, Dominum pro hac tanta fœlicitate laudare debent. Ad quod nos idem sponsus in eodem sermonis contextu inuitat. Pro eo enim quod nos legimus, Tempus putationis aduenit: alij legunt, Tempus cantus, siue cantilationis aduenit: Vere enim incipiente, diuturnum hyemis silentium, temporis amœnitate inuitante,
Ibid. in suauissimum cantum commutare auiculæ solent. Idem autem spiritualiter agere debent, quibus in hoc verno gratiæ

tempo-

tẽpore viuere datum est. Est enim hic velut annus iubilei: in quo sancto otio & gaudio vacandum est: vnde Apostolus ait, Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. *Philip. 4.*

Ad euangelicæ gratiæ pretiosissimas & ditissimas epulas nos cœlestis sponsus inuitat, cum ait, Comedite amici & bibite, & inebriamini chariss. In quibus amici ad potum, charissimi ad ebrietatem inuitãtur. Vtrisque tamen mensa ditissima & latè patens proponitur. Ad quam etiam aperte nos in Euangelio inuitat, cùm ait, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos &c. Easdem gratiæ opes sub fœcundissimæ & salutaris aquæ nomine designat cum ait, Fons hortorum, puteus aquarum viuẽtium quæ fluunt impetu de Libano. His verbis euangelicæ gratiȩ abundantia designatur cum dicitur, Quæ fluunt impetu de Libano. Quod ad historiam quidem attinet, copiosus fons & latissimus puteus ad radices Libani nascitur: qui omnem latè regionem irrigat, & fœcundissimam atque amœnã facit. Quæ res Ecclesiæ hortum, hoc est, paradisum delitiarum christi significat. Quod autem non simpliciter aquas, sed aquarum impetum ait, partim quidem abundantiam gratiæ, quæ in noua lege per Christum fidelibus datur, partim eius vim & efficaciam insinuat: quæ impetu suo, ipsorũ mentes ad rectè agendum impellit. Quod alias sub vehementi spiritus impetu adumbratũ fuit: quando Spiritus sanctus super Apostolos venit. Idem etiam insinuant illa Prophetæ verba, Fluminis impetus l.c.D. Et illa, Flumen Dei repletum est aquis. Cæterum vim aquarum insinuat, cùm eas viuẽtes appellat: non solum quia vitam haurientibus tribuunt: sed etiam quia occulta spiritus vi & acrimonia ad agendum incitant. Mortuorum enim est nihil agere posse: viuentium autem moueri & operari. *Cant. 5.* *Matt. 11.* *Cant. 4.* *Psal. 45.* *Psal. 64.*

Christus Dominus factus est nobis sapiẽtia &c. Deus enim qui dixit, de tenebris splendescere lumen suum, ipse illuxit in cordibus nostris &c. Vnde Esai. impletam esse terram scientia Domini in aduentu eius, ait. Huius rei gratia Apostolus, tempus legis noctem, tempus verò gratiæ diem appellauit. In Cant. autem sponsus sponsam commendans ait, Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt sol. In quibus triplex Ecclesiæ status designatur, ante legem, sub lege, sub gratia. Ante legem fulsit Ecclesia vt aurora: sub lege vt Luna, sub gratia vero vt sol. *2. Cor. 4.* *Esai. 11.* *Cant. 6.*

Quia

Quia repleta est terra sciẽtia Domini: sicut aquæ maris operiẽtes.

Quod Abraham nõ modo circuncisionis, sed etiam credentiũ omnium pater sit, quodque promissa & fœdera veteris testamẽti temporalia essent, noui autem æterna (sic enim Seruator nouũ & æternum testamentum in sanguinis consecratione appellat) pulchrè in secunda illa promissione quæ Abrahæ post immolationẽ

Gene.22. filij est, designatur. Sic enim legimus, Et vocauit Angelus Domini Abraham secundò de cœlo dicens, Per me metipsum iuraui dicit Dominus, propterea quod fecisti verbum hoc, & non pepercisti vnigenito tuo propter me, benedicẽs benedicã tibi, & multiplicãs multiplicabo te, & erit semẽ tuũ sicut stellę cœli, & sicut arena maris. Quid hic noui (ait Origenes) veteribus promissionib9 additur? Quod nouũ pręmiũ datur, propterea quod fecisti verbũ hoc? propterea quod filiũ obtulisti? propterea quod nõ pepercisti vnigenito tuo propter me? Nihil additũ video, eadẽ repetuntur quæ prius fuerãt repromissa. Obseruãdũ tamẽ quod Abrahã pater futurus erat secũdũ carnẽ populi circũcisi, ideo circũcisionis tempore vnã accipit repromissionẽ illius populi multiplicandi. Quia verò pater quoq; secũdũ spiritũ futurus erat omniũ credẽtium, qui per passionẽ Christi veniũt ad hæreditatẽ cœlestẽ, ideò hæc illi secũda promissio fit quo tẽpore Isaac immolatus fuit: per cuius sacrificiũ Christi passio figurabatur, cuius merito fideles multiplicandi erãt. Vnde hæc promissio datur de cœlo (vocauit enim Angelus Dñi Abrahã secũdò de cœlo, &c.) illa verò de terra: vnde dicitur, Et eduxit eũ foras, &c. Et illic quidẽ simplex promissio est: hic verò interponitur iusiurandũ: per quod Deus immobilitatẽ consilij sui declarauit, & ostẽdit firmiora esse posteriora promissa prioribus, hoc est, diuturniora. Et illic quidẽ tẽporalia, hic æterna promittuntur. In cuius rei typum Moses priores legis tabulas confregit, posteriores verò reseruauit. Lex enim aliquando cessatura, Euangeliũ verò nullo vnquam termino finiendum erat.

Ioan.1. Lex per Moysem data est: gratia & veritas per Iesum Christũ facta est. Itaq; in lege nõdũ erat spiritus datus: quia Iesus nondum erat glorificatus. Huius rei figura fuit, quod Mãna patribus non in Sabbatho, sed in die Dñica, quæ tẽpus gratiæ significat, pluere cœpit. Qua de re sic Origenes hom. 7. sup. Exo. ait, Volo comparare Dñicã nostrã cũ Sabbatho Iudæorũ. Ex diuinis nãq; scripturis ap-

paret,

paret,quod in die Dñica primo in terris datũ eſt manna. Si enim ſex diebus continuis collectũ eſt manna, ſeptima autẽ die quæ eſt Sabbathi ceſſatũ eſt, ſine dubio initiũ eius à die Dñica fuit. Quod ſi ex ſcripturis diuinis cõſtat,quod die Dñica Deꝰ pluit manna de cœlo,& in Sabbatho nõ pluit, intelligãt Iudæi iã tunc prælatã Dominicã noſtrã Iudaico Sabbatho, iã tunc indicatũ,quod in Sabbatho ipſorũ gratia Dei ad eos nulla deſcẽderit, & panis verus, &c.

Tempus legis Apoſtoli in ſeipſis antequã Spiritũ ſanctũ in die Pẽtecoſtes reciperẽt,adũbrarũt.Gratię verò tẽpus vbi eundẽ ſpiritũ acceperũt. Quã tũc imbecilles & infirmi, quã poſtea validi & robuſti? Hoc idẽ diſcrimẽ inter veteris & noui teſtamenti ſanctos inuenitur:quãuis nõnulli inter eos fuerint,qui magis ad noui quã veteris teſtamẽti gratiã pertinẽt. Hinc Prophetarũ multi vehemẽter regum minas & mortem exhorrebant,alius verò cùm à furente populo lapidaretur. Videat (inquit) Dominus & requirat. At noui teſtamenti martyres horrendos cruciatus & mortes ſitiebãt,& pro perſecutoribus deprecabãtur. Sic Stephanus,Andræas, Ignatius,Laurentius,multique alij. 2.*Para.* 24.

Mirabilem Euangelij dignitatem eleganter D. Chryſoſt. deſcribit his verbis, Ex ijs qui hoc cœleſti ſpiritu repleti & inſtituti ſunt, quatuor Euangeliſtæ prodierunt,qui ſcripta ſua Euangeliũ, id eſt, bonum nuntium appellarunt. Siquidem pœnarum interitum, peccatorum veniam, ſanctificationem, iuſtitiam,adoptionẽ filiorum & cœlorum hæreditatem,& cum Dei filio fraternitatem omnibus inimicis Dei & in tenebris ſedentibus nuntiarunt. Quid his tam bonis nuntijs inueniatur æquale? Chryſoſtomus homil.1. ſuper Matth.oper.perf.

Quod Salomonis tempore tanta inundauerit abundantia diuitiarum,vt tantum eſſet argenti quantum lapidum, totque cedros, quot ſicomoros,opulentiam gratiæ, quæ erat per Chriſtum mundo conferenda deſignat.

Lex.

GRatia Dei nos facit legis dilectores, lex verò ipſa ſine gratia,non niſi præuaricatores. Auguſt.de correp.& gratia. *Auguſt.*

Per legem cognitio peccati,per fidem impetratio gratię contra peccatum, per gratiam ſanatio animæ & abolitio peccati,

per

per animæ sanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium iustitiæ dilectio, per iustitiæ dilectionem legis operatio. Idem de spiritu & li.

Lex data est, vt gratia quæreretur: gratia autem data est, vt lex impleretur: neque enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio prudentiæ carnis: quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam fuit sanandum. Idem ibidem.

Leges multa concedunt, quæ diuina prouidentia puniuntur. Idem.

Leo Pap. In his rebus in quibus nihil statuit certum scriptura diuina, populi Dei vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt. Leo Papa.

Clē. Ale. Non facile arcetur cupiditas, quæ caret metu. Clem. Alex. in adhort. ad Gent.

Epictet. Ægri seruator est medicus, iniuriam passi lex.

Ouid. Quod licet ingratum est, quod non licet acrius vrit.

Adison. Leges, superiores sunt Regibus.

Leges, sepes & pharmacum.

Valer. Maxi. Quam porro subtiliter Anacharsis leges araneorum telis comparabat: nam ait illas infirmiora animalia retinere, valentiora transmittere: ita his humiles & pauperes constringi, diuites & præpotētes non alligari. Valer. Max. de memor. dic.

Cicero. Lex est ratio summa, insita in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. cicero. 1. de legib.

Lex nihil est aliud, nisi recta & à numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibensque contraria. Idem Philip. 11.

Omnia sunt incerta cum à iure discessum est. Idem lib. fam. 9.

Hoc spectant leges, hoc volunt, incolumem esse ciuium cōiunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coercent. Idem. 3. offi.

Illa non est ciuitas, cum leges in illa nihil valent, cum iudicia iacent, cum mos occidit patrius. Idem Parad. 4.

Quos ipsa natura retinere in officio non potest, ij magnitudine pœnæ maleficio submoueri debent. Idem pro Rosc. Amer.

Quotus quisque reperietur, qui impunitate proposita, abstinere possit iniuria? Impunitas, peccandi maxima est illecebra. Idem 3. offi.

Vt ex

Vt ex medicina nihil oportet putare proficisci nisi quod ad corporis vtilitatem spectat, (quoniam eius causa est instituta) sic à legibus nihil conuenit arbitrari, nisi quod Reipub. conducat proficisci, quoniam eius causa sunt comparatæ. Idem. 1. de inuent.

¶ Lex Domini inter cætera maxime declarat immensam eius erga hominés charitatem, & bonitatẽ, dum id petit ad suum obsequiũ, quod ad vitæ nostræ pacem, stabilitatem, iucunditatemque potissimum facit. Quid enim aliud amantissimus pater dilectissimis filijs præcipere posset, quam illud: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem &c. Rursumque, Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos? Et Apostolus, Obsecro inquit, vos vt ambuletis, quomodo oportet vos ambulare, & placere Deo. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum: hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra. Vide quæso qualia sint hæc præcepta, & quæ sit hæc voluntas Dei. Antecedentia enim verba videbantur exigere, vt subiungeret, Hæc est voluntas Dei, vt illum laudibus celebretis, illi sacrificium offeratis: & tamen pręmissa illa præfatione subiungit, voluntatem Dei esse, sanctificationem nostram, quæ inter maxima hominis bona computatur. Age ergo gratias Deo, non modo propter gratiam & gloriam, quam tibi promisit, sed etiam propter legem quam dedit, qua cõmoditatibus tuis mira charitate consuluit.

COLLE. Ioan. 15. Ibidem. 1. Thes. 4.

De diuinæ legis laudibus, varijsque nominibus non temere impositis, habes insigne encomium Psalm. 18. Lex Domini immaculata, conuertens animas &c. *Psal. 18.*

Iustitiæ sinceritatem & æquitatem omnibus in rebus seruandã esse illa Domini lex sancit, Nolite iniquum aliquid facere in iudicio, in regula, in pondere, & mensura. Statera iusta, & æqua sint põdera, iustus modius, æquusque sextarius. Declarat autem hac lege Dominus cæterisque similibus, non sua causa sed nostra has leges condidisse: cum omnes eo pertineant né cuiquam vlla in re noceatur. *Leui. 19.*

Ecclesia.

QVid, Arcturi nomine, qui in cœli arce constitutus, septẽ stellarum radijs fulget, nisi vniuersalis Ecclesia exprimitur? Arcturus *Greg. Iob. 9.*

ctūrus enim semper versatur, & nunquam mergitur. Sic Ecclesia persecutiones tolerat, sed sine defectu perdurat. Greg. in Mor. lib. 9. illud Iob. Qui facit Arcturum. &c.

Hiero. Multi ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur, & ministrorum Christi nulla electio est. Hierony. ad Nepotianum.

Cypria. Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totū radios suos porrigit: vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica, vnam domum nouit, vnius cubiculis sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo seruat, hæc filios regno quos generauit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ iungitur alienus est, prophanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit euadere, qui extra arcam Noe fuit, & qui extra Ecclesiam foris est, euadet. Monet Dominus & dicit, Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit &c. Hoc vnitatis sacramentum conspicitur in veste Christi: quæ de superiori parte non consutilis, sed textilis erat per totum: quæ videlicet à militibus scissa non est: & vnitatem desuper è cœlo venientem præfigurabat. Cypria. de simpli. Prælat.

Petrus. Raue. Interim cum Hierosolymitanis habitat Iebusæus: interim in horto patris familias simul sunt saliunca & abies, vrtica & myrthus. In grege Iacob, animalia alba & nigra, agni & hædi. In rete Petri, pisces boni & mali. In arca Noe, animalia munda & immunda. In agro Domini lilia inter spinas, zizania inter spicas. In arca Domini, granum cum palea. In cella Domini, vinum cum agresta, oleum cum amurca. Petr. Raue. in quadam epist.

COLLE. ¶Ecclesiæ autoritatem & fidei sinceritatem declarat Apostolus *1. Thi. 3.* qui eam appellat columnam & firmamentum veritatis: Quæ quidem veritas ex Christi sponsi sui iugi præsentia manat: qui apud *Matt. vlt.* Matthęum extremum vale (à discipulis discedens) clausit his verbis. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Idemque apud Ioannem, *Ioan. 16.* Multa inquit

habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ex quibus etiam verbis colligimus non omnia quæ ad religionem pertinent, esse sacris litteris consignata: cum Dominus passioni suæ iam proximus, & docendi ac loquendi finem faciens (sicut ipse ait, Iam non multa loquar vobiscum) dixerit, Adhuc multa habeo vobis dicere &c. Quid ad hæc Martine dices? Hinc ergo discimus & Christum Dominum & Spiritum sanctum Ecclesiæ esse magistros: qui eam ab omni errore immunem conseruent. Quid vero illud quod saluator portas inferi aduersus Ecclesiam minime valituras ait? Per portas autem inferi omnes Dæmonum conatus, omnes Hæreticorum fraudes, omnesque tyrannorum minas significari certũ est. Quæ cum ita sint, quomodo Christus Dominus Ecclesiam suam tam longo tempore deseruit, eamque tot erroribus implicari & cõmaculari permisit, donec Luterus virginum constuprator venit, qui eam ab erroribus vendicaret? Quis hoc monstrum non horreat ac detestetur? Adde his æternitatem regni Christi, de quo Danielis. 2. post illius mysticæ statuæ ruinam agitur. Et Luc. 2. Angelus ad virginem, Regnabit inquit in domo Iacob in æternum, & regni eius nõ erit finis: itemque Esai. 9. super solium Dauid & super regnum eius sedebit, vt cõfirmet & corroboret illud in iudicio & iustitia amodo & vsque in sempiternum. Cum ergo ex his aliijsque similibus locis æternitas regni Christi colligatur, in quo is Ecclesiam suam in iudicio & iustitia, hoc est in omni pietate & sanctitate, per spiritum suum confirmare debeat, quomodo tandiu hoc officium intermisit, eamque in errorum tenebris sub tenebrarum principe vsque ad Luteri tempora reliquit? Quis huius tantę impudentię indignitate non moueatur.

Matt. 16.

Luc. 2.

Concilia generalia.

QVoniã ad multarũ rerum conditionẽ quæ ad Ecclesiæ statũ pertinent, maxime conducit numerũ seriẽ, & tẽpora generaliũ cõciliorũ perspecta & cognita habere: subijciam hoc in loco quæ disertissimus Iacobus Payua Andradi⁹

aduersus Kemnitium disputans, ea de re ait: cuius hæc verba sunt. Vt vero Apostolorum illud concilium Hierosolymis celebratum, omittamus: Nycænam Synodum quæ non tempore solū sed multis etiam nominibus prima extitit, Syluestri Romani Pontificis auctoritate, Constantini vero studio & pietate ad Arrij incendium quo vniuersa ferè Ecclesia conflagrabat extinguendum Anno Christi. cccxxxiij. conuocatā fuisse inter omnes constat. Altera quæ priorem annis quinquaginta sex secuta est, Constantinopoli à Damaso Pontifice Romano, imperantibus Gratiano, ac Theodosio priori, qui magn⁹ vulgo appellabatur, fuit cōtra Macedoniū coacta, qui Spiritum sanctū vitæ principē salutisque autorē Deitate spoliabat, & in rerum creatarum ordinem nefarie redigebat. Tertia, quā Ephesi Anno. ccccxxxiij. Cœlestinus Pontifex imperium gerente Theodosio Iuniori Archadij filio collegit: quę Nestorium Constantinopolitanum Patriarcham impietatis damnauit: quod Christum non Deum esse; sed hominem solum ex virgine natum affirmaret atque ideo Mariam Virginem non Deiperam, sed Christiperam appellandam esse. Quarta percelebris illa fuit Chalcedonensis Synodus Anno. ccccolviij. à Leone primo Pontifice sanctissimo, sub Martiano cæsare conuocata: vt Eutychis Constantinopolitani Abbatis furorem reprimeret: qui solam diuinam naturam in Christo agnoscebat: & Ephesini conuentus sacrilega acta, quibus Eutychiana fuerat dementia per summam tyrannidem approbata, rescinderet, atque refigeret. Quinta quā Constantinopoli Agapeto Pontifex Romanus indixit, Syluerius coegit Vigilius Iustiniano primo imperium administrante, Anno ccccccclx. absoluit, perfecit, & cōfirmauit: Petri, Antonij, Seueri, & Toari insaniam coercuit: qui Noeti atque Sabelij Trinitatis personas confundentium impietati se adiungentes, in trisagio dicebant addendam esse crucem hoc est, canendum esse in Ecclesijs sanctus, sanctus, sanctus qui crucifixus est pro nobis, vt Trinitatem cruci fuisse affixam impiè significarent. Sexta item Oecumenica Synodus constantinopoli fuit sub Agatone Pontifice & Constantino Cæsare quarto Heraclij nepote cognomento Pegomato celebrata atque ex Trullo Regia, vbi patres conueniebant, nomē accepit: quæ Sergij, Pyrrhi, Pauli, & Polichronij dementiam profligauit: docentium vnicam in Christo esse operationem & volun

tatem.

tatem: absoluta vero fuit imperium iam administrante Iustiniano Constantini filio, Anno. Dccxc. Septima sedem habuit Nyceam Bithiniæ vrbem, vnde & Nycena secunda dicitur ab Adriano primo Pontifice contra Iconomasticas, hoc est, sanctarum imaginum euersores conuocata: tenente imperium cum filio Constantino Irene matre: Anno Dccc xc. nā dū extremo perditi hominis odio in diuorū imagines conflagrabant, nō minores in Repub. tumultus quàm Zuinglianæ nuper dementiæ æmulatores excitarunt. Octaua sub Adriano fuit secundo Pōtifice Max. & Basilio Imperatore Constātinopoli acta Anno Dccclxx. & ideo Constantinopolitana quarta appellata, nō vt de religione quicquā statueret, sed vt tumultus in Oriente excitatos sedaret, ob Cōstantinopolitanā sedem à Photio nephario & sacrilegio perduelle vi occupatā, Ignatio viro graui & innocenti, veroque Antistite eiecto: qui tamē Photius cū suorū complicū cōuocasset conciliū, & grauissimi in eo Nicolai Pōtificis Max. nomē & dignitatē cōtumelijs affecisset, multa sacrosancta hæc synodus de Romani pōtificis dignitate disseruit, cōuentusque illius Photiani sacrilegā temeritatē dānauit. Cum vero ad Conciliū crebris fuisset rumoribus delatū, insanos quosdā & ignaros homines nō sine multorū pernicie tradere solitos fuisse, plures in quolibet homine animas existere, Diuinis id esse literis contrariū definiuit. Nona ab Innocentio tertio Pontif. Max. Romæ in templo Lateranensi Anno M.ccxv. celebrata: atq; Lateranensis ideo dicta, cum ad corruptos potius mores emendādos, quàm ad fidei dogmata constituenda, fuerit conuocata, neq; in explicādis locis scripturæ difficilibus, neq; in mysterijs aperiēdis multū laborauit, sed Abbatis Ioachimi errore de diuinæ essentiæ diuersitate refutato, & catholica fide in cōpendiū veluti redacta, tota in Ecclesię moribus cōstituendis, belloque in Turcas indicēdo versatur. Constātiensem & Florētinā synodū in œcumenicis numerare non audeo: Constantiensem quidem, quoniam etsi exitiosissimū schisma quod Ecclesiā multos iā annos vastabat, extinxerit, & Ioānis Hus impia cōmenta dānauerit, dum tamē concilij maiestatem efferre præter æquū & honestū voluit, Pontificis Romani autoritatē, vsq; adeo depascit, vt ostiū grauissimis erroribus patefecerit, vt prætermittā reliqua, quæ hāc Synodū à Conciliorū generalium classe ablegare, cardinalis Caietanus nō ingeniose so-

lum, sed prudenter etiam adnotauit. Florentinam vero omitto: ne Galliam religione quondam & pietate clarissimam, nunc varijs (proh dolor) hæresum monstris oppressam & fatigatam damnare videar, quæ illã neq; adire dũ agitaretur, neq; admittere iam perfectã, atque absolutã vsquã voluit: quãuis tot in illa fuerint de religione mysteria disputata & conclusa, vt in potissimis cõcilijs haberi merito potuerit. Quare decimã & vltimã œcumenicã, & vniuersalẽ Synodum Tridentinã numerabimus, à Paulo tertio Pontifice, Caroli quinti Imperatoris auspicijs inceptã, Anno M. D. X L V. à Iulio tertio continuatam, à Pio verò quarto Pontifice Opt. Max. absolutam & confirmatam: quã vtinam dubitare potuissemus, meritone ac necessario tot tantaque mysteria definiuerit atque concluserit. Iustissimis enim de causis fuit eo tempore coacta. Hactenus ille de numero, causis, & dignitate generalium Cõciliorum.

Scriptura sacra.

Greg. QVi idcirco in sacro eloquio ea quæ dignitatis sunt, contẽplatur, vt per hoc quod intelligit, occupari ad quæstiones possit: quia non dulcedine quæsitæ veritatis sanari appetit, sed doctus videri: iste nimirum intellectus sui pennas desuper non extendit. Gregor. super Ezechielem.

In verbis sacri eloquij iste debet studij nostri ordo seruari, vt hęc ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra cõpũcti, & cognoscẽtes mala quæ fecimus, ipsa vitemus: & cũ iã ex magno vsu lachrymarũ de peccatorum remissione cœpit esse fiducia, per verba Dei quæ intelligimus, ad vitã quoque & alios trahamus. Greg. vbi supra.

Si in verbis Dominicis virtutem requirens, ipse aliter quam is per quem prolata sunt, senserit: etiam si sub intellectu alio ædificationem charitatis requirat, Domini sunt verba quę narrat: quia ad hoc solũ Deus per totam nobis sacram Scripturã loquitur, vt nos ad suum & proximi amorem trahat. Greg. sup. Ezech.

Scriptura sacra aliquãdo nobis cibus est, aliquãdo potus: cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, & mãducando glutitur: potus vero est in locis apertioribus: quia ita sorbetur, sicut inuenitur. Greg. in Mor.

In sacro volumine scriptæ sunt lamentationes, id est, pœnitẽtię peccatorũ: carmẽ vero, quia ibi prenũtiãtur gaudia iustorũ. Vę autem

tẽ quia illic expressa est dãnatio reproborũ. Greg. ho. 5. sup. Ezech.

Legẽ daturus in igne fumoq; descẽdit: quo & illuminet humiles, & superbos obscuret. Et infra. Quare tunc populus arcetur ab accessu montis? Nẽpe vt qui terrena desiderant: considerare sublimia non præsumant. Greg. in Mor. lib. 7. c. 27. *Exod. 19.*

Super illud, Panis eius vertetur in fel aspidũ in vtero eius, &c. Quia dum sacræ legis sciẽtia gloriatur, vitæ potum, conuertit sibi in veneni poculum: & inde reprobus moritur, vnde ad vitam erudiri videbatur. Greg. lib. 15. c. 6. *Iob. 20.*

Super illud, Diuitias quas deuorauit, euomet. Vult impius scire diuina eloquia, nõ facere. Et ideo quia nõ agit quę nouit, etiã quę nouit, amittit. Cõtẽpta em̃ puritate, & sciẽtiã sæpe perdit: ne pręcepta in lingua teneat, quæ non seruauit in vita. Greg. vbi supra. *Iob. 20.*

De laudibus Scripturæ sacræ. vide Greg. lib. 20. Mor. c. 1.

Verba Dei, tunc melius mens intelligit, cũ in eis quærit semetipsam. Greg. 28. Mor. c. 9.

Fratres charissimi, nõ poteritis probare quã vera cãtetis, nisi cœperitis facere quod cãtatis. Quãtũlibet illud dicã, quomodolibet exponã: qualiscũq; verbis versem, nõ intrat in cor eius, in quo nõ est opus eius. Incipite agere & videte quid loquamur. Tũc ad singula verba lachrymę profluent: tunc Psalmus cantatur, & facit cor quod in Psalmo cantatur. August. super Psalm. 119. *Augusti.*

Itaque institui animũ intẽdere in scripturas sanctas, vt viderem quales essent. Et ecce video rẽ nonompertã superbis, nec nudatã puęris, sed incessu humilẽ, successu excelsam & velatã mysterijs, & nõ erã ego talis, vt intrare in eã possem, aut inclinare ceruicem ad eius gressus. Nõ enim sicut modo loquor, ita sensi cũ ascendi ad illam scripturam, sed visa mihi est indigna, quã Tullianæ dignitati cõpararẽ. Tumor enim meus refugiebat modũ eius, & acies mea non penetrabat interiora eius. Veruntamẽ illa erat, quæ cresceret cum paruulis: sed ego dedignabar esse paruulus & turgidus fastu, mihi grandis videbar. August. Confes. lib. 3.

Iam enim absurditatem, quæ me in sacris literis solebat offendere, cum multa ex eis probabiliter exposita audissem, ad sacramentorum altitudinem referebam, eoque mihi illa venerabilior & sacrosancta fide dignior apparebat autoritas, quo & omnibus ad legendum esset in promptu, & secreti sui dignitatem ab

in intellectu profundiore seruaret, verbis apertissimis, & humillimo genere loquendi se cũctis præbens, & exercens intentionem eorum qui nõ sunt leues corde: vt exciperet omnes populari sinu & per angusta foramina paucos ad te traijceret, multo tamẽ plures, quã si ne tanto apice autoritatis emineret, nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret. August. confes. lib. 6.

Aut quando illi libri me docerent eam? in quos philosophorũ libros me propterea priusquam scripturas tuas considerarẽ, credo voluisti incurrere, vt imprimeretur memoriæ meæ quomodo ex eis affectus essem: Et cum postea in libris tuis mãsuefactus essem, & curantibus digitis tuis contrectarentur vulnera mea, discernerem atque distinguerem, quid interesset inter præsumptionem, & confessionẽ, inter videntes quò eundũ sit, nec videntes qua, & viã ducentem ad beatificã patriam, non tantũ cernendã, sed & inhabitandã. Et infra. Nõ habent illæ paginæ vultum pietatis huius, lachrymas confessionis, sacrificiũ tuum spiritum contribulatũ, cor contritum & humiliatũ, populi salutem, sponsam, ciuitatem, arrã Spiritus sancti poculum pretij nostri. Nemo ibi cantat, Nonne Deo subdita erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Abscõdisti enim hæc sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. August. confes. lib. 7.

August. Vbi de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarũ scripturarum certis clarisque documẽtis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alterã declinãdo. Idem de baptis. paruulorum.

Scripturæ sacræ intelligentia si in cunctis esset aperta, vilesceret: & ideo tanto maiore dulcedine inuẽta reficit, quãto maiore labore fatigat animam quæsita. Idem.

Tanta est Christianarum profunditas literarũ vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitã senectutẽ maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: in quibus latet altitudo sapientiæ: vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco ait, Cũ consummauerit homo, tũc incipiet. Idem. 2. epist. ad Volus.

Hieron. Lectio diuina vice speculi nobis est, fœda corrigendo, pulchra conseruando, & pulchriora faciẽdo. Scriptura enim speculũ est fœ-

da

da ostendens,& corrigi docẽs.Hierony.in epist.ad Demet.Virgi.

Si iuxta Apostolum Paulũ,christus Dei virtus est, & Dei sapiẽtia:qui nescit scripturas,nescit Dei virtutẽ eiusq;.sapientiam.Ignorantia scripturarũ ignoratio christi est. Idem sup.Isai.in prolo.

Ille plus didicit,qui plus facit. cæterum si quod tu discis ego facio,magis mea opera scripturas tenent, quàm tuus sermo, qui vane resonat.Idem super Psal.cap.22.

Super illud Psal.147.Et adipe frumenti satiat te. Pinguissimus sermo diuinus est,omnes in se habens delitias:quidquid volueris ex sermone diuino nascitur, sicut tradunt Iudæi,quoniam manna quando commedebant,secundum voluntatem vniuscuiusque sic sapiebat in ore.Idem.

Si quicquam quod in hac vita virũ sapiẽtem teneat,& inter pressuras & turbines mundi æquo animo manere persuadet,id esse primum reor meditationem & scientiam scripturarum. Idem super Epist.ad Ephe.lib.1.

Vnum illud tibi repetam,& prædicãs iterũque iterũque monebo,vt animum tuũ sacrę lectionis amore occupes,ne in bona terra pectoris tui semen lolij auenarũque suscipias,&c.Deinde epistolã vltimo mãdato cõcludit hoc modo.Finẽ iungo principio, nec semel admonuisse contentus.Ama scripturas sanctas,& amabit te sapientia:dilige eam,& seruabit te:honora illam,& amplexabitur te. Hieronymo. ad Demetria.

De scripturis sanctis habeto pẽsum quotidianũ:nec ante quieti mẽbra cõponas,quã calathũ pectoris tui hoc sub tegmine impleueris.Post scripturas sanctas doctorũ hominũ tractatꝰ lege,eorũ dũtaxat,quorũ fides nota est.Nõ necesse habes aurũ in luto quęrere: multis margaritis vnã redime margaritã.Idem ad Furiam.

Geminum confert donũ lectio sanctarũ scripturarũ: siue quia mẽtis intellectũ erudit,seu quod à mũdi vanitatibus abstractũ hominem ad amorẽ Dei perducit.Isidor.de summo.bo.lib.3. *Isido.*

Ad sacrę scripturæ cognitionẽ opus est intima cõpunctione,potius quã profunda inuestigatione:suspirijs,quã argumẽtis, crebris gemitibus,quã copiosis argumẽtationibus:lachrymis, quã sentẽtijs:oratione,quã lectione:gratia lachrymarũ,quã sciẽtia literarũ: cœlestiũ potius contemplatione,quam terrestrium occupatione. Hug.lib.de Anima. *Hugo.*

Cyprian. Euágelij præcepta fratres dilectissimi, nihil sunt aliud quã magisteria diuina, fundaméta ędificãdæ spei, firmamenta corroborãdæ fidei, nutriméta fouendi cordis, gubernacula dirigẽdi itineris, præsidia obtinendæ salutis: quæ dũ dociles credentiũ mẽtes in terris instruũt, ad cœlestia regna perducũt. Multa per Prophetas seruos suos dici Deus voluit, sed quãto maiora sunt quæ filius loquitur? quę Dei sermo qui in Prophetis fuit, propria voce testatur. cypria. de oratione Dominica.

Clim. Tutum non est cum veste natare, nec cũ passione aliqua Theologiam attingere. Ioan. clim. Grad. 27.

COLLE. ¶ Scripturã diuinæ legis similẽ esse homini, Philo ait, vt pote quæ suũ corpus & spiritũ sicut homo habeat. Et quidẽ spiritus ipse lõge pulchrius est corpore, idest externo & literali sensu. Id quod in-*Exod.2.* dicat fiscella scirpea, quæ infantulum Mosem continebat, extra quidẽ villis & picea, intus tamẽ eleganti puero ornata. Quid enim pulchrius externo sub cortice legis latente? Id etiam indicat velũ illud quod supra fulgidã legislatoris faciem positũ erat, vt late D. Paulus interpretatur. cæterũ cũ Moses ad Deũ cõuertebatur, aufe-*2.Cor.3.* rebat velamẽ: Dñs autem spiritus est. Vt intelligas, quod cũ Iudæi ad spiritũ cõuertũtur (nẽpe spiritualiter, & agnũ, & vitulã, & hircum, & altare, & propitiatoriũ, & propositionis panes intelligẽdo) tunc velamen aufertur, quo legis fulgor tegebatur.

Humiliter & reuerenter, non curiose, legendas esse scripturas sacras docet Ecclesi. 32. his verbis: Qui quęrit legem, replebitur ex *Eccli.32.* ea: qui autem insidiose agit, scandalizabitur ab ea. Hoc ita esse Hęretici declarãt, qui superbe nõ humiliter legẽtes scripturã ex ea errorũ suorũ fomẽta hauserunt. Hinc illud ex epist. Petri secunda de epistolis Pauli loquẽs: in quibus ait, esse quædam difficilia intelle-*2.Pet.2.* ctu, quæ peruersi homines (sicut cæteras scripturas) in suam dãnationem deprauant.

Psal.77. Obscuritatem literarum sanctarum declarãt illa verba, Aperiã in parabolis os meũ, loquar propositiones ab initio, siue vt Hier. vertit, Ænigmata antiqua. cur parabolas & ęnigmata appellat historiã apertissimã? Nimirũ quia omnis sacra doctrina maxime recondita & obscura ijs est, qui nullo alio nisi naturali lumine præditi *Mar.4.* sunt. Hinc est quod Saluator ait. His autẽ qui foris sunt omnia in parabo-

parabolis fiũt:ideoq; vidẽtes nõ vident:& audiẽtes nõ intelligũt.

Pro eo quod nos legimus Psal. 88. Pręparabitur veritas tua in eis, alij ex Hebræo vertunt, In cœlis ipsis stabilies veritatem tuã: quo *Psal. 88.* designatur viritatem Dei non minus inconcussam, æternãque, atque ipsos cœlos permanere: imo vero stabiliorem esse, Dominus testatur cum ait, cœlũ & terra transibunt, &c. Huius veritatis certitudo pios homines maxime tũ ad spẽ, tũ ad timorẽ ducit. Cũ enim *Luc. 21.* verba Dei partẽ minis, partim promissis cõtineantur, ex minis ad timorem, ex promissorum vero certitudine ad spem incitamur.

Inter magna Dei beneficia merito numeratur illud, Notas fecit *Psal. 102.* vias suas Moysi, filijs Israel &c. cui simile est & illud, Qui annuntiat verbũ suũ Iacob. i. &. i. s. i. Non fecit taliter omni nationi &. i. s. *Psal. 147.* n. m. e. Hoc autẽ beneficiũ amplificant illa verba Mosis Deut. 4. Quæ est enim gens sic inclyta, quę habeat ceremonias, iustaque iudicia, & vniuersam legẽ, quã ego proponã hodie corã oculis vestris? In quos enim errores Philosophi omnes inciderũt, qui hoc lumine destituti fuere? Verissimè enim dictũ est, si gnis fuerit cõsummatus inter filios hominũ, & abfuerit ab illo sapientia tua, quasi in *Sap. 9.* nihilũ cõputabitur. Et, Vani sunt omnes: in quibus nõ subest sciẽtia Dei, & vacua spes illorum. *Sap. 13.*

Vbi nos legimus, Nã & testimonia tua meditatio mea est, &. c. *Psal. 118.* m. i. t. alij verterũt, Nã & testimonia tua delectationes meæ sunt, & cõsiliarij mei. Infra vero vbi nos legimus, cãtabiles mihi erãt. i. &c. alius vertit, cãtica mihi fuerũt ius. t. i. l. p. m. De ipsarũ verò suauitate ait, Quã dulcia faucibus meis eloquia tua? s. m. o. m. De vtilitate *Ibid.* verò subdit, Lucerna pedibus meis verbũ tuũ &. l. s. m. Quos autẽ potissimũ illuminet, exponit paulo inferius cùm ait, Declaratio sermonũ tuorũ illuminat, & intellectũ dat paruulis. i. hominibus *Ibid.* se se submisse gerẽtibus. De quibus alibi dixit, Testimoniũ Domi- *Psal. 18.* ni fidele. s. p. p. Pro declaratione autẽ Hier. ex Heb. vertit, hostiũ *Psal. 118.* sermonũ tuorũ &c. Quo significatur nõ modo perfecta sciẽtia, sed rudimẽtis etiã ipsis diuinorũ eloquiorũ mẽtes hominũ illuminari.

Vbi nos legimus, statue seruo tuo eloquiũ tuũ, alij verterũt, cõfirma seruo tuo eloquiũ tuũ: ꝙ incitat ad timorẽ tuũ. Hoc enim vere præstat pura sanctarũ scripturarũ Lectio: supra omnia alia philosophorũ etiã grauissimorũ scripta vt late probat Aug. 7. cõfes. li.

Introduxit me rex (ait Sponsa in cellaria sua: exultabimus & *Cant. 1.*

lætabimur in te &c. cellariorum nomine recondita ſcripturarum ſanctarum myſteria, & abdita ſacramenta (quæ non omnibus paſſim obuia ſunt, & incerta illa & occulta ſapientiæ Dei: quæ à Deo ſibi manifeſtata fuiſſe regius Propheta gloriabatur) intelligere poſſumus. Trahitur enim ſapientia de occultis. Harum autem rerum miſtica cognitio Spiritus ſancti magiſterio tradita, miras habet delitias & voluptates. Ideo ait, Exultabimus & lętabimur in te, &c. Ex quo etiam patet, Spiritus ſancti ductu ad ſcripturarũ intelligentiã opus eſſe: cum omnis ſcriptura eodem ſpiritu legi debeat, quo ſcripta eſt, vt eius mentem aſſequi liceat.

Quæri poteſt cur ſcriptura ſacra toties & tropis & metaphoris vtatur: quod in literis Prophetarum, & cantico canticorum, & alibi quoque videre eſt? Huius rei cũ multæ ſint cauſæ, hæ mihi præcipuę videtur. Fit enim hoc primũ faſtidij vitandi gratia. cũ enim non raro opus eſſet, rem aliquam inſignẽ, quæque maxime hominum mentes excitare ad virtutem poſſet, oculis frequenter obijcere, & in ea diuitus commorari (quod etiam Rhetores fieri præcipiunt) ſi ea res proprijs nominibus ſemper efferretur, faſtidiũ vtique legentibus ingeneraret. Quare operæ pretium fuit, varijs tropis, & ſimilitudinibus eã veſtire ac variare, vt ita ſine faſtidio repeteretur. Sic enim Nabuchodonoſoris aduentum Prophetæ aliquãdo ſub typo fluminis inundãtis, obuia queq; demolientis, vt Eſai. 7. deſignabat: aliquãdo ſub nomine leonis rugiẽtis vt Hierem. 4. Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo gentiũ ſe leuauit. Aliquando ſub aquilæ imagine vt Ezech. 17. Aquila grandis magnarum alarũ venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. Simili ratione ex oportunitate & abundantia Euangelicæ gratiæ, ad virtutis & pietatis ſtudium maxime incitamur. Hac enim ratione Apoſtolus vtitur cum ait, Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis &c. Ecce nunc tempus acceptabile. Hoc eodem argumento ſaluator vtitur in parabola de nuptijs: in qua tauros, & altilia occiſa, & omnia parata eſſe commemorat, vt nihil deſit volentibus nuptiarum agni participes fieri. Idem etiam inſinuat in parabola de cœna magna ad quam omnes inuitantur. Eodem etiam argumento in cant. vtitur cùm ſponſam à torpore ſuo ad charitatis feruorem excitat, ex eiuſdẽ Euãgelij opportunitate quod hyemis & veris metaphora declarat: hyemẽ legis veteris tempus

Prima ratio.

2. *Cor.* 6.

Luc. 14.

Luc. 14.

Cant. 2.

(vide-

(videlicet ad iter faciendum inopportunum) ver autem nouæ legis: quod ex omnibus circunstantijs describit. Sic etiam Apostolus illud nocti, hoc vero diei cõparat cùm ait, Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Eandem quoque Euangelij gratiam alibi sub nomine aquarum & fontium designat. In his omnibus cæterisque similibus res est eadem quæ traditur, tropi tamen & similitudines variæ. ¶ Altera vero causa est, quod hac loquendi ratione multa quoque rei circunstantiæ & partes adduntur, quæ rei magnitudinem plenius describunt. Quin & res ipsæ latius hoc modo explicantur: quandoquidem in ijs rebus quæ proprijs verbis designantur, non licet extra præscriptum euagari: at vbi per tropologiam res exponitur, variç res sub eadem similitudine intelligi possunt. Vt cum dicimus, In odorem vnguentorum tuorum currimus. Quam multa sunt, quæ vnguentorum nomine accipere licet? Vnguenta enim christi beneficia eius, & verba, & exempla, & sacramenta, & vbera consolationis eius: ac denique omnia christi munera: vnguentorum nomine intelligere possumus. Ad hũc modum euagari licet cum & vbera Sponsæ, & lectulum sponsi, & cellaria, cellamque vinariam, & fasciculum myrrhæ, & botrum cypri, cæteraque similia legimus: vt omittam interim quam latè hic pateat campus, cùm varias rationes assignamus propter quas sponsus, vel fasciculus myrrhę, vel botrus cypri, vel flos campi, vel liliũ conuallium, vel petra, vel maceria appelletur: & propter quas item sponsa columba, & hortus conclusus, & fons signatus &c. nuncupetur. Est enim hoc loquendi genus vberrimum & fœcundissimũ. ¶ Postremò hoc ipsum mire facit non modo ad gratiam & iucunditatem, sed etiam ad vim & acrimoniam orationis. Vehemẽtius enim est, Ascendit leo de cubili suo, & prædo gentium se leuauit &c. quam si dicas, Nabuchodonosor venturus est &c. Et maius atque sublimius est cum Propheta dicit, Super aspidem & basiliscũ ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Et, Lætabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & qui ablactatus fuerit in cauernam reguli mittet manum suam: quam si hæc eadem proprijs vocibus enuntiarentur. Et iucundius est illud, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet &c. Et, Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium &c. Et Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit &c.

Rom. 13.

2. *Ratio.*

3. *Ratio.*

Hiere. 4.

Psal. 90.

Esai. 11.

Esai. 11.

Esai. 35.

quàm

quàm si hæc omnia suis nominibus significarentur. Quanquã in hoc postremo loco, nó modo gratia, sed vis etiã & admiratio quędam est. ¶ Hæc quoque dicendi figura cõmunia nouiter (quæ maxima orationis virtus est) dici solent. Commune enim est si dicas, vtilissimũ esse Dñicæ passionis beneficium meditari: at nouũ apparet cũ hoc ipsum sub hac similitudine cõmendas, Egredimini filiæ Sion, & videte regẽ Salomonẽ in diademate, &c. Et, Colũba mea in foraminibus petræ. i. c. m. Et, Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea cõmorabitur. Quę oĩa sub diuersis tropis idem significant. Hæc autem quæ diximus probè intellexisse, plurimum & ad intellectum, & explanationem sanctarum scripturarum conducit. His enim obseruatis, & tropologicos sermones intelligere, & metaphoras excutere, & in lucem quidquid in earũ sinu atque complexu latet pari venustate & amplitudine sermonis in lucem eruere poterimus.

4. *Ratio.*

Cant. 3.

Cant. 2.

Cant. 1.

Esse singulare donum scripturarũ sanctarum intellectum: cùm videlicet ad intima vsque diuini spiritus arcana penetramus, & scripturarum sensum & affectum percipimus declarat Sponsa cũ ait, Introduxit me Rex in cellam vinariam. Vinum quippe verbũ Dei esse declarat Dominus Matth. 9. cùm ait, Vinum nouum in vtres nouos mittendũ esse, &c. Quo loquendi schemate insinuare voluit aliam incipientibus, aliam prouectioribus vitæ regulam atque doctrinam esse tradendam. Quod cùm ita sit oratione se atque humilitate præparare debet quicunque ad sacras literas accedit quæ intellectum dant paruulis. Hinc Diuus Augustinus vndecimo Confess. sic orat, Noli claudere Domine Deus, per Christũ obsecro, noli claudere desiderio meo abdita ista, quominus ea penetret & dilucescat, allucente misericordia tua. Quem enim percontabor, aut cui fructuosius confitebor imperitiam meam nisi tibi, cui non sunt molesta studia mea flammantia vehementer in scripturas tuas. Nec enim frustra scribi voluisti tot paginarum opaca secreta. Sint ergo castæ delitiæ meæ scripturæ tuæ, non fallar in eis, nec fallar ex eis.

Cant. 2.

Mar. 2.

Sanctarum scripturarum dulcedinem & suauitatem insinuant illa Prophetæ verba, Quàm dulcia faucibus meis. e. t. s. m. o. m. Cui consentiunt & illa Sponsi verba Cant. 4. Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua. In melle dulcedo, in la-

Psal. 118.

cte quo tenera nutritur infantia, spirituale animarum nutrimentū accipimus: vtrumque alumnis suis sanctarum scripturarum deuota lectio præstat, quæ mirè illos delectat & nutrit.

Duo Cherubin ad latera arcæ collocari à Domino iubetur, quę versis vultibus se & propitiatorium mutuo respiciāt. Per quæ duo testamenta conuenienter accipimus, quæ mirabili inter se consensione conspirant. Vtrumq; tamen propitiatorium quod in medio positum est, respicit: quia finis legis & Euangelij Christus est: quē proposuit Deus propitiatorem (siue vt alij legūt) propitiatorium pro peccatis nostris. Quam ob rem in tota sacra pagina Christus semper nobis occurrere debet, ad quem omnia referuntur. *Exod. 25.*

Sanctarum scripturarum virtutem supra omnes Philosophorū doctrinas miris in cœlum laudibus D. August. Confess. 7. lib. c. 21. extollit: quod humiles homines ex turgidis & inflatis efficiant, & qui eas legit nō solum admonetur vt videat, sed etiam sanatur vt teneat: & vt vtrumq; Dei donum esse agnoscat. Memorat item. 8. Confess. lib. cap. 2. Victorinum non in rhetorica modo, sed in omnibus disciplinis adeo insignem, vt Romæ in foro statuam meruerit, legendis sacris literis ita permotum & affectum fuisse, vt tota ferè Romana nobilitate quam is erudierat reclamante maximo nostrorū gaudio & infidelium mœrore fuerit ad fidem conuersus, publicèque baptismum recipere non erubuerit. Subdit enim Augustinus. Denique vt ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis conceptis, retentisque memoriter de loco eminentiore in conspectu populi fidelis Romæ reddi solet, ab eis qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum illi fuit à presbyteris vt secretius redderet, sicut nonnullis qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat. Illum autem maluisse salutē suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri.

Omnis scriptura eo spiritu legi debet, quo facta est. Quis enim charitatis plenissima verba charitate vacuus intelligere poterit? Vnde qui frigido corde scripturas legūt, frigidi permanēt vbi eas legerūt: qui autē charitate incēsi easdē legūt, miras ex earū lectiōe voluptates capiūt: ita vt cū Spōsa dicāt, Anima mea liquefacta est, vt locutus est dilect⁹ meus. Hinc Māna (quod verbi Dei imaginē refert) liquefiebat, vbi Sol incalesceret. Aliter ergo hi, aliter cęteri legēdis, vel audiēdis scripturis afficiūtur. Vnde sūt illa verba Dñi,

Qui

Ioan.8. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Et, Si quiſquis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina mea vtrum ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar. Et Ioannes, Qui eſt ex Deo, audit nos. Et, Qui non diligit, nō nouit Deum: adeo enim parum de Deo nouit, qui non diligit, vt illum ignorare dicatur.

Ioan.7. *1.Ioan.4* *Ibidem.*

Ti.Euch. Qua puritate ad ſacratiſsimum Domini corpus ſumendum accedere debeamus, ex illa lege Domini Leuit.7. colligitur, quæ ſic habet, Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis. Et quæ tetigerit immundiciam hominis vel iumenti, ſiue omnis rei quæ polluere poteſt, & comederit de huiuſmodi carnibus, interibit de populis ſuis. Ex his locis apparet manifeſte quod Apoſtolus ait, Omnia olim Hebræis in figura contigiſſe. Neque enim vel morbus corporis, vel fluxus ſanguinis, vel huiuſmodi cōtactus, vel illius carnis eſus ſecluſa prohibitionis lege, immundicia aliqua mentem hominis afficiunt: quæ ſola peccati labe contaminatur. Quare in his ac ſimilibus locis quibus Moyſi lex plena eſt, ad ſpiritualem animarum immundiciam, & verum corporis chriſti ſacrificium reſpiciendum eſt, ſi ad intimam diuini ſpiritus mentē pertingere volumus. Itaque ex hoc loco vel miſticum ſenſum conſeruando, vel à minori ad maius argumentando colligere licebit, quam capitale ſit impura conſcientia ad ſacra Dominici corporis myſteria accedere: quando capitale erat, hominem ſolo tactu cadaueris pollutum, pecudis carnes in ſacrificio Domini oblatas, comedere.

Gen.26. Repurgant pueri Iſaac puteos quos pueri patris ſui foderant, quoniam eos Philiſtijm terra oppleuerant. Hoc Iudæi faciunt, qui terrena & carnali intelligentia ſpiritualem legem interpretantur: hoc & Dæmones faciunt, qui cœleſtia virtutum ſemina animis noſtris impreſſa prauis opinionibus, ac deprauatis moribus quaſi iniecta terra obruunt & excæcant.

Scripturas ſanctas ac præcipue legem eſſe ſpiritualiter intelligēdas, & ad earum intellectum & auditum adhibendam eſſe attentionem, vitæ puritatem & orationem eleganter Origenes tractat in homil. ſuper Exod. vbi de facie Moſis glorificata & ſuperinducto velamine agit: vbi etiam copioſe tractat locum Apoſtoli. 2. cor. 3. in quo is de hoc Moſis velamine diſerit. Ait igitur, Moyſes glorificatam faciem habebat, ſed ponebat is velamen ſuper faciem ſuam &c.

&c. Moyses ergo glorificato vultu loquitur, sed gloriam quæ est in vultu eius non possumus intueri: est enim omnis gloria eius in trinsecus. Vt enim Apostolus ait, Velamen id ipsum in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, quia videlicet lex gloriam habet excelsam, sed absconditam & latentem, & velo contectam. Quæ quidem tanti Apostoli sententia amputaret nobis spem omnem scripturam intelligendi nisi protinus subiunxisset, Cum autē quis conuersus fuerit ad Dominum auferetur velamen. Igitur causam auferendi velaminis, & intelligendi scripturas conuersionem nostram dicit ad Dominum. Quid est autem ad Dominum conuerti? Si mundanis omnibus negotijs terga vertamus, & studio, actibus, mente, intentione, solicitudine verbo Dei operam demus, & omissis omnibus Deo vacemus, hoc est conuersum esse ad Dominum. Sed quis nostrum ita se conuertit ad Dominum? Quis nostrum expleat Dominicum illud præceptum, Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi. m. t. &. d. t? Alij ne hoc quidem patienter expectant, quousque lectiones in Ecclesia recitentur: alij nec si recitentur, sciunt, sed in remotioribus Dominicę domus locis communibus fabulis occupātur. De quibus ego ausus sum dicere quia cum legitur, Moyses iam non velamen super cor eorū, sed paries & murus quidam est positus. Quomodo enim dicendus est velamen habere super positum cordi ad quē ne ipsum quidem velamē literæ quo sensus velatur, qui est sonus vocis accessit? ¶ Sed quid est, quod deinde sequitur, Dominus autē spiritus est? Per quod quasi interpretari videtur quid sit Dominus. Quis enim nescit quod Dominus spiritus est? Videamus ergo ne nō solū cum Moyses legitur, sed & cum Paulus legitur, velamen sit positum super cor nostrum. Et manifeste si negligenter audimus, non solum legis & prophetarum scripta sed & Apostolorum & Euangelistarū grandi nobis velamine conteguntur. Ego autem vereor ne per nimiam negligentiam & stoliditatem cordis non solum velata sint nobis diuina volumina, sed & signata, vt si detur in manus hominis nescientis literas liber legendus, dicat quia nescio literas. Si detur in manus hominis scientis literas dicat quia signatus est. Vnde ostenditur etiam præter industriam & diligentiam adhibendam esse quoque orationem, vt veniat agnus ex tribu Iuda, & ipse accipiens librum signatum, dignetur aperire. Ipse est enim qui scri-

pturas adaperiens accendit corda discipulorum, ita vt dicant, Nōne cor nostrum ardens erat in nobis cum aperiret nobis scripturas &c. Ipse ergo nunc nobis aperire dignetur, quid est quod Apostolo suo inspirauit, vt diceret. Dñs autẽ spiritus est. Vbi autem spiritus Domini ibi libertas. Ego quidem quantum pro paruitate intelligentiæ meæ sentire possum, puto quod filius Dei nunc via, nunc veritas, nunc caro, nunc spiritus nominetur. Quamuis enim verbum caro factum sit, tamen est vbi Apostolus dicat, Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Quia ergo nunc sermo eius ad subtiliorem & spiritualẽ intelligentiā prouocat auditores, & vult eos nihil carnale in lege sentire, dicit vt qui vult auferri velamen, conuertatur ad Dominū. Non quasi ad carnem Dominum (est enim & hoc quia verbum caro factum est) sed quasi ad spiritum Dominum. Si enim quasi ad spiritum Dominum conuertatur, de carnalibus ad spiritualia veniet, & ad libertatem de seruitute transibit.

Esse in literis sanctis mysticum & spiritualem sensum, præter eum quem prima fronte verba præ se ferunt, hac similitudine declarat Origenes, Sicut in nouissimis diebus verbum Dei ex Mariæ carne vestitum processit in hunc mundum, & alium quidem erat quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur: carnis nanque aspectus in eo patebat omnibus, paucis verò & delectis diuinitatis agnitio: ita & cum per prophetas vel legislatorem verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis, ita hic literæ velamine tegitur, vt litera quidem aspiciatur tanquam caro, latens vero intrinsecus spiritualis sensus tanquam diuinitas sentiatur.

Quid sibi vult quod in sacrificio pro gratiarū actione (de quo Leuit. 7. agitur) carnes hostiæ quæ immolantur, eodem die mādu cantur, nec quicquam ex eis relinquitur in alteram diem? Certe hoc in loco (inquit Origenes) diuino egemus auxilio, quo mentem Domini & legis huius consilium atque rationem capere valeamus. Conferamus igitur ipsam sibi scripturam diuinam, & quam nobis aperuerit absolutionis semitam, subsequamur. Inuenimus enim de sacrificio paschæ, quod in vespera immolari iubetur, dari mandatum similiter, ne remaneat ex eo aliquid

vsque

vſque mane. Non eſt hoc otioſum quod heſternas carnes non vult veſci nos ſermo diuinus, ſed recentes ſemper & nouas. Recordatus ſum ſimile aliquid & prophetam Ezechielem dicere cum ei Dominus præcepiſſet vt coqueret ſibi panes in ſtercore humano. Reſpondit enim Domino, O Domine nunquam contaminata eſt anima mea, & morticinum aut immundum non comedi. Sed neque caro heſterna introiuit in os meum. De quo ſæpe apud me metipſum requirebam, quænam eſſet iſta Prophetę exultatio, qua velut magnū aliquod ante Deum proferret, quia nunquã carnem heſternam manducauerit. Audite hæc omnes Domini Sacerdotes, & attentius intelligite quæ dicuntur, caro quæ ex ſacrificijs ſacerdotibus deputatur, lex Dei eſt de qua monentur, vt cum proferre ſermonem debeant, non heſterna proferãtur, nõ vetera quę ſecundum literam ſunt, proloquantur, ſed per gratiam Dei noua ſemper proferant, & ſpiritualia ſemper inueniant. Si meminiſtis in oblatione primitiarum eodem ſermone vſus eſt legis lator, Vt ſint, inquit, noua & recentia. Denique Gabaonitæ illi propterea condemnantur, quia panes veteres ad Iſraelitas detulerunt.

Ezec. 4.

Ioſue. 9.

Scientia, Doctrina, Philoſophia.

VEra ſcientia afficit non extollit, nec ſuperbientes quos impleuerit, ſed lamentantes facit. Greg. in Mor. 23. cap. 17. *Greg.*

Cũ ſumma cura prouidẽdũ eſt, ne accepta ſapiẽtia cũ ignorãtiæ tenebras illuminat, lumẽ humilitatis tollat, & iã ſapiẽtia eſſe nequeat, quæ etſi virtute locutionis fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obſcuret. Greg. in Mor.

Scientia cum quis repletus fuerit, priori loco ſe ſcire adpetit, & iam ſui conſcius, tanto per illam robuſtius ſapit, quanto ſe infirmũ in illa verius recognoſcit. Greg. in Mor.

Super illud. Mel inueniſti &c. Satiatus mel euomit: qui plus appetens penetrare quam capit, & illud perdit, vnde potuit nutriri. Greg. vbi ſup. lib. 16. cap. 2.

Dæmon ſcientiam noſtrã offuſcat: ſicut quondam incolæ puteos Iſaac terra replebant. Greg. vbi ſup. cap. 9.

Greg. ſuper illud Iob, Nepotes non ſaturabuntur pane, ſic ait:

Quia dum in sacri verbi pabulo, plus quærunt sentire, quã sapiũt: semper à veritatis cognitione ieiunant: & prædicamenta doctrinæ quæ quærunt ad quæstionem, habere non valent ad refectionem. Mor. 18. cap. 6.

Quidã non quærũt in lectione ea vnde ad virtutẽ erudiantur, sed ea vnde singulariter eruditi videãtur: atque ita immoderatis ausibus scientiã quo plus appetũt, plus amittũt. Greg. 20. Mor. cap. 8. Vide hoc in loco contra eos, qui nimium alta perscrutantur.

Non est secura lętitia multa cognoscere, sed cognita custodire: quanto enim intentio latius extenditur: tãto ad explẽda opera enixius ligatur. Greg. 22. Mor. cap. 4.

Sancti non exultant, cum cognoscunt, quæ faciunt, sed cum faciunt quæ cognoscunt. Actione ergo persoluunt, quod eis in cognitione prętogatum ęst Greg. 22. Mor. cap. 4.

Arrogãtes, ab inuestigatione mysteriorum Dei, elatio ipsa sciẽtiæ suæ eijcit, dũ extollit. Est enim obstaculũ veritatis tumor mẽtis quia dũ inflat, obnubilat. Foris acuti, intus cæci: nec de Deo sciũt, quod dulce sapiat, sed quod sonet. Greg. 23. Mor. cap. 16.

Iob. 37. Greg. super illud Iob. 37. Perfectas scientias, sic ait: Perfecta sciẽtia est, scire omnia, & tamen se esse scientem nescire. Vnde. 1. Corinth. 8. Qui se putat aliquid scire, nondũ cognouit, qualiter oporteat eum scire. Greg. 27. Mor. 24. cap.

August. Quidquid de arte loquendi, & differendi, quicquid de dimensionibus figurarum, & de musicis, & de numeris, sine magna difficultate, nullo hominum tradente intellexi: scis tu domine Deus meus, quia & celeritas intelligendi, & discendi acumẽ, donum tuũ est: sed non inde sacrificabã tibi. Itaq; mihi non ad vsum, sed ad perniciem magis, valebat: quia tam bonam partem substantiæ meæ sategi habere in potestate: & fortitudinem meam non ad te custodiebam, sed profectus sum abs te in longinquam regionem, vt eam dissiparem in meretricias cupiditates. Nã quid mihi proderat bona res non vtenti bene? Quid mihi tunc proderat ingenium per illas doctrinas agile, & nullo adminiculo humani magisterij tot nodosissimi libri enodati, cũ deformiter & sacrilega turpitudine in doctrina pietatis errarẽ? Aut quid tantum oberat paruulis tuis lõge tardius ingenium, cum à te longe nõ recederẽt, vt in nido ecclesiæ tuæ tuti plumescerent, & alas charitatis alimento sanæ

fidei.

fidei nutrirent August. confess. lib. 4.

Infœlix ille homo, qui scit illa omnia, te autem nescit: beatus ille qui te scit, etiam si illa nesciat, qui vero & te & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est, si cognoscēs te, sicut Deum glorificet, & gratias agat, & non euanescat in cogitationibus suis. Sicut enim melior est qui nouit possidere arborē, & de vsu eius tibi gratias agit, quamuis nesciat vel quot cubitis alta sit, vel quanta latitudine diffusa, quàm ille qui eā metitur, & omnes ramos eius numerat, & neque possidet eam, nec creatorē eius nouit, aut didicit: sic fidelis homo, cuius totus mundus diuitiarum est, & quasi nihil habens, omnia possidet, inhærendo tibi, cui seruiunt omnia, quamuis nec septentrionum gyros nouerit, dubitare stultum est, quin vtique melior sit, quam mensor cœli, & numerator syderum, & negligens tui, qui omnia in numero & mensura & pondere disposuisti. Aug. confes. lib. 5.

Multos reperimus negligentissimos iustitiæ, & auidissimos sapientiæ: hos docet scriptura diuina peruenire non posse ad id quod appetunt, nisi seruando quod negligunt. Fili, inquit, concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Dominus præbebit illam tibi. Idem in serm.

Neque pigebit me sicubi hæsito, quærere: nec pudebit, sicubi erro, discere. Idem de Trinit.

Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verū amare, non verba. Idem de doctri. Christ.

Non simus in disputationibus prompti, & in orationibus pigri. Idem de bon. perseu.

Quisquis omnē philosophiam fugiendam putat, nihil nos vult aliud, quam non amare sapientiam. Idem de ord. discen.

Qui didicerunt à Domino Iesu Christo mites esse, & humiles corde, plus cogitando & orando proficiunt, quàm legendo & audiendo. Idem in epist. ad Pauli.

Multo facilius inuenit syderum conditorem humilis pietas, quàm syderum ordinem superba curiositas. Idem in serm. de Eclyp. solis.

Alij nūmum addant nummo, & marsupium suffocantes, matronarum opes venentur obsequijs: Nepotianus noster, aurum calcās scquedulas consectatur. Hierony. ad Heliod. *Hieron.*

Si adamaueris captiuam mulierem, ideſt, ſapientiam ſecularem, & eius pulchritudine captus fueris decalua eam, & illecebras criminum, & ornamenta verborum cum emortuis vnguibus ſeca: laua eam prophetali nitro: & tunc requieſcens cum illa dicito, Leua eius ſub capite meo &c. Multos tibi fœtus captiua dabit, ac de Moabitide efficietur Iſraelitis. Idem ad Pammachium.

Bernar. Sunt qui ſcire volunt eo fine tantum vt ſciant, & turpis curioſitas eſt: Et ſunt qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt. Et ſunt etiam qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam alijs vendant, verbi cauſa, pro pecunia & honoribus, & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quoque qui ſcire volunt, vt ędificentur, & prudentia eſt. Bern. ſuper Cant.

Falleris fili, falleris, ſi te putas inuenire apud mundi magiſtros ſcientiam, quam ſoli Chriſti diſcipuli, id eſt, mundi contemptores, Dei munere aſſequuntur: non enim hanc lectio docet, ſed vnctio: non litera ſed ſpiritus, non eruditio ſed exercitatio in mandatis Dei. Idem in epiſt.

Cibus indigeſtus corpus corrumpit: inflatum & hydropicum reddit: ſi digeſtus fuerit, nutrit: ſic ſcientia ſtomacho animæ indigeſta, ſi non fuerit igne charitatis decocta, malos humores generat. Numquid non mali mores, mali humores ſunt? Idem ſuper illud ſcientia inflat.

Super Cant. ſerm. 36. exponens illud Corint. Si quis exiſtimat ſe ſcire, cum nihil ſciat &c. Vides quod non probat multa ſcientem, ſi modum ſciendi neſcierit. Vides quomodo fructum & vtilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit. Quid ergo dicit, niſi vt ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine, quæque noſſe oporteat. Quo ordine? vt illud prius quod maturius mouet, ad ſalutem: quo ſtudio? vt illud ardentius, quòd vehementius ad amorem: quo fine? vt non ad inanem gloriam, curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantum ad tuam & aliorum ędificationem. Idem.

Sol non omnes quibus lucet, etiam calefacit: ſic ſapientia multos quos docet quid ſit faciendum, non continuo etiam accendit ad faciendum. Aliud eſt multas diuitias ſcire, aliud & poſsidere: nec notitia diuitem facit, ſed poſſeſsio. Idem ſerm. 23.

Somnio similis est imperitorum vita, vanas imaginationes habens. Isidor. *Isidor.*

Cum sit vtilis ad instituendum lectio, & adhibita collatione maiorem intelligentiam præbeat, melius est conferre quam legere. Idem de sum.bo.lib.3.

Duo sunt quæ simul efficiunt illud quod quęritur, Scientia id *Lactan-* pręstat, vt quomodo & quo perueniendũ sit, nouerimus: Virtus, vt *ctius.* perueniamus: alterum sine altero nihil valet. Lactantius.

O quanti veritatem quærunt, non in veritate, sed in vanitate: *Richard.* quæsitã inueniunt, non ad veritatem, sed ad vanitatem, & quod miserrimum est, in verbis vitæ, lucra mortis negotiantur. Richar. de S. Vict. in quodam serm.

Odibilius nihil est subtilitate, vbi est sola subtilitas: quid enim *Pet. Rav.* prodest in illis expendere dies suos, quæ neque domi, nec militiæ nec in foro, nec in claustro, nec in curia, nec in Ecclesia, nec alicubi prosunt, nisi duntaxat in scholis. Scribens Seneca ad Lucillũ, quid est inquit, acutius arista, & in quo est vtilis? Tale est inquit, ingenium, quod sola subtilitate lasciuiens, nulla in se residet grauitate. Pet. Rau. in serm.

In literis prudens, inuenit vnde sapientior fiat: ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur: inde princeps accipit quomodo populos sub æqualitate componat: nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quam literarum non augeat gloriosa notitia. Idem in Epist.

Sobrius intellectus in omnibus optimus est, qui reficit animã, *Glos.* nec grauat mentem: vnde mel inuenisti, commede quod sufficit tibi: ne forte satiatus euomas illud, & peieres nomen Dei tui. Glos. in illud Eccles. 3. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter.

Quid est quod ex tanta turba discentium, quorum multi & *Hugo.* ingenio pollent, & exercitio vigent, tam pauci inueniantur, quibus ad scientiam peruenire contingat? Sciẽdũ est, quod in quolibet negotio duo sunt necessaria: opus videlicet & ratio operis quę ita sibi annexa sunt, vt alterum sine altero aut inutile sit, aut minus efficax. Verũtamẽ melior vt dicitur prudẽtia est fortitudine: quia & pondera aliquãdo quæ viribus mouere nõ possumus, arte leuamus. Sic nimirum est in omni studio, qui sine & discretione operatur,

ratur, laborat quidem sed non proficit, & quasi aerem verberans vires in ventum fudit. Aspice duos pariter syluam transeuntes: & hunc quidem per deuia laborantem, illũ vero recti itineris compendia eligentem: pari motu cursum tendunt, sed non æquè perueniunt. Quid autem scripturam dixerim, nisi syluam? cuius sentẽtias quasi fructus quosdam dulcissimos legendo, carpimus: tractãdo, ruminamus. Qui ergo in tanta multitudine librorum discendi atque legendi ordinem non custodit, quasi in densitate saltus oberrans, tramitem recti itineris perdit: & vt dicitur semper discentes, & nũquam ad scientiam peruenientes. Tantum enim valet discretio vt sine illa, & omne otium turpe sit, & labor inutilis. August. lib. 5. Didascal.

Frustra in nobis diuinæ cognitionis abundantia crescit, nisi in nobis diuinæ dilectionis flammam augescat. Idem vanit. mundi.

Si quis familiariter scientiam amare didicerit & ei sæpius vacare voluerit, iucundam valde reddit vitam, & maximam in tribulatione præstat consolationem. Idem in Didascal. lib. 3.

Plato. Omnis sapientia si separetur à iustitia & reliqua virtute, calliditas & non sapientia efficitur.

Socrates. Socrates interroganti quodnam esset pulcherrimum animal, dixit, Homo doctrina ornatus.

Cleantes. Cleantes dicebat, homines imperitos sola forma differre à bestijs.

Empedo. Empedocles ad quendam dicentem quòd nullum sapientem reperire posset: Non mirum est dixit: oportet enim vt primum ille sapiat qui sapientem quærit.

Theocrit. Agricola terram: philosophus ingenium excolit.

Democritus. Ciuitatibus mœnia, animis vero mens per disciplinam exculta decus & munimentum præstant.

Cato. Discere ne cesses, cura sapientia crescit,
Rara datur longo prudentia temporis vsu.

Antisth. Præcipua disciplina dediscere mala.
Baculus est eruditio vitæ. Idem.

Plinius. Multum legendum est, sed non multa.

Aristot. Non vt sciamus quid sit virtus perscrutamur, sed vt boni efficiamur.

Errores

Errores magni, raro nisi ex magnis ingenijs prodiere. *Ex [illegible]*
In animis laboriosorum habitant musæ. *sis.*
Memoria thesaurus artium.
Plurima sunt cognoscenda, sed optima retinenda.
Perijt omne tempus, quod studijs non impartimur.
Præcipua eruditio est velle discere. *Cicer.*

Si ex literis delectatio tantum peteretur, tamen hanc animaduersionem humanissimam & liberalissimam iudicaremus. Nam cætera neque temporum sunt, nec ætatũ omnium nec locorum. Hæc studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium atque solatium præbent: delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Cicero. Pro Arch. Poet.

Nescire quid antea quam natus sis acciderit, id est semper esse puerum. Idem in orat. ad Brut.

Philosophia mater omnium bonarum artium nihil est aliud nisi (vt Plato ait) bonum & inuentum Deorum. Hæc nos primũ ad Deorum cultum, tum modestiam, magnitudinemque animi erudiuit: eademque ab animo tanquam ab oculis caliginẽ dispulit: vt omnia supera, infera, prima, vltima, media, videremus. Idem 1. Tuscul.

Est animi medicina philosophia, cuius auxilium non vt in corporis morbis petendum est foris, omnibusque opibus, viribusque vt nos metipsi nobis mederi possimus, elaborandum est. Idem. 3. Tuscul.

O vitæ philosophia dux, ò virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, qui non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu vrbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti: Tu eos inter se primo domicilijs, deinde coniugijs, tunc literarum & vocum communione iunxisti. Tu inuentrix legum, tu magistra morum & disciplinæ fuisti. Tu vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis sustulisti. 5. Tuscul.

¶Scientia solum perficit intellectum: virtus autem & ipsum intellectum, & omnes alias animæ potentias. Plenitudo enim sapientię est, timere Deum &c. Vide hic Baruch. 3. & Iob. 28. Si ergo ita est, qua- *COLLE.*

qualis eorum insania est, qui curam omnem in assequenda scientia, & nullam in paranda virtute posuerunt.

Quam modica sit scientię vtilitas si charitate destituta sit, declarat teterrimum crimen Balaam: qui tamen prophetico lumine (quod omnem superat sciẽtiam) tam multa & admiranda cognouit. Quem tamen scelestissimum fuisse, declarat execrabile illud consilium quod se regi daturum esse, cum in patriam suam reuerteretur, pollicitus est: quo filios Israel non ad fornicationis modo, sed etiam ad idololatriæ facinus execrandum pellexit.

Non oportere sapere plusquam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, monet Salomon his verbis. Quid necesse est homini maiora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum vitæ suæ, & tempore quod velut vmbra præterit?

Quid sit omnis humana sine diuina sapiẽtia, declarant illa verba Sap. 10. Si quis fuerit consummatus inter filios hominum & abfuerit ab illo sapientia tua, quasi in nihilum computabitur. Infra vero. c. 13. eandem repetit sententiam his verbis: Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.

Non plus sapere quàm oporteat sapere, sed sapere ad sobrietatem monet Apostolus. Contra eos verò qui hac sobrietate neglecta, curiose se in diuinarum rerum indagatione gerunt, sunt illa verba Domini Exod. 19. Descende & contestare populum, ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Sunt igitur definiti nobis in hac philosophia termini, intra quos versari nobis licet: quos tamen prætergredi sub mortis interminatione prohibetur. Hos autem Ecclesiast. docuit cùm ait, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te. n. s. f. sed illa cogita quæ præcepit Deus, &c. Vtinam multi nostratium Theologorum hoc consilium secuti fuissent, nec multa superuacua necessarijs rebus admiscuissent.

Quidquid ex animantibus & alas habet & super quatuor pedes graditur abominabile esse lege decernitur. Hoc autem monstri genere eos designari credimus: qui cum alas habeant, quibus vel sublimiter philosophantur, vel diuina semper eloquia in Ecclesijs diu noctuque versant, toto tamen pectore ter-

renis

r̄enis incubant, & sæcularium hominum more terrenis negotijs implicantur.

Vespertilio immũdum per legem animal est, qui quidem proximus terræ volat, nec in altum pennis erigitur, & vesperè quidem non die volat, pennisque ipsis pro pedibus vtitur, vbi ingrediendum est. Per hoc igitur animal illi conuenienter accipiuntur, qui terrena sciẽtia præditi circa terram volant, vt qui sola terrena sapiant, meridiemque diuinæ cognitionis ignorẽt. Cumque ingrediendum est pennis pro pedibus vtuntur: quoniam scientiæ suæ alas ad terram, hoc est, ad terrena lucra conuertunt.

Magna scientiæ commendatio quod Salomon optione sibi à Domino promissa, vt quidquid vellet ab eo peteret, scientiam & gubernandi peritiam, & cor docile petierit. Quam eius petitionem ita Dominus probauit, vt de eo protinus dicatur. Placuit autem sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset huiusmodi rem: dixitque ei Dominus. Quia postulasti verbum hoc, & nõ petisti tibi dies multos, nec diuitias, dedi tibi cor sapiens & intelligens, &c. Sed & hæc quæ non postulasti, dedi tibi diuitias, scilicet, & gloriam. Quo in loco vides quomodo misericordia Dei, & merita supplicum excedit & vota.

Eloquentia.

IAm venerat Carthaginem quidam Manichæorum Episcopus, Faustus nomine, magnus laqueus diaboli, & multi implicabantur in eo per illecebram suauiloquentiæ: quam ego tametsi laudabam, discernebam tamen à veritate rerum, quarum discendarum auidus eram, nec quali vasculo sermonis, sed quid mihi scientiæ comedendum apponeret. *August.*

Ergo vbi venit Faustus, expertus sum hominem gratum & iucundum verbis, & ea ipsa, quæ illi solent dicere multo suauius garrientem. Sed quid ad meam sitim pretiosorum poculorum decentissimus ministrator? iam rebus talibus satiatæ erant aures meæ, nec ideo mihi meliora videbantur, quia melius dicebantur, nec ideo vera, quia diserta, nec ideo sapiens anima, quia vultus congruus & decorum eloquium. Illi autem, qui eum mihi promittebant, non boni rerum æstimatores erant, & ideo illis videbatur prudens, & sapiens, quia delectabat eos loquens.

ſenti autem illud genus etiam veritatem habere ſuſpectam, & ei nolle acquieſcere, ſi compto atque vberi ſermone promeretur. Me autem iam docueras Deus meus miris & occultis modis, & præterea credo quod tu me docueris, quoniam verum eſt, nec quiſquam præter te alius eſt doctor veri, vbicunque & vndecunque claruerit. Verbis autem ornatis & inornatis, ſicut vaſis vrbanis, & ruſticanis, vtroſque cibos poſſe miniſtrari. Igitur auiditas mea, qua illum tanto tempore expectaueram hominem, delectabatur quidem, motu affectuque diſputantis, & verbis congruentibus, atque ad veſtiendas ſententias facile occurrentibus. Auguſt. confeſ. lib. 5.

Cum enim non ſatagerem diſcere quæ dicebat Ambroſius, ſed tantum quemadmodum dicebat audire, veniebant in animũ meũ ſimul cum verbis quæ diligebam, res etiam, quas negligebam. Nec enim dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad excipiendum, quam diſerte diceret, pariter intrabat, & quam vere diceret, gradatim quidem. Auguſt. confeſ. lib. 5.

Maxime eſt vtile noſſe ita eſſe præponendas verbis ſententias, vt præponitur animus corpori: Ex quo fit, vt malle debeant homines, prudentiores quam diſertiores inuenire ſermones, ſicut malle debent prudentiores, quàm formoſiores habere amicos. Idem in lib. de catechiz. rud.

Hieron. Dæmonum cibus eſt carmina poetarum, ſecularis ſapientiæ vanitas, rhetoricorum pompa verborum, hęc ſua omnes vanitate delectant, & dum aures verſibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna deuinciunt. Hiero. in epiſt.

De ſcripturis diſputantem, non decet Ariſtotelis argumenta conquirere: nec ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus eſt riuulus: nec aures Quintiliani floſculis, & ſcholari declamatione mulcendæ: ſed pedeſtris & quotidianæ ſimilitudinis & nulla lucubratione redolens oratio neceſſaria eſt, quem explicet, ſenſum ediſſerat, obſcura manifeſtet. Idem in epiſt. ad Damaſ. Pap.

Idem de Paulini oratione ſic ait, ſed id ipſum genus eloquij preſſum eſt & nitidum: & cum Tulliana luceat puritate, crebrum eſt in ſententijs. Iacet enim (vt ait quidam) oratio in quãtãtũ

verba

verba laudantur. Præterea magna eſt rerum conſequentia, & alterum pendet ex altero. Quidquid aſſumpſeris, vel finis ſuperiorum eſt, vel initium ſequentium. Idem ad Paulinum.

Verboſulum adoleſcentem, & ſtudentem eloquentiæ, cum ſapientiæ ſit inanis, non aliud quam iuſtitiæ hoſtem reputes: & pro huiuſmodi falſis fratribus dicit ille magiſter diſciplinæ. Manus nemini cito impoſueris. Bern. de Conſid. *Bern.*

Optimus hominis theſaurus eſt, & ingens gloria, paucis qui mẽſurat ſingula verbis. *Heſiod.*

Vt hominis decus eſt, ingenium, ſic ingenij lumen eſt eloquentia. Cicero declar. orat. *Cicero.*

Nihil eſt tam incredibile quod dicendo non fiat probabile. Nihil tam horridum, tam incultum quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur. Idem in Parad.

Eloquens hoc vel maximè differt à diſerto. Diſertus eſt enim qui poteſt ſatis acute ac dilucide apud mediocres homines, ex cõmuni quadam hominum opinione dicere. Eloquens vero qui mirabilius & magnificẽtius augere poteſt, atque ornare quæ vult, omnes omnium rerum quæ ad dicendum pertinent fontes animo ac memoria continet. Idem. 1. de Orat.

Doloris magnitudo vim quandam nobis dicendi dat & tribuit. Idem ad Atticum. lib. 4.

Nomine oratoris & docti ornandus eſt qui ſcelus fraudemque nocentis poſsit dicendo ſubijcere odio ciuium ſupplicioque conſtringere: idemque ingenij præſidio innocentiam, iudiciorum pęna liberare: idemque languentem labentemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflãmare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare: qui denique quencumque in animis hominum motum res & cauſa poſtulet eum dicendo vel excitare poſsit vel ſedare Idem. 1. de Orat.

Id ipſum dicere nunquam eſt non ineptum, niſi cum eſt neceſſarium. Ibidem.

Oratio debet eſſe ornatior ſententijs quam verbis. Idẽ in Part. Orat.

Mandare quẽquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere nec illuſtrare poſsit, nec delectatatione aliqua allicere lectorẽ, hominis eſt intẽperãter abutẽtis & otio & literis. Idẽ. 1. Tuſcul.

Stilus

Stilus est optimus & præstantissimus dicendi effector ac magister. Idem. 1. de Orat.

Nihil est aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates fortunæque vicissitudines: quæ & si nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundæ. Idem Lucio fam. 5.

Marcus Antonius cui vel primas eloquentiæ Patrum tribuebat ætas, vir natura peracutus & prudens, disertos ait se vidisse multos, eloquentem omnino neminē: Insidebat videlicet in eius mēte species eloquentiæ quam cernebat animo, re ipsa non videbat. Idē de Orat. ad Brut.

Vt in vita sic in oratione nihil est difficilius quam quod deceat videre. Ibidem.

Vt nulla materia tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igne ignem concipere possit, sic nulla mens est tam ad comprehendendā vim oratoris parata, quæ possit incendi nisi inflammatus ipse ad eam & ardens accesserit. Idem. 2. de Orat.

Vt mulieres ideo bene olere, quod nihil olent, videntur: ita hoc ipso est ornatior oratio, quod ornamenta negligunt. Idem Attic. fam. lib. 2.

Socrates. Socrates cùm ei sermo barbarus exprobraretur. Ego quidem, dixit, barbarus sum verbis, vos autem moribus.

Theocri. Theocritus Chius ineptū quendā Poetam recitantē auscultās, & interrogatus ab eo quænā ei placerent, respōdit, Quæ omisisti.

Demost. Demosthenes à quodā interrogatus quemadmodū esset dicendi facultatem adeptus, Plus (inquit) olei quàm vini consumendo.

Aristo. Vrsus informes gignit catulos, eos lambendo format: ita rudem ingenij fœtum diutina cura expoliri conuenit. Arist.

Rerum omnium thesaurus memoria, quæ nisi custos inuentis, cogitatisque rebus & verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiā si præclarissima fuerint, in oratore peritura. Idem. 1. de Oratore.

COLLE. ¶Fauus mellis composita verba, dulcedo animæ, & sanitas ossiū. Vnde autem hæc facūdia potissimum petenda sit, declarat idem Salomon paulò ante cum ait: Cor sapientis erudiet os eius, & labijs eius addet gratiam. Ex corde enim diuinæ lucis & charitatis

radijs

radijs illustrato, ignita diuinorum eloquiorum verba funduntur: vt posſit vir pius cum Propheta dicere: Eructauit cor meum verbum bonum. Animus enim piorum, diuini ſpiritus epulis ſaginatus ex abundantia cordis verba ſapientiæ eructare ſolet.

Contra eos qui vitam omnem in excolenda lingua, neglecta interim vita & ſtudio ſapientiæ inſumunt, mire facit diuina illa Salomonis ſententia: Qui tantum verba ſectatur, nihil habebit: qui autem poſſeſſor eſt mentis, ſaluabit animam ſuam, & cuſtos prudẽtiæ inueniet bona. Dicit autẽ, Qui tantũ verba ſectatur, vt intelligas non damnari hoc ſtudium, niſi cum vera ſapiẽtia negligitur.

Eruditam eloquentiam Salomon his verbis commendat. Eſt aurum & multitudo gemmarum, vas autem pretioſum labia ſcientiæ. Eccleſiaſticus vero, Tibia (inquit) & cithara ſuauem faciunt melodiam, & ſuper vtraque lingua ſuauis. *Eccli.40.*

Ex variarum gentium ſpolijs apparauit Dauid ea quæ ad templi fabricam neceſſaria erant. Ex ære vero quod ſuſtulit de ciuitatibus Adadezer, fecit Salomon omnia vaſa ærea, & columnas, & altare. Quibus rebus hoc ſignificari videtur, ſtudijs eloquentiæ literiſque Gentilium Eccleſiæ columnas, & altare, hoc eſt, ſacerdotes & doctores ad eam fulciendam fuiſſe inſtructos. Quod Diuus Hieronymus, Cyprianus, Baſilius cæterique patres Gentiliũ diſciplinis eruditi facilè indicant. 2. Reg. 8.

Bonum.

TRia ſunt genera bonorum: maxima animi, ſecunda corporis, externa, tertia. Cicero. 3. Tuſcul. *Cicero.*

Nihil bonum, niſi quod honeſtum: nihil malũ, niſi quod turpe. Idem Attico. lib. 10. fam.

Rerum expetẽdarum tria ſunt genera. Nam eſt quiddam, quod ſua vi nos alliciat ad ſe ſe, non emolumento captans aliquo, ſed trahens ſua dignitate: quod genus, virtus, ſcientia, veritas eſt. Aliud autem non propter ſuam vim & naturam, ſed propter fructum atque vtilitatem petendum, quod pecunia eſt. Tertium eſt ex horũ partibus iunctum, quod & ſua vi & dignitate nos inductos ducit, & præ ſe gerit quandam vtilitatem quo magis expetatur, vt amicitia, bona æſtimatio. Cicero. 2. de Inuent.

Homi-

Hominum duo sunt genera, alterum indoctũ & agreste, quod antefert semper vtilitatem honestati: alterum expolitum quod rebus omnibus dignitatem anteponit. Itaque huic generi laus, honos, gloria, fides, iustitia, omnisque virtus: illi autẽ alteri, quæstus, emolumentum, fructusque proponitur, atque etiam voluptas, quę est maxime inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat, quam immanißimus quisque accerrime sequitur, neq; solum honestis rebus, sed etiam necessarijs anteponit. Idem in Part. Orat.

Natura.

Adilon. LVpus pilum mutat non mentem.

Adilon. Nunquam efficies vt recti ingrediantur cancri.

Cicero. Multis signis natura declarat quid velit, & quærat, ac desiderat: obsurdescimus tamen nescio quomodo, nec ea quæ ab ea monemur, audimus. Cicero in Lælio.

Si tales nos natura genuisset, vt eam ipsam intueri & prospicere, eademque optima duce cursum vitæ conficere possemus, haud erat sanè quod quisquam rationem ac doctrinam requireret, cum natura sufficeret. Nunc vero paruulos nobis dedit igniculos quos celeriter malis moribus opinionibusque deprauatis sic restinguimus, vt nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingenijs nostris semina innata virtutũ, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatã vitã natura perduceret. Nunc autẽ simul atque editi in lucẽ & suscepti sumus, in omni continuo prauitate versamur: vt pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur: Cum vero parentibus redditi, deinde magistris traditi sumus, tum ita varijs imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Idem. 3. Tuscul.

In omni disciplina infirma est artis præceptio sine summa aßiduitate exercitationis. Idem. 3. ad Here.

Consuetudo.

August. LIgatus eram, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & con

strinxe

ſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido: Et dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſsitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis (vnde catenam appellaui) tenebat me ob ſtrictum dura ſeruitus. Voluntas autem noua, quæ mihi eſſe cæperat, vt te gratis colerem, fruique te vellem Deus ſola certa iucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem, vetuſtate roboratum. Ita duæ voluntates meæ vna vetus, alia noua, illa carnalis, hæc ſpiritalis, confligebant inter ſe, atque diſcordando diſsipabāt animam meam: ſed tamen conſuetudo aduerſus me pugnatior ex me facta erat, quoniam volens, quò nollem perueneram. Et quis iure contradiceret, cum peccantem iuſta pœna ſequeretur? Augu. confeſ. lib. 8.

Lex enim peccati eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur & tenetur etiam inuitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur. Auguſt. confeſ. lib. 8.

Terminato autē ſermone Potitiani, & cauſa qua venerat, abijt ille. Et ego ad me: quæ non in me dixi? quibus ſententiarum verberibus non flagellaui animam meam, vt ſequeretur me conantē poſt te ire? Renitebatur, recuſabat, & non ſe excuſabat. Conſumpta erant & cōuicta argumenta omnia, remanſerat muta trepidatio, & quaſi mortem reformidabat reſtringi à fluxu cōſuetudinis, quo tabeſcebar in mortem. Auguſt. confeſ. lib. 8.

Non inſtabam frui Deo meo, ſed rapiebar ad te decore tuo, moxque diripiebar abs te ponderi meo, & ruebam in iſta cum gemitu, Et pondus hoc conſuetudo carnalis. Auguſt. confeſ. lib. 7.

Quædam anguſtia eſt, à mala conſuetudine exurgere velle, nec poſſe: iam deſiderio ad ſuperna tendere: ſed adhuc actu in infimis remanere: præire corde, nec ſequi opere: atque à ſemetipſo contradictionem perpeti. Greg. 26. Mor. cap. 31. *Greg.*

¶ Conſuetudinem ſequi ſolet neceſsitas: quæ magna in vtráque rem vim habet. Hinc illud ex L. Floro. Antiquiſsimum omnium Deus, maximum locus: velociſsimum mens: fortiſsimum neceſsitas: prudentiſsimum tempus. Cicero quoque, Neceſsitas inquit cogit quod non habeas, aliunde ſumere, hinc etiam illud. Durus fames magiſter multa perdocet: Recte COLLE.

etiam dicitur. Ingens telum necessitas.

Consuetudo mihi nouis principũ tributis similes esse videtur, quæ videlicet vrgente aliqua siue belli, seu publicæ alicuius fabricæ necessitate, populo imponuntur: quæ frequenter cessante, etiam eadem causa, nihilominus retinentur, sic vbi quis longa egritudine laborans, carni indulgere consueuit, vbi postea conualuit, vix ad pristinam vitæ consuetudinem redit. Sic etiam qui necessitate & inopia cogente, studio congerendæ pecuniæ intendebat, vbi ad pinguiorem fortunam peruenit, eodem studio (vi consuetudinis impellente) tenetur. Ita fit, vt quod ante necessitas fuerat, postea consuetudine vrgente, fit voluntas. Quod filijs Israel contigisse legimus: qui cum captiui & inuiti in Babylonẽ ducti essent, postea consuetudine vitæ, exilium in patriam, & captiuitatem in voluntariam seruitutẽ commutauerunt. Plurimum ergo in vtrãq; partem consuetudo valet, siue vitijs siue virtutibus assuescas.

Quanta sit consuetudinis vis, vel hoc argumento colligi potest: Fœmina quędam prouectæ ętatis ad nos ex india adducta est, qui triginta iam annis apud nos diuersata, vix linguam nostrã assequuta est: cum tamen quæ ex illa regione, in puellari ætate ad nos veniunt, vnius anni spatio adeo perfecte loquantur, ac si apud nos natæ fuissent. Hoc autem quid facit, nisi diuturnæ consuetudinis vis, quæ vix ea potest dediscere, quibus diu assueuit? Hoc autem argumento colligere licet, quam sit difficilis conuersio eorum qui in peccatis consenuerunt. Hinc Hier. si potest Æthiops mutare pellem suam &c. ¶ Adde etiã quod cum duplex sit auxilium quo homines ad Deum conuertuntur: videlicet sufficiens & efficax: efficax quidem non omnibus datur: at sufficiens quamuis nulli desit, quanto tamen homo diutius prauitati assueuit, tanto difficilius à peccato resurgit. Quamuis enim auxilium idem maneat, quia tamen peccatum apud Zachariam talento plumbi propter grauitatem suam comparatur, quot peccata improbus homo cõmisit, tot se plumbi talentis onerauit. Quantò vero onus grauius, tanto difficilius homo à peccato (tanto onere grauatus) exurget, nisi summa vi contranitatur. Raro autẽ homines (vt Adrianus hac de rę disserens ait) secundum vltimum potentiæ operatur.

Vita.

HOc ipsum nostrum viuere, quotidie à vita transire est: quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescétiam, adolescentia ad iuuentutem, iuuentus ad senectutem, senectus transit ad mortem, in cursu vitæ præsentis, ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur. Greg. in Mor. Greg.

Hi vitam carnis quasi permanentem diligunt, qui quanta sit vitæ sequentis æternitas, non intendunt: dumque soliditatem perénitatis non considerant, exilium patriam, tenebras lumen, cursum stationem putant. Greg. vbi sup.

Vita nostra nauiganti similis est: is namque qui nauigat stet, sedeat, iaceat, vadit: quia impulsu nauis ducitur. Ita ergo & nos sumus, quia siue vigilantes, siue dormientes, siue iacentes, siue ambulantes, siue volentes, siue nolentes, per momēta tēporum quotidie ad finem ducimur. Greg. in Regist.

Momenta temporum homines quo sequūtur fugiunt, quo accipiunt amittunt. Greg. in Mor. li. 7. cap. 12.

Super illud, Expectate paulisper. De vitæ breuitate multa inuenies Mor. Greg. lib. 7. cap. 20.

Longū videri nō debet, quod cursu suo tēditur vt nō sit, quod dū per momēta ducitur, ipsa eū momēta impellūt quæ differūt, atque vnde teneri cernitur, inde agitur ne teneatur. Greg. vbi sup.

Ipsa militia dicitur vita hominis: quia hoc iam est facta quod tolerat. Greg. lib. 8. cap. 3.

In malis spes viuendi non frangitur, etiam cū vita terminatur, & abesse mors longe creditur, etiam cum sentitur, & cū ad æternā pœnam ducitur hoc ipsum nescit quo ducatur. At iustus etiam cū præsens vita feliciter comitatur ad æternitatem tendit, magna salute vtitur, & tamen fiducia eius non retardatur. Mortem continuo conspicit, quæ nondum erumpit. Quia enim vita indesinenter labitur, spes ei viuendi amputatur. Greg. vbi sup. cap. 11.

Ipsa hæc nostri corporis quæ vocatur salus, ægritudo est, & dū ibi molestias inuenit, vnde eas vitare quæsiuit, de ipso suo medicamine languescit. Quot enim solatia ad viuēdū quærim⁹ tot medicaminibus ægritudinē nostrā curam⁹, sed interim & ipsum reme

dium vertitur in vulnus, quia illo sæpe vtentes, ex illo grauius deficimus. Greg. vbi sup. 22. cap.

Si transacta ad memoriā reuocemus, patenter cognoscitur, quā celeriter fugiat hoc quoque quod tenemus. Greg. vbi sup. c. 26.

Repente transacta finiuntur, quæ venientia longa videbantur. Greg. lib. 9. cap. 17.

Super illud, Et quasi vestimentum &c. Sicut vestimentum comeditur à tinea de ipso exorta: ita homo in se habet putredinē, vnde consumatur: & etiam quia sensim consumit & silenter. Greg. lib. 11. cap. 25.

Super illud, Homo natus de muliere &c. Ac si dicat: Quid in se habet fortitudinis, qui natus est de infirmitate. Greg. vbi sup. c. 26

Super illud, Breui viuens tempore &c. Pœna hominis breuiter exprimitur, nempe quod angustatur ad vitam, & dilatatur ad miseriam. Omne enim quod agimus, pœna, miseria est. Greg. vbi sup. vide locum.

Super illud, Fugit velut vmbra. Num & sol ipse non fugit vt vmbra? Vtique: sed vt & nostra frigiditas designetur, vel forte quia apparente Sole subito non comparet. Greg. vbi sup.

Super illud, Nunquam in eodem statu. Nostrum viuere à vita trāsire est. Vita enim nostra ipsis suis augmētis ad detrimēta impellitur: & inde semper deficit, vnde se proficere credit. Sed ante peccatum, tempora homine stante transibant. Greg. vbi sup.

Si ab initio mundi vsque modo mentis oculos ducimus, omne quod finiri potuit, quam breue fuerit videmus: & si ex tunc viuēs homo modo moreretur, præterita nulla videretur: quia iam cuncta transierunt. Tempus ergo quod inter finem initiumque consumitur, nullum est: consumitur enim ac si nec breue vnquam fuisset. Greg. lib. 15. c. 1.

Hypocritæ mundanam laudē longā esse existimāt, dū assequūtur; sed breuē fuisse intelligūt dū amittūt: in fine quippe eis ostenditur, ꝙ nihil fuerit quod amauerūt. Transit tamen lætitia & pœna permanet: & cū res amittitur, causa durat. Greg. vbi sup. cap. 2.

Super illud, velut somnum auolans, non inuenietur, transiet vt visio nocturna. Nempe quia phantasma hoc ostendit in imagine, quod non habet in veritate. Similiter est, vt somnium: quia ab eo omnis laus & gloria dū tenetur, amittitur. Greg. vbi sup. c. 13.

Super.

Super illud, Qui ſublati ſunt ante tempus. Iuxta ſingulorum merita Deus terminum vitæ dum creauit, præfixit. Ezechiæ tempus vitæ creuit, non quo erat moriturus, ſed quo mori merebatur. Et infra ſup. eod. Sublati ſunt ante tẽpus ſuũ &c. Omnes qui præſentem vitam diligunt, longiora ſibi eius vitæ ſpatia promittunt: ſed cum mors adueniẽs eos à vita ſubtrahit, eorum vitæ ſpatia quæ cogitauerant, intercidit. Greg. lib. 16. cap. 6.

Culpæ ſuæ ſupplicia & tolerabat homo & neſciebat, ita vt exilium patriam crederet, gauderetque ſub pondere corruptionis atque ideo factus Deus homo, hominem ad interiora reuocauit, vt iam damna ſua videat, & malum quod patitur in redemptoris pręſentia agnoſcat. Poſtquã enim vidit quod diligeret, intellexit quid doleret: & graue ſenſit quod pertulit, quia dulce innotuit quod amiſit. Greg. in Mor. lib. 7. cap. 1

Licet vita ſemper ex virtute ſuccedat quod ex infirmitate generat, ſemper tamẽ ex infirmitate generat, quod ex virtute ſuccidat. Greg. vbi ſup. lib. 8. cap. 3.

Non poteſt præſentis vitæ malã ſicut ſunt conſpicere, qui bona cœleſtis patriæ contingere nondum valet. Greg. 23. Mor. cap. 21.

Plerumque in id quod ad requiem conſtruitur, maior dolor tẽtationis inuenitur: quod pio Dei conſilio agitur: vt huius peregrinationis tempore, electorum vita turbetur, ne via pro patria diligatur. Greg. 23. Mor. cap. 23.

Morituros viuere ad mortem ire eſt: ipſa quippe augmenta tẽporum, detrimenta ſunt: quia vitæ noſtræ tempora quanta eſſe cœperint, tanta non eſſe incipiunt. Greg. 25. Mor. cap. 1.

Primus homo tanto permanebat robuſtius, quanto ardentius inhærebat: at offenſo creatore, cæpit ire cum tempore, atque tranſeundo didicit, quid fuit ſtando: nos ergo amaritudinem radicis, quaſi virgulta retinemus. Greg. 25. Mor. cap. 2.

Proſpera in aduerſis deſidero, aduerſa in proſperis timeo, Quis inter hæc medius locus, vbi non ſit humanæ vitæ tẽtatio? Væ proſperitatibus huius ſeculi, ſemel & iterum à timore aduerſitatis, & à corruptione lætitiæ, væ aduerſitatibus ſeculi ſemel & iterum, & tertio à deſiderio proſperitatis. Et quia ipſa aduerſitas dura eſt, nũquid non tentatio eſt vita humana, ſuper terram ſine vllo interſtitio? Aug. confeſſ. lib. 10. *Auguſt.*

Tædet enim me domine valde vitæ huius,& istius ærumnosæ perigrinationis. Vita hæc, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorũ, regina superborũ, plena miserijs,& erroribus, quæ nõ est vita dicẽdá, sed mors in qua momẽtis singulis morimur per varios mutabilitatis defectus diuersis generibus mortium. Nunquid ergo hoc quod viuimus in hoc mundo dicere possumus vitam? Quam humores tumidant, dolores extenuant,& ardores exiccant, aer morbidat, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, tristitiæ consumũt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ inflãt & iactant, paupertas deijcit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit. Et his malis omnibus mors furibunda succedit, simulque cunctis gaudijs istius miseræ vitæ ita finem imponit, vt cũ esse desierit nõ fuisse putetur. Mors ista vitalis,& vita mortalis, licet his alijsq; sit respersa amaritudinibus (proh dolor) quã plurimos suis capit illecebris,& quã multos suis fallis promissionibus decipit. Et cũ ita per se sit falsa & amata, vt etiã suos cæcos amatores latere nõ valeat, tamẽ infinitam stultorum multitudinẽ aureo calice, quẽ in manu habet, portat & prorsus inebriat: fælices illi, & ipsi rari, qui familiaritatẽ eius recusant, perfunctoria gaudia spernũt, societatẽ abijciunt, ne cum pereunte deceptrice, & ipsi perire cogantur. August. In Medita.

Infælix ego homo. Homo inquã natus de muliere breui viuẽs tẽpore repletus multis miserijs: homo inquã vanitati similis factus cõparatus iumẽtis insipiẽtibus,& iã similis factus illis. Quid iterũ ego? Abyssus tenebrosa, terra misera, filius iræ, vas aptũ in cõtumeliã, genitus per immũditiã, viuẽs in miseria, moriturus in angustia. Heu miser q̃d sum? Heu quid futur' sum? Vas sterquilinij, cõcha putredinis, plenus fætore & horrore, cæcus, pauper, nudus, plurimis necessitatibus subd tus,& ignorãs introitũ, & exitũ meũ miser & mortalis: cuius dies sicut vmbra prætereunt, cuius vita sicut vmbra lunatica euanescit, sicut flos in arbore crescit, & statim marcescit: nũc floret,& statim aret. Vita inquã mea, ita fragilis vita, caduca vita, quæ quãto magis procedit tãto magis ad mortẽ accedit, vita fallax & vmbratica, plena laqueis mortis. Nũc gaudeo, statim tristor, nũc vigeo, iã infirmor, nunc viuo, statim morior: nũc fælix appareo, semper miser: nũc rideo, iã fleo. Sicq; omnia mutabilitati subiacent,

cēt, vt nihil vna hora in vno ſtatu permaneat. Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc ſitis, hinc calor, hinc frigus, hinc lāgor exuberat, ſubſequitur his importuna mors: quę mille modis quotidie miſeros homines inopinato rapit. Hūc necat febribus, illū opprimit doloribꝰ: hūc cōſumit fames, illū ſitis extinguit: hūc ſuffocat aquis, illū interimit laqueo: Illū perimit flāmis: aliū dentibus beſtiarum ferociū vorat. Hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit, alterum tantum repentino terrore miſeram vitam finire impellit. Et nunc ſuper hæc omnia, magna miſeria: quia cum nihil ſit certius morte, ignorat tamē homo finē ſuum. Auguſt. in Medita.

Non ſunt mali dies quos agimus in corruptela huius carnis inter tantas difficultates: vbi falſa voluptas, nulla gaudij ſecuritas, timor torquens, cupiditas auida, triſtitia arida? Ecce quam mali dies, & tamen rogant Deū homines vt diu viuāt. Quid eſt autem diu viuere, niſi diu torqueri? Idem de verb. Dom.

Quid nobis miſerius? qui tāquā ſpoliati & nudi proijcimur in hāc vitā, corpore fragiles, corde lubrico imbecillo animo, anxij ad ſollicitudines, deſidioſi ad labores, proni ad voluptates. Am. defi. reſu. *Ambr.*

Tantis malis hæc vita repleta eſt, vt cōparatione eius mors remedium putetur eſſe nō pœna. Nam ideo breuē illā Deus fecit, vt moleſtiæ eius quæ proſperitate vinci, vel tolli non poterant, temporis exiguitate finirentur. Idem in ſerm. 40.

Edamus panem noſtrum neceſſe eſt cū labore & ſudore. Vnuſquiſque cum naſcitur, & hoſpitio huius mundi ſuſcipitur, initium capit à lachrymis, & adhuc omniū neſcius & ignarus, flere tamen ac lamentari prouidētia naturali docetur, vt vitę mortalis anxietates & labores quos ingreditur, in exordio ſuo rudis anima teſtetur. Cyprian. in ſerm. de patien. *Cypria.*

Nunquam bona malis paria ſunt etiam pari numero nec lętitia vlla minimo mœrore penſanda. *Plini.*

Fugax eſt ætas, & vitrea res valetudo. *Ex diuerſis.*

Iucundè viuere, id ſolum eſt viuere.

Longior vita, diuturna calamitas.

Maior pars hominum expectando moritur.

Optimum non naſci, aut ociſsime aboleri. *Plinius.*

Non tam cumulus bonorum iucundus eſſe poteſt, quam modeſta deceſsio. Cicero. 1. Tuſcul. *Cicero.*

Non est omnino hoc ipsum diu in quo est aliquid extremum, quod cum venerit omnis voluptas, pro nihilo est habenda, quia postea nulla futura est. Idem pro M. Marcel.

Nihil semper floret, ætas succedit ætati. Idem Philip. 11.

O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur & corruunt, & ante in ipso portu obruuntur, quam portum conspicere potuerint. Idem. 3. de orat.

O volucrem fortunam, quam cito omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lacrymas recedunt. Idem pro Sylla.

O misera vitæ ratio quæ tandiu resides in voluptate, quãdiu fortunæ poscit libido. Idem, antequam iret in exilium.

COLLE. ¶ Vita nostra Soli similis est, qui cum velocissime moueatur, immobilis tamen aspicientibus apparet. Sic vita nostra, cum per singula momenta ad mortem tendat, tamen stare diu, & manere videtur. Quo perspicuum est, ipsam non modo breuem, sed etiam fallacem esse, quando longa videtur, cum breuissima sit.

Notissima Ephemeri historia est, quod animal quaternis pedibus, totidem alis nascitur apud Hippaniu Bosphori fluuium: vitam à mane ad vesperam (vnde illi inditũm nomen est) ducens. Mane puer, meridie iuuenis, senex vesperi, occidente Sole commoritur: vt multo plus temporis ac laboris ad generationem, quàm ad vitæ vsum, natura illi impendisse videatur. Demirari itaque tantam conditoris solicitudinem licet, & in tam breuis vitæ animali, tot instrumenta, tot facultates: Videt, audit, volat, ambulat. Sed hoc tamen in hoc ipso animalculo mirabile est, quod tam breui spatio victurus, non minori studio momentaneæ vitæ necessaria conquirit, quam si aliorum animalium more diutius victurus esset. Hoc autem studium rideret homo, breuitatem illius vitæ cum diuturnitate humanæ vitæ conferens. At multo breuior hæc ipsa humana vita est, Angelorum vitæ collata. Quare non minus Angeli inane studium nostrum & cæcitatem demirantur, aut miserentur, cum videant nos tanta cura & solicitudine congerendis opibus, & diuitijs cumulandis inhiare, quæ ad tam breue temporis punctum

ctum necessaria sunt. Rectius plane Apostolus cum ait, Hoc itaque dico fratres, tempus breue est: reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, &c. Præterit enim figura huius mundi.

Sicut qui serui nati sunt, non ita seruitutis malum sentiunt, vt qui ex liberis serui facti sunt: ita qui in miserijs huius vitæ nati sumus (nec illã fælicitatem experti, in qua generis nostri principes conditi fuere) ignoramus quid sit miseria, quoniam quid sit fælicitas non agnouimus. Quinimo vt Sap. 14. dicitur, in magno viuentes inscitiæ bello, vt & tanta mala pacem appellamus.

Numerus dierum hominum, vt multum centum anni, quasi guttæ aquæ maris deputati sunt, & quasi calculus arenæ: sic exigui anni in die æui. Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit super eos misericordiam suam.

Humanæ vitæ miseria, vanitas, & breuitas explicatur Psal. 38. vnde pro eo q̃ nos legimus. Ecce mẽsurabiles posuisti dies meos, alius vertit: Ecce mensura pugillorum terminasti dies meos, & æuum meum tanquam nihilum corã te. Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens. Alibi dixerat homo vanitatis similis factus est: nunc autem quasi parum id esset, ait, illum esse vniuersam vanitatem. Seclusa enim Dei gratia, quid in homine non breuissimũ, miserrimũ, & vanissimum est? quod extra quidẽ fælicitatis speciẽ prę seferat, intus autẽ non modo vacuũ, sed etiã miseriarum & ærumnarũ omniũ refertissimũ sit? Quod plane indicat, cũ subdit. Verũtamen in imagine pertrãsit homo. Cui simile est illud Apost. Præterit enim figura huius mundi. Quo verbo indicauit nullum solidum & expressum bonũ in hoc mũdo reperiri: sed omnia tenues quasdam vmbras, & imagines rerũ, nõ res veras esse. Pro huiusmodi tamẽ vmbris, miserrime inter se homines digladiantur. Quam insaniam subindicat statim Propheta cum ait: sed & frustra conturbatur: quia videlicet pro rebus nihili homo dies noctesque angitur, & cœlum terramque miscet. Hoc autẽ spirituali viro ac sapienti nõ minus ridiculum est, quã cũ pueros videt pro rebus ludicris contendere, angi, & discruciari. Atque hoc affectu profert illa Salomonis verba. Vsque quo paruuli diligitis infantiam? &c. Quod vero supra dixit. Mensura pugillorũ terminari dies hominis, summã vitę breuitatem, hoc verbo indicare voluit. Breuissimũ

enim esse necesse est, quod pugillo contineri & mensurari potest.

Sæpe Dominus misericorditer & iustè vitam breuiat impiorum, partim vt spacia illis peccandi subtrahat, partim vt eos capitali sententia, pro eo ac eorum impietas meretur, feriat. Hac autem pœna in duos Iudæ pessimós filios Her, & Onam vindicauit. Vnde est illud, viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. Et de improbis hominibus dicitur, Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam euellatur, exaruit. Huiusmodi nanque herbæ propter sterilitatem soli, priusquam ad iustam magnitudinem perueniant, ardore Solis exarescunt. Ad hunc ergo modum immatura morte impij de medio tolluntur. Cæterùm Salomoni Dominus cùm multa dona contulerit, longos tamen dies ea lege promisit, si ab officio non recederet; tunc enim diuturna vita Dei donum est: aliter verò supplicium.

Memor esto (ait Sanctus Tobias) fili quod pauperem vitam gerimus; sed multa habebimus bona, si timuerimus Dominum. Remedium ergo pauperis vitæ, & mille necessitatibus obnoxiæ, timor Domini est: à quo bona cuncta procedunt. Quis autem vi-
I. tæ paupertatem verbis consequi valeat? Primum enim magna est paupertas scientiæ. Pauca siquidem de præteritis, de præsentibus pauciora, paucissima de futuris nouimus. Vnde cogitationes mortalium timidæ, & incertæ omnes prouidentiæ nostræ. Et quæ sola omnium miserabilior est ignorantia, nescit homo vtrum amore
II. vel odio dignus sit. Consideranda quoque nobis est in hac paupere vita quam ducimus, nostrorum pauperies corporum, pauperies facultatum, egestas virtutum. Egena prorsus humana corpora, & præ cunctis penè animantibus insufficientia sibi, & pluribus egentia adminiculis. Nam & quadrupedia, & volatilia neque tot morbis obnoxia, neque de futuris anxia sunt: nec in dolore pa-
III. riunt filios, neque in sudore vultus sui vescuntur pane suo. ¶ Pauperies verò facultatum summa est: quippe quæ ipsis quas appetit opibus adhuc remediũ non habet, sicut sitis febricitantiũ. Crescit
IIII. enim cum terrena facultate cupiditas. ¶ Quid autem dicimus de paupertate virtutũ? Vbi hodie iam antiqua illa martyrum patientia? vbi iustitia confessorum? vbi hodie prælatorum indefessa custodia lucris inhians animarum? vbi subditorum simplex obedientia solis obtemperans nutibus prælatorum? Cæterũ in hac tam pau

pere

pere vita, multa, inquit sanctus vir, habebimus bona, si timuerimus Deum. Nō enim frustra regius Propheta dicit, Timete Dn̄m omnes sancti eius: quoniā nihil deest timētibus eum: inquirentes autē Dn̄m.n.d.o.b. Et, Oculi Dn̄i super timētes eum, protector potentiæ, &c. Eccli.34. Porrò quale remedium pauperis huius vitę timor Dei sit, solus assequi expertus potest: præterea nemo.

Mors.

QVoniam multa sunt quæ impediunt languentem & retrahunt, periculosum est, & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Greg. de Pœnit. *Gregor.*

Sācti viri qui breuitatē vitæ indesinēter aspiciūt, quasi quotidie morientes, viuūt: & tāto se solicitius mansuris præparant, quanto nulla esse transitoria ex fine semper pensant. Gregor. in Mor.

Omnipotens Deus sæpe eius precem in perturbatione deserit, qui præcepta illius in tranquillitate contemnit. Greg. in Mor.

Dum rerum finis attenditur, omne quod præterit, quasi iā fuisse pensatur. Greg. lib.4. c.41.

Ad vesperū oritur fulgor iusto, quia in occasu suā cognoscit claritatem. Ideo dicitur, Timenti Dominum bene erit in extremis. Gregor. vbi supra, lib.10. c.21. *Eccli.1.*

Mali nesciūt mortalia mortaliter cogitare. Vita deficit, & desideriū crescit: res habita corrūpitur, & habēdi anxietas nō finitur. Tūc tamē effugiū peribit ab eis, quia se solos & iudicē conspiciēt: & periendo discent quòd peritura tenuerūt. Greg. vbi supra. c.23.

Tanto amplius mors timeri debet, quanto nunquam prouideri valet. Cur ergo quasi de certo extollitur, cuius vita sub pœna incertitudinis tenetur? Greg. lib.12. c.19.

Super illud, Solū mihi superest sepulchrū. Qui cōsiderat qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione: atque vnde in oculis suis iā non viuit, inde veraciter viuit in oculis cōditoris. Penè se mortuum considerat, qui non ignorat moriturū. Greg. lib.13. c.15. *Iob.17.*

Nihil sic valet ad edomādum appetitum carnalium desideriorum, quàm vt vnusquisque hoc quod viuum diligit, quale sit mortuum penset. Ostenditur nanque: quia cum caro concupiscitur, tabes desideratur. Greg. in Mor. lib.16. c.31.

In morte tāto timor fit acrior, quāto retributio vicinior: & quanto vi-

to vicinius iudicium tangitur, tanto vehementius formidatur. Inueniet enim homo post pusillum, quod in æternũ non poterit vitare Greg.24.Mor.cap.17.vide locum.

Psal.102. Recordatus est, quia puluis sumus, ait Dauid. Et Abraham, Cũ *Gene.18.* sim, ait, puluis & cinis, non adhuc ista erant, sed apud se hoc erat quod futuros prędeuidebant. Greg.24.mor.cap.27.

August. Sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Augus. in Enchirid.

Nonne casus nostros nobiscum in hac carne portamus? Nonne fragiliores sumus, quam si vitrei essemus? Vitrum enim etsi fragile est, tamen seruatum diu durat. Idem in serm.

Qui desiderat dissolui & esse cum Christo, non patienter moritur: sed patienter viuit, & delectabiliter moritur. Idem sup. Epistol. Ioan.

Rogare morientes non delicti pœnitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit: nec dignus est in morte accipere solatia, qui se non cogitauit moriturum. Idem ser.36.

Cum vult improbus homo non potest, quia quando potuit noluit: ideo per malum velle, perdidit bonum posse. Idem.

Non facile inueniuntur in aduersitate præsidia, quæ nõ fuerunt in pace quæsita, Idem in serm.

Hieron. Hierony. super Ieremi. lib.1. super illud, In tempore afflictionis dicet, surge &c. Impudens postulatio, tẽpore necessitatis & angustiæ ab eo quærere auxilium, quem in prosperitate contẽpseris. Hiero.

Idem in vita Hilarionis, sic illum morti iam proximum dixisse memorat. O anima mea egredere, quid dubitas? egredere, quid times? Septuaginta quinque annis Christo seruisti, & adhuc mortẽ times? Idem.

Inter eum qui decem vixit annis, & illum qui mille, postquam idem finis vitæ aduenerit, & irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantundem est, nisi quod magis senex onustus peccatorum fasce proficiscitur. Idem ad Heliod.

Gloss. Gloss. quædam super illud, Insidiaberis calcaneo &c. Calcaneus *Gen.3.* finem corporis notat: ad ipsum serpens attendit, ibi insidiatur. Hoc solum timendum est omnibus, ne in fine suo iniquitate sua capiantur. In quo enim opere quis inuentus

fuerit,

fuerit, in eo erit vſque in ſempiternum. Gloſſa.

Qualem te inuenit Deus cum vocat, talem pariter & iudicat. Cypria. *Cypria.*

Quid ſtolidius fieri poteſt, ſi mens ad perfectionem feſtinare non contendat? quando totius corporis habitu ſenectute confectus homo, ad interitum properat, dum oculi calligant, aures grauiter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapſi numero minuuntur, cutis creſcit, flatus nõ ſuauiter olet, pectus ſuffocatur, tuſsis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat? Homo interior qui ſeneſcit, his omnibus aggrauatur: & hæc omnia ruituram iam domum noſtri corporis cito prænuntiant. Idem. *T. Senectus.*

Nouiſsima ſunt quatuor. Mors, iudiciũ, gehenna, gloria. Quid horribilius morte? quid terribilius iudicio? quid intolerabilius gehẽna? & quid iucundius gloria? Bern. in ſerm. *Bernar.*

Miſer homo, quare omni hora te non diſponis? cogita te iã mortuum, quem ſcis neceſsitate moriturum eſſe. Idem.

Mors peccatorum peſsima. Mala ſiquidem in mundi amiſsione peior in carnis ſeparatione, peſsima in vermis igniſque duplici cõtritione. Idem in epiſt. *Pſal. 33.*

Non nocet bonis ſi occidantur, vel ſubita morte rapiantur: nõ enim ſubito moriuntur, qui ſemper ſe cogitauerunt morituros. Anſelmus. *Anſel.*

Inter abuſiones huius ſeculi ſola maior eſt ſenis obſtinatio, qui morti proximus, mortis non abhorret aduentum, qui quaſi ad oſtiũ huius mundi poſitus, foris ſpectat, nec tamen vitæ preſentis attendit egreſſum, nec futuræ conſiderat. Audit nuntios mortis, & credere non vult eis. Tres ſunt enim nuntij mortis, caſus, infirmitas, ſenectus. caſus dubia, infirmitas grauia, ſenectus certa nuntiat: Hugo de clauſtrani. lib. 2. *Hugo.*

Paratos nos inueniat extrema neceſsitas, quæ ſæpe preuenit imparatos. Certam nobis imponat ſolicitudinem incerta conditio. Euſ. Emiſ. hom. 1. ad mona. *Euſeb. Emiſſ.*

Ecce inquiet tranſierunt illa omnia tanquam vmbra, abierunt oblectamenta, & ſola in perpetuum opprobria & crimina remanſerunt. Ibidem.

Quid erit cum homo rebus humanis vale vltimum dicẽs, mor-

tem ante se habens, & vitam post se relinquens, in illud horrendũ pertrahetur profundum? Et mox, Quia enim ibi nulla erit iam parandi victus, aut vestitus solicitudo, nulla laborandi, militandi, agendive occupatio, nulla facultatis aut honoris ambitio, solus mẽtem omnibus alijs curis vacuam, intolerandus reddendæ rationis terror implebit, solum atque totum iudicij podus captiuis sensibus imminebit. Ibidem.

Cogitemus qui luctus erit negligenti animæ ex hoc corpore decedenti, quæ angustiæ, quæ caligo, quæ tenebræ, cum ex illo aduersariorum numero, prima occurrere cœperit conscientia, diuersis circuniecta criminibus. Ipsa enim remotis omnibus probationibus, ipsa ingerẽda est oculis nostris, vt nos & conuincat probatio, & confundat agnitio. Non vlli licebit, vel celare aliquid, vel negare: vbi nõ de longè, aut alicunde, sed de intus processurus est accusator & testis. Idem ibidem.

Saluia. Tũc de iniquitate homines, quãdo de vita cupiũt discedere, vt prius quodãmodo viuendi sit, quã peccãdi finis. Cũ iniquitatibus suis sepeliri volunt: vt de illis Propheticũ illud merito dicatur, Sepulchra eorum, domus eorum in æternum. Saluia. contra gentes.

Ioan. Clima. Probatus quidem ille est, qui mortem diebus singulis expectat: sed ille sanè sanctus, qui hanc horis singulis desiderat. Clim. de Memo. mor. Grad. 6.

Monachus quidam Ægyptius mihi aliquãdo narrauit: quod cũ in intimo cordis mortis memoriã penitus fixisset, velletq; aliquãdo necessitate vrgente carnis huius luto solatij aliquid indulgere, ab huiusmodi memoria veluti à quodã iudice prohibit⁹ sit: quodque mirabilius est: cum vehementer vellet hanc memoriam repellere à se non potuerit. ¶ Alius quidam huic iuxta cõmanens loco qui Tholas dicitur, ex huiusmodi sæpe cogitatione repente obstupescebat, & animo deficiens, veluti insensibilis fiebat: repertusque à fratribus nonnunquã vt qui ferè efflasset animã, baiulabatur ab eis. ¶ Nõ omittã etiã solitarij illius qui in Choreb habitabat, referre historiã. Hic cum diutius negligentissimè vixisset, nullãque animæ suæ curã penitus haberet, morbo tandẽ comprehẽsus, ad extrema deductus est. Cũq; iã perfecte corpore magistrasset, post vnã horã in seipsum redijt, orauitque nos omnes vt inde protinus abscederemus: & cellulæ aditu lapidibus obstructo permansit intus

annis

annis.12.nulli omnino cuiquã loquens, nec aliud quicquã præter panẽ & aquã deguſtans. Sedens autẽ, ea tantũ quæ in exceſſu viderat, attonitus voluebat: atque adeo fixo in ijs ſemper erat cogitatu, vt nunquã iã vultũ immutaret: ſed ſemper ſic attonitus perdurans, vim lachrymarũ feruentiũ tacitus profunderet. Cum vero iã morti eſſet proximus, rupto atque patefacto aditu, ingreſsi ſumus. Cũque ab illo doctrinę verbũ ſupplices inquireremus, hoc ab illo tantũmodo audiuimus. Ignoſcite mihi. Nemo qui re vera mortis memoriã agnouerit, peccare vnquã poterit. Illo igitur in proximo cimiterio ſepulto, cũ poſt dies aliquot ſacras illius reliquias requireremus, non inuenimus: Dño in hoc quoque nos certiores faciẽte, ſollicitæ illius & accuratæ, laudabiliſque pœnitentiæ: atque omnibus fiduciam præſtante, qui etiam poſt ſummam vitæ negligentiam ſe ipſos emendare volunt. Idem ibidem.

Noli falli ſtulte operarie, vt tẽpore tẽpus reparari putes. Neque enim ſufficit dies quæque, vel ſuũ ipſius debitũ Dño integre perſoluere. Nõ eſt (ait quidã) non eſt præſentẽ diem pie pertranſire, niſi hanc eſſe vltimam totius vitæ noſtræ exiſtimemus. Ibidem.

Sicut is qui ſententia cõtra ſe lata ad damnationẽ proficiſcitur, nihil de ſpectaculis curat, aut loquitur: ita ne ille quidem qui veraciter luget, ventrem fouet aliquando. Idem de comp. ſup. dict. om. recap.

Bene tibi futura euenient, ſi præſentia bene diſpoſueris. *Iſocrat.*

Optimum eſt è vita tanquam è conuiuio diſcedere: neque ſitientem, nec inebriatum. *Ariſto.*

Qui ægrotans teſtamentum ſcribit, ſimiliter facit, vt qui in tẽpeſtate maris, nautica inſtrumenta parare incipiunt. *Idem.*

Qui minus delitiarum nouit in vita, minus timet mortem. *Adilon.*

Commorandi nobis natura diuerſorium, non habitandi dedit. Cicero in Cato. Maio. *Cicero.*

Ex ipſa vita diſcedendum eſt, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo. Ibidem.

Non deterret ſapiẽtem mors, quæ propter incertos caſus quotidie imminet, & propter breuitatem vitæ, nunquam longe poteſt abeſſe. Cicero. 1. Tuſ.

Pellantur iſtæ ineptię penè anniles, ante tempus mori miſerum eſſe. Quod tandem tempus? Naturæne? At ea quidem dedit vſurã

vitæ tanquam pecuniæ,nulla præstituta die. Quid est igitur quod querare, si repetit cum vult:ea enim conditione acceperas. Quæ vero ætas longa est?aut quid omnino homini lõgum? Nonne modo pueros,modo adolescentes in cursu à tergo insequens,nec opinantes assequuta est senectus.Idem ibidem.

Mors terribilis est ijs quorum cum vita omnia extinguũtur,nõ quorum laus emori non potest.Idem in Parad.

Abeunt omnia vnde orta sunt.Idem in Cat.Maio.

Intra lunam nihil est non mortale & caducum præter animos hominum Deorum munere datos.Idem de somn.Scip.

Vt cygni præuidentes quid in morte boni sit,cum cantu & voluptate moriuntur:sic omnibus & bonis & doctis est faciendum. Idem.1.Tuscul.

COLL.2. ¶Siquis duos haberet amicos,alterum charissimum,cuius se obsequio totum tradidisset:alterum vero longe minus charum,& vterque in magno salutis discrimine versaretur,vtri quæso illorũ amicus iste studiosius subueniret?Res diuinatione non eget. At in periculosissimo morbo vita corporis dilectissimi, & animæ longè minus dilectæ(cuius nullam pene improbi curam habuerũt) periclitatur.Vtri ergo istorum amicorum carnalis homo diligentius consulet,an non amico magis dilecto? Hinc videmus tanta cura hoc tempore medicos accersiri, varia excogitare remedia, famulos huc ac illuc circumcursare:& sursum atque deorsum miscere omnia,cum interim vix quisquam sit, qui morientem de salute periclitantis animæ monere velit.Qua ex re facile colligitur, qualis sit eorum in fine vitæ pœnitentia,qui animæ suæ cura neglecta,se totos corporis obsequio addixerunt. Id enim solum tunc curant, quod maxime diligunt.

Inuersus est ordo vitæ nostræ, in vita enim semper de diuina misericordia præsumimus,vt licentius peccemus, in morte vero diuinam iustitiam merito timere incipimus, ne per eam damnemur.Rectus autem ordo erat,in vita quidã Deum timere,in morte vero misericordiam eius pro vita bene acta præstolari.

Qui angurriæ morbo moriuntur,qui videlicet vrinam reddere nequeunt,cum iam morti proximi atque desperati sunt, illã copiose reddunt,quod illos tamen eo tempore nihil iuuat. Periculum

lum autem est,ne talis eorum pœnitentia, sit,qui eam ad finem vitæ reseruant.

Mors vltima linea rerum est.Mors est vniuersalis bonorum omnium corporalium priuatio. Cætera corporis mala particularia sunt,& vno aliquo bono aut sensu fere priuant, mors vero omnibus. Vnde mors ipsa apud Poetam his omnibus reges se spoliasse gloriatur dicens,Priuauique manus sceptris, diademate crineis,os verbis,& luce oculos,membra omnia motu.Quo magis mirũ est, non angi frequenter homines tanti mali vnicuique nostrum impendentis metu.Si Propheta aliquis iussu Dei alicui Principi significaret,fore,vt aliquando, ad vlcerosi mendici ostiatim petentis fortuna peruenturus esset:qua quęso trepidatione,qua cura & solicitudine eius animus distringeretur? Quoties secum ipse diceret?Ergo ne eò miseriarum mihi deueniendum est,&c. At quanto grauius est mori,quam mendicum esse?Pellem enim pro pelle, & cuncta quæ habet homo,dabit pro anima sua. Quomodo ergo nunquam nos hæc longe maior cura sollicitat?Sed illud tamẽ magis verendum est,quod à morte sequitur, morientemque magis vrget. Vidit enim se,cum notis & amicis adhuc in seculo positũ agere:cum tamẽ intelligat, post modicum tempus irreuocabilem æternæ mortis aut vitæ sententiam esse subiturum. Quo quid esse formidabilius potest?

Qualis sit piorum mors declarant illa Eccli.verba,Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. Item Prouer.14.In malitia sua, repelletur impius, sperat autem iustus in morte sua. De impijs contra dicitur: Cor durum male habebit in nouissimo.Et mors peccatorum pessima. Quid igitur faciam? Audi, Ante mortem benefac amico tuo, & secundũ vires tuas exporrigens,da pauperi.Hoc in eos quadrat, qui omne benefaciendi studium,ad sola testamenta relinquũt. Paulo vero inferius subdit:Ante obitum operare iustitiam,quia non est apud inferos inuenire cibum.

*Eccli.*1.

*Eccli.*3.

Psal 33.

*Eccli.*14.

*Eccli.*14.

O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis,viro quieto,& cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum.O mors bonum est iudiciũ tuum,homini indigenti,& qui minoratur viribus,& defecto ætate,& cui de omnibus cura est. *Eccli.*40

Prou. 20. Qui opportuno tempore dum licebat ad mortem parari noluerunt, illud vereantur quod Salomon ait: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. Hac fere socordia pereunt, quicunque pereunt. Sic fatuę illę virgines mendi-
Matt. 25. cauerunt dicentes. Domine Domine aperi nobis. Quibus tamen responsum est, Amen dico vobis, nescio vos. &c.

Contra eos qui Dei præcepta negligunt (qui solus beare, solus in periculis opem ferre potest) hac similitudine vti licebit. Si tibi Deus certissima relatione denuntiaret ingens aliquod & insolitum periculum priusquam ex hac vita discedas te manere, in quo vnus tantũ in mũdo homo sit, qui solus tibi auxiliũ prębere possit dic mihi, vbi hæc certo scires, quid quæso faceres? An non hominẽ illũ omni ratione demereri studeres, quo tibi in tanto periculo adesse vellet? At certo certius est te quidẽ moriturũ: ante mortem vero in eo statu futurũ, in quo tibi nec medici, nec filij, nec amici, nec opes (ad quas in periculis cõfugere solitus eras) nec ipsi etiam quibus omnia subsunt principes terrę, quicquã opitulari poterũt, sed ab omnibus destitutus, sola Dñi misericordia tibi assistere, te cõsolari, tibi facilem exitũ, & post exitũ ęternã fœlicitatẽ præbere poterit. An nõ ergo dignũ erit, vt hũc Dñm placare, demereri, & colere, tota animi contẽtione debeas, vt illũ in hoc tãto discrimine, ꝓpitiũ & fauẽtẽ habeas? Hęc cõsideratio latissime fundi potest.

Eccli. 41. O mors quã amara est memoria tua homini pacem habenti in substãtijs suis, viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus, &
Ibidem. adhuc valenti accipere cibũ. O mors bonũ est iudiciũ tuum, homini indigenti & qui minoratur viribus, & defecto ætate, & cui de omnibus cura est.

Communem mortalitatis nostræ legem in consolationem eorum qui mortem formidant, affert Seneca his verbis. Eo ibis quo omnia eunt. Quid tibi nouum est? ad hanc legem natus es: hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc minoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. ¶ Hac eadẽ cõsideratione Eccle. 41. vtitur his verbis. Noli metuere iudiciũ mortis. Memento quæ ante te fuerunt, & quæ super ventura sunt tibi, hoc iudicium à Domino omni carni.

Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius: contra vero mors peccatorũ pessima. Itaq; merito impius hoc tẽpore formidat,

midat, sperat autē iustus in morte sua. Quā sententiā regius vates amplissima oratione persequitur in eo Psal. cuius initiū est: Audite hæc omnes gētes &c. Subdit enim post hoc exordiū. Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circūdabit me. Quo in loco calcanei nomine terminum vitæ significat, iniquitatis vero, eius diei afflictionē & mœrorē. Ponitur enim causa pro effectu sæpe. Sēsus ergo est. Cur ego qui innocēter vixi, in hac extrema hora timere debeā? Timeāt illi, qui diuitijs suis abutētes, proximorū suorū ærūnas subleuare nesciūt, nec eos de angustijs & laboribus redimere: vt pararēt sibi thesaurū nō deficientē in cœlis, & facerēt sibi amicos de māmona iniquitatis: pręsertim cū ij pecunijs suis nō possint reddere Deo placationē suā, & pretiū redēptionis animæ suæ. Ego autē qui lōge alia via ingressus sum, nō habeo cur hoc modo trepidare debeā, sed cur magis cōfidēter dicere, verūtamē Deus redimet animā meā de manu inferi, cū acceperit me. Quare ne timueris cū diues factus fuerit homo, & cætera quæ sequūtur. Significat autem his verbis fiduciam sanctorū: contraque angustias metusq; improborum cum instat hora mortis. *Psal. 48.*

31 Moriatur, ait Balā, anima mea morte iustorū, & fiāt nouissima mea horū similia. Sceleratus & impi⁹ homo peruerse viuere volēs, mori tamē vult morte iustorū. Sic fere mūdani homines: peruerse quidē viuere, sed sanctè mori volūt. At finis hominū (vt Apost. ait) erit secundū opera ipsorū. Nolite (ait idē) errare. Deus nō irridetur. Quę enim siminauerit homo, hęc & metet. Gala. 6. Nam qui seminat in carne, de carne metet corruptionē. Audiant hoc carnales homines. Audiāt & cōtremiscant. Quidā interrogatus vter mallet esse Socrates, an Crœssus, In vita inquit Crœssus, sed in morte Socrates. Simili penè ratione improbi homines, non quidem verbis, sed moribus & vita respondent. *Num. 23.* *2. Cor. 11.*

Omne animal, ait Dominus. Leuit. 11. quod habet vngulam diuisam, & ruminat in pecoribus, comedetis. Vngula nostra, finis noster est, quam non findimus, cum nouissima nostra, hoc est, mortem, & quæ eam consequuntur, iudicium videlicet, gehennā, & gloriam non consideramus. Hæc vero prouidet, qui circa eadem sedula meditatione versatur, futuramque corporis & animæ suæ diuisionem ante oculos gestat.

Hæc igitur assidue ruminare debem⁹, vt in virtutis agone durare

poſsimus. Cito enim mens pondere laboris frangitur, cito ad male dulces, quas reliquerat, reuertitur voluptates, quando quæ præmia bonis, quæ malis ſupplicia propoſita ſint non recordatur.

Gene. 3. Pelliceis tunicis Dominus primos parentes induit quæ ex mortuis animalibus auferuntur, vt hoc habitu intelligerent, ſe mortalitatem ſuam quam peccando meruerunt, & fragilitatem quæ ex carnis corruptione veniebat, quocumque pergerent, circunferre. Quod plane ita eſſe intelliget qui partim videat nos quotidie, dũ viuimus morti fieri propiores, partim aſsiduas humanæ vitæ calamitates, & luctus, & morbos mortis nuntios contempletur.

Purgatorium.

Auguſt. TEmpus quod inter hominis mortem & vltimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut vnaquæq; digna eſt vel requie, vel ærumna, pro eo quod ſortita eſt in carne dum viueret. Neq; negandum eſt defunctorũ animas pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis ſacrificiũ mediatori offertur: vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt. Sed eis hæc proſunt, qui cum viuerent, hæc ſibi vt poſtea poſſent prodeſſe meruerunt. Eſt enim quidam viuendi modus nec tam bonus, vt non requirat iſta poſt mortem: nec tam malus, vt ei non proſint iſta poſt mortem. Auguſt. in Enchirid. cap. 1.

Purgandus eſt igne purgationis qui in aliud ſæculum diſtulit fructum conuerſionis. Hic autem ignis etſi æternus non ſit, miro modo eſt grauis: excellit enim omnem pœnam, quam vnquam quis paſſus eſt in hac vita vel pati poteſt. Auguſt. in ſerm. de igne purgat.

COLLE. ¶Hoc vel maximum inter ſacramentum baptiſmi & pœnitentiæ diſcrimen eſt, quod cum baptiſmus regeneratio quædam & natiuitas interni hominis ſit, nihil in regenerato priſtinæ vetuſtatis relinquit: quemadmodum in ijs rebus quæ generantur, nihil ex materia illa vnde generata ſunt, manet, vt in pullo, qui ex ouo generatus eſt, nihil ex ouo remanet. At cum ſacramentalis confeſsio non quidem regeneratio, ſed veluti languentis animæ medicina ſit,

iuxta dispositionem quam in ea inuenit, remedium præstat. Sunt enim (vt Philosophi docent) actus actiuorũ in patiente disposito. cũ auté dispositio quæ ad hoc sacramentum requiritur, cótritio sit, pro ratione contritionis præstat beneficiũ salutis. Si enim ea perfecta sit (qualis B. Magdalenæ fuit) totam simul cũ culpa pœnã relaxat. Si vero minor sit sublata culpa, quædam pœnæ portio remanet, vel pijs operibus in hac vita luenda, vel igne purgatorio in altera expianda. Cuius rei exemplum in Absalone Dauidis filio habemus: qui cum fraternæ cedis reus esset, & post longum tempus ab exilio reuocatus, in gratiam cum patre redijsset, ante patris tamen conspectum apparere prohibitus est. Maneat (inquit ille) in Hierusalem, & faciem meam non videat. Ad hunc modum se cœlestis ille pater cum ijs animabus gerit, quæ purgationis igne luunt, quæ in hac vita cõmiserunt, Non enim diuinæ amicitiæ & gratiæ exortes sunt, sed ad conspectum tamen eius, donec perfectè purgatæ fuerint, non admittuntur. *2. Reg. 14*

Magna Dei misericordia & prouidentia factum est, vt post hanc etiam vitam, satisfactioni locus esset. Is enim qui vult omnes homines saluos fieri, quique non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, animaduertens multos ex hac vita decedere, nec adeo puros, vt digni fiãt qui statim ad diuinę visionis gloriam sublimentur, nec tamen adeo impuros, vt extrema inferorũ supplicia patiantur, medium quendam eius misericordia locum destinauit, vt hac pia prouidentia & misericordiæ locus esset, & diuinæ iustitiæ debito satisfieret. In quo etiam diuinæ benignitatis splẽdor elucet, quod eiusmodi animas nõ modo pœnis suis purgari, sed piorum etiam & consanguineorum eleemosynis, precibus, & sacrificijs iuuari posse, constituit. Cuius rei insigne extat exemplum, quod Diuus Bernardus in vita S. Malachiæ memorat his verbis. Mortua est Malachiæ soror. *Bern.* Nec prætereundæ visiones quas vidit de ea. Huius siquidem sanctus carnalem exhorruerat vitam, & tanto zelo, vt se deuouerit, non visurum eam in carne viuentem. At illa carne soluta, solutum est votum, & cæpit videre in spiritu quam in carne noluit. Quadam nocte audiuit per somnum vocem sibi dicentis, sororem eius stare foras in atrio, & ecce per totos triginta dies nihil gustasse. Qui euigilans cito, intellexit cuius

escæ inedia marceret: & diligenter discusso numero dierum quæ audierat, ipsum esse reperit, ex quo pro ea panem de cœlo viuum non obtulisset. Tunc ille qui sororis non animam oderat, sed peccatum, beneficêtiam quam intermiserat, rursum adoritur. Neque id frustra. Non multo post visa est illi peruenisse ad limen Ecclesiæ, necdum tamen posse intrare: apparere etiam in veste pulla. Cumque ille perseueraret, curans ne quo die solita stipe frustraretur, secundo vidit eam in veste subcandida admissam quidem intra Ecclesiam, sed altare contingere non permitti. Tertio tandem visa est aggregari cœtui candidatorum, & in veste candida. Vides Lector, quantum valeat deprecatio iusti asidua? verè regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Nonne tibi videtur Malachiæ oratio vicem quodammodo effractoris exhibuisse cœlestibus portis, quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod suis meritis negabatur? Hanc vim Iesu bone, tu qui pateris, facis, validus, & pius ad saluandum, faciens misericordiam, & potentiam in brachio tuo, & in sacramento tuo: seruans sanctis qui in terra sunt vsque in consummationem sæculi. Hoc planè sacramentum potens peccata consumere, debellare obuias potestates, inferre cœlis reuertentes de terra.

Iudicium extremum.

Grego. PRæsentis temporis ita agenda est lætitia, vt nunquam amaritudo sequentis iudicij recedat à memoria. Gregorius homilia.32.

Diabolus cum quæ accuset mala non inuenit, ipsa bona ad mala inflectere quærit. Si opera non inuenit, quærit verba, si nec verba, quærit intentionem. Greg. in Mor. lib.2.c.8.

Psal.51. Super illud: Super eum ridebunt, &c. Nunc iusti iniustos metuunt, tunc ridebunt: ijdem tunc timent iudicem, ne postea metuant accusatorem. Ille enim tunc sæuiens rapit, quos nunc blandiens decipit. Greg. lib.6.c.20.

Iob.7. Super illud: Oculi tui in me, & non subsistam, &c. Considerat iustus quam stricte Deus iudicet, & periturum se ex se videt: quia

cum

cum districtus iudex, merita subtiliter inquirit, reus ad tormenta non sufficit. Greg. lib. 8. c. 13.

Super illud: Sapiens corde est, & fortis robore, &c. Non ergo falli quia sapiens, nec vitari poterit quia fortis. Nũc vt sapiens omnia prospicit, tunc vt fortis omnia punit. Greg. lib. 9. c. 2. *Iob. 9.*

Super illud: Si repente interroget, quis respondebit ei? Repente Deus interrogat, cum nos ad districtionem sui examinis inopinatos vocat. Interrogationi Dei homo respondere non sufficit: quia si remota pietate discutitur, etiam iustorum vita succumbit. Item repente interrogat, cum mens nostra quæ de se in tranquillitate æstimat, semetipsam veraciter qualis sit in perturbatione deprehendit. Greg. vbi supra. c. 11. *Ibidem.*

Super illud: Si habuero quidpiam iustum. Prece post iustitiam indiget, vt quæ succumbere discussa poterat, ex sola iudicis pietate conualescat. Dicit autem quidpiam etiam perfectus: quia vix peragit iste quæ debet. Greg. vbi supra. c. 14. *Ibidem.*

Quomodo peccantes percutit, qui in æternum punit vsu voluntatis carentes. Sed & illos iuste, vt infructuosa arbor in ramis seruet amaritudinem quam ex radice contraxit. Vbi supra Greg.

Cum Deo iudices venient, qui pro Deo indigne iudicantur: iudex veniet, qui nunc consideratione iudicij se se castigat. Grego. lib. 10. c. 30.

Electi culpis suis nõ parcũt, vt possint Deum placatũ inuenire: nã qui sibi nunc in culpa parcit, ei postmodũ in culpa nõ parcitur: ideo iusti districte se iudicant, ne iudicentur. Greg. lib. 11. c. 19.

Super illud: Posuisti in neruo. &c. Quia prauitaté nostrã forti districtionis suæ sentẽtia ligauit. Obseruasti semitas quia in omnib' actionibus, etiã cogitationes pensat. Vestigia cõsiderasti, quia intẽtiones nostras quã recte ponãtur, examinat. Greg. vbi supra. c. 25. *Iob. 13.*

Supernæ æquitati conuenit iniuste acta, iuste iudicare: vt diuina sententia ordinet in pœnam, quos inordinata actio traxit ad culpam. Greg. Mor. 18. c. 6.

Per flagella huius vitæ iudicij nobis districtio cõmendatur: si enim ita districte modo percutit, quãdo parcit, quomodo percussurus est, quando non parcens iudicabit. Greg. 19. Mor. c. 28.

Sancti ex tribulationibus quæ mundum feriunt, præuidẽt quæ sequantur. Greg. 21. Mor. c. 16.

Si taliter flagellatur Iob, qui sic timuit, qualiter feriendus est, qui contemnit? Ex verbere præsenti iudicia æterna pensanda sunt: quomodo enim toleranda est pœna quæ reprobat, si ferri non potest ira eius quæ purgat. Greg. vbi sup.

Sic potenter destruit, sicut potenter creauit.

1. Thes. 5. Subito tolluntur impij quia impræmeditate. Vide hoc in loco de eo qui ampliabat horrea. Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa vt fur comprehendat. Greg. 25. Mor. cap. 1.

Nihil sibi nostra blandiatur infirmitas: sed quanto sibi mali est conscia, tanto in se benignius sit seuera.

Deum tanto securius quis expectat, quanto quotidie suam vitá suspectus examinat. Greg. vbi. sup.

De iudicandis & iudicaturis, vide Greg. lib. 26. Mor. cap. 24. &. 25. ¶ Item vide eundé de extremo iudicio. lib. 13. Mor. cap. 15.

August. Augustinus super illud Ioan. 8. Ego sum lux mundi, Faciamus, inquit, quod iustum sit, ne impudenti fronte postulemus quod promisit: ne dicat nobis in iudicio suo, Fecisti quod iussi, vt petas quod promisi ex tract. 34. super Euang. Ioá.

Ille iudex nec gratia præuenitur, nec misericordia iam flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec pœnitentia vel satisfactione mitigabitur. Hic dum tempus habet, agat anima pro se quandiu locus est misericordiæ, quia ibi erit locus iustitiæ. Idem, lib. 3. de Symb.

In quo quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies, quoniam qualis in die isto moritur, talis in die isto iudicabitur. Idem ad Diascor.

Hieron. Etiam qui sancti sunt, præsentiam Dei absque formidine non videbunt. Hiero. in Orig.

Ætatum diuersitas non mutat corporum veritatem. Cum enim corpora nostra quotidie fluant, & aut crescant, aut decrescant, ergo tot erimus homines, quot quotidie commutamur: aut alius fui cum. 10. annorum essem, alius cum. 30. alius cum iam cano toto corpore sum? Igitur iuxta Ecclesiarum traditiones, & iuxta Apostolum Paulum illud est respondendum quod in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi, omnes resurgemus, siue paruuli siue magni, ijdem omnino manentes

qui

qui ante eramus. In qua quidem ætate Christi Iudæi Adam fuisse conditum autumant. Hiero. in epitaph. Paulæ.

Væ mihi est, si non peccata mea defleuero. Væ mihi est, si non media nocte surrexero, ad confitendum tibi Domine. Væ mihi si dolum proximo meo fecero. Væ mihi si non locutus fuero veritatem. Ad radicem securis posita est: faciat fructum qui potest gratiæ: qui debet, pœnitentiæ. Adest Dominus qui fructum requirat, fœcundos viuificet, steriles deprehendat. Ambro. super Luc. *Ambro.*

Quid in Babylone tutum, si Ierusalem manet scrutinium. Bernard. super. Cant. *Bernar.*

Conoscetur recte Dominus iustitiam faciẽs, qui nunc ignoratur misericordiam quærens. Idem de. 12. Grad. *Psal 9.*

O angustia, hinc erunt accusantia peccata, inde torrens iustitia, subtus patens horrendum chaos inferni, desuper iratus iudex, intus vrens conscientia, foris ardens mundus. Et si iustus vix saluabitur, peccator sic depressus in quam partem se premet constrictus? vbi latebo? vbi apparebo? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Ansel. in lib. medit. *Ansel.*

Si interroges qualiter veniet, sic dicit in Psalmo. Dominus manifeste veniet, Deus noster non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit. Cum talis terror futurus sit aduenientis, quis poterit terrorem sustinere iudicantis? Cum talis futura sit præsentiæ species, qualis erit forma sententiæ? Ille ergo veniet ad iudicandos nos, qui se iudicio meminit addictum pro nobis. Ille veniet ad discutiendam vitam nostram, qui eam restituit per mortem suam. Ille inquam, pro commissa nobis salute nostra rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione damnatus est. Qui tantum contulit, scit quantum reposcat. Euseb. Emiss. hom. de Symb. *Emiss. Euseb.*

Qua fiducia stabit desertor ante Regem suum? vulneratus ante medicum suum? perditus ante pretium suum? Vnde misericordiam petiturus est, primum de misericordiæ contemptu iudicandus. Idem ibidem hom. 2.

Nunc charissimi in potestate vitæ præsentis est, vt beatum sit, quidquid perpetuum erit. Sero tunc clamore clamabũt collibus, operite nos: & montibus, cadite super nos: desiderabunt mortem sed non inuenient, qui vitam dum inueniendi tempus fuit, de-

ſiderare noluerunt. Idem hom. de Paſcha.

Ipſa caro honoratur præmijs quæ eſt probata ſupplicijs: ipſa in muneribus gaudebit, quæ in doloribus triũphauit: quæ ideo tolerabiliter doluit ſe afflictã, quia fideliter credidit reformãdã. Secũdũ hæc, ſi nõ in ea qua vixiſti carne iudicãdus es, nõ eſt q̃ timeas, quicũq; ille es vas criminũ: aperi cãpũ flagitijs, dimitte frena peccatis, irrue ſecurus ad culpã: nõ eſt, quod timeas, alius pro te ſupponetur ad pœnã: nõ expaueſcas vetuſta malitia, noua neſcio quæ p̄ te natura dãnatur. Si ita eſt quantũ video nocẽtibus morte ſuccurritur, cruciatus innocẽtibus præparatur. Caro proprio in puluere ſuo dormiẽs, vltro nõ ſentiet delictũ propriũ: & quæ ante nõ fuerat, ſubito naſcetur ad crimẽ alienũ. Sed nõ ita eſt, nã de noſtris loquitur apoſtolica doctrina corporibus. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelã: hoc eſt dicere mortale noſtrũ in quo nati ſumus, ipſum de fauillis ita reparãdũ eſt, ne vltra poſsit morte diſſolui. Quę cũ ita ſint, audiamus per Prophetã, reſurrectionis pręſentiã ante tot ſecula velut ſub oculis depingentẽ. *Ezech. 37* Hæc dicit Dñs Deus. Oſſa arida audite verbũ Dñi. Ecce ego mitto in vos ſpiritũ & viuetis: *Ibid.* Et acceſſerũt (inquit) oſſa ad oſſa, vnũquodq; ad iunctũrã ſuã. Ecce ego aperiã tumulos veſtros, & educã vos de ſepulchris veſtris. Aduerte, quod nõ aliquod recens ex nihilo facit, qui vitã aridis oſsibus repromittit: aduerte quod viuificationẽ ſuã nõ nouis tribuit, ſed vetuſtis, cui vita ſeruit in tumulis. Reparandũ itaq; me in corpore meo, & circũdandũ me pelle mea: credo quidẽ ſermonibus annũtiãtis, ſed plus credo cicatricibus reſurgentis. Idem homil. 10.

Iuſte rerum arbiter tuus quidẽ eſt homo (inquit Diabolus) per creationẽ, ſed meus cœpit eſſe per culpam, tuus per naturã, meus per inobedientiam: qui maluit audire ſeductionem meam, quam legem tuam: tibi debetur iure, mihi crimine: tuus eſt opere, meus eſt voluntate: quia potuit præceptum tuum ſeruare, ſed noluit. Idem in hom.

Irremediabile periculum eſt, ſicaliquẽ vitijs & cupiditatibus frena laxare, vt ſe rationẽ Deo nõ meminerit redditurũ: quia puto magna ſit iã pœna peccati, metũ atq; memoriã futuri perdidiſſe iudicij: nõ nobis ita dulcia ſint pauperũ ſpolia, poſtmodũ nimis amaricatura. Idem in hom. de latrone beato.

Quid

Quid tũc animi peccatrix anima habebit, cũ alios illic erogãte Dño percipere viderit illesæ & integræ fidei brauiũ, candidæ thesaurũ castitatis, fructus misericordiæ, talẽta iustitiæ? Cũ indigna sibi sorte cõspexerit, nouissimos de primis fieri, & de nouissimis primos? pauperes supra diuites, seruos supra dominos glorificari: se autẽ inter hæc cũ peccatis suis relicta, de spectaculo fœlicitatis alienæ, dolorũ initia reportantẽ. Idẽ hom. 1. ad monach.

Quo putas vultu respicit redẽptio nostra perditionẽ nostrã? Tãto grauiora erũt humana delicta, quãto maiora se ostẽderũt diuina beneficia. Verendũ est autẽ, ne illã vocẽ resurrectionis pretiosa crucis vestigia protestantẽ etiã in iudicio suo ad vasa iniquitatis ꝓlaturus atq; dicturus sit. Infer digitũ tuũ huc & vide manus meas & affer manũ tuã & mitte in latus meũ: & agnosce quæ pro te & à te impietas humana pertulerim. Illa vtique clauorũ signa bonis salutaria, malis terribilia, quæ vsque ad diẽ iudicij nõ delentur, sine dubio abijcienda seruantur. Ibidem hom. 4. ad mona.

Quã lugubre erit homini Deũ videre, & perdere, & ante pretij sui perire conspectũ? Et ideo charissimi ista dũ tẽpus est, cogitantes, ita indefesso studio laboremus, vt quod nobis cõtulit iudicatus, integrũ in nobis inueniat iudicaturus. Ibidem.

Perniciosa nos metipsos persuasione fallentes, putamus quod mala nostra spatio tẽporis euanuerint: & quia illa nos obliti sumus, credimus quod de memoria diuinæ seueritatis elapsa sint. Sed nõ ita est, omnia apud illũ collecta, omnia apud illum reposita atque signata sunt. Audiamus quod dicit ille beatus Iob, Signasti quasi in seculo delicta mea. Et iterum ipse Dominus ait, Nonne hæc collecta sunt, & signata in thesauris meis? Idem ibidem hom. 5. ad monachos. *Iob. 14.* *Deut. 32.*

In illo die nihil est, quod respondeamus, vbi cœlũ & terra, aqua, sol, & luna, dies & noctes & totus mundus stabit aduersum nos in testimonium peccatorũ nostrorũ, & si omnia taceant, tamẽ ipsæ cogitationes nostræ, & ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros accusantes nos ante Deum: dicente Apostolo, cogitationibus inuicẽ accusantibus, &c. Chrysost. super Matth. *Chrysos.* *Roma. 2.*

Grauissima pœnarum pudor est, quam in iudicio quoque futuram didicimus: quoniam pij resurgent ad vitam æternam, impij vero ad pudorẽ & opprobrium æternum. Idem.

Patre

Patre familias moriēte, dom⁹ turbatur, familia plangit, & nigris se vestimētis induit. Sic humano genere, ppter q̄ facta sum omnia circa finē cōstituto, cœli ministeria lugēt, & cādore polito, tenebris induuntur. Idem sup. illud Math. 24. Et virtutes cœlorum.

1. Thes. 4. Idē super illo. 1. ad Cor. 15. Ipse Dn̄s in iussu & in voce tubæ &c. Vere vox magna, vox tubæ terribilis: cui omnia obediūt elemēta, quæ petras scindit, inferos aperit, portas æreas frāgit, vincula mortuorū disrūpit, & de profundo abyssi animas liberatas corporibus suis assignat. Hæc autē omnia citius cōsumit in opere, quā sagitta transit in aere: dicēte Apostol. in momēto, in ictu oculi. Idem.

COLLE.

Luc. 16. ¶ Redde rationē villicationis tuæ. Ex his verbis apparet, nō modo de omnibus admissis, sed etiā de omnibus à Deo impēsis beneficijs rationē exigēdam esse. Hoc enim villicationis, hoc est, dispēsationis nomē, præsefert. In quo ordine, omnes huius mūdi creaturæ numerātur. Quæ (vt D. Thom. ait) non modo ad humanæ vitæ vsum, sed etiā ad corda nostra in Dei amorē & laudē excitāda ab ipso cōdita sunt. Quēadmodū enim insignis aliquis pictor absolutā imaginē Regi offerens, non hoc solū captat, vt illi hoc munere gratificetur, sed etiā vt ex elegātia operis peritiā agnoscat artificis: ita supernus ille artifex, quęcūq; in hoc mūdo cōspiciūtur nō solū vtēda nobis, sed etiā spectāda proposuit: vt in mirabili earū fabrica, mirabiliorē cōditoris sapientiā contēplaremur. Ad hoc enim omnia potissimū facta esse declarat illud ex psalmo, Cœli enarrāt

Psal. 18. gloriā Dei &c. At impij hoc Dei consiliū inuerterūt, quādo omnia diuina opera (si dicere fas est) adulterarūt, & alio deflexerunt, quā pia cōditoris volūtas destinarat. Hoc enim est quod in Genesi dicitur, omnis quippe caro corruperat viā suā. Et corrupta est ter-

Gen. 6. ra corā Dn̄o, & repleta iniquitate. Vnde pulchritudine rerū qua in amorē pulcherrimi cōditoris excitari debuerāt, ad nefandas libidines abusi sunt. Sapores vero ciborū, quibus & vitā sustētare, & diuinā suauitatē ac sapientiam (quæ talia excogitauerit) mirari debuissent, ad ingluuiem & crapulam conuerterunt. Varios vero eosdemque suauissimos & salutares aromatum odores, libidi-

Prou. 7. num atque delitiarum suarum irritamenta fecerunt. Vnde impudica illa mulier in Prouerbijs ait, Aspersi cubile meum myrrha & aloe &c. Veni, ergo inebriemur vberibus &c.

Gemmis

Gemmis vero & lapillis, quorum mirabilis pulcritudo & virtus in admirationem nos diuinæ virtutis rapere debuissent: ad superbiã fastũque sicut auro & argento abutuntur. Vestes vero sericas quas in defesso labore vermes nobis, Deo ita disponente, prębent, qui vitæ suæ dispendio corpora nostra ornant, quis ad laudẽ Dei vsus est? quis pro hoc beneficio gratias egit? quis hoc Dei singulare opificium admiratur? Huc pertinet illud Cypriani, de habitu virginũ. An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia & mali secularis ignara crucietur, vt postea de aurium cicatricibus & cauernis pretiosa grana dependeant? Quæ omnia peccatores & apostatæ Angeli suis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia deuoluti, à cœlesti vigore recesserunt. Ab his igitur qui ad hunc modum omnia Dei opera peruerterũt, an nõ erit ratio exigenda? Nec enim ad hoc talia Deus opera tanta sapientia molitus est, tantaque prouidentia gubernat, vt libidinum suarum incitamenta improbi homines haberent. Nec enim bonus conditor talia huius rei gratia condidisset, qui nemini mandauit impie agere, neminique contulit spacium peccandi.

Vbi Ioseph dixit, Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum, non potuerunt respondere fratres nimio terrore correpti. Tantus enim illos stupor oppressit, vt prorsus muti & elingues rederentur: Lingua enim præ timoris magnitudine palato hærens, suo munere fungi non poterat. Si huius igitur sceleris memoria sic homines istos perterrefecit: quid putas improbos in extremo illo iudicio passuros, cum Christum videant, audiãtq; dicentem, Ego sum frater vester, quem vos crucifixistis, & vilissimo peccati pretio, toties vendidistis? O quam muti & elinguens hac voce reprobi fient. *Gen.* 45.

Hæretici quidam in carcere positi, cum intelligerent se in publicũ spectaculum prodituros, vt dignum erroribus suis dedecus & pœnam sustinerent, mortem sibi in carcere consciuerunt: ne publico illo dedecore afficerentur. Si ergo ciuitatis vnius spectaculũ ita horum animos perterrefecit, vt mortem prius vtriusque hominis (hoc est animæ simul & corporis) quam dedecus illud publicum subire vellent: qualis quæso pudor impiorum erit, cum se æterna pœna ac ignominia, in conspectu Dei & Angelorũ atque adeo omnium sæculorum damnari videant? Hoc nulla

ratione explicari pro dignitate poteſt.

Vehementer improbos in iudicio accuſabit dominicæ redemptionis exhibitum remedium, quod apertiſsime teſtantur illa Domini verba, Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Hi ſunt, qui ſcelerum ſuorum vlcera diligunt, magis quam medicamenta diuina, qui eſſe ſub ſentib. delitias computant: qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſsimis. Expende huius verbi vim. Hoc eſt autem iudicium: hoc enim vehementiſsime improborum cauſam premet, propter magnitudinem remedij huius ſimul & beneficij.

Ioan.3.

Vulgatum eſt, nõ licere bis in bello errare: quia poſt acceptam cladem conſilio & medicinæ non eſt locus. Multo autem verius eſt non licere homini aut bis viuere, aut bis mori, aut bis tribunal ſuperni iudicis adire. Videat ergo quiſquis eò acceſſurus eſt, in quo ſtatu accedat, quandoquidem poſt latam ſententiam, appellare amplius non licet.

Eccle.3.

Vidi ſub ſole in loco iudicij impietatem, & in loco iuſtitiæ iniquitatem: & dixi in corde meo, Iuſtum & impiũ iudicabit Deus, & tempus omne rei tunc erit. Hoc eſt, omnia tunc ad normam iuſtitiæ redigentur: quæ nunc confuſa & inordinata ſunt: quando vnicuique pro meritis vel præmium, vel ſupplicium reddetur. Colligit autem futurum eſſe iudicium ex rei indignitate: quòd videlicet nullo modo deceat diuinam prouidẽtiam tam immane facinus multum relinquere.

Quo timore in extremo iudicio impij concutiendi ſint, quid cogitaturi, quid dicturi ſint, habes. Sap.5. totum ferme caput. Tũc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe, &c. videntes turbabuntur, &c. quæ ſequuntur.

Quàm ſit periculoſa iudicum & potentium vita, & quàm ſeuerè iudicãdi à Deo ſint, ſi à virtute defecerint, inuenies Sap.6. Præbete (inquit) aures vos qui continetis multitudines, &c. Et infra, Duriſsimum iudicium in his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſque Deus, qui eſt omnium dominator, nec reueretur magnitudinem cuiuſque: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura

de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatus.

Si nos metipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur, Hoc idē monet Eccli. his verbis: Ante lãguorē adhibe medicinã, & ante iudiciũ, interroga te ipsũ, & in cõspectu Dei inuenies propitiationē. *1. Cor. 11.* *Eccli. 18.*

Quod omnia agãtur in oculis Dei cũcta vidētis, declarat Eccli. 39. his verbis: Opera omnis carnis corã illo, & non est quicquã absconditũ ab oculis eius. A sæculo & vsque in sæculũ respicit, & nihil est mirabile in conspectu eius. Nõ est dicere, quid est hoc? aut quid est illud? Omnia enim in tempore suo quærentur. Quo tempore? illo nimirum de quo Salomon ait, Iustum & impium iudicabit Dominus: & tempus omni rei tunc erit. Qualis autem ira eius futura sit, docet idem Eccli. consequēter cum subdit. Quomodo cataclysmus terram inebriauit, sic ira ipsius gentes, quę non exquisierunt eum, hæreditabit. Ebrietatis enim & inundationis, & alluuionis nomine, ingentem vim iræ atque suppliciorum designauit. *Eccli. 3.* *Eccli. 39.*

Pro eo quod nos legimus, Deus vitam meam annunciaui tibi. Hiero. ex Heb. vertit, Secretiora mea numerasti. Pone lachrymas meas in conspectu tuo. Cui simile est illud, Tu quidē gressus meos dinumerasti. Sed illud tamē maius, quod Iob. 14. Scrutatur corda & renes Deus. Est enim discretor cogitationum & intentionum cordis. Et nulla creatura est inuisibilis in conspectu eius. Hoc est autem scrutari Hierusalem in lucernis. Sopho. 1. Hoc autem modo quærimus quæ minutissima sunt. Quid minus, quam verbũ otiosum? Et tamen, &c. *Psal. 55.* *Psal. 7.* *Hebr. 4.*

Pro eo quod nos legimus, Cum accepero tempus ego. i. i. Hiero. ex Heb. vertit, cum accepero tempus, ego recta iudicabo. Dissi lietur terra cum omnibus habitatoribus suis. Verba sunt Christi Domini ad iudicium venientis, & mundi interitum annuntiantis. *Psal. 74.*

Cæterum quia non profertur citò contra impios sententia, filij hominum absque timore vllo perpetrant mala. Hi ergo huius vocis meminisse debent. Cum accepero tempus ego. i. i. Sicut enim tibi tempus fuit delinquendi, nemine repugnante: ita illi tempus aderit de te supplicium sumendi, nemine obsistente, si tibi nõ deficit tempus ad omnem intemperantiam, neque illi deerit ad vindictam. *Eccli. 8.*

Seueritatem diuini iudicij & vitæ nostræ lapsus ac ruinas

indicant

indicant illa Prophetæ verba, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia nō iustificabitur in conspectu tuo. o. v. Hoc est, Si me Domine voces in iudicium, deque vita mea quæstionem exerceas, nulla misericordia seueritatem iuris mitigante, nihil ostē ditur mihi ad spem salutis. Quis enim tam pie, tam sancte viuit in terris, vt rationem reddere iussus ad tribunal tuum, causam suam probare ac tueri possit, si velis exigere omnia quæ tibi & meritissimo & optimo iure debentur. Vnde est illud, Iob. 9. Vere scio quod non possit homo iustificari comparatus Deo: si voluerit cū eo iudicio contendere, non respondebit ei vnum pro mille.

Cum fœdus iniit Labam cum genero suo Iacob: Tumulum & lapidem in signum fœderis erexit, ac de illo socer ait, En tumulus hic & lapis quem erexi, inter me & te testis erit. Appellauitque nomen illius Galaad, idest, aceruus testimoniorū. Quod perinde est ac si diceret, Hæc lapidum congeries aduersum te testimonium feret, si aduersum me quidquam mali fueris machinatus. Simili etiam ratione in die iudicij aduersus improbos testimonium feret, aceruus tot testimoniorum, hoc est, tot sanctarum scripturarum, tot admonitionum, exhortationum, concionum, terrorum, & promissionum quibus Dominus ad eos excitandos & sanandos vsus est, ad quæ tamen omnia tanquam aspides obsurduerunt. Quo tempore pij pastores reuocare illis ad mentem eorum poterunt quęcumque in concionibus suis ad illos corripiendos dixerunt. Quoties inquiét, vos à periurijs, quoties à maledictis, odijs libidinibus, & rapinis reuocare conati sumus? Quibus vos minis perterrefecimus? quibus promissis allicere curauimus? quoties vobis hæc mala ominati sumus, & rebelles ac immobiles perstitistis? En Christi sanguis exquiritur.

Gen. 31.

Admiratione dignum est, multorum hominum stuporem, cum de die iudicij agimus aduertere. Quare? Quia fides eorū adeo obscura, adeoque informis est, vt eam Iacobus Apostolus mortuā appellarit, mortuus autem non habet vitales operationes. Vnde fides hæc (quod ad vim attinet operandi, aut animū afficiēdi) perinde est, ac si non esset. Hinc Saluator ait, Filius hominis veniens, putas ne inueniet fidem in terra? Alioqui si tibi hodie diceretur, quia iudex sæculi vult te crastina die viuum exurere, quam multa faceres? per quæ loca non discurreres? quam humilis, quam lugēs, & for-

Iacob. 2.

Luc. 18.

& sordidus oberrares. Quid pæterea. Non ne opes tuas omnes in eos effunderes, quorum intercessione euadere posses? Quod si aliquis tibi obsisteret, nonne diceres, pereāt omnia, dilapidentur omnia pro salute mea, nec quicquam eorum supersit, modo ego superstes sim. Sed quid ego de certis & indubitatis periculis loquor? Si causa capitis apud terrenum iudicē nobis agenda sit, nōne vigiles excubamus, & aduocato patrono munera pręparamus, vt is diligentissimè quę pro nostra causa sunt referat? Cur ergo nō aduertimus futurum aliquando, vt omnes ante tribunal Christi sistendi simus, quò referat vnusquisque propria corporis pro vt gesſit, siue bonum siue malum. *Rom.* 14. *2. Cor.* 5.

Inferorum supplicia.

VT peccatores amplius in supplicio puniātur, & eorum videāt gloriam quos contempserunt: & de illorum etiam pœna torquentur, quos inutiliter amauerunt. Greg. in Hom. *Greg.*

Vnus gehenæ ignis credēdus est: sed nō vno modo omnes cruciat peccatores. Vnusquisque enim quantum exigit culpa, tantā illic sentiet pœnam. Sicut in hoc mundo multi sub vno sole consistunt, nec tamen eiusdem solis æquanimiter ardorem sentiunt: quia alius plus æstuat, alius autem minus: ita illic in vno igne non vnus est modus incendij quia quod hic diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas peccatorum: vt & ignem non dissimilē habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. Greg. lib. 4. Dialog. Et Mor. lib. 9. cap. 47.

In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fætor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida visio Dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum. Erit enim miseris mors sine morte, defectus sine defectu: quia mors ibi semper incipit, & deficere nescit. Greg. super illud Matth. 8. Eijcientur in tenebras &c. *Matth.* 8.

Electos Dei cernimus, & pia agere, & crudelia tolerare. Hinc ergo colligitur districtus iudex quāta illic feriat districtione quos reprobat: si hic sic cruciat, quos amat. Greg. in Mor.

Ad districti iudicij iustitiā pertinet, vt nūquā careāt supplicio, quorū mens in hac vita nūquam voluit carere peccato, & nullus de

tur iniquo terminus vltionis, quia quãdiu valuit, habere noluit terminum criminis. Greg. vbi sup.

Luc. 12. Super Euang. Sint lumbi vestri præcincti. Nemo Dei longanimitatẽ negligat: quia tanto districtiorẽ iustitiam in iudicio exiget, quãto longiorẽ ante iudiciũ patiẽtiã prorogauit. Greg. hom. 13.

Eccli. 5. Altissimus enim est patiẽs redditor. Patiẽs dicitur, quia peccata hominũ & patitur & reddit. Nam quos diu vt conuertãtur, tolerat non conuersos durius damnat. Greg. vbi sup.

Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cũ fine vixerũt. Nã voluissent vtiq; sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostẽdunt enim quia in peccato semper viuere cupiunt, quia nũquam desinunt peccare dum viuunt. Greg. lib. 4. Dialog.

Iniustus quisque eò atrocius in tormentis obruitur, quò altius in peccatis eleuatur: transit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in via, in peruentione damnatur: & quasi per amœna prata ad carcerẽ peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. Greg. in mor.

Cũ recognosco Iob in sterquilinio, Ioannẽ esurientẽ in eremo, Petrum extensum in patibulo, Iacobũ decollatũ ab Herodis gladio: cogito qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat, qui ita dure affligit quos amat. Greg. in quadam Hom.

1. *Pet.* 4. Penset quisque quæ peccantes supplicia maneant, si etiã iustũ
2. *Thes.* 1. tam valida hic flagella castigant. Hinc Petrus. Si iustus vix saluabitur &c. Et Paulus, Quas sustinetis in exẽplũ iusti iudicij Dei. Ac si dicat, ex vestra pęna colligendũ est quomodo irascitur &c. Greg. lib. 5. cap. 8. Vide locum.

Iob. 6. Super illud. Qui timẽt pruinã, irruet super eos nix. Quia qui cõculcanda infimis metuũt, à summis metuẽda patiũtur: & cũ trãsire tolerabilia nequeũt, intolerabili iudicio se obijciũt. Gregor. vbi supra.

Iob. 8. Super illud. Sicut tela aranearum fiducia eius. Quia trãsit quod delectabiliter obtinet, & manet quod sequitur pœnaliter. Grego. libr. 8. cap. 31.

Qui autori suo corde & corpore deliquerunt, & foris igne & intus puniũtur tenebris: & ita simul corde & corpore cruciantur. Greg. Mor. lib. 9. cap. 46.

Hic, timor dolorem habet, dolor timorem non habet: in inferno

ferno autem & vmbra mortis est etiam horror sempiternus: quia & quod timent tolerant, & quod tolerant pertimescunt. Gregor. Mor. lib. 9. cap. 48.

Super illud, Nec tamen consumetur &c. Vt cuius vita mortua fuit in culpa, illic mors viuat in pœna. Cruciatur ergo, & non extinguitur: moritur & viuit: deficit & subsistit: finitur, & sine fine est. Greg. Mor. li. 9. c. 40. *Iob. 20.*

Quia impius carnem Deo præposuit, iudicante Deo agitur, vt de ea amplius crucietur. Ad augmentum enim tormenti & hic de corpore nolens educitur, & illic in corpore tenetur inuitus. Greg. vbi sup. cap. 14.

Diuina seueritas eo acrius punit, quo diutius pertulit: At iniquus toties credit se non videri à Deo, quoties peccat inulte: & ita vnde corrigere culpam suam debuit, inde cumulat. Grego. 25. Mor. cap. 28.

Tunc videbit impius quod Deus cuncta conspiciat, cum viderit se pro occultis damnari: aperiet oculos in pœna quos clausit in culpa. Greg. 25. Mor. 3. cap.

Quid tam pœnale quã semper velle, quod nũquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit? Idem in moral.

Quare in inferno mors quæritur & nõ inuenitur? quia quibus in hoc seculo vita offertur, & nolunt accipere, in inferno quærent mortem, & non poterunt inuenire. Aug. in sermo. *August.*

Sicut nullum gaudiũ rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inueniri gaudio vitæ æternæ, quam sancti accepturi sunt: ita nullus cruciatus pœnarum tẽporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari. Idem de catechiz. rud.

Melius ordinatur natura vt iuste homo doleat in supplicio, quã vt impune gaudeat in peccato. Idem ibidem.

Pœnæ nos terreant, si præmia non inuitant. Idem.

Nemo est qui nõ magis dolorẽ fugiat, quã affectet voluptatem: quãdoquidẽ videmus immanissimas bestias à maximis voluptatibus exterreri dolorum metu. Idem. lib. 84. quæst.

Ob hoc proculdubio inflexibilis & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratũ: quia quod breue fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate. Bern. in epist. *Bern.*

Esai. 34. Ibi (in inferno scilicet) clamabit pilosus ad pilosum, vnus ad aliũ. Dæmon ad Dæmonem, Percute, dilacera, interfice, velociter spolia detrahe, cito prædare, infer prunas, & ebullientibus impone lebetibus. Idem in quodam serm.

Hugo. Quis putas tunc mœror erit, quæ tristitia cum separabũtur impij à consortio sanctorum & à visione Dei, & traditi in potestate Dæmonũ, ibũt cũ in ipsis ignẽ æternũ? Ibique semper erũt sine fine in luctu & gemitu: vbi erit dolor intolerabilis, fœtor incomparabilis, timor horribilis, mors corporis & animæ, sine spe veniæ & misericordiæ? Vbi nec qui torquet aliquando fatigatur: nec qui torquentur aliquando moriuntur: sed sic morientur vt semper viuant: & sic viuent, vt semper moriantur. Hug. lib. 2. de Anima.

Euseb. Emiss. Psal. 68. Ideo Propheta dixit, nec vrgeat super me puteus os suum: quia cum susceperit reos, claudetur sursum, & aperietur deorsum in profundum: nullum spiramen, nullus liber anhelitus, claustris desuper vrgentibus relinquentur Euseb. Emiss.

Tarde nobis displicebimus sub conspectu ignis æterni, qui interrogabit ossa & medullas & cogitationes nostras. Quanto tunc emere pretio vnusquisque condemnandus optabit, ne vnquã corporis sui vestem commaculasset. Idem de Epiph. hom. 5.

Detrudentur illuc vale dicentes rerum naturæ, vltra nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt, morituri vitæ, & morti sine fine victuri. Ibidem.

Non tanti est vita, si ad hoc viuat homo, vt in paucis vitæ huius annis consumat eternos, & sub breui fine congreget sibi pœnas sine fine mansuras. Idem hom. de latrone beato.

Illud autem quomodo trepidus & male conscius sermo poterit explicare, cum cœperit inexpiabilis caro, & infectæ peccatis medullæ sæuis gehennæ æstibus penetrari, & more feruentium ac decoquentium metallorum inextinguibili tota hominis substantia intus infundi: & depascentibus flammis corpora atque animas ex parte consumi, ex parte nutriri: vt inter medios ignium globos damnata natura det pabulum, & accipiat incrementum? Vt opus atque figmentum corporis nostri in antiquis sceleribus mortuum, & ad sola tormenta rediuiuum, finem in ipso interitus confinio non inueniat. Illa enim non casualis sed rationabilis & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, substan-

ſtantiam neſcit abſumere. Idem homil.1.ad monach.

Occidente pœna & viuificante ſententia, ſtabit ſeculis materia reparabilis, & nunquam ad metam malorum termino fugiente perueniet: & dum ſibi nullã ſpem promittere poterit vel poſt immenſa tempora, iam etiam in præſenti ſentientur conſequentium tormenta ſeculorum: ac ſic dolorem mortis conſcientiæ impoſitę immortalitas augebit. Vę quibus hęc prius experiẽda ſunt, quam credenda. Ideoque chariſsimi, hæc omnia quæ illic finiri nõ poterunt, hic redimi poſſunt per emendationem prioris vitæ, per eleemoſynas, per lachrymas, per humilitatem cordis, per corporis caſtitatem, per exercitia iuſtitiæ ac miſericordiæ. Idem ibidem.

Non præteribo ſilentio coqui monaſterij cuiuſdam admirabilẽ ſingularẽque virtutẽ. cũ enim illũ animaduerterẽ in tã frequenti perpetuoque miniſterio iugiter ſecũ habitare, gratiáque poſsidere lachrymarũ, oraui ſupplex, vt mihi quonã modo meruiſſet iſtius modi gratiã reuelare dignaretur. Qui tandẽ fatigatus precibus meis ita reſpõdit. Nunquã me hominibus ſeruire arbitratus ſum, ſed Deo: & indignũ me ipſum quiete omni iudicans & ex huius ignis contẽplatione, ſempiterni incẽdij memoria cõpũgor. Cli. *Clim.*

Excludi à bonis æternis, & alienum effici ab his quæ præparata ſunt ſanctis, tantum generat cruciatum, tantum dolorem, vt etſi nulla extrinſecus pœna torqueret, hæc ſola ſufficeret. Chryſoſt. in ſerm. *Chryſ.*

Si vitam quauis morte triſtiorem degunt, qui lumen cœli non intuentur: quid illos pati credendum eſt, qui luce diuina priuati ſunt? Idem.

Cogitemus quantũ ſit mali in cõflagratione perpetua, in tenebris, luctu infinito, & dentiũ ſtridore nemine exaudiẽte. Nam ſi apud nos quiſpiã ex ingenue educatis, carceri incluſus, ſolũ fœtorẽ, tenebras loci, & vincula cũ homicidis cõmunia, rẽ quauis morte acerbiorẽ putat, perpende quid ſit cõburi cũ totius orbis homicidis, nec videntẽ alios, nec alijs conſpicuũ, ſed in tanta multitudine ſolũ ſe exiſtimantem. Siquidem opacæ illæ tenebræ ne proximos quidem dignoſcere permittunt. Verum ita quiſque afficietur, tanquam ſolus ſupplicium luens. Quod ſi tenebræ etiam per ſe animos noſtros angunt, & turbant, quid fiet, vbi tenebris tanti

doloris&incendia accendunt? Nam eos qui fecerint iniqua, nemo supplicijs illic futuris eripiet, non parentes, non fratres. Fratrem enim non liberabit quisquam, vtcumque magnæ fiduciæ fuerit, & multum valuerit apud Deum. Ipse enim est qui reddit vnicuique secundum opera sua: & ex operibus nostris vel salutem, vel supplicium consequi licet. Idem.

Intolerabilis res est gehenna: quis nesciat illud suppliciũ horribile? Tamen si mille aliquis ponat gehẽnas, nihil est tale dicturus, quale est à beatæ illius gloriæ honore propelli, exosum esse Christo, & audire ab illo, Non noui vos. Idem hom. 28.

COLLE. ¶ Lysimachus Rex à Scytis obsessus, aqua deficiẽte, se hosti tradidit. Is cũ vrceolũ aquę bibisset, exclamauit, ò quã breuis voluptatis causa, & regnũ & libertatem amisi. Quid ergo reprobi apud inferos dicẽt, cũ se propter momentaneas voluptates ad æterna supplicia dãnatos videant? Hoc potest copiose & vehementer amplificari. Prudenter ergo nos Salomon admonet, Fili mi, si te lactauerint

Pro. 1. peccatores &c. Recte autẽ voluptas lacti cõparatur. Lac enim soporẽ inducit, & dulcedine sua palatũ allicit, sed momẽto tẽporis acescit. Risus. n. dolore miscetur, & extrema gaudij luctus occupat.

Pro. 14.

4. Reg. 25 Quis verbis consequi possit, quas cogitationes in carcere positus Sedechias rex effosis oculis, extinctis filijs, & euersa atq; exusta Hierusalem volueret: cũ reminisceretur vaticiniorum Hieremiæ qui illi salua omnia prædicebat, si se Regi Babylonis dederet. Cui quia noluit fidẽ adhibere, in summas miserias adductus est. Quis autẽ enim explicare queat, quas damnati cogitationes voluant, cũ ad mentem reuocent, voces clamoresque concionatorum, qui toties illis hanc cecinerunt cantilenã, & omnia quæ modo patiũtur annunciarent: quibus tamen quia obedire in rebus etiã facillimis noluerunt, perpetuis cruciatibus torquebũtur. Hic habet locũ sermocinatio: quæ ipsorũ cogitationes & sermones effingat.

Hiere. 8. Immittã eis (ait Dominus) serpentes regulos, quibus nõ est incãtatio. Hoc autẽ explicauit Dñs cũ alibi dixit, Ecce ego adducã super eos mala dequibus exire nõ poterunt. Hoc autem plenissime improbi in gehẽna experiuntur. Ibi enim erũt serpentes illi, hoc est tortores Dęmones, qui nullo temporis momento à torquendo cessabunt.

Hoc

Hoc habet mirum diuina iustitia, quod nõ modo fontes punit, sed pœnis etiã sceleribus eorum accommodatis punit. Vnde est illud, Væ qui prædaris, nonne ipse prædaberis? Ideoque cũ multis plagis Dominus Pharaonis & Ægypti tyrannidẽ plectere potuisset, hãc postremo delegit, vt aquis suffocatus interiret, qui sæuissimo crudelitatis genere, infantes omnes aquis suffocari præcipiebat. Quod quidẽ Sap.19. describitur his verbis: Ducebat enim illos (nẽpe Ægyptios) ad hoc digna necessitas, & horũ quæ acciderat, cõmemorationẽ amittebant, vt ea quæ tormẽtis deerant, repleret punitio: & populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autẽ nouam mortem inuenirent, hoc est, ei similem qua ipsi innocentes pueros afficiebant. *Esai. 33.*

Quanta sint supplicia peccatoribus constituta, partim in hac vita, partim in futura, declarãt illa Eccli. verba. Fili ne semines mala in sulcis iniustitiæ, & nõ metes ea in septuplũ. Cæterum si malitia vnius horæ (vt Eccli. ait) obliuionẽ facit luxurię magnæ, quid ęternitas pœnarũ faciet? Qualis momentanea vitę huius voluptas, & ea quidẽ transacta, pręsenti æternitati pœnarum collata, apparebit. *Eccli. 7.* *Eccli. 11.*

Æternos improborum cruciatus, insinuant illa Dauidis verba: Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Mortis quippe nomine summus cruciatus, pastus vero, æternitas eius designatur. Herba enim pastus partim abscinditur, partim radicibus nixa relinquitur, vt iterũ reparata depascatur. Quod quidem reprobis in gehẽna contingit, qui æternæ mortis æternũ pabulum sunt. *Psal. 48.*

Calix in manu Domini vini meri plenus. Quòd hoc in loco Propheta vinũ, & mixtum simul appellet, altero atrocitatẽ penarũ, quę nullo solatio leuãtur, altero plurimũ fæcis huic vino admixtũ esse designat: quas quidẽ bibẽt omnes peccatores terræ. Easdem autẽ faces ad fundũ vsque bibituros esse impios, & fragmẽta calicis deuoraturos apud Esaiam Dominus comminatur. *Psal. 74.* *Esai. 23.*

Lex olim fuit vt domus quæ esset intra mænia ciuitatis intra annum à venditione redimi posset: si perceptũ pretiũ emptori pro illa redderetur: anno vero transacto, nulla redimẽdi facultas erat. Quid igitur hoc est? Nimirũ quia in cœlesti illa Hierusalẽ (cuius muri in Apocal. describũtur) domus multæ, hoc est, masiones multæ sunt, quas quidẽ peccati pretio vẽdimus: quia tũc de libro vitæ secundũ pręsentẽ iustitiam delemur. Has autem domos intra huius *Leu. 25.*

vitæ annũ redimere poſſumus: tranſacto vero anno nõ poſſumus. Modo ergo dum tempus habemus eas redimere curemus: aliter fruſtra conabimur &c.

Multi varijs modis gehennæ pœnas numerant & amplificant; me verò nihil magis terret, quam quòd ibi glorioſum Chriſti & intemeratæ Virginis nomen ſine vlla intermiſsione conuitijs afficitur & blaſphematur.

Contra eos qui diuinæ ſeueritatis & extremi iudicij atque gehẽnæ terroribus auditis neque mores mutãt, neque animis ſaltẽ compungũtur, afferri poteſt illud Achab regis, qui quãuis idolorũ cultor, ſanguinarius & impijſsimus eſſet, minis tamẽ auditis quæ illi Dominus per Eliã denũtiauerat, ita cõmotus eſt, vt de eo. 3. Reg. 22. ſcriptũ ſit. Cũ audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimẽta ſua, & operuit cilicio carnẽ ſuã, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Quorũ tamen nos fideles nihil facimus, cum grauiora quotidie audiamus.

Diuinæ vindictæ acerbitatem ac diuturnitatẽ Origenes Num. 14. colligit ex pœna inflicta incredulitati ac diffidentiæ filiorum Iſrael, poſtea quã exploratores è promiſſa terra venerunt. Sic enim ait, Quid habeat myſterij numerus iſte declarat dicens, Secundũ numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſtis terram, recipietis peccata veſtra quadraginta annis. Timeo ego myſterij huius ſacramenta diſcutere. Si enim vnicuique peccatori annus decribitur ad pœnam pro vnius diei peccato, vereor ne forte nobis, qui totam vitam ſæculumque totum peccando conſumimus, ne ipſa forte ſæcula ſufficere poſsint ad pœnas luendas. ¶ Quod ſi quereris quod culpa breuis, pœna vero longa ſit. Audi rationem. Si vulnus corpori infligatur, aut os confringatur, ſub vnius horæ ſpatio huiuſcemodi vulnera ſolent accidere, & plurimis poſtmodum cruciatibus ac doloribus exactis multo vix tempore ſanantur. Tranſi nunc ab exemplo corporis ad animæ vulnera. Anima quoties peccat, toties vulneratur. O ſi poſſemus per vnũ quodq; peccatũ videre quomodo homo noſter interior vulneratur, quomodo ſermo malus vulnus infligit &c. Sed nunc ſicut ij qui vel à Dæmonib9 obſeſsi, vel mẽte alienati ſunt, nõ ſentiũt ſi vulnerãtur, quia naturalib9 ſenſib9 carẽt: ita & nos vel cupiditatib9 ſeculi à mẽtes effecti, vel vitijs inebriati, ſentire nõ poſſumus quanta vulnera animæ inferamus.

Cœle-

Cœlestis beatitudo.

QVando ad ipsum vitæ fontem venerimus, erit nobis delecta biliter impressa sitis simul atque satietas. Sed longe aberit à si ti necessitas, longe à satietate fastidiũ: quia sitientes satia bimur, & satiati sitiemus. Greg. in Mor. Greg.

Credendum est, quod ante retributioné extremi iudicij iniusti in requie quosdã iustos cõspicient: vt eos videntes in gaudio, non solũ de suo supplicio, sed de eorũ bono cruciẽtur: iusti vero in tor mẽtis semper intuẽtur iniustos, vt hinc eorũ gaudiũ crescat, quia malum conspiciunt quod misericorditer euaserunt: tantoque libe ratori suo maiores gratias referant, quãto vident in alijs quod ipsi perpeti, si essent derelicti, potuerunt. Greg. in Hom.

Cum mens patriæ fœlicis quãta sit dulcedo considerat, pro ea præsentis vitæ amaritudines feruẽter amat. Greg. in. Mor. li. 7. c. 7.

Mercenarius quod graue perpendit ex opere, leue reputat ex præmio. Sic iustus. Hinc Paulus aliquando supra modum & supra virtutem grauabatur, sed lintheo remunerationis tergebatur, dicens: Non sunt condignæ &c. Greg. lib. 8. cap. 8. 2. Cor. 1. Rom. 8.

Quo magis æterna quæruntur, eo magis inspicitur quam vacue pro ista vita laboratur: & quo propius præmium aspicimus, magis dolemus quod serius quæsiuimus. Greg. vbi sup. cap. 9.

In hac vita multa videmus quæ nõ habemus: in alia idem est videre quod habere. Greg. 19. Mor. cap. 2.

Beatus diuinam speciem dum respicit, assumit: immutabilis fit, immutabilem videndo. Greg. 24. Mor.

Cum homo de æternitate disserit, cæcus de luce loquitur. Gre. 27. Mor. c. 26.

Greg. super illud Ioa. 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt, sic ait: In eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionis diuersitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Vnde & nõ æque laborantes in vinea, æque cuncti denarium sortiuntur. Mor. lib. 4. Matt. 20.

Idem super illud Iob. Annuntiat de ea (videlicet luce patrię cœlestis) amico suo, quod possessio eius sit, & ad eã possit ascendere, sic ait: Quid facilius quã homini in terra ædito terrena & fragilia Iob. 36.

mēbra gestāti, cœlorū alta cōscēdere, supernorū spirituū arcana penetrare? Sed eorundē spirituū ad nos cōditor venit, seque homi nē etiā sub ipsis exhibuit: sicut de illo patri per Prophetā dicitur, Minuisti eū paulominus ab Angelis. Et quia inter nos & eosdē spi ritus discordātis vitæ scādalū reperit: mira potētia mirabiliori etiā pietate summa creans, ima suscipiens, ima cū summis iunxit. Hinc est quod de eodē Rege nato, Angelorū chori in eius annūciatio ne prodeūt, hymnū dicunt, & hos quos dudum despexerāt, ciues agnoscūt, cōsono ore prædicātes, Gloria in excelsis Deo, & in ter ra pax hominibus bonæ volūtatis. Ac si aperte dicāt: Quos à nobis malitia disiūxerat, iam nūc in terra nata bonitas iungit. Is ergo qui propter nos minor Angelis extitit, æquales nos Angelis virtute suæ minorationis fecit. Ergo si desperat humana fragilitas, vnige niti sanguinē cōsideret, & in pretio suo cōspiciet, quā magna est, quæ tāti valet. Perpendat solicite quo caput præcessit: cōfidat cœ los, speret supernā patriā, Angelorum se sociam sciat, atque in sub capite prelatam se etiam Angelis gaudeat. Mor. lib. 27.

Luc. 2.

Greg. super illud Iob. 39. In petris manet, &c. sic ait: Possunt etiā petre sublimes virtutū cœlestiū potestates intelligi: quas non iam quasi more arborū huc atque illuc ventus nostræ mutabilitatis in clinat: quia velut petræ in arduis sitæ, ab omni metu mutabilitatis alienæ sunt, & ad soliditatem fixæ celsitudinis ipsa cui inhærent æternitate duruerunt. Vir itaque sanctus cum terrena despicit, mo re se aquilæ ad altiora suspendit: & per contemplationis spiritum subleuatus, perennem Angelorū gloriam præstolatur: atque huic mundo hospes, illa appetendo quæ aspicit, iam in sublimibus figi gitur. Vnde & apte sequitur. Et in præruptis silicibus cōmoratur, ac inaccessis rupibus. Qui enim sunt alij prærupti silices, nisi illi fortissimi Angelorū chori, qui quāuis non integri, tamen in pro prio statu fixi, cadēte cū suis angelis Diabolo, remanserūt? Præru pti enim sunt, quia pars eorū cecidit, pars remansit. Quod vero ait, inaccessis rupibus, nimirū qui prerupti silices, ipsi sunt inacces sæ rupes. Cordi enim peccatorū hominū valde inaccessa est clari tas Angelorū: quia quò ad pulchra corporalia cecidit, eò à spiritali specie oculos clausit. Sed quisquis ita contemplatione rapitur, vt per diuinā gratiā subleuatus, intētionē suā iā Angelorū choris in serat, & fixus in sublimibus, ab omni se infima actione suspen

dat,

dat, non ei sufficit gloriã angelicæ claritatis aspicere, nisi cũ etiam qui est super Angelos valeat videre. Sola nãque eius visio, vera mẽtis nostræ refectio est. Vnde cũ dixisset hanc aquilã in petris manere: & in præruptis silicibus, ac inaccessis rupibus cõmorari, ilico subdidit: Inde contẽplãtur escã, id est, ex illis choris angelicis tẽdit oculũ mentis ad contemplandã gloriã supernæ maiestatis, quã nõ visam adhuc esurit, qua tandẽ visa satiatur. Et quia interpositione corruptibilis carnis grauati, Deũ sicut est videre nõ possumus, recte subiungitur, Oculi eius de longe prospiciunt. Ac si diceret, Intentionis aciẽ fortiter tendunt, sed nec dũ propinquum aspiciunt, cuius claritatis magnitudinẽ penetrare nequaquã possunt. Quã si mens vtcunque non cerneret, nec quia longe esset videret, si autem perfecte iam cerneret, profecto hãc quasi per caliginem non videret. Igitur quia nec omnino cernitur, nec rursum omnino nõ cernitur, recte dictũ est, Quia à longe Deus videtur. Libet in mediũ Isaiæ verba deducere, ac hæc & illa quia vno spiritu proferantur, indicare. Qui cũ actiuæ vitæ virtutes exprimeret, dicens: Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatẽ, qui proijcit auaritiã ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinẽ, & claudit oculos suos ne videat malũ: ilico ab eiusdẽ actiuæ vitæ gradibus, ad quæ contẽplationis culmina ascẽdatur, adiunxit, dicẽs: Iste in excelsis habitabit, munimẽta saxorum, sublimitas eius, panis ei datus est: aquæ eius fideles sunt: Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longe. Munimenta saxorum sublimitas nostra est, cum mente choris castrisque cælestibus iungimur, & insidiantes malignos spiritus ipsi stantes in arce cordis quasi subterpositos expugnamus. Tunc nobis etiam panis datur, quia in supernis erecta intentio nostra, æternitatis contẽplatione reficimur. Aquę itẽ nostræ fideles sunt: quia doctrina Dei, quod hic per spẽ promittit, hoc illic in munere exhibet. Sapiẽtia nanq; huius mũdi infidelis est, quia mãsura post mortẽ nõ est. Aquæ nostræ fideles sunt: quia verba vitę quod ante mortẽ insinuant, hoc etiã post mortẽ demonstrant. Mor. lib. 31. *Esai. 33.*

Greg. in Hom. super illud Ioã. 10. Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet: sic ait. Ingredientur ad fidem, egrediẽtur autem à fide ad speciẽ, pascua autem inuenient in æterna refectione. Oues eius ergo pascua inuenient:

quia

quia quisquis illũ corde simplici sequitur, æterno viriditatis pabulo nutritur. Quæ autẽ sunt istarũ ouiũ pascua, nisi interna gaudia semper virẽtis paradysi? Pascua namque electorũ sunt, pręsens vultus Dei: qui dũ sine defectu conspicitur, sine fine mẽs vitæ cibo satiatur. In istis pascuis de æternitatis satietate lętãtur, qui iã laqueos voluptuosæ temporalitatis euaserũt. Ibi hymnidici angelorũ chori: ibi societas supernorũ ciuiũ: ibi dulcis solennitas à peregrinationis hui⁹ tristi labore redeũtiũ: ibi ꝓuidus Prophetarũ cætus: ibi iudex Apostolorũ numerus: ibi innumerabiliũ martyrũ victor exercitus, tanto illic lætior, quanto hic durius afflictus: ibi confessorũ constantia, præmij sui perceptione consolata: ibi fideles viri quos à virilitatis suæ robore, voluptas sæculi emollire nõ potuit: ibi sanctæ mulieres quæ cum seculo, & sexum vicerunt: ibi pueri qui hic annos suos moribus transcenderunt: ibi senes quos hic & ætas debiles reddidit, & virtus operis nõ reliquit. Quæramus ergo fratres charissimi, hæc pascua, in quibus cum tantorũ ciuium solennitate gaudeamus. Ipsa nos lætantium festiuitas inuitet. Nulla nos prosperitas blandiens seducat; quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens, obliuiscitur ire quo tendebat. Magnificentius exprimi nõ potuit multitudo consolationis, quæ in isto sæculo flentibus reposita illic est sanctis & electis Dei. Huiusmodi nãque dictio à similitudine tracta est matris, quæ paruuli sui fletum non sustinens, oculos eius & faciem manu tergit, mulcet osculis. Hom. 14. super Euang.

August. Bona cogitate & considerate fratres, quæ dat Deus peccatoribus: & hinc intelligite quid seruet seruis suis. Peccatoribus blasphemãtibus eũ, quotidie dat cœlũ, & terrã: dat fontes fructus, salutẽ, filios, copias, vbertatẽ. Hæc omnia bona nõ dat nisi Deus. Qui talia peccatoribus dat, quid eũ putas seruare fidelibus suis? Hoc ne de illo sentiendũ est, quia qui talia malis dat, nihil seruat bonis? Imo vero seruat nõ terrã sed cœlum. Vilius forte aliquid dico cũ dico cœlum: seruat se ipsum qui fecit cœlum. Pulchrũ est cœlũ, sed pulchrior est fabricator cœli. Aug. super Psal. 85.

Aug. sup. Psal. 41. Sitiuit anima mea ad Deum viuum. Quid inquit sitiuit? Quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Hoc est ꝙ sitio, venire, & apparere. Sitio in peregrinatione, sitio in cursũ, satiabor in aduentu. Sed quando veniam? Et quod citius est Deo

tardum

tardum est desiderio, Interim dum meditor, dum curro, dum in via sum, antequam veniam, antequam appaream fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus. Fuerunt mihi, inquit, lachrymæ meæ non amaritudo, sed panes suaues erant ipsæ lachrymæ, sitienti mihi illum fontem: quem quia bibere nondum poteram, auidius meas lachrymas manducabam. Aug. super Psal. 41.

Cum transierit gemitus noster, omnes vna voce in vno populo, in vna patria consolabimur, millia millium cōiuncta psallentibus angelis & choris cœlestium potestatum in vna ciuitate viuentiū. Quis ibi gemit? Quis ibi suspirat? quis ibi laborat? quis ibi eget? quis ibi moritur? quis ibi misericordiam præbet? quis ibi frangit panem esurienti, vbi omnes pane iustitiæ saginantur? Nemo ibi tibi dicit, Hospitem suscipe: peregrinus ibi nemo est, omnes in patria sua viuunt. Nemo tibi dicit, Concorda amicos tuos litigantes in pace sempiterna Dei vultu perfruuntur. Nemo tibi dicit, Visita ægrotum: sanitas immortalitasque permanet. Nemo tibi dicit, Sepeli mortuum, omnes in vita æterna erunt. Cessant opera misericordiæ, quia miseria ibi non inuenitur. ¶ Et quid ibi faciemus? Forte opera necessitatis erunt ista quæ hic sunt modo seminandi, arandi, coquendi, molendi, texendi? Nihil horum quia necessitas non erit. Vbi necessitas non erit nec miseria, opera necessitatis & misericordiæ non erunt. ¶ Quid ibi erit? Quod negotium nostrum? quæ actio nostra? Sedebimus & torpebimus, & nihil agemus? Si refrigescit amor noster, refrigescit & actio nostra. Amor ergo quietus in vultu Dei quem modo desideramus, cui suspiramus, cū ad eum venerimus quomodo nos accendet, in quem nondum visum sic suspiramus? Quid ergo agemus fratres? Psalmus nobis indicat, *Psal. 83.* Beati qui habitant in domo tua. Vnde? In sæcula sæculorum laudabunt te. Hæc erit actio nostra, laus Dei. Amas, & laudas. Desinis laudare, si desinis amare. Non autem desines amare, quia talis est quē vides, qui nullo te offendat fastidio: & satiat te, & non te satiat. Mirum est quod dico. Si dicam quia satiat te, timeo ne quasi satiatus velis abscedere, quomodo de prandio & cæna. Timeo rursus, si dixero non te satiat, ne indigens videaris, & quasi inanior existas, & minus in te sit aliquid quod debeat impleri. Quid ergo dicā quod dici non potest, cogitari vix potest? Et satiat te, & nō te satiat: quia

Matt.5. vtrumque inuenio in Scriptura. Nam scriptũ est, Beati esurientes, & sitientes iustitiam, quia ipsi saturabuntur. Et rursum de sapien-
Eccli.24. tia dictũ est. Qui te edunt, adhuc esurient: & qui te bibunt, adhuc sitient. Quid est bibendo sitire? Nunquã fastidire. Si ergo ista ineffabilis, & sempiterna dulcedo erit, modo quid à nobis petit Deus fratres, nisi fidem non fictam, spem firmam, charitatem puram: vt ambulet homo in via quam Dñs dedit. August. super Psalm.85.

Dies ille, dies est sine fine. Simul sunt illi oẽs dies, ideo satiant. Non enim succedentibus cædunt. Vbi non est aliquid, quod non veniendo nondũ sit, & veniẽdo iã non sit. Omnes simul sunt, quia
Psal.33. vnus est qui stat & nõ trãsit, ipsa est æternitas: hi sunt dies, de quib⁹ dicitur: Quis est homo qui vult vitã, diligit dies videre bonos. Hi dies & in alio loco anni appellantur, vbi Deo dicitur: Tu autem idem ipse es & anni tui non deficiẽt. Non enim anni sunt qui pro nihilo habentur, nec dies sunt qui sicut vmbra declinauerunt, sed dies sunt qui sunt. August. sup. Psal.89.

Magnum est quod visuri sumus, quando tota merces nostra visio est. Attendite ipsum Dominũ, qui hoc promisit in Euangelio
Ioan. 14. dicentẽ: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligã eũ. Et quasi diceretur ei, & quid ei dabis qui diligit te? Ostẽdam, inquit, meipsum illi. Desideremus, & amemus: flagremus si spõsa sumus. Sponsus absens est, sustineamus: veniet quẽ desideramus. Tantũ pignus dedit, nõ timeat sponsa ne deseratur à sponso, non dimittit pignus suũ. Quod pignus dedit? sanguinem suum fudit. Quod pignus dedit? Spiritũ sanctum misit. Talia pignora dimittet ille spõsus? Si non amaret, talia pignora non daret. August. super Psal.90.

Venale est, venale est quod habeo, dicit tibi Deus, eme illud. Quid habes venale? Requiẽ, inquit, venalẽ habeo, eme illã. Dicis ei: Quãtũ valet? Audi. Pretiũ ipsius labor est. Quãto labore digna est requies quæ nõ habet finẽ? Si verũ vis pronunciare & verũ iudicare, æterna requies, æterno labore recte emitur. Verũ hoc est: sed noli timere, misericors est Deus. Si enim haberes æternũ laborẽ, nunquã peruenires ad æternã quietẽ. Ergo vt aliquãdo peruenias ad id quod emis, nõ in æternũ laborãdũ est, nõ quia nõ valet tãti, sed vt possideatur quod emitur. Digna est quidẽ emi labore perpetuo, sed necesse est, vt labore tẽporali ematur. Decies cẽtena millia annorũ habẽt finẽ: quod tibi dabo, dicit Dñs nõ habebit finẽ. Qua-

lis

lis misericordia Dei? Nec dicit, Decies cētena millia annorū labora: nō dicit vel mille annos labora: nō dicit quingētos annos labora: sed cū viuis, inquit, labora in paucis annis. Inde iā requies erit, & finē nō habebit. Et adhuc audi. Dñe secundū multitudinē dolorū meorū in corde meo: exhortationes tuæ iucundauerūt animā meā. Paucos annos laboras, & in ipsis laborib9 nō deest cōsolatio: nō desunt gaudia quotidiana: sed noli gaudere in seculo, gaude in Christo. Ecce quātum pretiū damus? quodāmodo vnā siliquā ad accipiendos thesauros sempiternos. August. super Psalm. 93. *Psal. 93.*

Tu autē idē ipse est, & anni tui nō deficiēt. Ecce idipsum cuius anni nō deficiēt. Fratres, nōne anni nostri quotidie deficiunt, nec stāt omnino. Nā & qui venerūt, iā non sunt: & qui futuri sunt, non dū sunt. Iā illi defecerūt, & illi defecturi vēturi sunt. Præteritæ horæ transierūt, futuræ nondū venerūt: & cū venerint, & ipsæ transibūt, & deficiēt. Qui sunt anni qui nō deficiūt, nisi qui stāt? Si ergo anni ibi stant, ipsi anni qui stant, vnus annus est: & ipse vnus annus qui stat, vnus dies est: quia ipse vnus dies, nec ortum habet, nec occasum, nec inchoatur ab hesterno, nec excluditur à crastino, sed stat semper ille dies. August. super Psalm. 121. *Psal. 101.*

August, super illo Psal. 148. Præceptum posuit & nō præteribit. Quale præceptum, inquit, putatis habere cælestia, & Angelos sanctos? Quale præceptum dedit illis Deus? quale nisi vt laudent illū? Beati quorū hoc est negocium, laudare Deum. Non arant, non semināt, nō molunt, nō coquūt: opera enim sunt ista necessitatis, ibi necessitas nō est. Nō furātur, nō deprędātur, nō adulterātur: opera enim sunt ista iniquitatis, ibi iniquitas nō est. Nō frangūt panē esuriēti, nō vestiūt nudū, nō suscipiūt peregrinū, nō visitāt ægrotū, nō concordāt litigiosum, nō sepeliūt mortuū: opera enim sunt ista misericordiæ, ibi autē nulla miseria est, in quā fiat misericordia. Putamus erimus nos sic? Eia suspiremus, de suspirio gemam9. Et quid sumus, vt ibi simus? Mortales, proiecti, abiecti, terra & cinis. Sed qui promisit omnipotēs est. Si ad nos attendamus, quid sumus? Si ad illū, Deus est, omnipotēs est. Nō est facturus Angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? Aut vero pro minimo habet Deus hominem, propter quem mori voluit vnicum suum? Attendamus ad indicium dilectionis & promissionis Dei. Tales arras accepimus. Tenemus mortem Christi, tenemus

sanguinem

sanguinē Christi. Quis mortuus est? Vnicus. Pro quibus mortuus est? Vtinam pro bonis, vtinam pro iustis. Sed quid est? Etenim Christus, ait Apostolus, pro impijs mortuus est. Qui donauit impijs mortem suā, quid seruat iustis nisi vitam suam? Et infra. Quid tibi promisit Deus ò homo mortalis? Quia victurus es in æternū. Non credis? Crede, crede. Plus est iam quod fecit, quá quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? Vt viuas cum illo. Incredibilius est, quod mortuus est æternus, quam vt in æternum viuat mortalis. Iam quod incredibilius est, tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cū Deo. Non est victurus mortalis in æternum, propter quē mortuus est, qui viuit in æternum. Aug. sup. Psal. 148.

Augustinus super Psal. 148. Et exaltabit cornu populi sui. Modo inquit cornu populi sui humile est in trituris, in tribulationibus, in tentationibus, in tunsione pectorum. Quando exaltabitur cornu populi sui. Quādo venerit ipse Dominus & ortus fuerit sol noster, non iste qui oculis videtur, & oritur super bonos & malos, sed ille de quo dicitur. Vobis qui timetis Deum, orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius: & de quo dicturi sunt superbi & impij, iustitiæ lumen non illuxit nobis, & sol non est ortus nobis. Ipse erit æstas nostra. Modo fructus per hybernum tempus in radice non apparent. Attendis quasi aridas arbores per hyemem. Qui non nouit videre, aridam putat vitem, & forte iuxta est, quæ vere aruit. Similes sunt ambæ per hyemē, illa viuit, illa mortua est: sed illius vita & illius mors in abscōdito est. Æstas procedit, vita illius clarificatur, mors illius manifestatur. Procedit honor foliorū, fęcunditas fructuum: vestitur vitis in facie ex eo quod habet in radice. Ergo modo fratres tales sumus, quales sunt & alij homines. Quomodo nascuntur, manducant, bibunt, viuunt & vestiuntur, transigunt vitam istam: sic & sancti. Aliquando res ipsæ decipiunt homines, & ipsi dicunt. Ecce postquam hic cæpit esse Christianus, nunquid non ei dolet caput. Aut quia Christianus est, quid habet plusquá ego. O vitis arida attendis iuxta te vitem nudam in hyberno, sed non aridam per æstatis vim. Audi Apostolum, Mortui enim estis. Quasi per hyemen mortui apparebant. Audi quia viuunt. Et vita vestra abscondita est, inquit, cum Christo in Deo. Ecce vbi habes radicem. Quando ergo honore ornaberis: quando fæcundaberis

Sap. 5.
Malac. 4
Collo. 3.

fructu.

fructu. Audi illum sequentem: Cum Christus apparuerit vita vestra, tūc & vos apparebitis cū ipso in gloria. Aug. sup. Psal. 148. *Ibidem.*

Quidquid illud est quod illo Abrahæ significatur sinu, ibi Nebridius meus viuit dulcis amicus meus, tuus autē domine adoptiuus ex liberto filius, ibi viuit. Nam quis alius tali animæ locus? ibi viuit vnde me multa interrogabat homuntionem inexpertum. Iam non ponit aurem ad os meum, sed spiritualē os ad fontē tuū, & bibit quantū potest sapientiā, pro auiditate sua sine fine fœlix. Nec sic eum arbitror inebriari ex ea, vt obliuiscatur mei, cum tu domine, quē potat ille nostri sis memor. August. confes. lib. 9.

O tu vita, quam præparauit Deus ijs, qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita mūda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate & mutatione, vita totius elegantiæ & dignitatis plenissima, vbi nō est aduersarius impugnās, vbi nulla peccati illecebra, vbi est amor perfectus, & timor nullus, vbi dies æternus & vnus omniū spiritus: vbi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur. Et infra, huius rei gratia scripturarum sanctarum amœna prata ingredior, viridissimas sententiarum herbas exarando, carpo: legendo comedo, frequentando rumino, atque congregando tandem in alta memoriæ sede repono, vt tali modo tua dulcedine gustata minus istius miserrimę vitæ amaritudines sentiam. O tu vita fœlicissima: ò regnum vere beatum, carens morte, vacans fine, cui nulla tempora succedunt per æuum, vbi continuus sine nocte dies nescit habere tempus, vbi victor miles illis hymnidicis angelorum sociatus choris, cātat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion: Nobile perpetua caput amplectente corona August. in Medita.

O vita vitalis, vita sempiterna & sempiterne beata. Vbi gaudiū sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine lāguore, abūdātia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate, vbi omnia bona in charitate perfecta vident semper, & videre desiderant, sine anxietate desiderant, & sine fastidio satiantur. August. in Manu.

O anima mea si quotidie oporteret nos tormenta perferre: si

ipsam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloria sua videre possimus, & sanctis eius sociari: nonne dignum esset pati omne, quod triste est, vt tanti boni tantæque gloriæ participes habeamur? Insidientur ergo Dæmones, parent suas tentationes, frangant corpus ieiunia, premant carnem vestimenta, labores grauent, vigiliæ exiccēt, clamet in me iste, inquietet me ille, vel ille, frigus incuruet, conscientia murmuret, calor vrat, corpus doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus: ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum. Quæ enim erit iustorum gloria? quam grandis sanctorum lætitia, cum vnaquæque facies fulgebit vt sol? cum ordinibus distinctis populum Dominus in regno patris sui cæperit recensere, & meritis atque operibus singulorum promissa præmia restitueret: pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna prestare. August. in Manu.

Abac. 3.

Etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ paradysus est: vt & Ecclesia in sanctis temperanter & pie & iuste viuentibus paradysus recte dicitur, pollens affluentia diuitiarum, castisque delitijs. Idem super Gene.

Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis atque sapientiæ, vt etiam si non licet in ea amplius viuere, quam vnius diei mora, propter hoc solū innumerabiles anni huius vitę, pleni delitijs & circunfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. Non enim falso aut paruo affectu dictum est, Quoniam melior est dies vna in atrijs tuis super millia. Idem de lib. arb.

Psal. 83.

Hieron. Egredere quæso paulisper de carcere, & præsentis laboris tibi ante oculos pinge mercedem: quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit. Qualis erit illa dies cum tibi Virgo Maria choris occurret comitata virgineis, cum post rubrum mare submerso exercitu Pharaonis tympanum tenens præcinet respōsuris. Cantemus Dño: gloriose enim honorificatus est: equum & ascensorem proiecit in mare. Tunc & ipse sponsus occurret & dicet, Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea & veni: iam enim hyems trāsijt, imber abijt & recessit,

Exod. 13.

Cant. 2.

flores

flores apparuerunt in terra nostra. Tunc & Angeli mirabuntur, & dicent. Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum. Hinc & alius castitatis chorus occurret, Sara cum nuptijs, Anna filia Phanuelis cum viduis. Tunc exultabit & mater tua, siue quæ te genuit, siue quæ docuit. Tunc centum quadraginta quatuor millia in conspectu Throni & seniorum tenebunt cytharas, & cantabunt canticum nouum: quod nemo nisi ipsi cantare possunt. Quotiescumque te vana seculi delectabit ambitio, quotiescũque in seculo aliquid videris gloriosum, ad paradisum mente transgredere: esse incipe quod futura es: & tunc poteris dicere, Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, & flumina non operient eam. Hieron. ad Eustoch. *Cant. 18.* *Apoc. 7.* *Cant. 8.*

Ecce video cœlos apertos. Iuste & incunctanter offert sanguinem suum, qui præ oculis habet regem suum simul & brauium suum, & filium hominis à dextris stantem Dei. Nec dum explet famulus misterium suum, & iam Dominus aperit regnum suum. Eus. Emis. hom. de S. Stepha. *Euseb. Emiss.* *Acto. 7.*

Impossibile non putes, vt transferri obtineas in Angelicas beatitudines, cum in hoc seculo Angelicas deuiceris potestates. Idẽ hom. 3. de Pasch.

Qui se cœlesti pretio vident redemptos, ad cœlestia non dubitent præparatos. Idem ibidem.

Nulla beatis vita exolescet, nullam sentiet fœlicitas mutationẽ, nullam sentiet ætas longissima retracti seculi vetustatem: iactata retro morte, quidquid posthac fuerit, vita erat, & participata cum illo qui nos ex nihilo fecit beatitudine, sicut illius vita initium non habet, ita nostra terminum non habebit. Idem ibidem homil. 8.

Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt. Si beatitudo est credere quod annuntiatur, quanto maioris beatitudinis erit, videre quod creditur. Ibidem. hom. 10. *Ioan. 20.*

Deo cũ totũ debeatur, nihil tamen gratis soluitur, sed remuneratione quasi ipse vicissim debitor factus reddit pro exolutione debitorum. Pro hac itaque vita, dabit illam vitam quę nec oculo potest cerni, nec tacita mẽtis cogitatione pertingi. Quã vtique

consequi est facilius, quam enarrari: cuius erit cursus sine termino, vsus sine fastidio, refectio sine cibi adiutorio, requies sine noctis otio, ætas sine senio, indeficiens sub vultu Dei claritas, & sub antiquis perpetuisque gaudijs semper noua iucunditas, sine vllo amittendi periculo secura fœlicitas. Idem ad monach. homilia. 6.

Recordemur quam iucunda sit quies, quam delectabilis repausatio, post depositum alicuius grauissimi oneris fascem. Quã dulce sit post longæ captiuitatis cathenas, ad charam patriam recuperata libertate remeasse. Quam pretiosum sit, post multa nauigationis pericula, ad optatam terram, atque ad portum desiderabilẽ peruenisse. Atque ex his colligamus & cognoscamus, quã iucundũ erit, comite bona conscientia, ad vera & solida gaudia, atq; ad Angelorũ transire consortia, & ad illam vitam conscendere; vbi nulli erunt labores, nulla damna, nulla incommoda, & (quod supra omne bonum est) nulla peccata: sed æterna innocentia, inuiolata iustitia, inconcussa securitas, atque sempiterna fœlicitas. Idem ibidem. hom. 8.

Fulgent. Sicut per speculum vitreum trina nobis visio administratur: qua nos ipsos, & ipsum speculum, & quidquid præsens adest, videmus: sic per speculum diuinæ claritatis, & ipsum Deum vt est, videbimus quantum possibile erit creaturæ, & nos ipsos, & omnia alia vera & certa scientia cognoscemus. Fulgent. in epist.

Anselm. In futuro sic iustus fortis erit, vt etiam si velit, terram commouere possit: & sic è conuerso iniustus imbecillis, vt nec etiam vermẽ amouere queat ab oculis suis. Ansel. de similit.

Cypria. Quæ illa erit fratres charissimi operantium gloria, quam grandis & summa lætitia, cum populum suum Dominus cœperit recensere, & meritis atque operibus nostris præmia promissa retribuere pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare, offerre nos Patri, cui nos sua sanctificatione restituit. Cypria. serm. de eleemosyna.

Cassio. Benedicitur Dominum cœlum extendere, vbi meretrices & publicanos eum constat admittere: nam cum sint rei per iustitiam, cœli iustorum facti sunt, & gratiæ largitate, peccantium. Cassiodor. sup. Psal. Extendens cælum sicut pellem.

Bern. Domine multi volunt tecum conregnare, sed non compati volunt

lunt: inuenire,& non quærere: volunt consequi,& non sequi. Ber. in serm.

Gloriam concupiscens, non cogitat de labore. Chrysol. Chrysol.

Faciet eos discumbere. Insinuāt ista communē sanctorum in diuinis bonis concordem lætitiam,& consentientē societatē. Discubitus autē requies est ex multis laboribus, largitasque vberrimorum bonorum affluentissima Diony. epist. 9. Dion.

Tantæ pœnæ pauperis, sic repēte delitijs commutantur, vt portaretur ab Angelis & induceretur in paradysum, ne saltem ambulans pauper Lazarus laboraret. Portatur post tantos labores quia prius defecerat,& portatur ab Angelis: non enim suffecerat ad portandum pauperem vnus Angelus, & propterea plures veniunt vt chorum lætitiæ faciant. Chrysostom. in serm. de Lazaro mendico. Chrysost.

Grandis violentia est in terra nasci,& cœlum rapere: & habere per virtutem quod non possumus habere per naturam. Idem sup. Matth. 11.

Bonorum virorum mentes mihi diuinæ atque æternæ videntur,& ex hominum vita ad Deorum religionem sanctimoniāque demigrare. Cicero pro C. Rabir. Cicero.

Hæc res plus proficit, si proponatur spes vtilitatis futuræ, quā præteriti beneficij recordatio. Idem. 2. de orat.

Cogitantes supera atque cœlestia, hæc nostra vt exigua & minima contemnamus. Idem in Acad. quæst.

Duæ sunt viæ (vt ait Socrates) duplicesque cursus animorum è corpore excedentium. Nam qui se humanis vitijs contaminarunt & se totos libidinibus dediderunt, ijs deuium quoddam iter est seclusum à concilio Deorum. Qui autem se integros castosque seruarunt, quibusque fuit minima cum corporibus cōtagio, suntque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, à quibus sunt profecti, facilis patet reditus. Idem. 1. Tuscul.

Qui rectè & honestè curriculum viuendi à natura datum confecerit, ad astra facile reuertetur: non qui aut immoderate aut intemperanter vixerit. Idem de vniuers.

Omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certus est in cœlis atque definitus locus, vbi beati sempiterno æuo fruantur. Idem de somno Scipionis.

COLLE. ¶Omnes homines naturæ ductu ita æternitatem appetunt, vt quidam Gentilium, non aliam agnoscentes quã famam, ac perpetuã nominis claritatem, libenter se morti propter huiusmodi æternitatis vmbram obiecerint. Hinc illę statuæ, quę claris viris in foro Romæ collocabantur, ortum habuere. Hoc argumento discere poteris, quid pro vera corporis, & animæ æterna fælicitate Christiani facere debeant, præsertim si attendant, quid propter eam Christi Martyres paßi sint.

1. Petr. 5. Seniores ergo, obsecro & ego vos cõsenior tanquã testis Christi paßionũ, & eiusdem, quæ in futuro reuelanda est gloriæ consors. Hæc verba nõ vulgarẽ emphasim habent. Perinde enim est, ac diceret, Rogo vos fratres, vt magno studio salutis vestræ curã geratis: rogo inquã velut testis laborũ, & afflictionũ Christi: hoc est summi, & incõparabilis pretij quo à Diaboli potestate redẽpti estis, & tanquã is, qui probe tenet, quãta sit illa fælicitas, quæ tali pretio empta fuit. Hæc enim duo maxime homines ad virtutis studiũ incitare debẽt: nẽpe mors Christi, & promißio æternæ fælicitatis, vtriusq; autẽ rei oculatus testis Petrus Apostolus fuerat, quãdo & Christũ in cruce morientẽ, & in mõte trãsfiguratum vidit.

Vita dæmonum. Quatuor sunt inter homines viuẽdi genera. Quidã enim mores Dæmonum imitantur: quorũ de numero erat ille, de quo Dominus ait, Nonne ego vos duodecim elegi? & vnus ex vobis Diabolus est. *Ioan 6.* *Vita pecorum.* Alij vero pecudes imitantur, qui videlicet nõ ratione, sed affectibus more pecudũ ducũtur. *Vita hominum.* Alij vero humano more, hoc est partim ratione, partim affectibus agũtur: de quibus Apostolus ait, Cũ enim quis dicat, ego quidẽ sum Pauli, alius autẽ, ego Appollo, nõne homines estis? *1. Cor. 1.* Ex his vero multi quidẽ salui fient: sic tamen (vt idẽ Apostolus ait) quasi per ignẽ, si tamẽ cũ pietate dormitionẽ accipiant. *1. Cor. 3.* *Vita Angelorum.* Sunt porro alij, qui puritate vitæ Angelos imitantur: hi potißimum ex hominibus ad eorum beatitudinem cooptantur.

3. Reg. 10 Omnia vasa, ex quibus Salomon bibebat, aurea erãt: taliaque electionis vasa esse debẽt, quæ ad veri Salomonis mẽsam idonea sint.

2. Cor. 4 Quãta sit illa fœlicitas, quæ pijs laboribꝰ in cœlo proposita est, declarat testis oculatus Paulus, cũ ait, Momẽtaneũ & leue tribulationis nostræ supra modũ in sublimitate æternũ glorię põdus operatur in nobis. *Esai. 15.* Itẽ illud Esai. Nõ dixi Iacob, frustra quærite me. Et illud

illud eiusdẽ. Dicite iusto, quoniã bene. Quæ quidẽ oratio, vt bre- *Esai.3.*
uissima, ita fęcũdissima est. Omne quippe genus boni, sub hoc in-
definiti boni nomine cõprehẽdit. Vnde Moysi Dominus ait: Ego
ostendã tibi omne bonũ. Quã obrẽ merito Dñs Iere. 2. queritur
dicẽs. Nũquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? Qua- *Exo.33.*
re ergo dixit, populus meus, Recessimus: nequaquã vltra veniem⁹ *Hiero.2.*
ad te? Nũquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut spõsa fasciæ *Ibidem.*
pectoralis suæ. Populus autẽ meus oblitus est mei diebus innume-
ris. Miratur ergo hoc in loco Dñs, quod cũ maxima populo suo bo
na cõtulerit, & maiora promiserit, ab illis prorsus neglectus, & de
relictus fuerit. Habẽs etiã hac de re insignẽ locũ Malach.3. vbi Pro
pheta inducit improbos dicentes. Vanus est, qui seruit Deo, & ꝙ
nobis emolumentum, &c. Vide locum.

3. Quoniã multi vitã omnem in sceleribus transigentes, piorum
sibi præmia pollicẽtur, operæ pretiũ erit in scripturis sanctis anno
tare ea loca in quibus mores eorũ describuntur, qui ad æternã vitã
cooptati sunt: Hoc autẽ argumentũ tractat totus ille Psal. cuius ini *Psal.14.*
tiũ est: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo. Item inuenie-
mus enim hanc esse legem ab æquissimo illo iudice definitam vt
pro cuiusque meritis, præmia, vel supplicia hominibus tribuãtur.
Quod illa Symboli verba designãt. Qui bona egerũt, ibũt in vitam
æternã, qui verò mala, in ignẽ æternũ. Sic illud ex Psal.32. Semel lo
cut⁹ est Deus: duo hęc audiui: quia potestas Dei est & tibi Dñe mi
sericordia: quia tu reddes vnicuiq; iuxta opera sua. Et Hier.61. de
Deo loquẽs. Cuius inquit oculi sunt super oẽs vias filiorũ homi-
nũ, vt reddas vnicuiq; secundũ vas suũ, & secundũ fructũ adinuẽ-
tionũ eius. Et Apost. ad Gal.6. Nolite, inquit errare: Deus nõ irride
tur, quę.n. seminauerit hõ, hęc & metet: qui.n. seminat in carne de
carne metet corruptionẽ: & qui seminat in spiritu de spũ metet vi
tã æternã. Quomodo ergo tu, qui tota vita in carne seminasti, vitã
æternã ex hoc adulterino semine tibi polliceris? Cui cõsentit illud
eiusdẽ Apostoli.2.Cor.11. qui de improbis loquẽs ait. Quorũ finis
erit secundũ opera ipsorũ. Hæc omnia & multa his similia falsam
illorũ spem arguũt, qui in scelerib. suis perdurãtes æterna præmia
sibi pollicentur, eosdem etiam arguit illud ex Psal.23. Quis ascen-
det in montem Domini? Innocens ait, & mundo corde qui non
accepit in vanum animam suam, &c. Vt autem D. Greg. ait. Ille in.

vanum accepit animã, qui sola præsentia cogitat: quæ vero sequũtur in perpetuũ non attendit. Recte autẽ à quibusdam sapiẽtibus dictum est, improborum animas salis tantũ officio in corporibus fungi: quæ à corruptione illæsa, & integra seruat, nihilque præterea rationali creatura dignũ moliãtur: ideoque merito frustra animas accepisse dicũtur. Tales Cicero porcorum animas esse ait.

Cic. lib. 2 de natura Deorum.

Æternitatem cœlestis regni, quod pijs à constitutione mundi paratum est, vult Dominus hominibus annuntiari, quod illa Psal. verba indicãt. Gloriam regni tui decet &. p. t. a. vt notã faciant. f. h. p. t. & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnũ tuum regnum omnium sæculorum, &c. Pondera verbum. Regnum omnium sæculorum.

Psal. 144

Quam pusillus sit grex eorum, quibus æterna salus decreta est: cum tamen stultorũ numerus sit infinitus vel hoc indicio colligi potest, quod numeratis ex imperio Dñi tribubus Israel. Num. 1. à vicesimo anno, & supra, ex alia quidẽ tribu inuẽti sunt quinquaginta millia, ex alia sexaginta, ex alia septuaginta, &c. Ex tribu autẽ Leui inuenta sunt solum viginti duo millia, quoq; magis mireris, cũ ab vno mẽse, & supra numerarentur, cæteris à. 20. anno numeratis. Quæ res profecto diuinæ prouidentiæ miraculo nõ caruit: præsertim cum in adoratione vituli tribus Leui à Domino percussa non fuerit: vt pote quæ innocens reperta sit, & patrati sceleris vltrix. Idem etiã hoc indicio significari aiunt, quod ex tanta multitudine, quæ ex Ægypto egressa, ad promissam terram Deo ducente pergebat, duo solũ viri eò peruenerunt: cæteris propter infidelitatem suã ab eius ingressu prohibitis. In diluuio vero octo solũ animæ seruatæ, cæteræ omnes aquis absumptæ sunt.

Antequam Israeliticus populus promissam terrã ingrederetur, exploratores misit, qui terram considerarẽt. Ex qua infæcunditatis signum, botrũ insignem attulerũt, & ficus, & malogranata. Ad hũc ergo modum fideles in hoc exilio constituti, explorare mente cœlestis patriæ gaudia debent: quo illius spe, & amore incensi, ærumnosæ huius vitæ molestias perferant: Ibi namque primum miræ magnitudinis botrum deprehendent: per quem plenissima diuinæ dilectionis vbertas exprimitur: qua in illa æterna patria inebriãdi sumus, sicut Propheta dicit, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: &. t. v. t. p. c. Inueniemus item ficus: per quos diuinæ

Num. 13.

Psal. 35.

dulce-

dulcedinis abũdantia designatur. Ex visione nãque diuinæ pulchritudinis amor, ex vtroq; vero ineffabile diuinæ dulcedinis gaudiũ ita cõsequitur, vt (quemadmodũ Theologi dicunt) si dãnatus aliquis ad diuinã speciẽ contẽplandam Dei dono eleuaretur, nullo modo posset hoc spectaculo nõ lætari, quãuis certo sciret post breue spaciũ se ad eadẽ supplicia rediturũ. Quoniã in eadẽ visione diuinæ iustitiæ ordinẽ cernẽs, placida tũc mẽte cõsisteret. Ibidem etiã malogranata deprehẽdet: per quæ sanctorũ cõmunio, & bonorũ omniũ societas significatur. Quæ facit, vt omniũ bona vniuscuiusque sint velut propria. In hoc enim pomograna omnia sub vnius pomi integumẽto mirabili ordine, ac ratione continentur. Vt igitur hic ex multis granis vnũ constat pomũ, ita illic sanctorũ omniũ vna ciuitas, vna gloria, vna communis lætitia est.

Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita cum domus Dei ædificaretur. Cur ita? Quia & lapides, & ligna adeo in monte Lybano exculta & polita erant, vt cum in locis suis collocarentur, nullo opus esset ferramento. Ad hunc ergo modum in hoc mundo varijs ictibus, & pressuris pij homines excoluntur, & præparantur, vt postea sine vllo dolore, aut labore in cœlesti illa domo, quæ viuis ex lapidibus ædificatur, suis in locis collocentur. Ibi enim absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum & iam non erit amplius neque luctus, nec clamor, &c. Itaque in hoc mũdo varijs premi laboribus, & vexari, nihil aliud est, quàm ad illas cœlestes sedes aptari: Quia vero grauioribus in hoc sæculo doloribus vrgentur, ad nobiliorem vtique locum præparatur. Hinc illud ex hymno, Tunsionib. pressuris expoliti lapides, suis coaptãtur locis, per manum artificis: disponuntur permansuri sacris ædificijs. *3. Reg. 6.* *Apoc. 21.*

Collocationes duodecim tribuũ in circuitu tabernaculi ad quatuor mundi partes ternis ordinibus vergentes, de quibus Num. 3. agitur, Origenes ad ordines Angelorum, & sanctorum in cœlo in circuitu throni residentium eleganter accommodat, cuius verba (vt ab eo rationem tractandi huiusmodi scripturarum loca disceremus) subijcere volui, Ait igitur, Hæc sunt, quæ nobis litera legis exponit, vt ex his sacramentorum semina colligentes, tanquã gradibus quibusdam ab humilibus ad excelsa & à terrenis ad cælestia conscendamus. Ascende ergo nunc ò auditor si potes, & à

terrenis sensibus intuitu mētis, & perspicacia cordis eleuare. Obliuiscere paulisper terrena, supra nubes, & supra ipsum cœlū gressu mentis incede: ibi require tabernaculū Dei, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus: ibi (inquā) require quaternos istos ordines, stationesq; castrorum: ibi Israelitica agmina, & excubias cerne Sanctorum. Sed ego non audeo illuc solus ascendere, non audeo me in hos tam secretos mysteriorū secessus sine autoritate magni alicuius doctoris immergere. Non possum illuc ascēdere, nisi præcedat me Paulus, & ipse mihi viam noui huius, & ardui itineris ostē-

Hebr. 12. dat. Ipse ergo Apostolorum maximus ad Hæb. ita ait. Non enim accessistis ad ardentem & tractabilem ignem, sed accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem, & multitudinem Angelorum collaudantium, & Ecclesiam primitiuorum conscriptam in cœlis. Igitur Moses per quatuor castra, populum diuisum scribit in terris, & Apostolus quatuor ordines Sanctorum describit in cœlis. Ad quorum singulos vnumquemque nostrum dicit accedere. Non enim omnes ad omnes accedunt: sed alij quidem accedunt ad montem Sion: horum autem paulò meliores accedunt ad ciuitatem Dei viuentis Hierusalem. Qui autem & his eminentiores sunt, accedunt ad multitudinem Angelorum collaudantium. Qui autem super omnes istos sunt, accedunt ad Ecclesiam primitiuorum conscriptam in cœlis. Primitiuos autem arbitror eum intelligere Apostolos: qui primitias spiritus acceperunt.

Grati animi officium declarant nouissima illa Dauidis verba, qui nec præsentia mortis impeditus, accepti iamdudum beneficij

3. *Reg.* 2. memoriam deposuit, dum Salomoni filio, vt filijs Berzellai (qui ei fugienti, & ab omnibus pene derelicto affuit, & commeatum præbuit) præcepit, vt rependeret gratiam, & vt filios eius mensæ suæ conuiuas perpetuo haberet. Quo in loco animaduertere licet, quàm faustum & fœlix antiquum illud patris officium filij existimarent: pro quo tātam gloriam percepissent, vt Salomonis Regis opulentissimi, & gloriosissimi perpetuo conuiuæ essent: & officij breuissimo tempore peracti sempiternum præmium referrent? Hoc autem exemplo animarum in regno Christi epulantium lætitiam conijcere licebit: cùm videant se propter exiguos, & momentaneos labores tam magna præmia percepisse, In pau-

cis

ctis enim vexati, in multis bene disponentur, &c.

Ait Regina Saba ad Salomonem, Beati viri tui, hi qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Si hi beati à sapientissima Regina reputantur, quam beati erunt, qui stant coram Deo, & vident faciem eius, in qua omnia vident, omnia audiunt, omnia sciunt? *2. Para.9*

Duos esse creaturarum ordines constat, quos Dominus cælestem illam aulam complere, & incolere voluit: alteras pure spirituales, alteras spirituales simul & corporeas: alteras quidē in cœlo, alteras in terra conditas: alteras, quæ nunquam ceciderunt: alteras, quæ post lapsum surrexerūt: alteras, quæ sine labore regnant: alteras, quę cùm labore triūphant: alteras, quæ nihil Deo præter vitā, & gloriā debent: alteras, quæ præter hoc illud etiam debent, quod à morte gehennæ Christi sanguine ereptæ sint. Et quidē hæc postrema lætitiæ causa hominum erit, non Angelorum: atque eo maior, quo apertius damnatorum pœnas vident. Erunt enim ad visionem omni carni. Quamuis illud, Angeli sancti debent, quòd beneficio conditoris à lapsu erepti sint. *Esa.vlt.*

Magnitudinem cælestis præmij declarant illa verba Domini, Mensuram bonam, & confertam, &c. In quibus verbis omnia, quę in plenissima mensura desiderari possunt, continentur. Cui consentit illud Psal.18. Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiēdis illis retributio multa: siue (vt Hierony. ex Hebr. vertit) fructus multus. Quo verbo non solum bona gloriæ, sed etiam gratiæ, quæ in hac vita conferuntur, intelligimus.

Fœlicitas, vltimus finis.

QVia mens stare noluit cum potuit, stare non valet etiam cum vult. Nihil ergo sufficit menti quod percipitur: quia amisit, quod vere potuit sufficere. Greg. in Mor. lib. 8. c. 9. *Greg.*

Iustè qui relicto Deo se sibi ad requiem sufficere credidit, nihil in se nisi tumultum perturbationis inuenit, inuentumque se fugere quærit: sed autore contempto, quo fugiat, non habet. Greg. vbi supra. c. 22.

Dū easdē res anima nostra, modo appetit, modo fastidit, docet q. aliūde pēdet: quia enim ad appetēdū Deū formata est, iure ei nō sufficit, quod infra Deū est. Diuertitur autem nunc per multa, vt

quia

quia qualitate rei non poteſt, ſaltem varietate ſatietur. Greg. 26. Mor. cap. 26.

Ad quodcunque me conuertero, vileſcit mihi adeptum quãuis accederit deſideratũ. Auguſt. ſuper Pſal. 102.

Auguſt. Auguſt. ſuper illo Pſal. 32. Beata gens cuius Dominus Deus eorum. Quis eſt, inquit, qui hoc audito non erigat ſe? Amant enim omnes beatitudinem: & ideo peruerſi ſunt homines qui mali volunt eſſe, miſeri nolunt. Et cum ſit malitiæ indiuidua comes miſeria: iſti peruerſi non ſolum mali eſſe volunt, miſeri nolunt, (quod fieri non poteſt) ſed ideo volunt mali eſſe, ne miſeri ſint. Quid eſt hoc quod dixi, ideo volunt mali eſſe ne miſeri ſint? Conſiderate hoc paululum in omnibus hominibus qui male faciunt, beati ſemper eſſe volunt. Furtum facit aliquis: quæris quare? Propter famem, propter neceſsitatem. Ergo ne miſer ſit, malus eſt, & ideo miſerior eſt, quia malus eſt. Depellendæ ergo miſeriæ cauſa, & acquirendæ beatitudinis cauſa, faciunt omnes homines quicquid vel boni faciunt vel mali. Semper ergo beati eſſe volunt. Quære ergo quid ſit, quod habendo beatus ſis. Cum enim beatus fueris, melior vtique eris, quam cum miſer es, fieri enim non poteſt vt res deterior te, faciat te meliorem. Homo es, deterior te eſt, quicquid cupis quo beatus eſſe deſideras. Aurum, argentũ, quælibet corporalia, quibus inhias acquirendis, poſsidendis, fruendis, inferiora te ſunt. Tu melior es, tu fortior es. Iam ergo supereſt vt quæras quid ſit melius, quam animus tuus. Quid erit obſecro, niſi Deus tuus? Non inuenis hic aliquid melius animo tuo: quia cum fuerit perfecta natura tua, Angelis æquabitur. Iam ſupra non eſt niſi creator. Erige te ad illum, noli deſperare, noli dicere, Multum eſt à me. Magis multum eſt à te, habere aurum quod quæris. Aurum & ſi volueris forte non habebis: Deum cum volueris, habebis: quia & antequam velis, venit ad te, & cum aduerſa voluntate eſſes vocauit te. Auare, quid inhias cœlo & terræ? Melior eſt, qui fecit cælum & terram: ipſum viſurus ipſum habiturus es. Quæris vt tua ſit illa villa, & tranſiens per illam dicis. Beatus cuius eſt villa illa, cuius eſt domus iſta, cuius eſt ager iſte. Compeſce iniquitatem audi veritatem. Beata gens cuius eſt. Quid? Iam noſtis quid dictu-

rus

rus sim. Ergo desiderate vt habeatis, tunc demum beati eritis. Hac sola re beati eritis: re meliore quam vos estis meliores eritis. Deus est, inquam, melior te, qui fecit te. Beata gens cuius est Dominus Deus eorum. Hoc ama, hoc possidе: hoc cum vis habebis, hoc gratis habebis. August. super Psal. 32. *Psal. 32.*

Amant homines diuersas res: & quando quisque quod amat habere videtur, fœlix vocatur. Vere autem fœlix est, non si id habet quod amat, sed si id amet quod amandum est. Multi enim miseri sunt, magis habendo quod amant, quam carendo. Amando enim res noxias, miseri: habendo sunt miseriores. Et propitius Deus cũ male amamus, negat quod amamus: iratus autem dat amãti quod male amat. Aug. sup. Psal. 26.

Redite ait præuaricatores ad cor, & inhærete illi, qui fecit vos, state cum eo, & stabitis. Requiescite in eo, & quieti eritis. Quo itis in aspera? quo itis? Bonum quod amatis ab illo est. Sed amarũ erit iuste, quia iniuste amatur deserto illo, quidquid ab illo est. Quo vobis adhuc & adhuc ambulare vias difficiles & laboriosas? Non est requies vbi quæritis eam. Quærite quod quæritis, sed non vbi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis. Nõ est illic. Et mox, Exultauit christus vt gigas ad currendam viam. Non enim tardauit, sed cucurrit clamãs dictis, factis, morte, vita, descẽsu, ascẽsu, clamans vt redeamus ad eũ: & discessit ab oculis, vt redeamus ad cor, & inueniamus eum. Aug. confes. lib. 4. *Esai. 46.* *Psal. 18.*

Et disputabam cum amicis meis Alipio & Nebridio de finibus bonorum & malorum, Epicurum accepturum fuisse palmã in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit. August. confes. lib. 6.

Nec volebam multiplicari terrenis bonis deuorãns tempora, & deuoratus temporalibus, cum haberẽ in æterna simplicitate aliud frumentum, & vinum, & oleum. Et clamabam in consequenti versu clamore alto cordis mei, ò in pace, ò in idipsum, ò quid dixit? Obdormiam & somnum capiam? Idem in confes. lib. 9. *Psal. 5.*

Cum homines amant beatam vitam, quod non est aliud nisi de veritate gaudium, vtique amant etiam veritatem. Cur ergo nõ de illa gaudent? Cur non beati sunt? Quia fortius occupantur in alijs, quæ fortius eos faciunt miseros, quam illud beatos quod

tenuj

tenuiter meminerunt. Augustinus Confes. lib. 10.

Cum inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor & labor, & viua erit vita mea tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples, subleuas eum: quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum. August. vbi supra.

Neque in his omnibus, quæ percurro consulens te, nó inuenio tutum locum animæ meæ, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec à te quicquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit. Sed recido in hoc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degrauat. Hic esse valeo, nec volo: illic volo, nec valeo, miser vtrobique. August. Confes. lib. 10.

Hoc confiteor, hoc scio Domine Deus meus, quia vbicunque sum sine te, male est mihi præter te: non solũ extra me, sed etiam in me, quia omnis copia, quæ non est Deus meus, mihi est egestas. August. in Medita.

Heu miseria super miseriam, cum misera anima mea à te refugit, cum quo semper abundat & gaudet, & sequitur mundum, cum quo semper eget & dolet. Mundus clamat, deficio: tu Domine clamas, reficio: & miseria mea magis sequitur deficientem, quàm reficientem, plane infirmitas mea hæc est. Augustinus in Medita.

Sicut tota vita corporis anima est: sic beata vita animæ, Deus est. August. de lib. arb.

In hac vita homines magnis laboribus requiem quærunt & securitatem: sed prauis cupiditatibus seducti, non inueniunt. Volũt enim requiescere in rebus inquietis: nam si in diuitijs velit homo requiescere, magis superbus efficitur, quàm securus. Idem de catechiz. rud.

Væ animæ audaci, quæ sperauit, si à te recessisset, se aliquid melius habiturã: versa & reuersa in tergum, & in latera, & in ventrẽ, & dura sunt omnia: & tu solus requies: & ecce ades. Idem Confes. lib. 6.

Quidquid præter Deum est, dulce non est: quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, & se mihi det.

Idem

Idem super Psalmum vigesimumsextum.

Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs. Ego ero vnde satientur: ego ero quæcunque ab hominibus honeste desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona. Sic enim & illud recte intelligitur quod ait Apostolus, vt sit Deus omnia in omnibus. Idem lib. 22. de Ciuit. Dei.

Qui nequiter vult viuere, nonne tanto miserior esse conuincitur, quantò facilius mala eius voluntas impletur? Idem, lib. de verbis Domini.

Ideo Deus fœlicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt illa quæratur fœlicitas cuius dulcedo non est fallax. Idem super Matthæum, serm. 29.

Inter temporalia & æterna hoc interest, quòd temporale plus diligitur antequam habeatur, vilescit autem cum aduenerit: non enim satiant animam, cui vera & certa sedes æternitas. AEternum autem ardentius diligitur adeptum, quàm desideratum. Idem lib. 1. de doct. Christ.

Nulla re fruitur anima cum libertate, nisi quæ fruitur cum securitate. Nemo autem securus est in his bonis quæ potest inuitus amittere. Idem de lib. arb.

Dico beatam vitam consistere in altitudine sapientiæ, suauitate conscientiæ, virtutis sublimitate: non sine passione esse, sed victorem passionis esse, beatum est. Ambros. de Offi. *Ambros.*

Fallax fœlicitas est maior infœlicitas. Bernar. in serm. *Bernar.*

Ad imaginem quippe Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest. Capacem enim Dei quidquid Deo minus est, non implebit. Idem in serm. Dedicat.

Cũ diligimus Deũ, omnia in ipso reperimus. Vnus est qui quæritur, sed in quo omnia continentur. O lucrũ mirabile? ò compendiũ singulare? cur nos per diuersa fatigamus? Ad ipsum ergo vnanimiter festinemus: post quẽ cuncta bona vltra nõ quærimus, sed tenemus. Cassiodo. super illud Psalm. Inquirentes Dominum, &c. *Cassiodo.*

Infœliciores esse necesse est malos cupita cũ perfecerint, quã si ea quæ cupiunt, implere non possent. Nam si miserum est voluisse praua, potuisse miserius est. Boet. de Consol. lib. 4. *Boetius.*

Quid

Quid de corporis voluptatibus loquar?quarum appetentia quidem plena est anxietatis,satietas vero pœnitentiæ?quarum motus quid habeat iucunditatis ignoro. Tristes vero esse voluptatũ exitus,quisquis reminiscitur libidinum suarum,intelligit:quæ si beatos explicare possent,nihil causæ,quin pecudes quoque beatæ esse dicantur. Idem lib.3.de consol.

Ex diuersis. Abunde fortuna illi indulget,qui iure dici non potest infælix, cum fælix mortalium nemo sit.

Fælix non differt à misero per dimidium vitæ.

Infirmus ponit sanitatem esse fælicitatem, pauper vero factus diuitias.

Nihil vulgatius est,quam fastidire fortunam propriam,& splẽdidiorem cupere.

Cicer. Nullus stultus beatus,& sapiens non beatus. Cicero.1.de finib.

Nũquam satis digne poterit laudari philosophia,cui qui pareat omne tempus ætatis possit sine molestia degere. Idem in Cat. Maio.

Nisi stabili,& fixo,& permanẽte bono beatus esse nemo potest, mihi enim inueterascere,nihil extingui,nihil cadere debet eorum quæ in vita beata cõsistunt. Nam qui timebit,nequid ex his deperdat,beatus esse non poterit. Idem.5. Tuscul.

Qui beatus est, non intelligo quid requirat vt sit beatior: si est enim quiddam quod desit, ne beatus quidem est. Idem ibidem.

Omne beatum est,cui nihil deest, & quod in suo genere expletum ac cumulatum est:idque virtutis est proprium. Ibidem.

Nec figura corporis,nec excellens vis ingenij humani significat ad hanc vnam rem natum hominem , vt frueretur voluptatibus. Idem.2.de finib.

COLLE. *Iob.9.* ¶Quis restitit ei,& pacem habuit?Secundum Gregorium,quæ extra dispositionem diuini ordinis sunt, in pace esse nequeunt . Sic enim ossa corporis humani,cum in loco sibi à superno autore præfixo sita sint,dolorem non incutiunt: si vero violenter extra locũ sibi à natura destinatum sint,vehementer nos cruciant. Ita plane cor hominis in Deo,velut in centro suo in pace quiescit: vbi vero extra illum est, irrequietis motibus agitatur.

Sicut materia prima quia est in potentia ad omnes formas semper

per appetit, quod habere nata est,(ideoque perniciem machinari dicitur, formæ quam habet, vt eam assequatur quam non habet) ita cor hominis, quia omnium bonorum capax est, semper ad ea quibus caret, inhiat, & aspirat: semperque odio præsentium, & cupiditate futurorum laborat. Quo fit, vt extra Deum (in quo omnia sunt) quiescere nullo modo possit.

Solius Dei magis quam omnium aliarum rerum possessio animam satiat: sicut vnus sol magis quam omnia cœli luminaria mũdum illuminat. Quare compendiosissima nobis via ad fælicitatem sine multarum rerũ apparatu, & copia patet: si vnius Dei possessionem adipiscamur. Quam viam filius Dei docturus venit in mundum ad quam etiam nos ipse inuitat, cum ait, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. *Matth.* 11

Cum beatitudo, & fælicitas sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, in externis, & corporeis rebus esse nullo modo potest. Quis enim omnium bonorum istorum compos sit? At verò si vnum aliquod istorum desit, frequenter nos magis huius vnius rei defectus torquet, quàm cæterorum possessio satiat. Achaz rex Israel quia vineam Naboth, quam concupiuit, impetrare non potuit, mente & corpore ita consternatus fuit, vt in lectum procubuerit incęnatus. Quid Aman memorem? qui cum omnibus bonis circunflueret, nihil se habere putabat, quandiu Mardocheus ad fores palatij excubabat, vide locum. *3. Reg.* 21 *Ester.* 5.

Duas in mundo creaturas ad diuinæ fœlicitatis participationem Dominus condidit: rationalem videlicet, & intellectualem, hoc est, hominem & Angelum. Quia vero partim operibus suis, partim diuina gratia fælicitatem erant consequuturi, Angelis quidem breuem morulam concessit, vt sponte sua se diuino obsequio manciparent, hominibus vero, qui natura vertibiles sunt, longius ad hoc spatium (nempe vitam hanc quæ degitur in terris) contulit. Cuius diuinæ destinationis ita multi adeo ignari sunt, vt sic vitam instituant, sic in terra radices iaciant, & in ea curas omnes & cogitationes suas defigant: quasi ad hanc solum vitam nati & facti essent. Qui similes mihi puerulis esse vi-

dentur, quos cum parentes aliquo amandant, vt quicquam in domesticos vsus necessarium emant, spectaculis rerum quas in itinere inueniunt, occupati quæ in mandatis acceperunt, obliuiscantur, emēdique opportunitate transacta, vacui sera nocte domū redeūt. Hos igitur puerulos imitantur, quicūque rerū humanarū pulchritudine capti, finis ad quē conditi sunt, obliuiscuntur.

Vnius Dei possesio magis hominem beare, quan totius mundi opes, ac regna possunt. Hæc enim singularia, & priuata bona sunt: Deus autem vniuersale bonum est, vnde ipse Moysi ait, Ego ostē-
Exod. 33. dam tibi omne bonū. Hoc ipsum autem D. August. super Psal. 36. explicat his memorabilibus verbis. Aurum, quod tibi est, non potest tibi esse argentum: vinum, quod tibi est, non potest tibi esse panis, Deus autem tuus totum tibi est. Manducabis eum ne esurias: bibes eum, nè sitias: totum habebis, totum habebit, quia tu, & ille vnum eritis. Hactenus ille. Vides igitur in Deo omnia esse, & ab eo omnia recipi. Hoc autem intus in anima sua D. Franciscus experiebatur, quem ferunt diutisime hanc vocem in oratione repetere, Deus meus, & omnia, Deus meus, & omnia. Si quæras autē qua ratione hoc fieri posit, ratio est, quia mirabili, & inenarrabili quodam modo Deus electorum suorum corda longe maiori lætitia, & iucunditate reficit, & recreat, quam si rerum omnium compotes essent: Id quo pacto fieri posit improbi ne suspicari quidem possunt: quod tamen pij quotidie experiuntur. Non mentitus est tamen ille qui sapientiæ donum commen-
Prou. 3. dans, ait, Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Huius autem rei clarisimam imaginem virga illa nobis exhibet, qua Moyses percussa petra, largū fontem eduxit. Considerandum est enim quibus verbis Deus ad-
Num. 20. monet Mosem, vt è silice aquas eliciat. Tolle, inquit, manu virgā, qua fluuiū percusisti, & ego consistam ante te supra petram, quę est in Horeb, percutiesque petram, & exibit ab ea aqua, vt bibat populus. Quorsum tandem spectat illa admonitio, qua redigit in memoriam Mosi, vnum illud ex tam multis signum, cum reliqua multo maiora prætermittat. Tolle, inquit, virgam, qua fluuium percusisti, vt doceat eiusdem prouidentiæ esse, impios prope magnam aquarum copiam cōstitutos, ardentisima siti cruciare: & piorum hominum sitim in arida regione, summisque ardoribus exusta,

restin-

restinguere. Cum enim Moses Dei iussu Nilum percussit, aquæ in sanguinem versæ sunt: cumque rursus eadem virga silicem percussit, ingens vis aquarum repente manauit: vt appareat improbos homines etiam cum videntur omnibus rebus abundare, summa inopia, rerumque omnium indigentia, & multis curis, atque angoribus confici: contra vero pios, in rerum etiam humanarum angustijs, omnibus bonis affluere, illorum effrænatam cupiditatem in opes fluxas, & interituras incitatam, expleri nunquam posse: horum autem ardentissimum rerum immortalium desiderium, mirabili quadam affluentia satiari. Sunt autem magnæ opes pietas, & animus sua sorte contentus. Pios enim Dominus locupletat, non cumulatione diuitiarum, sed subtractione cupiditatum, quæ ex spiritualium delitiarum dulcedine manat. Itaque improbos semper egentes, & miseros esse, atque cum grauissimis malis assidue conflictari, pios vero semper abūdare diuitijs & eximia quadam voluptate compleri. Huc spectat etiam quod Salomon ait, Est quasi diues, cum nihil habeat, & est quasi pauper, cum in multis diuitijs sit. Sic Apostolus, Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. Virga igitur illa hoc est, diuina prouidētia, ex diuitibus pauperes, & ex pauperibus diuites facit.

Exod. 4. *Prou. 13.* *2. Cor. 6.*

Mirabile esse videtur, quod in summa hominis paupertate, vni⁹ Dei possessio fœliciorem, quam omnia alia mundi bona redat: definit tamen hoc esse mirabile, si infinitas summi boni diuitias animo metiaris. Videmus enim nullam esse in infinitis pene animantium generibus facultatem quam homo rationis vi & acumine, nō fuerit imitatus. Non volat quidem vt auis, sed domitis tamen arte animantibus, eorum tergo vectus, quocūque vult peruenit. Nō natat vt piscis: sed tamen excogitatis arte nauibus, totum orbem peragrauit: non pugnat cornibus, dentibus, vnguibus, & veneno, sed ijs tamen omnibus potentiora arma exquisiuit. Nō squamoso corpore vt Draco se ab iniuria tuetur, thorace tamen & clipeo tectus, à corpore tela depellit. Non cantat vt olor, aut Philomena, cęteræque canoræ aues: sed pro his tamē ipse longe dulciora musices instrumenta ingenio quæsiuit. Quid multis? Et tonitrua, & fulmina quæ vnius Dei propria videbantur, ipse quoq; suo modo excogitatis variorū tormentorū machinis, imitatus est. Est enim vulgata Theologorū sentētia, ea quæ in inferiorib. naturis sparsa sunt in su-

in superiorib. vnita & colligata inueniri. Quod si vis rationis tantū valet, vt inferiorū pene omnium virtutes & facultates ambitu suo complexa sit, quid miramur si summus ille conditor, rerū omniū à se conditarum perfectiones omnes, & infinitas alias in se contineat? Quod si ita est, quid mirum si huius tanti boni possessio, fœlicissimum reddat possessorem suum, quanuis aliarum omnium rerum indigus sit?

Admiratione dignissimum est, quod cum homo arte & ingenio tam multa & varia excogitauerit, quæ ad vsum, ad delitias, & ornatum, ac tutelam corporis spectant (nimirum varia vestium genera, domos, ciuitates, leges, belligerandi, nauigandi, & agricolandi, aucupandi, atque feras mansue faciendi artem atque peritiam) ipse tamen nec quo pacto vitam instituere, nec qua in re vltimum finem, ad quē actiones omnes dirigēdæ sunt, per se intelligat. Ignorato verò vltimo fine, quid in vita recte cōstitui potest? At is dupliciter in hac parte, & quidem grauissime peccat: quoniā & extra Deum vltimum finem quærit, & in bonis externis & cupiditatibus suis explendis, quærit. Illud enim tale est, ac si lapis extra cētrum suum quietem quæreret. Hoc verò adeo præposterum & stultum, vt nihil magis huic fini possit esse contrarium. Quomodo enim fælicitas in ijs rebus esse poterit, quas Dominus maximi supplicij loco Gētilibus irrogauit, Apostolo testante, qui ait:
Rom. 1. Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, &c. Quid enim aliud huiusmodi cupiditates, quā perturbationum omniū, dolorū, ac molestiarum seminaria sunt? Si enim vis irascibilis vindex esse læsæ concupiscentiæ dicitur, quę pax in ea mēte erit, in qua toties desideria hominū frustrantur? Toties nāq; irascēdi vim & intra se fremere, & animū perturbare, & aduersus obsistentes incādescere, necesse est. Deniq; quid sunt variæ cupiditates & desideria, nisi curarū agmina? Quando enim aut amor, aut desideriū, curis & solicitudine vacat? Hic ingeniosus Poeta amorē rē esse timoris solliciti plenā asserit. Verg. quoq; in li. Geor. vnū Syrene matris filiū, maximā eius curā vocat. Si ergo vnici filij amor vnica parētū cura est: ergo multi amores, curarū multarū, ac laborū agmina erunt. Quomodo ergo in ijs tranquilitas animi, & fælicitas (quæ desideriorum, & curarum quies est) poterit inueniri?

Tranquillitatē, & quietē animi, non opes, & potentiā, sed solū

Deũ pijs hominibus donare, ex his verbis Salomonis colligitur. Est & aliud malum, quod vidi sub Sole, & quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus diuitias, & honorẽ, & nihil deest animæ suę ex omnibus quæ desiderat, neq; tribuit ei potestatẽ Deus, vt comedat ex eo: & hoc vanitas, & miseria magna est. Nõ tribuere autẽ potestatẽ Deũ vt comedat ex eo, quod habet, est, non frui hominẽ bonis suis, nec quietẽ ex eis, & solatiũ capere: sed in medijs opibus, velut inopem, & miserũ magnis vexari curis, & angoribus: vt hoc argumento liqueat, nõ in opibus, & diuitijs animi pacem, & quietem: sed in Deo, & à Deo esse quærendam. *Eccle.6.*

Cũ beatitudo sit quies desiderij, nec minus multa desiderent, qui in ampla, quàm qui in humili fortuna sunt: efficitur plane, vt non minus miseri diuites, quàm pauperes sint: quia beatũ non efficit multa possidere, sed nihil quàm quod habeas desiderare. Desiderant autem multa diuites, imò plura, quàm pauperes: quia vbi multæ sunt opes, multi etiam qui comedunt eas: & sublimis status pluribus eget, quibus vel cohonestetur, vel etiam fulciatur. Ergo beati non sunt diuites, sed tot miserijs obnoxij, quot sunt ea, quæ concupiscũt, nec assequuntur: siue Reges illi, siue Imperatores sint.

Sunt inter Christianos quidam homines, velut Epicurei, qui ita viuunt, vt cælesti hæreditati renuntiasse, & fœlicitatem in hac vita posuisse videantur. Ab horum autem consortio & cœcitate se liberari regius Vates orat, Psalm.16. Pro eo enim, quod nos legimus: Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorũ: de abscon ditis tuis, &c. quæ sequuntur. Alij clarius ex Hebr. verterũt: Eripe me Dñe ab hominib' mũdo addictis: quorũ portio est in vita: quorum ventrem de absconditis tuis imples. Saturantur filijs, & relinquunt reliquias suas paruulis suis. Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua. In quibus etiã verbis Vates sanctus spreta mũdi fœlicitate, in vno Deo eã reponit. Simile est illud: Beatũ dixerunt populum cui hæc sunt: beatus populus, cuius Dominus Deus eius. At, qui in corporis voluptate, & obsequio fœlicitatẽ ponit, per omnia illa spargitur, quę corpori voluptatem aliquam, aut commoditatem afferunt: quæ infinita pene sunt. Quorũ typũ gerit populus per vniuersam terrã Ægypti dispersus ad colligendas paleas. Vnde patet quàm multis curis, & *Psal.16.* *Psal.143.* *Exod.5.*

miſerijs hæc fælicitas admixta ſit, quæ tot eget fulcimentis.

Hoc vel maximum inter ſortem piorum, & improborũ diſcrimen eſt: quod horũ ſors externa quidem ſpecie lætiſsima, & fæliciſsima videtur: quæ tamẽ intus multis curis, & cupiditatibus exagitatur, cum ipſi cupiditatũ ſuarum non Domini, ſed ſerui ſint: vita antem & ſors piorum externa quidẽ ſpecie viliſsima ſæpe, & abiectiſsima eſt, quæ tamen intus miris Spiritus Sancti diuitijs, atque delitijs abundat. Externã enim illorũ imaginem refert Apoſtolus

Hebr. 11. cum ait, Alij vero ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, &c. Internam vero ſpeciẽ deſcribit Pro-

Pſal. 44. pheta, cum ait. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus. Quam tamen nullis verbis explicari poſſe ſponſus in Cant. oſtendit, cũ variam ſponſæ pulcritudinem cõmendans, internas eius opes ac delitias exprimi non poſſe declarat, cum hæc verba iterum ac iterũ repetit, Abſque eo quod

Cant. 4. intrinſecus latet. Quæ enim ſiue opes, ſiue delitiæ maiores, quam quas amatoribus ſuis diuina ſapientia præſtat. Melior eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſsimis, & omnia quæ deſiderantur ei nõ va-

Prou. 3. lent cõparari. De hac enim, qui eam deguſtauerat, ait, Prępoſui il-

Sapie. 7. lam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi, &c. quæ ſequun-

Sapie. 8. tur. Et rurſum, Intrans in domũ meam conquieſcam cum illa: nõ enim habet amaritudinem conuerſatio illius, neque tędium conuictus illius. Vtriuſque rei imaginem Apoſtolus complexus eſt,

2. *Cor.* 6. cũ ait, vt ſeductores, & veraces, ſicut qui ignoti & cogniti: quaſi morietẽs, & ecce viuimus, quaſi triſtes, ſemper autẽ gaudẽtes, ſicut

Cant. 1. egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſsidentes. Idẽ autem ſponſa in Cant. deſignauit, cum ait. Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem: ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Vtraque tabernacula, & pelles: hoc eſt tentoria, ſiue Cedar, hoc eſt Arabum (quorum eſt opulentiſsima regio) ſiue Salomonis, extra quidem deformia erant, vt pote pluuia, & puluere obſita, & ardore ſolis exuſta: quæ tamen intus argẽto, auro, varijſque coloribus fulgebant. Quæ quidem res piorum ſortem (vt ante diximus) maxime repræſentant: quæ inſtar Silenorum Alcibiadis, cum extra vilem, & abiectam ſpeciem exhiberẽt, aureas intus, & pretioſas imagines celabant. Quod quidem non ad rei naturam modo, ſed ad opinionem quoque hominum re-

ferri poteſt: qui externam piorum faciem ſpectantes, nihil aliud de ea iudicant, quam quod extra vident: cum illorum tamen fælicitas abſcondita ſit cum Chriſto in Deo. Sic D. Auguſt. 6. lib. confeſ. miſerũ Ambroſij cœlibatum iudicabat: quoniã, inquit eo tempore ocultum os eius, quod erat in corde, eiuſque ſapida de cœleſti pane gaudia, nec conijcere noueram, nec expertus eram. Hæc igitur tam fallax rerum facies in cauſa eſt, vt rudes & ignari homines decipiantur, qui externa rerum ſpecie decepti piorum vitam miſeram, improborum vero fælicem putant. De hac autẽ re multa præclare à Seneca dicta ſunt, quæ videre licebit in Collectaneis noſtris. T. de vera, & falſa fœlicitate.

Miſeranda profecto hominum cœcitas, & dementia eſt, qui cũ fœlicitatem ardentiſsima auiditate & ſitiant & quærant, illam nõ in ſummobono Deo, ſed in fugitiuis & caducis: & fallacibus huius mũdi bonis quærant. Quod quidẽ Dominus per Hiere. queritur, cum ait, Grex perditus factus eſt populus meus, paſtores eorum ſe duxerunt eos, fecerũtque vagari in montibus, de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt cubilis ſui. Cubile autem, in quo anima noſtra ſecura dormit, & quieſcit, Deus eſt: at cæca mens hominũ ſecuritatis, & quietis cubili derelicto, per montes errabunda vagatur, varia huius mundi bona conſectans: in quibus quietem ſe, & fælicitatem adepturam putat. Ne igitur hoc modo erraret ſponſa, ſponſum orat his verbis, indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam, &c. Vox ſponſæ eſt ad ſponſum: qua petit, vt ſibi veræ fælicitatis fontem oſtendat. Cauſam autem cur ſponſa hoc petit, ſubdit, cum ait, Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum, hoc eſt, poſt vulgus hominum, qui veræ fœlicitatis fonte relicto, & cubilis ſui obliti, per varios terrenorum bonorum montes, & colles errabundi vagãtur. *Hier. 50.* *Cant. 1.*

¶ Hoc autem in loco aduertendum eſt, duplicem eſſe beatitudinẽ, videlicet, inchoatam in hoc ſæculo per bona gratiæ, & perfectam in futuro, per bona gloriæ. Ad vtramque vero, hanc ſponſæ petitionem referre poſſumus: vt videlicet non modo inchoatam viæ fælicitatem petat, ſed inhians in ſuperna fluenta fontis vitę futuram quoque poſtulet: cupiatque & in hac vita in ænigmate, & in futura, facie ad faciem ſponſum videre, eoque ſatiari.

In vno Chriſto veram pacem, & tranquillitatem animi reperiri, de-

Cant.2. ri, declarat spõsa, enim ait. Sub vmbra illius quẽ desideraueră se-
Ibidem. di, & fructus eius dulcis guturi meo. Paulo ante Sponsa malo inter ligna syluarũ sponsum comparauerat, modo se sub huius arboris vmbra sedere ait, & dulcissimo eius fructu pasci. Fælix sane, quæ ita sedet, quæq; tali fructu, & vmbra fruitur. Sedẽdi nomine quies & tranquillitas animæ minime tumultuãtis, designatur. Vmbra vero Dominicam protectionẽ significat. Vnde Propheta, obum-
Psal.139. brasti, ait, super caput meũ in die belli. Et, in vmbra alarum tuarũ sperabo, &c. Vmbra quoque ardorẽ & ęstum solis temperat. Vtrũque autem pijs tribuit Dominus Iesus: dum eos, & in aduersis pręsentiæ suæ virtute tuetur, & carnalium desideriorum æstus gratiæ suæ rore, & benedictionis suæ dulcedine temperat. Quod quidẽ
Cant. 2. insinuat, cum subdit, Et fructus eius dulcis gutturi meo. Quisquis enim diuinæ dulcedinis gustum perceperit, facile terrenas omnes voluptates, & desideria contemnet. Sicut enim, qui pretiosum ali quod vinum degustauit, fastidit vilius: ita gustãti cęlestia, terrena fastidio sunt.

Cum omnes homines ad fælicitatem nati, varijs in rebus ipsam quærant, triplicem distinguere possumus fælicitatem, primã quidem mundanorum hominum, secundam Philosophorum, tertiam Christianorum. Cum autem fęlicitas sit status bonorum om nium aggregatione perfectus, mundani homines, ac præcipue po tentes student omni ratione bonis omnibus sæculi perfrui, arbitrã tes se hoc modo vel futuros fælices, vel certe proxime ad fælicita tem accessuros. At Philosophi longe prudentius humanarum rerum fragilitate, & inconstantia, infinitisque huius vitæ miserijs (quibus vndique circum sedemur) inspectis, alia via huc peruenire contendebant: nẽpe non hoc agentes, vt omnia bona (quod impossibile putabant) consequerentur, sed vt cupiditates eorum perimerẽt, vel certe quam minimum cuperent. Hoc enim intelle-
Seneca. xit Seneca, cum ait. Quare potius à fortuna impetrem vt dem quã à me ne petam. Idemque alibi. Et, Si vis, inquit, Phitodea diuitem facere, non est diuitijs addendum, sed cupiditatibus detrahẽdum. Denique fere tota Senecæ Philosophia, hanc esse expeditissimam consequendæ fælicitatis viam arbitratur: quæ non in terrenorum bonorum adeptione, sed in eorumdem contemptione posita sit. Vnde idem ait. Qui desiderium clausit, cum ipso Ioue de fæ

licita

licitate contendat. ¶ Tertia vero fœlicitas, quæ Christianorum est abscondita est ab oculis omnium viuentium etiam volucres cœli latet: Ea verò est, qua perfecti Christiani Deũ intellectuali visione contemplantes, admirandis in eo delitijs perfruuntur: quibus tunc magis affluunt, cum terrenis opibus, ac delitijs magis destituti sunt. Hac autem fælicitate Sanctus ille perfruebatur, qui tota nocte orans aiebat, Deus meus, & omnia, Deus meus, & omnia. Deus enim illi instar omnia, & supra omnia erat.

Quomodo verum esse potest, quod Propheta ait. Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum? Diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem D. n. d. o. b. cũ plerosque piorum paupertate, & angustia rerum suarum premi passim videamus? Huic quæstioni ex sententia Senecæ respondemus: is enim constanter affirmat, nihil interesse, an habeas aliquid an non concupiscas. Quod facile simili exemplo comprobatur: Nec enim minor est satur, qui nec esurit, nec comedit (quod beatorum est) quã is, qui post largas epulas non esurit: vterque enim simili saturitate gaudet: ille, quia nullam famem patitur, iste, quia plura comedendo famem sedauit. Sed ille tamen fælicior, quoniam (vt argute D. Augustinus ait) Melius est minus egere, quam plus habere. Hinc videmus pluribus egere infantes quam adolescentes, & pluribus item fæminas, quam viros, & pluribus senes, quam iuuenes, & omnino quidquid infirmius, aut imperfectius est, pluribus semper eget eoque quod firmius est. Vnde cõsequẽs est, vt Deus, qui perfectissimus est, nulla prorsus re indigeat. Hac ergo ratione pijs omnibus Deus omnia donat, cum cœlestis gratię beneficio terrenorum bonorum in eis sitim sedat.

Psal. 33.

Aug. in Regul.

Rebus omnibus, quas Dominus condidit, vltimam quandam perfectionem designauit, qua habita quiescerent, nec aliquid vltra desiderarent. Elementis sua assignauit loca, in quibus quiescerent, extra illa vero inquieta sunt, & ad ea magno conatu nituntur. Plantæ fertili solo, & circumfluenti humore gaudent, nec aliud vltra requirunt. Bruta sola sensus tactus oblectamenta quærunt: nisi quod auiculæ quædam cantu etiam (qui ad aurium sensum pertinet) oblectãtur. Homo vero, qui mentis Angelorũ more particeps est, cõmunẽ cũ Angelis sortitur fælicitatẽ: quæ non alia, quã summũ illud bonũ est, in quo omnia vera, omnia bona multo perfecti*

quam in se ipsis inueniuntur. Vnde sicut manna omnium in se saporum suauitatem: sic Deus bonorũ omnium perfectiones, atque delitias continet: nisi quod manna non omnes simul sapores, sed modo vnum, modo alium, quem edentes voluissent, referebat: at summum illud bonum delitiarum omnium plenitudinem simul exhibet in patria: Cuius rei prægustationem quandam, & veluti primitias amicis suis impartitur, in via. Hinc illa cordis dilatatio, & tranquillitas animi, quã pij in hac vita percipiunt, qua regius Propheta fruebatur, cum diceret. Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisiui. Qui enim hoc modo Deum habent, nihil præter illum sitienter appetũt, nihil timent, nihil sperant, hac vna possessione contenti, quam suprà casum, & fortunam positam, à nemine vident eripi posse, nisi ipsi sponte sua eam velint amittere. Adde his etiam, quod Deus, qui naturas rerum condidit, qui magneti hanc (vt ita dicam) propensionem dedit, vt quod tetigerit ferrum versus polum mundi ita flectat, vt extrà illum quiescere non possit, is hanc humanæ mẽti naturam indidit, vt non alia re, quàm solo diuinæ pulchritudinis conspectu satiari possit. Hinc D. Augustinus. Quoties (inquit) Domine à te deflexi, factus sum mihi regio egestatis. Et alibi. Omnis inquit copia, quę Deus meus non est, egestas mihi est.

Psal. 118.

Est quoddã Idololatriæ genus, fœlicitatẽ in rebus creatis ponere. Cum enim Deo, quatenus Deus est, hoc maximè conueniat, vt is rerum omnium principium & finis sit, olim quidem perditi homines primi principij dignitatem à Deo ablatam, Ioui, aut Saturno tribuebant: modò verò hac Dei nostri dignitate retenta, vltimi finis dignitatem, non quidem verbis, sed rebus ipsis ei præripiunt. Cum enim sæculi homines felicitatem, & vltimum vitæ finem alius in pecunia, alius in populari aura, alius in voluptate ponat, & propter hæc bona fruenda, Dei legem atq; adeo Deum ipsum contemnat, an non illi vltimi finis dignitatem & gloriam re ipsa illi eripit?

FINIS.

SERIES LOCORVM SIVE TITVLORUM eo ordine quo in hoc volumine tractantur.

PRIMA CLASSIS

Locorum cõmunium, quæ à Deo opt. Max. incipiens, loca deinde ad diuersa genera personarum & statuum pertinentia, complectitur.

Aduo-

SECVNDA Claßis, in qua de virtutibus & vitijs oppositis agitur.

Magna-

TERTIA

Claſsis, in qua de beatitudinibus & donis & ſacramentis aliquot, deque quatuor nouiſsimis & quibuſdam alijs.

INDEX ORDINE AL-
phabetico digestus.

Eloquen-

Peccan-

Index Alphabeticus.

FINIS.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm